



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
2 G
57



PALÆSTRA ORATORIA

PALÆSTRA ORATORIA

Præceptis & exemplis Veterum lectissimis instructa.

Et nova methodo

IN PROGYMNASMATA ELOQUENTIÆ

atque

EXERCITATIONES RHETORUM

proprias, ad lectionem simul & imitationem distributa,

Cum

RESOLUTIONE, ET ARTIFICIO

Tullianarum Orationum adjuncto.

AUTORE

R. P. JACOBO MASENIO

é SOCIETATE JESU.



COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud HERMANNUM DEMEN sub signo Monocerotis, M. DC. LXXVIII.



ADMODUM REVERENDIS, PRÆNOBILIBUS, CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS, DOCTISſimis Dominis celeberrimorum Gymnaſiorum Montani ac Laurentiani apud Ubios.

REGENTIBUS

ECCLESIÆ METROPOLITANæ Canonicis Capitularibus Præsbyteris

DD.



IOHANNI FRANCKEN

SIERSTORFFIO,

I. V. DOCTORI,

ET

WILHELMO LOVIO

LIMBURGENSI,

SS. THEOL. LICENTIATO,

Dominis ſuis omni obſervantia venerandis,

REginam animorum vobis ſiſto Eloquẽtiam *Regentes vigilantiſſimi*, non illam quidem in coronis ac purpura, qualis

In maximorum ſemper Regum aulis dominata eſt Conſtantinis, Theodoſiis, Carolis amica; ſed gymnaſtico adhuc perfuſam pulvere, & athletarum ſudoribus madentem. In *palæſtra*, non in palatio exhibetur. In certamine etiamnum verſatur, ad quietem, coronatosque labores nondum perventum eſt, Unde ſi habitus rudior, ſi cultus neglectior, ſi albis nondum quadrigis provehatur, trabeaque triumphali ſpendeat, nolite aſpernari. His Palæſtræ rudimentis, his eloquendi præludiis, nil abjectum molitur, aſpirat ad grandia, ſenſim animorum prenſat imperium. Veſtrum nunc favorem ambit, à veſtro ſibi patrocinio non leve præſidium ad multorum occupandam gratiam fore auguratur. Novit quanti ſitis Eruditorum Mecœnates, quàm æqui bonarum fautores artium, æſtimatores diſciplinarum. Nihil vos alienum ab illo moliri loco, quo egregia eruditionis fama provexit, non ignorat. Hanc vos jamdudum triviſtis eloquentiæ palæſtram, hac ſudaſtis arenâ, ex hac nobiles veſtri certaminis palmas retuliſtis. Quod illa nunc quisque Veſtrum præſideat ſcientiarum arce, quod tam illuſtris juventus Veſtris ſub ſignis colligatur, quod formet indolem nutu Veſtro, quod diſciplinas, artesque ingenuas Veſtro ſub imperio hauriat, hoc ſingulari, non minus eruditioni, quàm ſpectatæ virtuti tribuendum eſt: Debet hoc *Sierſtorffiis* Laurentiana Gymnas, (quæ illorum eſt virtus, atque induſtria) quod nobiliſſima juventute, quod ſcientiâ, quod diſciplinâ, quod moribus floreat, quantùm verò in Lovio præſidii, ornamentique vetuſtiſſima Montanorum palæſtra collocet, hoc illa declarant ſuffragia de-

delectusque, quibus ex egregio doctorum hominum flore hic unus ſupremo Gymnaſiarchæ muneri admotus eſt, raro cum ſapientiæ, tum virtutis argumento.

Felices enimverò Proceres, quibus res præſtantiſſima, Chriſtianæ juventutis inſtitutio ſupremo moderationis jure commiſſa eſt. Vobis religio ſua credidit pignora, reſpublica ſuos magiſtratus, quâ fide, quâ diſciplinâ, quibus moribus, ſcientiisque, quâ probitate, ſub Veſtra cura imbuentur, tales olim & Eccleſiæ, & politiæ ſervient, Talem vos geritis principatum, quo non urbi, aut diœceſi uni imperatis, ſed integris regionibus, multisq; Populis rectores præſidetis, Nam è veſtris Lycæis Palæſtrisque quaquaverſum emittuntur, qui vel ſacris initiati populorum mores Parœci forment, vel ad reipubl. gubernacula tranſeant, juris, æquitatisque adminiſtri. His modo vos inſtrumenta, his artem ad ſecutura munera traditis. Veſtra illi adoleſcunt induſtria. Veſtro beneficio præſident.

Permittite, vigilantiſſimi Proceres, ut in partem tam glorioſi laboris per Vos ſuſtinendi veniam, licèt gloriam non decerpam. Veſtra hæc maneat, ſolius mihi laboris partem hoc in opere vendicabo. Ut Romano ſermone loquatur, ut priſcæ eruditionis gnara ſit, ut liberalium artium, atque imprimis eloquentiæ vim, virtutemque aſſequatur, hoc Vobis curæ eſt, huc animum vigiliasque intenditis. Neque enim illud Meandri ignotum eſt,

Ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων.
Sine literis quisquis videt, nihil videt.

Bonum igitur factum hoc agere ut plurium illustretur ratio, excolatur lingua simul animusque instruatur juventus, quæ alios instruat, bonis artibusque dirigatur, mox alios rectura. Juvat hac in re meum studium Vestris vigiliis submittere, & tam spectati laboris, non tam socium quàm ministrum accedere.

Nec una me huc causa impulit. Laudata in summis viris cùm eruditio, tum humanitas invitavit, quos illo eloquentiæ studio, quod magna olim industria pertractassent, & nunc supremi Gymnasiorum Moderatores regerent, jure arbitror delectari.

Sed & suis hæc palæstra exercitiis Coloniæ potissimum instructa erat, ubi quondam hanc Magister facultatem annis pluribus in Gymnade Tricoronata Societatis nostræ tradideram, ut dimoveri loco, atque extra Agrippinatum fines suos Mecœnates quærere, minus æquum videretur, quando tot, tamque illustres una Colonia patronos suppeditaret.

Mágis verò illa me etiam exitavit, quæ debet esse, & verò etiam est studiorum inter tria hæc laudatissima Gymnasia communio, mutuaq; in communione benevolentia, quàm amor vicissim alat, æmulatio non distrahat. Gaudeant profectò mutuo, lætentur successu, felicitati non invideant, necessitati etiam succurrant. Sorores sint, ac ternæ istæ non Charites fabulosis nexibus illigatæ Musarum nutrices, Suadæ parentes, artium, scientiarumque arces, non ad oppugnationem hostilem, sed Urbis, Orbisque præsidium excita-

tæ. Jam anni ab Urbano VI. Pontifice fluunt ducenti ſeptuaginta novem, ex quo hæc Agrippinatum Univerſitas, iisdem quibus celebris illa Pariſiorum legibus privilegiisque cepit ſurgere. Montani ſubinde primâ Gymnaſii memoriâ efflorеſcere, deinde & illius, quod à Laurentio nomen laureatum gerit, poſtremò & hujus noſtri à coronis tribus celebrati fama inaudiri. Fas igitur, ut natu junior ſoror, majores veneratur, atq; hoc qualicunque ſtudiorum officio ſuum illi amorem benevolentiamque teſtetur, dicatque *Soror noſtra es, creſcas in mille millia* (*a*) creſcas in literis, proficias in diſciplina, floreas in eloquentia, vigeas in ſcientiis, illuſtreris in virtutibus.

Hoc ne inanibus tantùm votis præſtem, in tractatum de eloquentia noſtro concinnatum ſtudio veſtro dedicatum. Qui, quâ viâ, & quo laboris compendio ad Tullianam facundiam aſpirantibus prodeſſe poſſit, Vos ab ipſa experientia, quàm meis malim verbis accipere. Et leges hujus facultatis aliquantò planiores dedi, quàm viderim hactenus, & Aphthonium pluribus impeditum obſcurumque locis, quibusdam etiam minùs utilem, tum denique Ciceronem ipſum alio per Rhetorum exercitia digeſtum ordine, lectiſſimisque tantùm fontibus derivatum, ad facilem juventutis uſum, imitationemque ſcribentium aptavi; quod præſidium ad eloquentiam nullam reperirem efficacius. Hic labor meus, ſtudiumque à me ad promovenda multorum ſtudia profectum, ſi ad ſinum veſtrum favoremque admittatur, ſi gratum, acceptumque

(a) *Gen.* 24. 60.

fuerit, si speratam denique utilitatem ad rem literariam attulerit, si ad Ecclesiæ, ac Reipubl. emolumentum convertatur, ocii in hac contentione sumpti, officiique liberalibus hisce disciplinis impensi nunquam pigebit. Favete, atque æqui bonique consulite, diu bonis artibus, atque Ecclesiæ superstites.

Ita sperat ac precatur

Adm. RR. DD.
humillimus in Christo
Servus

JACOBUS MASENIUS

FACULTAS ET APPROBATIO

R. P. Provincialis SOC. JESU.


Go infrascriptus Societatis Jesu per Provinciam Rheni inferioris præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Adm. R. P. nostro Goswino Nickel Societatis nostræ præposito Generali, permitto, ut Palæstra Oratoria à P. Jacobo Masenio Societatis Jesu conscripta, atque à designatis censoribus approbata, publicæ utilitati proponatur, typisque per Joannem Busæum mandetur. In cujus rei fidem literas hasce meâ manu subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas dedi. Coloniæ Anno 1654. 7. Julii.

Joannes Zwenbruggen.

Ad

AD LECTOREM.

De causa, usuque instituti Operis.

PAucis te convenio, amice Lector, ut instituti mei rationem intelligas, spectatamque à me hoc in opete utilitatem pleniùs haurias. Causam enim hanc scribendi potissimum habui, ut tibi etiam post fata prodessem. & quod docendi munus vivus in scholis, Majorum imperio, suscepi; hoc mortuus non omnino deponerem, aliquantò etiam absolutiùs hanc disciplinam in libris relicturus, quàm voce, ad hanc meditationem nondum exacta, tradiderim.

Quædam in præceptionibus Rhetorum hactenus per varios exaratis, difficilia comperi, quæ non discipulorum modò; sed & Magistrorum fatigarent ingenia. Ratio inventionis, vel tam parum ordinata prodiit, ut post longam institutionem exiguus ferè in discipulis ad inveniendum, profectùs, sæpè etiam in præceptoribus non magnus appareat. Cùm tamen omnis disserendi facultas hac præcipuè nitatur, neque disponendi, perque Rhetorum figuras exornandi ratio, quicquàm in copiosa inventione difficultatis adferat. quod facili instructione, breviq; studiorum impendio discuti nequeat, modò inventionum fontes minimè exsiccentur. Quocirca ne ad hunc scopulum allisa studiosorum industria hæreret,

ope-

operam ante omnia dedi, ut inventionis ordinem in paucos distributum fontes, naturæ lege cohærentes, & uno alteroque versu in memoriæ præsidium signatos, cogerem, eâ claritate, ut quivis nisi ad stivam aut remum natus, possit capere.

Pressi tamen hac in novitate, quantùm licuit, antiquorum vestigia, ideoque Veteres ex Cicerone & Quintiliano locus præmisit; ut ad hos oculos mentemque identidem mecum alii converterent, suamque Priscis venerationem deferrent, à quibus, cùm nonnunquam descendendum hac in via esset, in paucissimis tamen dissentire volui.

Alterum quod in his Rhetorum institutionibus difficile mihi semper visum est, fuit exemplorum minus ad captum rudiorum opportuna introductio. Desiderabatur unius materiæ per singulos inventionis fontes diductio, ut quà quisq; locus differret ab altero ratione, ejusdem inflexione atque excussione rei constaret potissimum. In diversis enim rebus, ut sublata connexio est, ita magnum ad penetrandum rudioribus præsidium adimitur. Ubi toties mutantur ad eandem urbem viæ, facilis aberratio est, quam cavet, quisquis unâ regiâque viâ ignorantes duxerit. Uno igitur exemplo hanc ad eloquentiam sternere conatus sum, rudi illo quidem, fortasse tamen primo, dum alius me felicior, magis planam straverit inveniendi semitam.

Tertium erat, quod exemplorum (quibus hæc facultas præcipuè & continetur, & capitur) usum, vel mutilum, vel penè sine usu in scholis esse animadverterem. Mutilũ quidem cum avulsa ab ipso orationis corpore exempla, velut mortua, ex-

tra debitum jacerent locum, vim roburque suum nequaquam, sine vita ac sanguine ex membris vicinis communicato, ostenderent. Quare illa non aliter, nisi in justa orationis parte, suo censui splẽdore exhibenda. Quid enim oculus extra frontem: quid genæ extra faciem? junctæ dant capiuntque gratiam, distractæ vilescunt. Rursum usus exemplorum ad formam imitationis traducendus, vel exiguus hactenus fuit ex præceptis, vel parum utilis. Quis enim apto scribendi argumento breve aliquod rei mutilæ exemplum complectatur? aut si fecerit, quod egregium ab hoc studio speret emolumentum? puerilis ille pictor est, qui brachium, aut pedem corporis exhibet, neque totius unquam hominis aptam dispositionem imaginemque assequetur, nisi junctis inter se membris hunc imitandi laborem impenderit. Ex quo Lector intelliget, non quævis exempla se totis ad præsens semper institutum transferri; satis mihi fuisse, quod suo in corpore imaginem rei propositæ continerent, reliqua si non necessitatis, ornatûs tamen, integritatisque gratiâ relicta esse, ne mutilam, enervatamque authoris dissertationem exhiberem. Illud tamen mihi licere volui, ut intermedia quandoque orationum spatia, quæ vel minus florida, vel à re nostra magis viderentur aliena, pro arbitratu resecarem, & aptissima, dignissimaque imitatione imprimis seligerem. Hoc ausim lectoribus promittere, lectissimum illos, ex Cicerone, Plinio, Tyrioque dicendi florem in his exemplis reperturos.


Postremò utilissimas Aphthonii exercitationes præclariùs inventas, quàm digestas, ideoque obscuri-

ſcuritate quadam contemptas, jacere in ſcholis animadverti. Nec enim ſatis idoneâ diſtributione, ac diſtinctione uſus fuerat, quæ progymnaſmata, quæque propria eſſent Rhetorum exercitia, non ſatis liquebat; cùm pene omnium Oratorum exercitamenta uno progymnaſmatum nomine contineret. Ipſa etiam tractandi ratione à receptis Oratorum legibus nonnunquam deflectebat. Exemplis recentium ferè autorum minus ornatis atque Oratore dignis hæc denique progymnasmata tradebantur. Quare & huc meum ſtudium contuli, ut leviores hasce exercitationes ac veluti præluſiones Rhetorum, ſuo in ordine præmitterem; graviores atque Oratorum proprios, jam robuſtioribus eloquentiæ palæſtritis reſervarem. Illæ Humanitatis, quam vocant, ſcholæ deſervirent; hæ rhetoricæ facultati ſervarentur. Exempla dedi, non ad Aphthonianas ubique leges inflexa (hoc enim inutile) ſed communibus Rhetorum præceptis ordinata, atque ex ſcriptis eloquentiſſimorum hominum deprompta. Quod ſi quis denique orationum diverſarum conſtructiones, argumenta, diſpoſitionem, artificiumque dicendi univerſum in exemplis perſpectum habere velit, neminem ante Ciceronem habiturus eſt. Cujus idcirco Orationes ad brevem quandam contractas imaginem, omnium oculis ſua inventione, quæſtione, argumentis, ordine ac diductione compendiò ſubjeci, ut cùm ipſum prolixiùs diſſerentem Tullium volvere ſtudioſo Eloquentiæ libuerit, vix in tenebris verſari poſſit, ſi illam, quæ de Ciceronis vita eſt, hiſtoriam adjecerit. Minutiæ quarundem vocum, perſonarumque, à

qui-

quibus rei totius argumentum non dependet, ad-
oleſcentibus curandæ non ſunt, cùm proficiendi
momentum ex his non pendeat. Quæſtio, argu-
menta, tractandique ratio obſervanda eſt, atque
ad ſedulam imitationem traducenda. His exerci-
tationibus eloquentia primò ſanguinem viresq;
ſumere, his adoleſcere ſolet ac foveri.

Accipe igitur hunc meum, quo tibi prodeſſe volui, conatum, & ſi minus ubique, quæ volui, aſſecutus ſum, tuo ſtudio, ingenioque quod mihi defuerit, ſuffice, & vale.



INTRODUCTIO



In

PALÆSTRAM ORATORIAM, QUA AUTHOR

Rationem instituti à se operis, ejusque opportunum usum complectitur.



Uod Deus optimus Maximus, & Christiana Pallas Chatarina, reliquique cælitum felix faustumque esse jubeant, suisque vel auxiliis promoveant, vel favoribus secundent, post præcipuas Romanæ eloquentiæ partes, à nobis si minus absoluto, certè rudi pertractatas opere, illam, in palæstra literaria, animorum tractandorum artem, quâ oppugnari, vinci, flectique ad victoris arbitrium queant, aggredimur. Non hic quidem nervos veterum athletarum requirimus, quibus scitè fortiterque discum jacere, cæstum torquere, saltum librare, luctam stringere, cursumque incitare possint; sed illam ingenii animique instructam vim, cui pro disco verborum copia, pro cæstu sententiarum pondus suppetat: quæ periodis, velut saltu, libretur, oratione tota luctetur, amplificatione figurisque incitata rapiat. Hoc qui fecerit, pancratiasta nobis futurus est, tantò priscis victoribus nobilior, quantò majus est animis, quàm corporibus dominari. Quare cum prisci Eloquentiæ robur dignitatemque apto vellent emblemate adumbrare, Herculem nobis, non clava minantem, nec facibus hydræ (quanquam sic possent) capita adurentem, sed aureis catenulis ex ore profluentibus suspensas populorum aures trahentem, formabant; ut in Hercule orationis potentiam, in auro præstantiam, in catenis tenendi vim, in obligatis auribus animorum devinctorum

promptitudinem, demonstrarent: Certè, ut ille quondam monstrorum domitor habitus est, qui bonorum hominum saluti pessimorum exitio clavam circumtulit; ita fortis infractæque Eloquentiæ Orator, qui non, ut olim perversum Sophistarum vulgus, in nobilissimæ hujus artis labem natum, fuco quodam dicendi, falsa pro veris sæpe adornare, vitiaque virtutum induta coloribus venditare audet; sed adversus ignorantiam, erroresque, ac flagitia mortalium vires exerit, verborumque ac sententiarum, nunc ad provocandum disponit illecebras; nunc ad terrendum spargit fulmina, quovis mihi Hercule magis est prædicandus. *Quid est.* (inquit ille Oratorum Romanus Princeps, de Orat. n. 31.) ***aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine existere unum, qui id, quod omnibus natura datum est, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum rationes, senatus gravitatem unius oratione converti?*** Videas nonnunquam, propinquo atque imminente mœnibus hoste, trepidos incertosque rerum cives expavescere, neque pro aris focisque pro liberis ac libertate tuenda, animos atque arma capessere. Accurrit non indisertus Orator, qui servitutis turpitudinem, hostium atrocitatem, libidinem, atque avaritiam, oculis subjicit; numerum incolarum, resistendi facultatem, spem vincendi, vitæque ac libertatis defendendæ, ostendit, timidos erigit, inermes armat, dissipatos cogit, hostiles frangit impetus, arrogantiam coërcet, opprimit insolentiam, suis victoriam, hostibus ignominiam relinquit. Videas & quandoque armatos ad seditionem coire Dominorum subditos, perniciosa agitare consilia, tributorum pertæsos, libertatis avidos, sceleris cupiditate incensos, minarum atque indignationis plenos, qui cum ad eloquentis hominis orationem aures arrigunt, calorem illum animorum sensim remittunt, rationibus capiuntur, spe atque exspectatione meliorum leniuntur, rebellionis turpitudinem agnoscunt, ad pristinam suorum magistratuum observationem inflectuntur. Ita inermis unus Orator, sine præsidio, sine vi, sine imperio, arma & dat, & eripit; militiam pugnamque suadet, ac sistit; victoriam largitur, & transfert; animorum incendia, nunc extincta suscitat, nunc suscitata extinguit, inter

ter

ter amicos, & hostes pugnat sine telis, vincit sine sanguine, sine clade suorum triumphat. Verum mihi hic propositum non est suis Eloquentiam ornare laudibus, sed præceptis explicare. Malo ante intelligas, quid Oratorem deceat, quam quid possit, ars suis coloribus adumbrata, & partibus exposita, facilius amabitur, cum *ignoti nulla cupido.*

2 Naturam largiri ad eloquentiam idoneam nulli possum, humanarum illud virium non est; sed artificis increati, qui tardam ad intelligendum mentem, fluxam memoriam, judicium imbecille, vocem horridam, cespitantem linguam, latera imbellia nascendo sortitus est, frustra erudiendo ad eloquentiam perpolietur. Ex omni ligno Mercurius non formatur, Stylo quorundam aptare manus licebit, quos vox roburque laterum destituet. Utrique tam dicenti, quam scribenti noster labor sumptus est. Natura plerisque tam Noverca non extitit, quin faveret in partibus, alii, cui vocem, promptamque ad verba linguam est elargita, detraxit ingenio: alii vim atque acumen mentis impetiit, negavit linguam in verba expeditam; neutri tamen desperandum, ille ad dicendum, hic ad scribendum erudiatur: cui utrumque natura donavit, vacet utrique: cui omnia subtraxit, alios admiretur, sciatque, non omnes ad omnia natos esse. quem ad castra natura peperit, rostris non est præficiendus, plures gladium scitius, quam stylum versabunt.

3. Hujus porrò, quam ego tractandam suscepi, artis præcepta, tot, tamque eruditi scriptorum, non veterum modò, sed & recentiorum sunt prosecuti, ut verendum jure fuerit, ne temeritatis arguerer, si his vel detrahere aliquid, vel adjicere scribendo velle videar. Præsertim cùm multi, hanc docendi provinciam aggressi, plus ab illa ignominiæ, quàm laudis reportarint, quod vel aliorum scripta temerè compilarint, vel eloquentiam, sine eloquentia, tradere ausi, sese ignorare ostenderint, quod scire ipsius artis professione tenebantur. Hos tamen ego, si quid ad rudioris ætatis captum ductumque, ista in re, facilitatis attulerint, si quid ad majorem eloquentiæ æstimationem momenti, jure duxerim hoc suo conatu excusandos. meque etiam non indignabor illorum in numero censeri, qui hac studiorum contentione, quanti esset eloquentia, magis testati sunt, quàm assecuti. Inter φιλομάθεις numerari satis fuerit.

Sed nec mea prorſus, neque omnino aliena traditurus ſum. Illud quod octo propemodum annorum ſtudio, in ſolius Rhetoricæ inſtitutionibus juventuti exponendis, ſum aſſecutus, non gravabor illius diſciplinæ cupidis ad poſteritatis emolumentum tranſcribere.

Conſilium mihi non eſt, à tritis hactenus majorum veſtigiis deflectere, ſi artis propoſitæ naturam ſpectemus; nihilominus certa tractandi methodo, quâ ad facilitatem hujus artis, cùm plenius, tum citius addiſcendæ, nonnihil meo hoc labore contuliſſe mihi videor, ab aliis nonnunquam me diſcedere, nemo indignabitur, quisquis hoc ſtudium publicæ totum utilitati conſecratum eſſe intelliget. Quare optimis antiquiſſimisque Rhetoricæ profeſſoribus, Ariſtoteli, Hermogeni, Ciceroni ac Quintiliano, atque his inprimis Latiæ eloquentiæ principibus, ubique inhærere decretum eſt; at ſimul multa paucis complecti: poſtremò ſuis illos quandoque verbis, ubi preſſius elegantiuſque artem exponunt, introducere loquentes, ut præceptis juxta exemplisque erudiant.

4. Errant, qui magna præceptorum mole juventutis ingenium, non tam inſtruunt, quàm obruunt, praxi magis, quàm theoria opus eſt, exercitatione, atque exemplorum optimorum imitatione ad eloquentiam potiſſimum enitimur, quare in his plurimum operæ poſui. Ipſa illa quæ tradidi præcepta, magna ſui parte, ſola lectione ita erunt haurienda, ut ſatis ſit eorum ſenſum mente complexos, poſſe illum exigentibus depromere. Qui in Rhetorica inventionis ſedes, cauſarum genera, ac figurarum diverſitatem memoria comprehenderit, cætera tutò negliget, lectione tantùm diſcenda.

Ardua res juventuti eſt invenire argumenta, cui, ni fallor, difficultati à me detractum eſt, novaque inventionis methodo ſubventum. Res eidem adornandas amplificandasque rationes plerumque deficiunt, inanique ferè verborum jactatione circumfertur: locos itaque argumentorum, ad facilem inventionis uſum, in communes ac proprios, digeſſi. Exemplorum, ſive inventionis illa ſint, ſive elocutionis, vim tardius aſſequitur: eandem igitur, tam in argumentis inveniendis, quàm figuratè exornandis materiam adhibui, perque omnes ferè rationes inflexi, ex qua promptum ſit varietatem dicendi omnem apprehendere. Quibus ſenſim initiis ad perfectiorem

rem eloquentiam enitendum, quibus illa exercitiis potissimum obtinenda, nec magistris quidem omnibus video exploratam.

Etenim nescio,qua docentium, vel ignoratione, vel ignavia negligatur illud frequenter, quod in Romana eloquentia est præcipuum : bonorum videlicet autorum lectio, imitatioque : quâ nihil,sive ad studiorum amœnitatem jucundius, sive ad profectum utilius,potest reperiri. Longum illud asperumque per sola ad eloquentiam præcepta,stylumque,absque exemplo ductum,iter est. Illi qui legendo loqui discunt, velis ventisque faventibus,tanquam in plano feruntur oceano: hi qui ex præceptis metiuntur omnia,velut per ardua præruptaque montium,fastidioso semper labore, exspectatione non rarò frustrata,enituntur. Nihil n. molestius, quam de una eloquentia tali tantoque præceptorum urgeri onere, in quo & multitudo adferat confusionem,& cognitio non auferat ab usu difficultatem. Plerosque igitur adolescentes à minus exercitato ac prudente Moderatore ductos, hic sudare ac torqueri conspicias, tanquam ad stivam alligatos boves, aut ad suas clitellas asinos; qui cùm excutere onus nequeant,admotis perpetuò stimulis sunt impellendi. Ubi munus scholasticum scriptionis persolverunt ac præscriptum regularum pensum animo complexi sunt, tanquam deposito ab Atlante cœlo,respirant,libros cum fastidio submovent, & vel inerti solvuntur otio, vel ad lusus sæpe illaudatos vertuntur. Leves fabulas,illiberales nugas,aliaque,cùm sermonis lenocinia, tum laxati corporis blandimenta, quis nescit otiosorum adolescentum esse negotia? Vix enim medium quicquam hæc ætas tenet,aut honestè laboriosa,aut turpiter desidiosa.

5. Cauti itaque hujus ætatis studiorumque moderatoris erit,ita hæc literarum mitigare onera, tali varietate, ac voluptate hunc laborem temperare, ut non tantum non fugiat, sed impensè eundem quoque consectetur. Expeditior verò nulla ad hanc rem obtinendam futura illi est ratio,quàm si varia bonorum autorum, atque inprimis Ciceronis lectione (sed cum delectu instituenda) animum pascat; quin & recentiorem aliquem historicum, oratoremque unà cum Tullio evolvendum,comparandumque adjungat, ut & varietate teneatur,& imitandi copia non deficiat. Quod nullo negotio persuasurus est; si quotidiana scriptionis themata ad Cice-

ceronis,aut alterius boni autoris, exemplum formata,proponat,doceatque,ex his fontibus esse irriganda,ad horum ideam sedula esse imitatione fingenda. Legent,volvent,optima quæque,ad honestum imitationis furtum, designabunt. Primò largius importuniusque depromènt, in succum denique sanguinemque aliena convertent, & ut ciborum alimenta digeruntur,sic nativo sensim, velut aliti corporis, imbuent colore.Hinc vitam viresque potissimum ducit eloquentia,quæ ex indigesta præceptorum crambe, aut vitiosis abundat humoribus,aut extenuatis artibus elanguescit. Utrumque jungendum est. Sine præceptis orator,tanquam effrenis equus per avia rapitur,sine lectione atque imitatione, ut sterili inclusus prato,marcescit. Facilius tamen reperies, qui sine præceptis eloquentiam hauriat, quam qui sine lectione. Quare multum ego ab illorum studio, ad hoc transferendum temporis, otiique literarii,existimem, stringendasque tot leges Rhetorum,atque in arctum redigendas, quà adolescentum ingenia magis obruuntur,quam illustrantur. Non tamen ejusmodi tradendorum præceptionum magistros vero, qualis aut in suis oratoriis est libris Cicero, aut Quintilianus in suis, qui eloquentiæ leges non minus scribendo tradunt,quam tradendo sequuntur,verùm illos, qui fracto elumbique stylo, mille præscribunt eloquentiæ regulas, vixque aliquas dicendo assequuntur Tum deinde plura,ex laudatis etiam Rhetoribus, lectione sola, atque intellectione magis, quàm memoria complenda censeo. Soarezii Rhetoricam eruditè scriptam, aut Carbonis ex eo tabulas, qui adolescenti ex memoria reddendas imperaverit, minus ex iis emolumenti capiet, quàm qui rerum definitiones præcipuas complecti jusserit, expositaque ad captum cætera,lectaque,suis quemque verbis, si autoris fugiant,reddere. Ita enim, & ingenio discentium plus accedet luminis,& lectioni exercitationique scribentium plus temporis: Varietas molestiam studiorum infringet,exacuetque industriam.

6. Porrò cum unus potissimum Tullius sit, qui imitandi gratia studiosis adolescentibus sit assumendus, ut qui optimi Oratoris partes dicendo scribendoque proximè est assecutus; is verò,& prolixius in multis, & obscuris sæpe in causis, ab hac ætate alienis, non pauca habeat imitationi minus accommodata; multa quæ omne orationis artificium egre-

gie

giè expleant: non abs re facturum me existimavi, si hæc velut per partes ante oculos explicata, ut plenius cognoscerentur, proponerem, atque ut pictores rudi solent juventuti, nunc brachium, nunc pedes, nunc caput veluti delineanda atque imitatione reddenda, exhiberem, tum totius denique in oratione corporis lineamenta sectarentur.

7. Postremò studiosum Lectorem moneo, non hoc solo me opere omnia eloquentiæ præsidia complexum; verum cæteris etiam, quos de humaniori literatura exaravi libris, spectasse, ut difficiliores ad eloquentiam aditus, & planiores, & amœniores aspirantibus redderem. Hinc cum facetus, argutusque sermo, tempori locoque usurpatus mirificè animis insideat, huic rei *Artem argutiarum* dedi, hactenus per certa nondum præcepta exhibitam, tanta in eadem etiam materia dicendi copia, quæ vix sterilem esse patiatur, non tamen favente admodum natura, quæ nonnullis hac in re gratam quandam facilitatem copiamque suppeditavit, ut scias ab arte magis, quam ingenio has loquendi leges mihi natas esse. Sed cum vitiosa editio prima fuerit (quæ in plerisque cæteris, absentis autoris fuit infelicitas, & typothetarum incuria) alteram correctius, ut spes est, imprimendam brevi dabimus.

Rursum cum rara orationi ex similibus imaginibusque per comparationem inductis accedat vis ac gratia, *Speculum imaginum* proposui, in quo magna exemplorum varietate ac copia, symbola, emblemata, hieroglyphica atque ænigmata tum exhibui, tum sua natura ac diversitate distinxi. Tertiò, cum illustrium conceptuum ac descriptionum eleganti varietate, suus eloquentiæ etiam solutæ ornatus adhibeatur, per omne poëmatum, tum concipiendorum, tum formandorum genus in elegiacis, heroicis, lyricis, dramaticisque incessi (quanquam & dramatica poësis turpi impressione deformis prodierit, mox rursum instauranda) quod opus tripartitum *Palæstram eloquentiæ ligatæ* inscripsi.

Denique ad varium eloquentiæ habitum solutæ orationi, in quovis scribendi genere epistolico, historico, oratorioque comparandum *Palæstram styli*, ac deinde *Exercitationes oratorias*, demum & hanc *Palæstram*, & velut scholam, *oratoriam* triplici quoque volumine instruxi, ita ut præceptionibus juxta, atque exemplis omnem eloquentiæ partem illustraverim. Quod si tuo aliquo, ut sperem, emolumento, mi

Lector, feci, & mea hac opera ad eloquentiam proficias: age atque hanc mihi, bonis literis, Deoque autori gratiam repende; neque ad cujusquam mali hominis, aut sceleris patrocinium illam impende; ad virtutis, fidei, æquitatis, divinæque gloriæ defensionem prompta sit omnibus, & si quam ultionem meditetur, in hostes earundem rerum effervescat. Ita & honos bonis artibus, & sua Deo constabit gloria, eritque tuis æqua merces studiis præparata,

LIBER I.

Palæstræ Oratoriæ

De præceptis bene dicendi.



Ectè ex Cicerone Lipsius in suis Institutionibus orat. universam bene dicendi rationem *Stylo* atque *actione* complectitur, styloque tria subjicit officia Rhetoris, *Inventionem*, *Dispositionem*, & *Elocutionem*; actioni duo, *Memoriam* & *Pronuntiationem*. Quarum rerum facultatem *Arte* atque *Imitatione* assequimur. Et Artis quidem, ait, præcepta, si ad usum potius, quàm speciem comparantur, pauca sunt; imitatio in futuro Oratore dominabitur. Nos de officiis hisce agemus singulis, ubi primum universe, quid Rhetorica sit, quid Eloquentia, viderimus.

CAPUT I.

De natura & causis Rhetoricæ.

RHetorica, si nominis originem quæras, Græcis hanc debet ἀπὸ τȣ̃ ῥέειν, quod est fluere, vel dicere, deducta. Unde & ῥήτωρ Rhetor, & ῥῆμα verbum nascitur.

Si

Si naturam postules, ab Aristotele lib. 1. Rhet. cap. 11. ita definitur ἔστι ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Rhetorica est facultas noscendi illud, quod, in unaquaque re, ad persuadendum est accommodatum.

Eloquentia igitur, juxta eundem, *facultas* est *dicendi in quacunque re ad persuadendum accommodatè*. Cum quo Tullium lib. 1. de Orat. n. 37. convenire necesse est, quando supremum Oratoris officium hac in re collocat.

Illa autem Rhetoricæ definitio tantò est absolutior, quantò propius, quàm cæteræ, omnes Rhetoricæ causas complectitur, naturamque exponit.

1. *Facultas*, seu potentia quædam dicitur; quia in utramq; oppositorum partem habilis est, nec tantum suadet, laudat, defendit; sed etiam dissuadet, reprehendit, accusat. quod facultatis magis, quam artis esse dixeris.

2. Additur *noscendi*, quia Rhetorem nosse sufficit, quæ sint ad persuadendum, tam in rebus, quam verbis idonea: Eloquentem verò, sive Oratorem, hæc eadem reipsâ dicendo usurpare, necesse est. 3. Subjicitur *in unaquaque re*: ut intelligas Rhetoricam in quacunque materia, aliarum quoque artium, ac scientiarum versari, iisque in eloquendo, & præsidio esse, & ornamento. 4. requiritur, ut *ad persuadendum accommodata* secernat, per quod à cæteris artibus liberalibus distinguitur. nam Grammatica, & Poëtica est *ars bene dicendi*, Dialectica verò etiam *probandi*, Rhetorica verò non tantum, ut bene dicat, probetve; sed etiam ut animum *persuasione* impellat. hoc est, *intellectum rationibus, voluntatemque, si opus, affectu rapiat*, intenta est. quod cum modò conglobatis, modò fusè ornatèque diductis argumentis, præstet, tanquam Oceanus quidam fertur, in quam artes cæteræ, ut flumina, influant. Grammatica purum confert perspicuumque sermonem, Poëtica inveniendi eloquendique ornatum, Dialectica probandi vim. ministræ omnes, ipsa Eloquentia Regina est.

Causas Rhetoricæ ex hac definitione facilè colliges. Nam *efficiens* est intellectus, in quo hæc *facultas* (δύναμις) residet: *materia* est *unaquaque res* (τὸ ἕκαστον.) *forma* est *aptitudo*, quæ illi *ad persuadendum* inest (quæ indicatur per τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν) finis est ipsa persuasio: quæ duplex est, vel solius intellectus, cum docenda tantùm ab Oratore tractantur: vel etiam voluntatis, cum agenda etiam traduntur. in primo so-

lam fidem auditori faciendam; in altero etiam motum impulsumq; spectat ad quem obtinendum Rhetoris instructio & Oratoris eloquentia referenda est. Nunc igitur illa, quibus hunc finem assequatur, officia, ordine expendamus.

CAPUT II.

De inventione.

PRimum præcipuumque Oratoris officium est invenire argumenta, quibus persuadeat, hoc est, intellectum convincat faciendo fidem, & voluntatem permovendo. Inventio igitur Rhetorica est, ***excogitatio rationis veræ, aut verisimilis, ad faciendam fidem & voluntatem auditoris impellendam.***

Dicitur 1. excogitatio *rei veræ, aut verisimilis*, quia Oratori sufficit habere argumenta (πιθανά) ad fidem idonea, ut sunt verisimilia. 2. Additur, *voluntatem auditoris impellendam*: non enim satis est invenire argumenta Oratorem, quibus intellectum doceat (hoc enim etiam præstat Dialecticus) sed invenienda eidem est certa via modusque amplificandi argumenta, ut etiam voluntatem, cum opus est, impellat, sine quo motu in rebus agendis nunquam persuadebit. Tria igitur inventio Oratoria complectitur. primum excogitationem argumenti, vel certi, vel probabilis, in quo cum Dialectica convenit. 2. argumentationem, sive expositionem ejusdem argumenti, quod per contraria, similia, aliosque locos inventionis plerumq; præstat, sed fusius ornatiusque, quàm Dialectica. 3 amplificationem, quæ exposita jam argumenta, cum figuris gravibus exaggerat.

Est igitur argumentum, *inventa ratio quæ rei dubiæ faciat fidem.* Cic. in Top.

Argumentatio est *inventæ rationis expositio*, apud Oratores, quam Dialecticos fusior, spectatque ad fidem magis firmandam.

Amplificatio est *gravior quædam affirmatio rei, quæ, cum motu animorum, conciliat fidem.* Ita ferè in part. Cicer.

De argumentorum inventione, & expositione, agemus primò; de Amplificatione verò locis diversis, quia, præter inventionem, hæc etiam dispositionem, & elocutionem requirit, pars in omni eloquentia nobilissima: ut per quam ultimò finem suum Orator assequatur.

Nunc si videamus, ex quibus locis, & quasi sedibus sua Ora-

tor argumenta ad persuadendum possit desumere, reperiemus duplicis potissimum generis locos à Rhetoribus designari, alios intrinsecos, qui argumenta suppeditant illa, quæ rebus insita sunt, iisque cohærent: alios extrinsecos, unde argumenta sumuntur, à re, de qua agitur, separata. Illorum Cic. in Top. & Quintilianus sedecim constituunt: horum Quint lib. 5. c. 2. sex numero designat, quos tamen Cicero unius testimonii nomine complectitur. De singulis ordine videbimus.

§. 2.

De sedecim locis argumentorum intrinsecis.

Locus, ut dixi, ***intrinsecus est, ex quo eruitur ratio, quæ rei, de qua agitur, conjuncta est.*** Sunt illorum sedecim.

1 ***Definitio, quæ explicat naturam rei***, idq; modo duplici: vel per ipsas causas rerum intrinsecas, vel per alia cum rebus conjuncta, quæ, ut nobis magis perspecta, illius naturam aperiant. illa definitio propriè dicitur, & Philosophis, quàm Oratoribus magis est usitata: hæc descriptio potiùs appellanda est, & per omnes locos, ad causas, effecta, adjuncta, contrariaque effundatur; ideoque, post alios primum locos, est cognoscenda. Sæpe tamen ab Oratore definitio (ut magis pateat) per descriptionem adjunctam illustratur.

Modus investigandæ definitionis hic est: ut videas, quæ res aliæ illi quam describere vis, rei quàm simillimæ reperiantur, ut homini nihil reperis in orbe similius, quàm bestias ferasque. Justitiæ nihil vides similius, quam temperantiam aliasque virtutes. Rhetoricæ nihil similius, quàm Dialecticam aliasque facultates, quibus intellectus instruitur. Hoc igitur in quo conveniunt, vel totum sume, vel certè quod proximum similitudinis signum est, ut in homine & bestia est, quod utrumque sit animal; in justitia & temperantia quod virtus; in Rhetorica & Dialectica, quod sit facultas. Rursum, ubi commune illud inter similia repereris (quod genus appellamus) vide, quidnam illud sit, quo hæc eadem primò differant, suaque inter se natura opponantur; ut, cur homo non sit bestia? & occurret; quòd ille rationis compos, hæc expers sit: cur justitia non sit temperantia? & subveniet; quòd illa suum cuique tribuat: hæc pravis moderetur affectibus: cur Rhetorica non sit Dialectica? & tibimet respondebis, quod illa tradat rationem persuadendi; hæc tantùm disserendi, &

hinc

hinc rei cujusque definitionem depromes, ut *homo est animal rationale: bestia est animal irrationale: Iustitia est virtus, tribuens cuique suum* &c. Quam tamen definitionem Orator in verbis liberalior, aliis quibusdam locis exornatam, illustrabit, exempli gratia. *Iustitia illustre humani generis ornamentum est, virtutum cæterarum in rep. princeps, legum sacrarum profanarumq; custos, tranquillitatis publicæ conciliatrix, æquitatis vindex: per quam urbes, regna, imperiaq; ritè administrantur, civilis societas coalescit, suum & Principi à privatis tribuitur, & privatis à Principe conservatur*, ubi descriptio, cum definitione, miscetur.

Est & alia celebris, tam inter Rhetores, quàm Philosophos, definitio, quæ per Physicas rerum causas datur ut, *pulcherrimum Dei opus homo est* (en causam efficientem) *ad ipsam divinæ naturæ imaginem, æternæque demum felicitatis possessionem conditum* (en finem) *corpus illi quidem mortale & cum cæteris, si originem spectes, brutis commune est* (en materiam) *at si formam animumque erecto ad cœlum vultu, & immortali mente donatum.*

Frequens illa quoque, facilisque apud Oratores (cum naturæ rerum minus penetrantur) definitio est, quæ per negationes ostendit, quid res non sit, ut Cic. in Top. *Optimates sunt, qui neque nocentes, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti sunt.*

Elegantior hæc etiam erit definitio, si affirmatio accedat, & simul dicatur, quid res sit, & non sit. Ut contra Pison. *Ego sine eo consilio Consulem numerem, sine quo Romæ ne Reges quidem esse potuerunt? qui prædones igitur, siquidem vos Consules? qui latrones, qui hostes, qui proditores nominabuntur? Magnum nomen est, magna dignitas, magna majestas Consulis, non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista &c. animo Consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia.*

Magnum ex sola definitione ad cæterorum locorum inventionem manat emolumentum.

Nam, & genus, & species, & adjuncta, & contraria facilius innotescunt.

Porrò de aliis descriptionibus, quæ huc spectant, vide post fontes locorum com.

2. Locus est Notatio nominis, sive *Etymologia*, quæ *verborum originem, vimq; significandi exponit*, ut *Consul* est, qui *patriæ consulit*. & Ovid. 5. fast. *A se-*

A senibus nomen mite *Senatus* habet.

3. *Conjugata* sunt, quæ *ab una orta voce variè inflectuntur*, ut

Homo sum, *humani* à me nihil alienum puto. Terent.

Imperatorem nemo æquum existimet, qui sibi nequit *imperare*.

4. *Enumeratio partium, qua totum in suas partes distribuitur*. Cic pro Mil. *Luget Senatus, mœret equestris ordo, tota civitas confecta senio est, squallent municipia, afflictantur Coloniæ, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant*.

5. *Genus est quod duas, aut plures sub se res convenientia quadam similes, at specie differentes complectitur*, ut virtus prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Atque hinc secunda Oratori suppetit scribendi materies, cum videlicet à specie ad genus; vel, ut ajunt, ab hypothesi ad thesin transitur. Ita pro Archia Poëta Cicero, cum materies dicendi angusta esset, nec argumenta quibus civem Romanum probaret, multa suppeterent, in ipsius, ac denique & poesios laudem transgressus est. & pro Marcello acturus Cæsari gratias, quod illum clementer in gratiam recepisset, ad clementiæ encomium se convertit. pro Amerino quoque, à parricidio eundem defensurus, gravitatem parricidii descripsit.

6. *Species*, seu *forma*, *est pars generi subjecta*. Unde, viâ contrariâ, à thesi ad hypothesin transeundo argumentum petitur, nam quæ e.g. in fortitudine laudibus digna reperiuntur, eadem universè in virtutis commendationem cedunt. ut Cic. pro Rabir. *Multas C. Cæsaris & magnas esse virtutes oportet, si hæ sunt quasi theatris proposita & populares; castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, acies hostium profligare* &c. Qui rursum locus est fæcundissimus. cum à genere ad quasq; species, earumque naturam, ac proprietates transire, sit in latissimum orationem campum effundere.

7. *Causa* est, *quæ dat esse rei*, estque quadruplex, materia *ex qua res fit*. Forma *per quam res certa in se natura, à cæteris verò rebus distincta est*. Et Efficiens, *per quam res fit*, Finis, *propter quem res fit*. Ut materia hominis corpus est, forma animus, efficiens Deus, finis beata vita. Unde à materia sic argumentaberis. *Corpus hominis mortale est, ab ejus igitur contagione*

Sed nec mea prorsus, neque omnino aliena traditurus sum. Illud quod octo propemodum annorum studio, in solius Rhetoricæ institutionibus juventuti exponendis, sum assecutus, non gravabor illius disciplinæ cupidis ad posteritatis emolumentum transcribere.

Consilium mihi non est, à tritis hactenus majorum vestigiis deflectere, si artis propositæ naturam spectemus; nihilominus certa tractandi methodo, quâ ad facilitatem hujus artis, cùm plenius, tum citius addiscendæ, nonnihil meo hoc labore contulisse mihi videor, ab aliis nonnunquam me discedere, nemo indignabitur, quisquis hoc studium publicæ totum utilitati consecratum esse intelliget. Quare optimis antiquissimisque Rhetoricæ professoribus, Aristoteli, Hermogeni, Ciceroni ac Quintiliano, atque his inprimis Latiæ eloquentiæ principibus, ubique inhærere decretum est; at simul multa paucis complecti: postremò suis illos quandoque verbis, ubi pressius elegantiusque artem exponunt, introducere loquentes, ut præceptis juxta exemplisque erudiant.

4. Errant, qui magna præceptorum mole juventutis ingenium, non tam instruunt, quàm obruunt, praxi magis, quàm theoria opus est, exercitatione, atque exemplorum optimorum imitatione ad eloquentiam potissimum enitimur, quare in his plurimum operæ posui. Ipsa illa quæ tradidi præcepta, magna sui parte, sola lectione ita erunt haurienda, ut satis sit eorum sensum mente complexos, posse illum exigentibus depromere. Qui in Rhetorica inventionis sedes, causarum genera, ac figurarum diversitatem memoria comprehenderit, cætera tutò negliget, lectione tantùm discenda.

Ardua res juventuti est invenire argumenta, cui, ni fallor, difficultati à me detractum est, novaque inventionis methodo subventum. Res eidem adornandas amplificandasque rationes plerumque deficiunt, inanique ferè verborum jactatione circumfertur: locos itaque argumentorum, ad facilem inventionis usum, in communes ac proprios, digessi. Exemplorum, sive inventionis illa sint, sive elocutionis, vim tardius assequitur: eandem igitur, tam in argumentis inveniendis, quàm figuratè exornandis materiam adhibui, perque omnes ferè rationes inflexi, ex qua promptum sit varietatem dicendi omnem apprehendere. Quibus sensim initiis ad perfectio-

rem

rem eloquentiam enitendum, quibus illa exercitiis potissimum obtinenda, nec magistris quidem omnibus video exploratam.

Etenim nescio, qua docentium, vel ignoratione, vel ignavia negligatur illud frequenter, quod in Romana eloquentia est præcipuum : bonorum videlicet autorum lectio, imitatioque : quâ nihil, sive ad studiorum amœnitatem jucundius, sive ad profectum utilius, potest reperiri. Longum illud asperumque per sola ad eloquentiam præcepta, stylumque, absque exemplo ductum, iter est. Illi qui legendo loqui discunt, velis ventisque faventibus, tanquam in plano feruntur oceano: hi qui ex præceptis metiuntur omnia, velut per ardua præruptaque montium, fastidioso semper labore, exspectatione non rarò frustrata, enituntur. Nihil n. molestius, quam de una eloquentia tali tantoque præceptorum urgeri onere, in quo & multitudo adferat confusionem, & cognitio non auferat ab usu difficultatem. Plerosque igitur adolescentes à minus exercitato ac prudente Moderatore ductos, hic sudare ac torqueri conspicias, tanquam ad stivam alligatos boves, aut ad suas clitellas asinos; qui cùm excutere onus nequeant, admotis perpetuò stimulis sunt impellendi. Ubi munus scholasticum scriptionis persolverunt ac præscriptum regularum pensum animo complexi sunt, tanquam deposito ab Atlante cœlo, respirant, libros cum fastidio submovent, & vel inerti solvuntur otio, vel ad lusus sæpe illaudatos vertuntur. Leves fabulas, illiberales nugas, aliaque, cùm sermonis lenocinia, tum laxati corporis blandimenta, quis nescit otiosorum adolescentum esse negotia? Vix enim medium quicquam hæc ætas tenet, aut honestè laboriosa, aut turpiter desidiosa.

5. Cauti itaque hujus ætatis studiorumque moderatoris erit, ita hæc literarum mitigare onera, tali varietate, ac voluptate hunc laborem temperare, ut non tantum non fugiat, sed impensè eundem quoque consectetur. Expeditior verò nulla ad hanc rem obtinendam futura illi est ratio, quàm si varia bonorum autorum, atque inprimis Ciceronis lectione (sed cùm delectu instituenda) animum pascat; quin & recentiorem aliquem historicum, oratoremque unà cum Tullio evolvendum, comparandumque adjungat, ut & varietate teneatur, & imitandi copia non deficiat. Quod nullo negotio persuasurus est; si quotidiana scriptionis themata ad Cice-

ceronis,aut alterius boni autoris, exemplum formata,proponat,doceatque,ex his fontibus esse irriganda,ad horum ideam sedula esse imitatione fingenda. Legent,volvent,optima quæque,ad honestum imitationis furtum, designabunt. Primò largius importuniusque depromeni, in succum denique sanguinemque aliena convertent, & ut ciborum alimenta digeruntur,sic nativo sensim, velut aliti corporis, imbuent colore.Hinc vitam viresque potissimum ducit eloquentia,quæ ex indigesta præceptorum crambe, aut vitiosis abundat humoribus,aut extenuatis artibus elanguescit. Utrumque jungendum est. Sine præceptis orator,tanquam effrenis equus per avia rapitur,sine lectione atque imitatione, ut sterili inclusus prato,marcescit. Facilius tamen reperies, qui sine præceptis eloquentiam hauriat, quam qui sine lectione. Quare multum ego ab illorum studio, ad hoc transferendum temporis, otiique literarii,existimem, stringendasque tot leges Rhetorum,atque in arctum redigendas, quà adolescentum ingenia magis obruuntur,quam illustrantur. Non tamen ejusmodi tradendorum præceptionum magistros veto, qualis aut in suis oratoriis est libris Cicero, aut Quintilianus in suis, qui eloquentiæ leges non minus scribendo tradunt,quam tradendo sequuntur,verùm illos, qui fracto elumbique stylo, mille præscribunt eloquentiæ regulas, vixque aliquas dicendo assequuntur Tum deinde plura,ex laudatis etiam Rhetoribus, lectione sola, atque intellectione magis, quàm memoria complenda censeo. Soarezii Rhetoricam eruditè scriptam, aut Carbonis ex eo tabulas, qui adolescenti ex memoria reddendas imperaverit, minus ex iis emolumenti capiet, quàm qui rerum definitiones præcipuas complecti jusserit, expositaque ad captum cætera,lectaque,suis quemque verbis, si autoris fugiant,reddere. Ita enim, & ingenio discentium plus accedet luminis,& lectioni exercitationique scribentium plus temporis: Varietas molestiam studiorum infringet,exacuetque industriam.

6. Porrò cum unus potissimum Tullius sit, qui imitandi gratia studiosis adolescentibus sit assumendus, ut qui optimi Oratoris partes dicendo scribendoque proximè est assecutus: is verò,& prolixius in multis, & obscuris sæpe in causis, ab hac ætate alienis, non pauca habeat imitationi minus accommodata; multa quæ omne orationis artificium egre-

gie

giè expleant: non abs re facturum me existimavi, si hæc velut per partes ante oculos explicata, ut plenius cognoscerentur, proponerem, atque ut pictores rudi solent juventuti, nunc brachium, nunc pedes, nunc caput veluti delineanda atque imitatione reddenda, exhiberem, tum totius denique in oratione corporis lineamenta sectarentur.

7. Postremò studiosum Lectorem moneo, non hoc solo me opere omnia eloquentiæ præsidia complexum; verum cæteris etiam, quos de humaniori literatura exaravi libris, spectasse, ut difficiliores ad eloquentiam aditus, & planiores, & amœniores aspirantibus redderem. Hinc cum facetus, argutusque sermo, tempori locoque usurpatus mirificè animis insideat, huic rei *Artem argutiarum* dedi, hactenus per certa nondum præcepta exhibitam, tanta in eadem etiam materia dicendi copia, quæ vix sterilem esse patiatur, non tamen favente admodum natura, quæ nonnullis hac in re gratam quandam facilitatem copiamque suppeditavit, ut scias ab arte magis, quam ingenio has loquendi leges mihi natas esse. Sed cum vitiosa editio prima fuerit (quæ in plerisque cæteris, absentis autoris fuit infelicitas, & typothetarum incuria) alteram correctius, ut spes est, imprimendam brevi dabimus.

Rursum cum rara orationi ex similibus imaginibusque per comparationem inductis accedat vis ac gratia, *Speculum imaginum* proposui, in quo magna exemplorum varietate ac copia, symbola, emblemata, hieroglyphica atque ænigmata tum exhibui, tum sua natura ac diversitate distinxi. Tertiò, cum illustrium conceptuum ac descriptionum eleganti varietate, suus eloquentiæ etiam solutæ ornatus adhibeatur, per omne poëmatum, tum concipiendorum, tum formandorum genus in elegiacis, heroicis, lyricis, dramaticisque incessi (quanquam & dramatica poësis turpi impressione deformis prodierit, mox rursum instauranda) quod opus tripartitum *Palæstram eloquentiæ ligatæ* inscripsi.

Denique ad varium eloquentiæ habitum solutæ orationi, in quovis scribendi genere epistolico, historico, oratorioque comparandum *Palæstram styli*, ac deinde *Exercitationes oratorias*, demum & hanc *Palæstram*, & velut scholam, *oratoriam* triplici quoque volumine instruxi, ita ut præceptionibus juxta, atque exemplis omnem eloquentiæ partem illustraverim. Quod si tuo aliquo, ut sperem, emolumento, mi

Lector, feci, & mea hac opera ad eloquentiam proficias: age atque hanc mihi, bonis literis, Deoque autori gratiam repende; neque ad cujusquam mali hominis, aut sceleris patrocinium illam impende; ad virtutis, fidei, æquitatis, divinæque gloriæ defensionem prompta sit omnibus, & si quam ultionem meditetur, in hostes earundem rerum effervescat. Ita & honos bonis artibus, & sua Deo constabit gloria, eritque tuis æqua merces studiis præparata.

LIBER I.

Palæstræ Oratoriæ

De præceptis bene dicendi.



Ecte ex Cicerone Lipsius in suis Institutionibus orat. universam bene dicendi rationem *Stylo* atque *actione* complectitur, styloque tria subjicit officia Rhetoris, *Inventionem*, *Dispositionem*, & *Elocutionem*; actioni duo, *Memoriam* & *Pronuntiationem*. Quarum rerum facultatem *Arte* atque *Imitatione* assequimur. Et Artis quidem, ait, præcepta, si ad usum potius, quàm speciem comparantur, pauca sunt; imitatio in futuro Oratore dominabitur. Nos de officiis hisce agemus singulis, ubi primum universe, quid Rhetorica sit, quid Eloquentia, viderimus.

CAPUT I.

De natura & causis Rhetoricæ.

RHetorica, si nominis originem quæras, Græcis hanc debet ἀπὸ τοῦ ῥέειν, quod est fluere, vel dicere, deducta. Unde & ῥήτωρ Rhetor, & ῥῆμα verbum nascitur.

Si

Si naturam postules, ab Aristotele lib. I. Rhet. cap. II. ita definitur ἔστι ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Rhetorica est facultas noscendi illud, quod, in unaquaque re, ad persuadendum est accommodatum.

Eloquentia igitur, juxta eundem, *facultas* est *dicendi in quacunque re ad persuadendum accommodatè*. Cum quo Tullium lib. I. de Orat. n. 37. convenire necesse est, quando supremum Oratoris officium hac in re collocat.

Illa autem Rhetoricæ definitio tantò est absolutior, quantò propius, quàm cæteræ, omnes Rhetoricæ causas complectitur, naturamque exponit.

1. *Facultas*, seu potentia quædam dicitur; quia in utramq; oppositorum partem habilis est, nec tantum suadet, laudat, defendit; sed etiam dissuadet, reprehendit, accusat. quod facultatis magis, quam artis esse dixeris.

2. Additur *noscendi*, quia Rhetorem nosse sufficit, quæ sint ad persuadendum, tam in rebus, quam verbis idonea: Eloquentem verò, sive Oratorem, hæc eadem reipsâ dicendo usurpare, necesse est. 3. Subjicitur *in unaquaque re*: ut intelligas Rhetoricam in quacunque materia, aliarum quoque artium, ac scientiarum versari, iisque in eloquendo, & præsidio esse, & ornamento. 4. requiritur, ut *ad persuadendum accommodata* secernat, per quod à cæteris artibus liberalibus distinguitur. nam Grammatica, & Poëtica est *ars bene dicendi*, Dialectica verò etiam *probandi*, Rhetorica verò non tantum, ut bene dicat, probetve; sed etiam ut animum *persuasione* impellat, hoc est, *intellectum rationibus, voluntatemque, si opus, affectu rapiat*, intenta est. quod cum modò conglobatis, modò fusè ornatèque diductis argumentis, præstet, tanquam Oceanus quidam fertur, in quam artes cæteræ, ut flumina, influant. Grammatica purum confert perspicuumque sermonem, Poëtica inveniendi eloquendique ornatum, Dialectica probandi vim. ministræ omnes, ipsa Eloquentia Regina est.

Causas Rhetoricæ ex hac definitione facilè colliges. Nam *efficiens* est intellectus, in quo hæc *facultas* (δύναμις) residet; *materia* est *unaquaque res* (τὸ ἕκαστον;) *forma* est *aptitudo*, quæ illi *ad persuadendum* inest (quæ indicatur per τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν) finis est ipsa persuasio: quæ duplex est, vel solius intellectus, cum docenda tantùm ab Oratore tractantur: vel etiam voluntatis, cum agenda etiam traduntur. in primo so-

lam fidem auditori faciendam; in altero etiam motum impulsumq; spectat ad quem obtinendum Rhetoris instructio & Oratoris eloquentia referenda est. Nunc igitur illa, quibus hunc finem assequatur, officia, ordine expendamus.

CAPUT II.

De inventione.

PRimum præcipuumque Oratoris officium est invenire argumenta, quibus persuadeat, hoc est, intellectum convincat faciendo fidem, & voluntatem permovendo. Inventio igitur Rhetorica est, *excogitatio rationis veræ, aut verisimilis, ad faciendam fidem & voluntatem auditoris impellendam.*

Dicitur 1. excogitatio *rei veræ, aut verisimilis*, quia Oratori sufficit habere argumenta (πιθανά) ad fidem idonea, ut sunt verisimilia. 2. Additur, *voluntatem auditoris impellendam*: non enim satis est invenire argumenta Oratorem, quibus intellectum doceat (hoc enim etiam præstat Dialecticus) sed invenienda eidem est certa via modusque amplificandi argumenta, ut etiam voluntatem, cum opus est, impellat, sine quo motu in rebus agendis nunquam persuadebit. Tria igitur inventio Oratoria complectitur. primum excogitationem argumenti, vel certi, vel probabilis, in quo cum Dialectica convenit. 2. argumentationem, sive expositionem ejusdem argumenti, quod per contraria, similia, aliosque locos inventionis plerumq; præstat, sed fusius ornatiusque, quàm Dialectica. 3 amplificationem, quæ exposita jam argumenta, cum figuris gravibus exaggerat.

Est igitur argumentum, *inventa ratio quæ rei dubiæ faciat fidem.* Cic. in Top.

Argumentatio est *inventæ rationis expositio*, apud Oratores, quam Dialecticos fusior, spectatque ad fidem magis firmandam.

Amplificatio est *gravior quædam affirmatio rei, quæ, cum motu animorum, conciliat fidem.* Ita ferè in part. Cicer.

De argumentorum inventione, & expositione, agemus primò; de Amplificatione verò locis diversis, quia, præter inventionem, hæc etiam dispositionem, & elocutionem requirit, pars in omni eloquentia nobilissima: ut per quam ultimò finem suum Orator assequatur.

Nunc si videamus, ex quibus locis, & quasi sedibus sua Ora-

tor

tor argumenta ad persuadendum possit desumere, reperiemus duplicis potissimum generis locos à Rhetoribus designari, alios intrinsecos, qui argumenta suppeditant illa, quæ rebus insita sunt, iisque cohærent: alios extrinsecos, unde argumenta sumuntur, à re, de qua agitur, separata. Illorum Cic. in Top. & Quintilianus sedecim constituunt: horum Quint lib. 5. c. 2. sex numero designat, quos tamen Cicero unius testimonii nomine complectitur. De singulis ordine videbimus.

§. 2.

De sedecim locis argumentorum intrinsecis.

Locus, ut dixi, *intrinsecus est, ex quo eruitur ratio, quæ rei, de qua agitur, conjuncta est.* Sunt illorum sedecim.

1 *Definitio, quæ explicat naturam rei*, idq; modo duplici: vel per ipsas causas rerum intrinsecas, vel per alia cum rebus conjuncta, quæ, ut nobis magis perspecta, illius naturam aperiant. illa definitio propriè dicitur, & Philosophis, quàm Oratoribus magis est usitata: hæc descriptio potiùs appellanda est, & per omnes locos, ad causas, effecta, adjuncta, contraria-que effunditur; ideoque, post alios primum locos, est cognoscenda. Sæpe tamen ab Oratore definitio (ut magis pateat) per descriptionem adjunctam illustratur.

Modus investigandæ definitionis hic est: ut videas, quæ res aliæ illi quam describere vis, rei quàm simillimæ reperiantur, ut homini nihil reperis in orbe similius, quàm bestias ferasque. Justitiæ nihil vides similius, quam temperantiam aliasque virtutes. Rhetoricæ nihil similius, quàm Dialecticam aliasque Facultates, quibus intellectus instruitur. Hoc igitur in quo conveniunt, vel totum sume, vel certè quod proximum similitudinis signum est, ut in homine & bestia est, quod utrumque sit animal; in justitia & temperantia quod virtus; in Rhetorica & Dialectica, quod sit facultas. Rursum, ubi commune illud inter similia repereris (quod genus appellamus) vide, quidnam illud sit, quo hæc eadem primò differant, suaque inter se natura opponantur; ut, cur homo non sit bestia? & occurret; quòd ille rationis compos, hæc expers sit: cur justitia non sit temperantia? & subveniet; quòd illa suum cuique tribuat: hæc pravis moderetur affectibus: cur Rhetorica non sit Dialectica? & tibimet respondebis, quod illa tradat rationem persuadendi; hæc tantùm disserendi, &

hinc

hinc rei cujusque definitionem depromes, ut *homo est animal rationale: bestia est animal irrationale: Iustitia est virtus, tribuens cuique suum* &c. Quam tamen definitionem Orator in verbis liberalior, aliis quibusdam locis exornatam, illustrabit, exempli gratia. *Iustitia illustre humani generis ornamentum est, virtutum cæterarum in rep. princeps, legum sacrarum profanarumq; custos, tranquillitatis publicæ conciliatrix, æquitatis vindex: per quam urbes, regna, imperiaq; ritè administrantur, civilis societas coalescit, suum & Principi à privatis tribuitur, & privatis à Principe conservatur*, ubi descriptio, cum definitione, miscetur.

Est & alia celebris, tam inter Rhetores, quàm Philosophos, definitio, quæ per Physicas rerum causas datur ut, *pulcherrimum Dei opus homo est* (en causam efficientem) *ad ipsam divinæ naturæ imaginem, æternæque demum felicitatis possessionem conditum* (en finem) *corpus illi quidem mortale & cum cæteris, si originem spectes, brutis commune est* (en materiam) *at si formam animumque erecto ad cœlum vultu, & immortali mente donatum.*

Frequens illa quoque, facilisque apud Oratores (cum naturæ rerum minus penetrantur) definitio est, quæ per negationes ostendit, quid res non sit, ut Cic. in Top. *Optimates sunt, qui neque nocentes, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti sunt.*

Elegantior hæc etiam erit definitio, si affirmatio accedat, & simul dicatur, quid res sit, & non sit. Ut contra Pison. *Ego sine eo consilio Consulem numerem, sine quo Romæ ne Reges quidem esse potuerunt? qui prædones igitur, siquidem vos Consules? qui latrones, qui hostes, qui proditores nominabuntur? Magnum nomen est, magna dignitas, magna majestas Consulis, non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista &c. animo Consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia.*

Magnum ex sola definitione ad cæterorum locorum inventionem manat emolumentum.

Nam, & genus, & species, & adjuncta, & contraria facilius innotescunt.

Porrò de aliis descriptionibus, quæ huc spectant, vide post fontes locorum com.

2. Locus est Notatio nominis, sive *Etymologia*, quæ *verborum originem, vimq; significandi exponit*, ut *Consul* est, qui *patriæ consulit*. & Ovid. 5. fast. *A se-*

A senibus nomen mite *Senatus* habet.

3. *Conjugata* sunt, quæ *ab una orta voce variè inflectuntur*, ut

Homo sum, *humani* à me nihil alienum puto. Terent.

Imperatorem nemo æquum existimet, qui sibi nequit *imperare*.

4. *Enumeratio partium, qua totum in suas partes distribuitur*. Cic pro Mil. *Luget Senatus, mœret equestris ordo, tota civitas confecta senio est, squallent municipia, affictantur Coloniæ, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant*.

5. *Genus est quod duas, aut plures sub se res convenientia quadam similes, at specie differentes complectitur*, ut virtus prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Atque hinc secunda Oratori suppetit scribendi materies, cum videlicet à specie ad genus; vel, ut ajunt, ab hypothesi ad thesin transitur. Ita pro Archia Poëta Cicero, cum materies dicendi angusta esset, nec argumenta quibus civem Romanum probaret, multa suppeterent, in ipsius, ac denique & poesios laudem transgressus est. & pro Marcello acturus Cæsari gratias, quod illum clementer in gratiam recepisset, ad clementiæ encomium se convertit. pro Amerino quoque, à parricidio eundem defensurus, gravitatem parricidii descripsit.

6. *Species*, seu *forma, est pars generi subjecta*. Unde, viâ contrariâ, à thesi ad hypothesin transeundo argumentum petitur, nam quæ e. g. in fortitudine laudibus digna reperiuntur, eadem universè in virtutis commendationem cedunt. ut Cic. pro Rabir. *Multas C. Cæsaris & magnas esse virtutes oportet, si hæ sunt quasi theatris proposita & populares; castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, acies hostium profligare &c.* Qui rursum locus est fæcundissimus. cum à genere ad quasq; species, earumque naturam, ac proprietates transire, sit in latissimum orationem campum effundere.

7. *Causa* est, *quæ dat esse rei*, estque quadruplex, materia *ex qua res fit.* Forma *per quam res certa in se natura, à cæteris verò rebus distincta est*. Et Efficiens, *per quam res fit*, Finis, *propter quem res fit.* Ut materia hominis corpus est, forma animus, efficiens Deus, finis beata vita. Unde à materia sic argumentaberis. *Corpus hominis mortale est, ab ejus igitur contagione*

gione immortalis animus est sevocandus. Sic à forma. *Cum animi hominum immortales sint, eosdem ad immortalitatem beata in cœlis vita aspirare convenit.* Ab efficiente. *Cum Deus hominum ad suam imaginem efformarit, quid æquius, quam ut ad autorem suum animum cogitationemq; convertat?* A fine. *Cum ad æternæ felicitatis possessionē homo natus sit, summa dementia est, hac neglecta, perituræ felicitati immorari.*

8. Ab *effectis quæ sunt orta de causis* argumenta crebra ducuntur. Sic ab hominis pulchritudine sumam argumentum ad laudandum ejus effectorem Deum, aut pulchritudinem animæ in homine, à qua, tanquam forma, oritur. &c.

9. *Adjuncta*, hoc est, *circumstantiæ, quæ rei seu personæ adjunguntur*, suggeruntur hoc versu.

Dic quales? quanti? quoties? ubi? quomodo? quando?

Quibus per rerum qualitatem, quantitatem, numerum, locum, modum & tempus, respondetur. Ab his adjunctis Cicero pro Milone latè ostendit, Clodium Miloni insidiarum esse. *Age nunc* (inquit in cæteris) *iter expediti latronis, cum Miloni, impedimentis comparate, semper ille antea cum uxore, tum sine ea; nunquam non in rheda, tum in equo: comites Græculi, quocunque ibat, etiam cum in castra Hetrusca properabat, tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat* &c. ubi solus itineris instituti modus expenditur.

10. Ab *antecedentibus quæ necessitate aliqua rem aliam sequentem post se trahunt.* ut, *Ros matutinus à sole resolutus, decidit, serenum igitur cœlum futurum est*, à causis differunt, quod in effectum per se non influant. Cic. pro Muræn. *Nemo fere saltat sobrius, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. Intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes extrema est saltatio.*

11. A *consequentibus* pari ratione argumentum ducitur ut Cicer. in Anton. *Luculentam tamen ipsam plagam accepit, ut declarat Cicatrix.*

12. A *repugnantibus*, quæ, *sine oppositione mutua, dissident*, ita amori repugnat convitium, læsioque; ut, *quem convitiis insectari Cæsarem audivimus, eum par est credere, non amasse.*

13. A *Contrariis*, quæ quadruplici oppositione distingui solent aut enim *sub eodem genere maximè dissident*, ut *amor & odium; bellum & pax; sapientia & stultitia*: *& adversa* dicun-

cuntur, aut *negant se mutuò*: ut *amat*, & *non amat*; *probus, non probus*, suntque *contradicentia, vel negantia* aut *unum altero privat*: ut *lux & tenebræ, mors & vita*; *scientia & inscitia*, & *privantia* sunt: aut *unum refertur ad alterum*, ut *Dominus & servus*, *datum & acceptum*: suntque *relata*. Magnum hic locus oppositorum ornamentum adfert orationi. *Ejus igitur* (ait Cicero pro Milone) *mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis?*

14. A *similitudine*, ut *Gloria tanquam umbra fugientes sequitur, sequentes fugit*;

15. A *Dissimilitudine* ut Catullus, *Soles occidere & redire possunt: nobis cum semel brevis lux, nox est perpetuo una dormienda*

16. A *comparatione* majorum, minorum, aut parium.

A majore ad minus

O passi quondam graviora! dabit Deus his quoq; finem. Virg.

A minore ad majus:

Vt jugulent homines surgunt de nocte latrones,
Vt teipsum serves non expergisceris. Horat.

A pari: *Si M. Antonio Clodium defendere licuit, cur Ciceroni non liceat Milonem?* Differt autem comparatio hæc à similitudine, quod illa propter tertium quodpiam duorum inter se collationem instituat. Sic ratione defensionis, Cicero cum Antonio comparatur.

Cæterum illam repugnantium ac contrariorum, tum similium, ac comparatorum distinctionem, non magnopere ab Adolescentibus exigendam putem. Sufficit varietatem solam ad qualemcunque potius copiam, quam ratiocinandi vim, mente comprehendisse. Ego postea (cum bona, ut sperem Doctorum venia) hæc quinque ultima inter se extrinseca atque assumpta potius, quam insita argumenta recensebo, quid enim magis extra rem, quam quod eidem opponitur, vel certe, non sine oppositione quapiam comparatur.

§. 3.

Loci extrinseci Argumentum.

Loci extrinseci Argumenta remota continent. Ex his

1. A *præjudiciis* argumenta suppeditat, ut *cum, vel pari in causa, vel etiam eadem aut certe connexa, sententia aliquando in judicio est pronuntiata*, ut ad Heren. *Quem Senatus, quem populus Rom. quem omnium existimatio damnaret, eum vos sententiis vestris absolvetis?*

2. Fa-

2. *Fama*, quæ eſt *ſententia quædam multitudinis*. ut Cic. pro lege Manil. de Pompejo. *Quod nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res geſtæ pares? de quo homine vos, id quod maxime facit ad authoritatem, tanta & tam præclara judicia feciſtis.*

3. A *Tabulis* legum, teſtamentorum, decretorum, aut chirographorum; ut Cic. in Verr. act. 8. *Horum autem temporum, cum te plurimas res coëmiſſe dicas, tabulas omnino nullas proferas, nonne te condemnari neceſſe eſt.*

4. A *tormentis*, ſeu confeſſione veritatis inter quæſtiones facta.

5. A *juramenti fide* interpoſita.

6. A *teſtimoniis* aliorum. De quibus petita argumenta vel obvia, vel facilia ſunt, exemplis tamen inferius illuſtranda.

§. 4.

Hæc argumenti inveſtigandi locorumq; diſtinguendorum ratio, quæ jam dudum in ſcholis librisq; Rhetoricis pervulgata eſt, ſuas patitur, apud rudiorem præſertim adoleſcentiam difficultates; Quare viſum mihi eſt, aliam in praxi faciliorem aliquanto methodum inſtitui poſſe, quæ cum ad inveniendi promptitudinem ac copiam, cum vero maxime ad viam cuivis planam, ordinemq; quævis argumenta tractandi, amplificandique faciat. Aliam igitur ante omnia eorundem locorum diſtributionem conſtituo. Quosdam illorum proprios, quosdam communes appello.

Proprios locos dico, qui *argumenta continent, cum ipſa de qua agitur, re conjuncta*. Et ſunt illa quæ Cicero *infinita* dixit, repugnantibus tamen, contrariis, ſimilibus diſſimilibusque, ac comparatis hinc excluſis, atque ad locos communes rejectis.

Communes locos voco, *qui argumenta continent, rei, de qua agitur, non conjuncta ſed cuivis propriorum locorum, tam ad ornandum & amplificandum, quam etiam ad confirmandum adhiberi ſolita.* ut ſunt loci cæteri prioribus, quos dixi proprios, non incluſi. Proprios hoc verſu complector ad faciliorem memoriam.

Quid? per quæ? quale eſt? effecta adjunctaq; poſcas.

Communes illo.

Contra, par, teſtes, leges cum Iudice, fama.

Utrobiq; quinque fontes, ex quibus videlicet plurium locorum argumenta fluerent, tum ob connexionem, tum ob facilem obſervationem conſtitui. Ab eadẽ vero materia exempla

pla argumentorum deduxi, ut illorum varietas, ordo, & copia, juventuti ad promptam imitationem velut in tabella, proponeretur.

CAPUT III.

RATIO INVENIENDI.

Ex locis propriis, sive intrinsecis.

CUm adolescentibus, neque judicio satis firmatis, neque experientia excultis, argumentorum plerumq; inventio perdifficilis sit, ideoque hunc fere Magistris laborem relinquant, nec prope aliud à Rhetoricæ disciplina, quam eloquendi aliquam facultatem domum reportent: hoc mihi faciendum præsenti institutione censui, ut hanc inveniendi difficultatem, in præcipua hujus disciplinæ parte, sublevarem.

Ante omnia igitur hoc universim, & discipulis, & eorum Moderatoribus propositum esto, Inveniendi promptitudinem in adolescentibus per interrogata, brevesque quæstiunculas excitari. Ut detur, e. g. adolescenti studioso hoc thema rationibus certis probandum. *Otium quandoque laudabile est.* Si ad hanc rem jusseris argumenta congerere, hærebit sudabitque anxius, sterili non raro investigatione, at si interrogaveris, *qua de causa*, nonnunquam otiari, & vacare à literis cupiant? sine mora responsurus est, *quia hoc otio vires studiis fatigatas reficimus.* En rationem, quæ brevi oratiunculæ, Chriæ instar, per locos, ut mox videbimus, communes diducendæ, sufficiat. Nam contrarium illius, quod *immoderatus labor opprimat*: simile, quod *fortissimi* etiam *equorum otio reficiendi sint, nimioque labori succumbant*: Senecæ aliorumque autoritas, quod *moderata durent*, haud difficulter suppeditabitur. Quod si tamen, pluribus rem eandem rationibus diducere lubeat, per locos supradictos, aut certe fontes postea excitandos, adolescentem quærendo poteris exercere, ut, *Quid* sit *otiari?* Dicet. *cessare à laboribus.* Hinc igitur mox promes *definitionem otii*, quod sit *cessatio à labore.* Unde ulterius diduces argumentum, cum labor sit pœna mortalibus ob Adæ lapsum imposita, cessationem à labore malam esse non posse, quod sit quædam à pœna inflicta, liberatio, cujus rei si alia quædam exigatur confirmatio, promptum erit *exemplum* cœlestium geniorum ac beatorum, qui laboribus exempti, tranquillo in otio summa felicitate potiantur. Si præterea urgeas quærendo, cur, aut

quo fine, otium ambiat? Non minus prompte respondebit, ut *ad studia majori ardore, paratiorique ingenio tractanda redeat*, vel, *ut pietati ac rebus sacris animum impendat.* En novum sparsumque rursus disserendi argumentum, quod iisdem quibus primum locis poterit exornari. Prior ab effectis petita est ratio, altera ex natura, tertia à fine, quæ uberem scribendi materiam, in re (ut principio apparebat) difficili, suppeditabit. Contrarium enim thematis, quod illaudabile sit otium, multo pluribus rationibus abundat, cum labor ex se quædam actio sit, otium illius privatio, facultates viresque homini non ad cessationem, sed actionem datæ sint, otium fons ingentium malorum, stagnantique ac putrescenti aquæ persimilis: Arcum frangat intensio, animum remissio, &c.

FONS I.

Locorum Propriorum.

Ad quæstionem Quid res sit? *natura rei exponitur?*

Ante omnia ut rei cujuslibet naturam nomenque intelligamus danda est opera. Naturam vero rei ignotæ per comparationem plerumque ad res alias, quas certius penetramus, investigare, atque hac via ad genus differentiamq; illius, ut supra docui, pervenire, usitatum est. unde illius, quod inquirimus, manat *definitio.* Ad eandem cognitionem facit Physica rei consideratio, si & materiam illius, & formam singularem, qua separatur à rebus cæteris, expendamus, ita enim præter *genus*, & *speciem* (quas partes Metaphysicas appellant) alias quoque Physicas, sive naturales ejus *partes ad integritatem spectantes* facile comprehendemus. Sola tamen naturæ cognitione in rebus non acquiescimus, nisi & nomen constet, nominisque ratio, ejusdemque usus, atq; inflexio, nam rebus convenienter sua imposita esse nomina, non ignoramus & de his, quamvis ordine posterioribus, prima tamen plerumque solet esse quæstio. Quare & nos hoc in fonte ita censemus inveniendi rationes ordinandas esse.

Ut 1. quæratur *quod nomen rei?* 2. *Quid res sit, quæque ejus natura?* Hinc enim præter *etymologiam* nominis, & *conjugata*, locus à *genere, specie, definitione, partiumque enumeratione*, ex eodem velut fonte affluent, cum mutua inter sese communione socientur.

Age hanc inveniendi rationem exemplo tradamus.

Vis

Vis ostendere, *Christiano homini sobrie vivendum esse.* Hic *quid* Christianus? *quid* homo? *quid* sobrietas? *quid* vita sit? cum nomine & definitione singulorum, expendere poteris, atque ex illis, quæ ad propositum thema probandum tibi opportuna videbuntur (neque enim ubique serviunt omnia) argumenta seligere.

Q.1. *Quid nominis* Christianus? Resp. à Christo sic dictus, qui ebrietatem detestatus est. *Vnde* homo? Resp. ab humo, quam nimius humor opprimit. *Vnde* vita est? Resp. non à bibo, sed vivo. *Vnde* sobrietas Respons. à sobrio, &c. Hæc eadem per *conjugata* licebit inflectere ut, Christianus Christianè, homo humana, non bruta vita vivit.

Etymologiam Oratorie sic expones. *Absit, ô Christiane, tam indignum à moribus ac vita tua facinus, ut nominis, nobilitatisq; tuæ oblitus, turpissimo ebrietatis immersus cæno, à Christo duce atq; institutore tuo degeneres. Christiani non est nisi Christi legibus regi, exemplo duci, moribus vivere. Illustrius tanti nominis decus est, quam ut sinat, hisce se sordibus inquinari: major tanti ducis gloria, quam ut tam abjecti atq; ignobilis vitii labem patiatur. Age, atque ad illas temperantiæ metas, quas natura cuivis animanti, Christus etiam scriptis legibus fixit homini à tam fœdo potandi excessu, revertere &c. Hominem te memineris ab humo & productum & dictum esse, quæ, ut moderata aquarum copia fœcunda est; ita nimia illarum irrigatione sterilescit. Noveris eodem te brevi rediturum corpore, unde non ita pridem existi, tanto citius, quanto graviori illud potandi licentia merseris.* Longius & hic & in sequentibus liceret excurrere, sed modus nobis aliquis, in ista, quam præcipiendo meditamur, brevitate, necessario est statuendus. Amplificandi porro rationes inferius dabimus.

Q.2. *Quid* rei Christianus est? Resp. est homo *Ecclesiæ Christi per baptismum adscriptus.* *Quid* homo? Resp. est vivens *animal ratione præditum.* *Quid* sobrietas? (de hac enim potissimum agitur) Resp. est *temperantia in potu.* Licebit etiam negando illa, quæ res non est, adferre, ut, *non est homo ethnicus*, aut *barbarus non est irrationale brutum*, sobrietas est, quæ nullam *in potu immoderationem patitur.*

En *definitiones*, quæ proposito themati serviant, ex quibus simul de genere, tum etiam specie rerum constare poterit, nam *genus*, in Christiano homo est; in homine vivens, aut animal, in sobrietate virtus aut temperantia; hoc proximum, il-

lud remotum. *Species*, seu formæ diversæ, quas complectatur sub se Christianus, & homo est vir, mulier, juvenis, senex, &c. (Rhetorice loquor) sobrietas vero, moderationem in vino rhenano, vel adusto, vel zytho vel mulso, &c.

A definitione hominis sic Orator ebrium arguet. *Cujus nunc dicam ejusmodi esse vitam, brutine an hominis? quæ in curam corporis intemperantem abjecta, vix aliud præter vinum epulasq; eructat, rationem, primam optimamque hominis partem, immoderato potu obruit, Dei divinarumq; rerum memoriam atq; æstimationem, animo ad cœlestia nato, aspernatur, sollicita, quid oculorum lenonicio, palati illecebris, ventrisque cupiditatibus largiatur, non vero, quid natura, quid temperantiæ, quid animæ, quid rationi, quid superis debeat. Hanc ego si solam ab homine vocem formamque transferam, vitam esse brutorum asserere non dubitem, quanquam in hoc etiam bruta hominum intemperantium turpitudine vincantur; quod, cum illa rationem nullam habeant natura tamen legibus præscriptoque in potu obsequantur, neque illa obluctante stomacho hauriant, quæ turpiter ingesta mox turpius cogantur regerere.*

A Christiani definitione sic argumentabitur: *Egone Christianum hunc esse sentiam & sacratissimis Ecclesiæ cœtibus sociatum, quem impurissimis ebriosorum gregibus video delectari? illum dicam lustralibus aquis expiatum, quem cerno inter vini crapulæq; exundantis sordes volutari? illum sanctioris disciplinæ sacramento autoratum esse credam, jurataq; Christi fide addictum, quam fœdissimum ventris mancipium Bacchi Venerisq; operari intelligo? Non patiuntur se invicē, non conveniunt Ecclesia & popina, Christus & Bacchus, virtus & vitii verbo, idē non potest esse honestus & Christian. & ebrios. turpi*

A solo *genere* quod vivens sit, ita ebrium Orator describet *Hunc ego vivere hominem sentiam, qui nihil aliud vita in dignum exhibet quam ut ingluviem pascat, ingerat ac regerat hauriat evomatq;? qui potissimam vivendi partem, aut inter fumantes tabernas exigat, aut inerti somno consumat, aut vino obrutus sepeliat, plerumq; sine ratione, sine sensu, ac motu: qui capite vacillet, judicio destituatur, ratione sopitus sit: quem pedes non ferant, oculi non dirigant, manus non sustentent: cui ad familiam regendam inepto, ad rempubl. sublevandam inutili magis sepulchrum conveniat mortuo, quam domus vivo*

Jam si ad genus quoq; sobrietatis transeat, quod est *temperantia*, vel universalius etiam, quod *virtus* est, ostendatque

quam


quantum in illis decus, quanta utilitas; quæ tamen ab ebrietate pessundentur: contraq; quantum in hac dedecus, rerumque omnium, ut famæ, vitæ, opumq; detrimentum ingens sese hic dicendi campus aperit. Hoc enim est ab hypothesi, ut aiunt, ad thesim transire. Quare exemplo tã copioso abstinui.

A specie seu *forma*, e. g. sobrietatis; quæ est moderatio in potu vini, vel adusti, vel Rhenani, vel zythi ita argumentari licebit, ut in his omnibus moderationem esse tradas illi necessariam, qui temperans haberi velit. Quod si subeat de hominis Christiani diversa tanquam specie, hoc est, viro, muliere, sene, juvene etiam disserere; par erit ratio, atque hinc magis etiam augebitur, pro sobrietate dicenti oratio. Unum tangamus, quam illa deceat adolescentes.

Quanta adolescentibus sobrietatis in vino habenda sit ratio, quis digna satis oratione assequetur? etenim cum pulcherrimæ illæ, quæ de temperantia leges sunt, ab hac ætate neglectæ fuerint, cum honestas moderatæ semel vitæ præterita, spreta, conculcata erit, cum nec Christianæ vitæ disciplina, nec parentum monita, nec majorum exempla intemperantem effrenatamque juventutem ab illa potandi licentia cohibere poterunt, spes reliquæ ætatis sobrie moderateque exigendæ profligata est, jacet continentia, regnat ebrietas; succumbit pudor, libido dominatur; pietas, fides, religio, virtusque universa exulat; atque eorum loco impietas, perfidia, Deique contemptus, & immane quodvis flagitium in reliquam ætatem ac Christianorum disciplinam erumpit. Non enim unius est adolescentis vitium, neglecta educatio, tantaque dissolutionis impunitas, quam nec ethnici pertulere, in totam ipsius vitam, in universi nominis atque instituti nostri dedecus, hæc turpitudo transfunditur.

Jam si ab illa quoque fœditate, quæ in fœminarum ebrietate reperitur, ejusdem quoque in homine Christiano indignitatem exaggerem, si adjiciam de senibus: quanta hinc oritur scribendi dicendique copia.

Sequitur partium, sive Physicarum, ad totius integritatem quandam spectantium enumeratio, quæ usq; adeo ubiq Oratori in rebus diducendis servit, ut sine hac vix quisquã cæterorum possit locorum copiosius pertractari. Unusque hic locus præcipuus est, quo à Dialectico Orator separatur. Ipsa quæ jam tradidimus exempla docere te poterunt. Nam in definitione aliud nihil dicimus, quã quod homo, ratione præditus, & cœlo natus, imoderata corporis cura bruto comparetur, quam propo-



positionem, per enumerationem partium immoderatæ illius curæ, oratorie diducimus. Idem in Christiani definitione, in genere, & specie exposita, facile observabis, ut ab hac enumeratione, tanquam cornu quodam copiæ, suam eloquens orationem locupletet. Cæterum ut propria hujus loci exempla habeas. Quæramus.

Quid in homine ad ebrietatem complendam adhibetur? Respond. Manus, os, lingua, corpus, animus ipse. *Quid* Bibo faciat, ut inebrietur? vel *qui* illius actus? Resp. quærere tabernã, socios, scyphos poscere, provocare ad haustus, & provocari.

Ab enumeratione partium igitur, sic Orator Christianum arguet. *Ergone Christianus, festivis etiam diebus, divino honori consecratis, Baccho litet? manus pietati jure impendendas, ad turpe ventris servitium convertat? linguã sacro Christi pastum corpore, immoderatis proluat haustibus? corpus illud Dei sedem atq; hospitium, fœdissimum ebrietatis ac gulæ receptaculum faciat? mentem pulcherrimam Sapientiæ æternæ meritis expiatam, cœlestibus donis cultam, increatæ illius bonitatis imaginem, in tanta rursum flagitia præcipitet, ornamentis præstantissimis spoliet, extrema scelerũ deformitate subvertat?*

Ab enumeratione actuum hominis se inebriantis descriptio illius sic petetur.

Videas hominem hesterno adhuc vino calentem, ac vomitu madidum, vix excusso oculis somno, anhelare rursũ ad pocula, societatem ambire, tabernam sectari, vino primum adusto languentem excitare stomachũ, nec multò post eodem, unde nuper hauserat vase falernum poscere, libare primo quidem parcius dum molli sensim vini provocatus illecebra, grandioribus ampullis, & poscat, & offerat. Tum vero jam genio profuse obsequitur, majoribus certat haustibus, provocatur ac provocat, aliorum salutem bibit, suã cũ pecunia, prodigit, cunctantes impellit, discedentes retrahit: ne impurissimus vini gurges, uno scelere contaminatus, solus tẽperantiæ fines prætervehi videatur.

Hæc quidem enumeratio partium ad causas intrinsecas, præsertim materialem, referri poterat; quod cum hac intime jungatur: malui tamen in primo illam fonte, cum definitione (quæ & partes rerum complectitur) sociare, quod, ut dixi, per omnes illa locos evagetur, illisque oratorie amplificandis deserviat. Nunc ad causas rerum convertamur.

FONS II.

Locorum Propriorum.

Ad quæstionem, per quæ *res sit? causæ exponuntur.*

NAturalis hic ordo est, ut postquam cognovimus, *quid res sit*, de qua suscepta nobis dissertatio est; tum, unde, vel *per quæ*, hæc res existat, ac talis in sua natura sit, investigemus, ita enim certa methodo nihil eorum, quæ ad plenam cognitionem spectant, præteribimus. Utamur, quo cœpimus exemplo.

Quæris, *per quæ* sit talis natura Christianus? homo? vinum? vita? sobrietas? ebrietas? (hæc enim omnia ad hanc propositionem, quod Christiano homini sobrie vivendum sit, concurrunt) Respondebitur. *Si causam efficientem* quæras; prima quidem Deus est, proxima diversorum diversæ; ut vini, terra, pluvia, sol, &c. Si *Materiam*, ebrietatis; est vinum, mulsum, zythum &c. ipsa etiam immoderatio hauriendi. Si *formam*, Christianus ex Christi disciplina & moribus discernitur, homo ex immortali ac spirituali anima, vinum ex eo quod liquor sit ad reficiendum hominem tam humore, quam calore idoneus. Sobrietas ex temperato potus usu, Si denique *finem* poscas: hominis in hac vita est, vel honestas, vel delectatio: in futura vita æterna felicitas, in his enim solum bonis animus hominis potest acquiescere. Si vini finem spectes, est ad refectionem hominis natum, si vitæ nostræ, est ad serviendum Deo conditori suo nostramque salutem procurandam concessa. Ex his, si non universis, certe pluribus facile argumenta ad institutum tuum opportuna erues, quibus scilicet, vel sobrietas tanquam digna Christiano commendetur, vel ebrietas ut indigna rejiciatur. Ad utramque enim oppositorum partem secundus Rhetor orationem convertit. Ex causis etiam aliæ proximæ sunt, de quibus diximus, aliæ remotæ; quæ aliquo officio atque ordine connexæ antecedunt, quas iccirco Rhetores *antecedentium* nomine accipiunt. Tales hic sunt in causanda ebrietate, coemptio poculorum, viniq;, tabernæ instructio, invitatio sociorum &c. Copiosissima hinc scribendi materies fluit. Ex multa pauca ad nostrum institutum petemus.

Causa efficiens primi vini, Deus est; ebrietatis, vinum immodice sumptum. Petamus ab utraque causa corrigendæ

ebrietatis rationem. *Quanto majus est bonitatis divinæ erga homines argumentum, quod cum necessitati sublevandæ, ad propulsandam sitim sola posset aqua sufficere, vinum tamen mortalibus ad jucundiorem usum sit elargitus, tanto gravius detestanda est ebriosorum hominum malitia, qui cujus nomine ad gratias Deo referendas obligati sunt, hoc ingratitudinis suæ volunt esse instrumentum: quod necessitati præbitum est, hoc voluptati impendunt, quod liberalitatis divinæ munus est, hoc illiberali profusioni in ebrietatis causam, in fomentum* libidi*nis, in multorum scelerum alimentum convertunt.*

A causa materiali alia ratio desumatur. *Quo tandem licentiæ prolabimur fœda cupiditatis nostræ, ac ventris mancipia, qui tanto pretio, impensisque ebrietatis, materiam peregre advehimus? Israelis olim sola rupes aquam siti levandæ suppeditans in deliciis fuit: aliis hodiedum nationibus, vel nativi fontes, vel excoctæ cum hordeo Vndæ sufficiunt. Germanis nec aquæ, nec fontes, nec hordeacei liquores, nec ipsa quæ Rhenus quæ Danubius, quæ Nicrus, quæ Mœnus, quæ Mosella vina gignit, ad cupiditatem explendam satis esse possunt. Hæc etiam per Oceanum portantur ex Gallia, ex Hispania petuntur, & quandoq; in unam congeruntur terna, quaterna, sena mensam, at vel libare singula vix sobrium liceat; Hæc Christianorum esse hominum studia sentiamus? ô nos nimium à prisca illa majorum nostrorum temperantia degeneres!*

A forma bibendi egregii potatoris, cujus inter Saxones memoria est celebris, *Decumanum sibi Bibo nobilissimus poculum instruxerat, quod duplici in medio coronatum circulo, dominicam orationem, symbolum Apostolicum, legis divinæ decalogũ, complecti, non spurco tantum, sed & sacrilego ore, dictitabat. Hoc suis ille hospitibus hospes liberalis implebat; hoc nisi ingratos, & novæ legis contemptores exhaurire volebat funditus, qui à summa illius scyphi ora ad primum, aut alterum hasisset annulum, reliquæ partis evacuandæ impotens, hunc vel decalogi, vel Apostolici etiam symboli incapacem arguebat; qui absorpsisset pleno gutture, ac ventre omnia, hunc fidei, ac legis Christianæ amatorem, optimumq; divinarum rerum observatorem, & hospitali mensa dignum prædicabat? Quænam auditores, hæc vobis hominis illius (&, an omnino Christiani hominis?) vita esse videtur? &c.*

A fine. Hinc, sive bonum honestum, aut delectabile, quod in tate Christiana est, spectes, sive finem propter quem, aut

homo natus altusque; aut vinum à Deo oblatum, latissimus discurrendi campus aperitur. Nos à fine tantum hominis ebrietatem reprehendemus.

Ergone nobilissima illa creaturarum, quæ ad Dei contemplationem nata, quæ erecto ad cœlum vultu à brutis distincta, quæ æternæ felicitatis heres, cœlestium gaudiorum particeps, divinæ consors esse familiaritatis poterat, in turpissimum ventris pastum projecta, in terram ac peritura hæc bona inclinata tam indigna rationali creatura voluptate polluitur, perituris hisce fluxisq; addicta gaudiis, æterna despicit, cœlestes delicias aspernatur; divinum favorem contemnit? O plane infelicem qui pro immortali oblectatione hanc potus illuviem, pro istis deliciis has sordes & vomitũ, pro Deo Bacchũ plenumq; ventrem amplectitur, cujus vita turpis, mors dura, pœna sempiterna futura est!

Observandum hoc loco, quod in *finis* consideratione, non tantum expendatur ille, quem res quælibet ex sua natura spectat, sed etiam quem agens sibi homo proponit. Ut vinum ex sua natura est propter levandam sitim; at homo sæpe, sublevata jam siti, propter delectationem adhibet, ideoq; hunc sensum voluptatis pro fine suo constituit. Unde argumentum, tam ad laudem sobrietatis, quæ in priori fine, à Deo & natura præfinito acquiescit, quam reprehensionem ebrietatis, quæ turpem finem amplectitur, desumi poterit.

Rursum qui finem expendit, simul & rationes eundem consequendi (quas Philosophi appellant media) considerat, ut e. g. sobrietatis obtinendæ, aut ebrietatis vitandæ gratia, *pravam societatem devitandam esse, vitæ hujus inconstantiam, sanitatis, opum, honoris, æternæ felicitatis jacturam animo volvendam, brutas hasce cupiditates refrenandas &c.*

Ab antecedentibus, sive *causis remotis*, ita disserere Orator poterit.

Intuemini obsecro, symposiacæ illius societatis apparatum. Fores coronantur hedera, frondes de fenestris tabernæ promicant, tibicines ac citharœdi convocantur, grandiora in triclinium transferuntur pocula, coronati in abaco crateres statuuntur, vitrea in numerum aciemque digeruntur vasa, longo ordine famuli discurrunt, inducuntur in Bacchi palæstram hospites &c.

FONS III.

Locorum Propriorum.

Ad quæstionem, quale quid *res sit? attributa rei exponuntur.*

HIc fons argumentorum, inter locos Rhetoricos à plerisque neglectus, amplissimam Oratori disserendi messem suppeditat; cum attributa (alii proprietates rerum, vel etiam universe affectiones dicunt) pleraque rebus ipsis, juxtà suam naturam consideratis, notiora sint.

Attributa vero substantiarum vocamus; *quæ ex natura profluunt, ideoq; naturali cum eis nexu sociantur, nec tolli sine illarum destructione possunt, sive solis illa competant, sive cum aliis communicentur.* Unde duplicis hæc potissimum generis, alia illi, cui adhærerent naturæ soli, omnique, ac semper conveniunt, ut homini risibilem esse competit; alia omni quidem, ac semper; non tamen soli substantiæ speciei unius tribuuntur: ita anima hominis immortalis ac spiritualis dicitur; quod idem Deo Angelisque est attributum.

Ab adjunctis hæc attributa jure separantur, quod illa necessariam cum natura connexionem non habeant, sed eidem rei, nunc adsint, nunc desint, citra ullam substantiæ destructionem. Unde Philosophi illa accidentium, hæc propriorum nomine usurpant. Potest vero res eadem alteri ut proprium, alteri ut accidens sociari, ut calidum esse, igni & soli attribuitur, ferro vero & aëri accidit, rursum temperantem esse homini accidit, sed homini christiane viventi est proprium. Fallere autem possunt quæ ab adjunctis argumenta dicuntur, quæ ab attributis ob necessariam connexionem, non fallunt. Unde merito hi fontes sua inventione separantur.

Attributa quatuor generum, tanquam qualitates, sive affectiones rerum naturalium, esse possunt. Cujusmodi sunt dispositio, & habitus, sive operativi illi sint, ut virtutum, & vitiorum, scientiarum & artium, sive non operentur, ut pulchritudo, sanitas, honestas; turpitudo, utilitas, incommodum, &c. 2. potentia & impotentia, sive vitales illæ sint, ut vegetans, nutriens, generans, sentiens, intelligens, volens potentia, seu non vitales, ut calefaciens, refrigerans, reficiens in igne, aqua, vino, &c, 3. patiendi affectio (passibilem qualitatem vocant Philosophi)

ſophi) quæ ex rerum aliqua affictione naſcitur. 4. forma, aut figura, quæ à certa rerum terminatione exiſtit.

Affectiones quædam communes, quæ tamen in actione, ac deliberatione potiſſimum verſantur, à Rhetoribus obſervantur, à quibus omne genus argumentorum ducitur, honeſtas nimirum, utilitas, jucunditas, neceſſitas, facilitas, cum oppoſito, turpi, utili, injucundo, non neceſſario, difficili, cum etiam eorundem gradibus, hoc eſt magis vel minus honeſto, turpi, utili, inutili, &c. quæ nunc fini, nunc actionibus ad finem ducentibus adhæreſcunt; quanquam neceſſitas, facilitas, & utilitas his alligetur. Hæc attributa licet ad quælibet dicendi genera ſerviant, cum ad perſuadendum ubique valeant; quia tamen in deliberativo genere præcipuam ſedem reperiunt, iſtic aliquando diſtinctius illorum vim copiamque exponemus.

Nunc ad propoſitum exemplum hunc fontem derivemus.

Q. 1. *Quale quid* homo in ſe eſt?

Reſp. Si animum ſpectes, ſpiritualis, immortalis, Deo ſimilis, ratione & judicio utens, liber, corpus movens, ſenſusque animans; ſi corpus conſideres, mortalis, erecto ad cœlum vultu, pulchraque præ cæteris animantibus Dei imagine inſignis, iisdem à Deo præpoſitus, divinæ poteſtati ſubjectus, &c.

Q. 2. *Quale quid* eſt vita Chriſtiani & ſobrii? ſive quid eſt proprium Chriſtiano & ſobrio homini?

Reſp. Chriſtianæ vitæ proprium eſt, ordinare actus ſuos juxta inſtitutum vitæ Chriſti, renuntiare Diabolo, mundo, carni, &c. ſobrii vero hominis eſt, in rebus ad potum ſpectantibus prudenter vitam ſuam, juxta rationis & Chriſti diſciplinam, moderari, rebellesque animi affectiones, quæ in ſenſuum oblectamenta nimium efferuntur comprimere, ne vel cupiditate præcipiti in potum ruat, vel alieno tempore appetat, vel immoderate hauriat, vel pretio rerum excedat, vel prohibito ſibi potu utatur, vel delicata tantum vina admittat, vel ſupra neceſſitatem ingerit; ut ſtomachus obruatur, ratioque cum pedibus vacillet, &c. contra ebrioſus adverſatur in his omnibus. Conſulenda in his quæſtionibus illa erunt, quæ infra in genere Demonſtrativo de ſingulis virtutibus trademus.

Q. 3. *Quale quid* ejusmodi moderatæ vitæ actus? Reſp. eſt honeſtum, & laudabile, eſt utile, eſt jucunditate plenum, eſt ad ſalutem neceſſarium, eſt facile, contraria vero omnia in vitæ immoderatæ actionibus reperiuntur. Vi-

Vides, opinor, quanta hinc argumentorum manet copia. Nam & attributa rerum, de quibus agitur, & personarum, & actionum expendi possunt. Brevem de singulis discursum sic ad persuadendam sobrietatem Orator instituet.

Ab attributis rei quæ hic est vita sobria, de qua agitur.

Vtinam pulcherrimam vitæ sobriæ imaginem, aut ego dignis coloribus adumbrare, aut Christianus æqua consideratione complecti posset! depingerem ego atque ipse miraretur, novam quandam Pandoram, non illam fabulosam Poëtarum, ad quam Dii singuli sua contulissent dona, sed dignissimis rationali homine ornamentis cultam, cui virtutes singulæ sua munera impendissent: quam prudentia, inter corrupta Germanorum exempla, & sanctiora Christianæ vitæ instituta dirigit æquitas suum facit Deo corporique debitum officium tribuere, temperantia natis docet ex potu voluptatibus moderari; fortitudo insurgentes adversum cupiditatis motus infringit; ut nobilissima quæque virtutum decora in hac una sobrietate splendescant, cujus certe possessio, animo ad honesta nato, non potest non esse jucundissima. Fingant vates suam Pandoræ esse à Venere pulchritudinem, à Marte robur, à Iove dignitatem, has sobrietas dotes, unius divinæ sapientiæ absolutiori munere, omnes possidet, pulchritudinem sine dedecore, robur sine discrimine, dignitatem sine adjectione obtinet, nullisque noxia, ut illa fatali multorum malorum pyxide, mortalibus existit.

Ab attributis personæ hominis videlicet in sua natura considerati (qui hic etiam, ut Christianus, vel ut familiæ aut reipublicæ regendæ præfectus expendi potest, si talis fuerit) *Noli, obsecro, ô homo tuæ conditionis oblivisci. expende qui sis, vide animum, mentemque nobilissimam, immortalis hæc est, & tu mortalibus illam voluptatibus addicis? spiritualis est, & tu corporeis illam deliciis adstringis, ad imaginem Dei est condita, & tu brutarum rerum simulachris pascis: dominatur universis, servit præter Deum nemini; & tu illam ventri vinoque emancipatam trudis? ô te miserum, si hæc intelligis, miseriorem si nescis. si ab hoc te errore non revocas, si rationem tibi Deus largitus est, & ad tuum hanc vertis exitium; si ad honestam te vitam, Deus, parentes, institutio, judicium te proprium vocat: tu ad omnem turpitudinem spretis neglectisque universis, dilaberis, quam rara dos est libertas hominis, quæ mundi totius creaturam vincit, dominusque non solum orbis hu-*

jus,

jus, verum & sui ipsius constituitur: at quam improbe hac ipsa, carnis sua mancipium, omnisque creatura depravator abutitur, dum cuncta, propria magis voluptati, quam divina voluntati servire cogit.

Ab attributis generalibus actionum humanarum, ut hic in sobrietate est honestas illius, utilitas, jucunditas, necessitas ad salutem, tum etiam facilitas. contra vero in ebrietate turpitudo, &c quæ etiam rei, seu vitæ sobriæ, ebriæque, est principium actionum, consideratæ, adhiberi possunt. Nos solam turpitudinem inter pocula de haustibus certantium expendemus.

Existiment illi *ventris administri & Bacchi satellites, honestum in isto esse helluonum, gurgitumque vini, consortio, capacissimos ductu crateres exhauriri, combibones scyphis victos prosternere, triumphare, ventris ac profusionis magnitudine; ego in hac gloriandi licentia, nihil præter nominis Christiani dedecus, turpitudinis famam, scelerumque gravissimorum ignominiam deprehendo. Quid n. tam contrarium natura, quàm his illam unde debeat sustentari, alimentis obruere? quid tam inimicum Dei legibus, quàm adversus illas, non tantùm agendo pũgnare; sed etiam de victis triumphando insolescere? quid tam virtutibus infestum omnibus, quàm in ipsis flagitiis collocare gloriam, contemnere ad profusionem segnes, ad bibendum potentes extollere, ebriosis laudem, sobriis contumeliam irrogare? hoc nimirum est, majorum nostrorum exempla, natura præscripta, sapientum virorum autoritatem, vita Christiana dignitatem, totamq; Christi disciplinam, spurco ebrietatis halitu afflare, verbis improbissimis proscribere, factis longè teterrimis conculcare, omnemque in uno scelere vitiorum ignominiam superare.*

Paria ab inutili, ab inamœno, contraque pro sobrietate, ab utili, jucundo, necessario, facilique, secunda oratione, differes.

FONS IV.

Locorum Propriorum.

Ad quæstionem, quid efficit? *effecta rerum proponuntur.*

SEnsim à natura, causis, & attributis rerum, certo rationis ordine, ad illa, quæ à rebus tanquam effecta, vel consequentia, dependent, progredimur. Quamvis verò hunc nobis scrip-

ſcripſerit ordinem natura, inveſtigandi tamen ratione plerumque ab effectis rerum, quæ videmus, ad cauſarum minus notarum cognitionem incedimus. Porrò cum ad inſtitutum nihil referat, quem quisque fontem argumentorum primum, quem ultimum ſtatuat, nos à via naturæ non abſcedimus. Sola autem effecta rerum, tantam nonnunquam dicendi copiam pariunt, quantã cæteri, quos expoſuimus fontes univerſi, præſertim, cùm ad virtutes, aut vitia oratio delabitur. Hic enim de bonis malisq; naturæ, fortunæ, morum plerumq; controvertitur, quibus vel cladem inferat, vel emolumentum præſtet.

Quanquam autem effectorum genera totidem, quot cauſarum reperiantur (nam quod ex materia, forma, ac fine efficitur, hoc etiam ad effecta ſpectat) tamen efficientis hic cauſæ, utpote fecundiſſimæ, & notiſſimæ potiſſima habetur ratio, ſive vi naturæ, ſive morum influat: nam hoc pacto temperantia laudem, ebrietas infamiam cauſat. Nos in propoſita materia per exempla breviter ibimus, ſolis tantùm ebrietatis effectis oratione comprehenſis.

Q. 1. *Quid efficit ebrietas* in bonis malisque hominis externis?

Reſp. Orator. *Ebrietas opes tanto quæſitas Majorum ſtudio, tanto labore partas, curâ aſſervatas, poſteritati traditas, levandis humanæ vitæ neceſſitatibus à Deo conceſſas, tuendæ honeſtatis adjumenta, dignitatis noſtræ præſidia, paupertatis alienæ levamina, pietatis divinæ ornamenta, inconſultè profundit, ſubitò prodigit, ſceleratè conſumit, pro labore otium inducit, pro cura negligentiam, poſteritatem ſpoliat, neceſſitatem deſtituit, honeſtatem fœdat, dignitatem conculcat, paupertatem gravat, religionem nudat &c.*

Sic de honore amiſſo, & ignominia ſibi aliisque conciliata, licebit diſſerere.

Q. 2. *Quid efficit ebrietas* in bonis malisque internis corporis?

R. Orator. *Quanta malorum peſtis in humanum corpus ab una ebrietate redundet, faciliùs alii patiendo, quàm nos dicendo, aſſequamur. Quis enim non jure admiretur, hominem vino gravem, tanquam paralyſi reſolutum, totis ſubitò corporis functionibus deſtitui, languere membris, artubus debilitari? Pedes ſuis dejecti veſtigiis, corpus non ſuſtinent; caput vertigine perculſum in præceps devolvitur; oculi caligine ſuffuſi, nec rerum,*

nec

nec viarum amplius norunt discrimina; lingua stupefacta, vix gustandi aliquam voluptatem admittit; aures, confuso tantum sono, nullâ vocum sententia, penetrantur; sensus omnis obstupescit, infraque brutorum amentiam rationalis homo abjicitur. mactata in sterquilinio sui, quàm viva bestia similior. Iam si illam valetudinis, formæ, ætatis, virium cladem, quam crebrius repetita ebrietas hominibus etiam infligit validissimis, expendamus, quæ hanc ulla satis extollet oratio? utinam, vel unius podagrici chiragricive lamenta, dum acutissimi dolores fodicant, ebriosorum aures perstringerent! Non ego ad parem torturam pedes, manusq; postulo, solum cupio audiendi sensum illius questibus vulnerari. Certè nisi humanitatem omnem exuerit, illius calamitatem sentiet, propriam antevertet, alterius miseratione, sibi discet parcere, &c.

Q. 3. *Quid efficit ebrietas* in bonis malisq; internis animæ?

R. Seneca Ep. 83. *Omne vitium ebrietas incendit, & detegit. Obstantem malis conatibus verecundiam removet (plures n. pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibitis abstinent) ubi possedit animum nimia vini vis, quidquid latebat, emergit. Tunc libidinosus cupiditatibus suis, quantum petierunt, sine dilatione permittit, tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans, non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido, omne vitium detegitur & proditur. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicosasq; hostibus tradit; hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit, hæc invictos acie mero domuit. Non est animus in sua potestate mero devictus. Quemadmodū musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat, sic uno exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum alienumq; est pariter effundunt, &c.*

Consequentia, sivè *effecta remotiora*, ebrietatis huc etiam referuntur, quæ ad eandem etiam quæstionem, *quid ebrietas efficiat?* redduntur, possuntque tam ab internis, quàm externis quæ consequuntur malis desumi. ut, *Non his illa ebrietatis pestis terminis consistit; latè in omnem familiam propagatur; totam confundit evertitque viciniam. Vxor domesticique profusione hominis exhausti, contentione jactati, vulneribus non rarò*

vero sæculi, tantam publicè privatimque calamitatem deplorant: nudati patrimonio liberi, institutione patris neglecti, exemplo etiam depravantur. Creditores spe sua opibusque iniquè destituuntur, furta, deficientibus impensis, perpetrantur, designantur latrocinia, &c.

FONS V.

LOCORUM PROPRIORUM PER *Adjuncta.*

Ad quæstionem Quid rei accidit? *universè explicatur.*

UNus hic fons reliquos ubertate vincit, ac solus penè adæquat universos. Nam, ut plurima sunt, quæ rem quamque circumstant, ita ad illam, vel extollendam, vel deprimendam oratione conferre possunt.

Communis ille versus qui adjunctis exponendis assumitur.

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Nec sola adjuncta, nec omnia, generalibus quæstionibus complectitur; sed tantùm factis hominum expendendis inventus est: quare alium substituimus illo absolutiorem.

Dic, qualis? quantus? quoties? ubi? quomodo? quando?

Huc adjuncta pleraque, juxta Philosophorum distributionem, quæ cæteris accuratior est, revocabis. Quintilianus quidem libro quinto, capite 10. hæc enumerat. genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, victus, studia, affectus, locus, tempus, occasio, casus, facultas, instrumentum, modus, signum. Inter adjuncta etiam diversarum rerum substantias complexus; modò aliquid ad illius, quæ oratione tractatur, rei propositum conferant. Verum pleraque illorum ad hanc quæstionem; *quid rei acciderit, ut talis esset?* vel etiam; *qualis res sit?* reddi possunt. ut *qualis* genere? natione? patria? sexu? ætate? educatione? habitu corporis? fortuna? conditione? natura animi? victu? studiis? affectu? constare ad hanc quæstionem possit. (Et hæc ex genere demonstrativo, de laude hominum desumpta sunt) Cætera, ex reliquis illius versus quæstionibus facilè colligentur. Maneamus igitur in versu proposito, & quæ universè primùm considerari queant, expendamus.

Gene-

Generatim, *quidquid rei ita adjungitur, ut salva illius substantia, sejungi ab eadem possit, hoc in adjunctis esse censetur.*

Q. 1. *Qualis res*, vel *persona* est ?

Resp. Nobilis, ignobilis, illustris, vilis; adolescens, virilis, senilis, dives, egens; ingeniosa, stupida; libera, necessaria; æqua, iniqua; moderata, immoderata; potens, impotens; legibus conformis, aut difformis. Verbo quidquid in artibus, scientiis, virtutibus, & vitiis homini accidit, huc refertur.

Q. 2. *Quanta res*, vel *persona* est ?.

Resp. Magna, parva, nimia, exilis, immensa, mediocris. Verbo quidquid ad dimensionem vel molis, vel virtutis spectat, huic quæstioni respondetur.

Q. 3. *Quoties* factum ?

Resp. Sæpè, raro, nunquam. habeturque hic numeri ratio.

Q. 4. *Ubi* ?

Resp. Loco publico aut secreto, profano aut sacro, domi aut foris. Locus hic igitur ejusque attributa examinantur.

Q. 5. *Quomodo* ?

Resp. Rectè, malè, prudenter, callidè, stultè, fictè, verè. Modi sunt, qui latè patent.

Q. 6. *Quando* ?

Resp. Olim, nunc, æstate, hyeme, die, nocte, in juventute, vel senio, pacis aut belli, luctus aut lætitiæ tempore. Tempus itaq; ejusque attributa spectantur.

Verùm hinc argumenta, non pro illa oratione quæ solam thesin, sive communem tantùm quæstionem tractat, desumenda sunt. Sed quæ singularium rerum, ac personarum facta prosequitur. Nam hæc tantum in diversa adjuncta incidunt; illa semper eadem atque immutata persistunt. Et proposito nobis exemplo rem disces. In hoc enim, quod *hominem Christianum ebrium esse nefas sit*, hoc solum homini accidit, quod Christianus sit, ad Christi disciplinam institutus. Diabolo, carni mundoque obnuntiaverit. quod si hanc ergo propositionem rebus magis singularibus adstrinxeris, ut quod *nobilis adolescens, in domo Ecclesiastica, sacro quadragesima tempore, inter scurras sese inebriaverit*, multis hoc factum adjunctis augebis. Vel *quod Nero* aut *Zeno Imperator sese vino ingurgitaverit*. Multa enim in una Imperatoris persona occurrunt adjuncta, quæ rem mirifice amplificant, quòd tam illustris persona, quòd reliquis præfectus, quòd legislator cæte-

rorum, quòd reipubl. administrator, consiliorum moderator &c. quæ officia universa ebrietatis vitium non sustinent. Tam igitur multa Oratori in hoc fonte sese offerunt, ut qui dicendo velit persequi, integram illi conficere orationem necesse sit.

A *qualitate* igitur vitium ebrietatis extolles, si pretiosa nimium vina pocula, aliumque apparatum, supraque vitæ suæ conditionem adhibuerit; si Hispanica, Cretica, nivibus refrigerata, aquis impermista, &c.

A *quantitate*, si crebrioribus haustibus repetita, aut grandioribus poculis vina sumpserit, aut tantùm, ut regerendum turpiter fuerit &c.

Si quæras, *quoties*? ut, sæpiusne graviores haustus repetierit, an & frequenter eadem ebrietate deliquerit?

Ubi? an in loco sacro, aut secretis ganeis, aut publicis congressibus ebrietate lapsus sit?

Quomodo? an potus, vel ebrietas cum turpitudine aut libidine conjuncta fuerit? an venereis, aut insolentibus poculis vina propinata, aut hausta sint? an infusa magis, quàm temperanter sumpta?

Quando? an noctu, an manè? an in juventute, aut senio? aut belli, aut luctus tempore? an die sacro, aut quadragesimali, aut post eucharisticum epulum inebriatus sit? Hæc enim, vel ad augendum, vel minuendum ebrietatis vitium facient.

Unum ego desumptum à loco exemplum in tanta illorum copia proferam. *Illudne tu hominum perditissimorum contubernium ingrediaris, ubi ex trivio collecti scurræ, ex ganeis lenones, ac triobolares homines, quibus omnis in moribus levitas, in verbis procacitas, in factis turpitudo, qui ad audendum non minus, quàm loquendum, projecti, alienæ famæ atque existimationi insidias struunt, ne soli viles contemptique videantur? Hos inter vivere, perpotare, helluari, quid aliud est, quàm opibus honorem prodigere, conscientiam proculcare, vitam ipsam salutemque in extremum discrimen præcipitare?*

CAPUT IV.

Inventio locorum communium, sive extrinsecorum.

INgens hic panditur Inventionis campus, quique præcipuos orationis flores atque ornamenta continet. Merito is à Lo-

à Locis propriis separatur, quod illi angustis limitibus circumscripti, sua sede ac velut possessione privatâ concludantur, hi tanquam liberi per omnes evagentur sedes, ubique locum possessionemque se dignam reperiant. Nam singuli locorum propriorum ornari similibus, contrariis, testimoniis & sententiis, sciris ac legibus Majorum; judicioque cum vulgi, tum sapientum probari poterunt. Quin etiam loci communes ipsi secum commiscentur, mutuis ornamentis gaudent, nam & simile per contrarium, & hoc per simile illustratur. Singula horum legibus testimoniisque firmantur. Gnoma etiam una ac sapientis viris dictum expositum, suis contrariis, similibus, exemplis, testimoniis, non minus, quàm factum aliquod laude aut reprehensione dignum, fecunda amplificatione, diducitur. ut verbales illæ realesque Chriæ, ut vocant, abundè testantur. Quæ observatio ubi semel animis nostris insederit, jejuna atque inornata nunquam esse poterit oratio. Nunc singulos hosce fontes paucis adeamus. hæc enim generatim præmonuisse suffecerit, ne ubique cogamur repetere.

§. 1.

FONS I.

Contra.

HAc voce *contra*, omnia illa quæ sibi quacunque ratione, seu latè seu strictè, opponuntur, intelligo quæ cum Cicerone cæterisque Rhetorum sub repugnantium & contrariorum nomine supra complexi sumus. Hic fons omnium, tam ad copiam, quàm ornatum est locupletissimus. Ex hoc omnis penè illa argutæ nervosæque dictionis subtilitas, vibrantes aculeatæque sententiæ, & non concisæ modò, sed & circumscriptæ orationis robur potissimum eruitur. quia per rerum diversarum compositionem res & illustratur maximè, & animum penetrat. Nullis autem terminis, hic fons constringitur, effundit sese ad reliquos omnes, seu proprios, seu communes, & unus tantum possidet, quantum reliqui universi. Res enim quæque suum habet oppositum, aliquando etiam plura, ut ab his fecundior possit duci oratio. Ita in proposita superius thesi. Christiano homini *sobriè vivendum* esse, exempla ab oppositis duxi, ostendique *ebrietatem illi vitandam* quòd copiosior in hac parte seges. Quare si ex hoc fon-

fonte ornare atque amplificare dicendo singula volueris, adhibe definitionem; partes, effectus, causas, & adjuncta sobrietatis, atque ebrietati per singula oppone, ut propositum assequaris. Ita quoque in locis communibus progrediendum: præter simile ebrietatis, adhibe & simile sobrietatis, aut, quod idem est, appone dissimile. dispar etiam symbolum, emblema &c. propone. Sic & testimonia, leges, famam, pro adversa parte concilies, & quid poterit copiosius suppeditari? Verum tamen delectum ac varietatem instituere memineris: nam & nimium mellis desipit. Moderata atque elegans diversitas orationis condimentum est optimum.

§. 2.

Opponamus in exemplo sobrietatis, atque ebrietatis effecta. *Videas adolescentem antè sobrium, simul & modestum, & verecundum, & integrum; at mox hausto liberalius vino, tanquam Circæo mutatum repente poculo, dissolutum, impudentem, perditum. Hoc videlicet est quod ex studiosis ignavos, ex robustis enervatos, ex prudentibus fatuos, ex obsequentibus refractarios, ex Angelis Dæmones efficit. Hoc opes in inopia, sanitatem in morbo, vitam in morte absolvit.*

Demus quoque exemplum in locis communibus à comparatorum oppositione. *En ut ratio quæ pulcherrimi solis instar in sobrio collucet homine, fœdissimis temulentiæ nebulis obscuretur, luce media velut in nocte caligant oculi, sine mari in sicco navigat, sine tempestate fluctuat sine febribus æstuat, sine insania stultescit, sine phrenesi furit, sine sontico morbo spumat. Brutum, sed non absque ratione: Scarabæus, non in rosis, sed sordibus.*

Postremò, ut hujus loci fœcunditatem intelligas; illud noveris, cùm cætera argumenta ob reconditam ignotamque rei alicujus naturam defecerint: tum ab oppositis sua eloquentiæ præsidia non esse defutura. Ut desit ratio, quâ vel Dei, vel Angelorum naturam describas, cum, quod de illis affirmes, non reperies, occurrent quæ rectè neges, si diversas rerum creatarum imperfectiones deesse iisdem asseras. Plenis ejusmodi argumenta libris tractata invenies.

§. 3.

FONS II.

Inventionis Communium Par.

PAR complectitur universa illa quæ aliquam cum rebus affinitatem in natura obtinent, ut sunt primum, ductæ à rebus quibuslibet, sive naturalibus sive artificialibus, similitudines: factorum petita ab historicis exempla, symbola, emblemata, ænigmata & hieroglyphica, parabolæ & apologi. his n. imago ac similitudo quædam inest, cujus ornatum, elegantiam, varietatemque in speculo Imaginum latè exposuimus. Nos hic ex eadem, quâ cœpimus, de Ebrietate materia breviter exempla depromamus. A similitudine navis, quæ aquis copiosius subeuntibus denique mergitur, Ebrietatis vitium, vel simpliciter descripta collataque cum ebrio depinges; vel tanquam in imagine proposita cum suo lemmate exhibebis ut si dicas, quempiam penicillo adumbrasse navem in flumine inter haustas aquas subsidentem, cui hoc lemma inscriptum fuerit. *Haurio & haurior.* Nempe, ego navis haurio aquas, & ab iisdem haurior, ut potator haurit vinum, & hauritur, juxta sensum & rationem, à vino. Sed & Emblema Clementis Alexandrini (lib. 2. Pæd. c. 2.) licebit proponere. Pingit n. cœlum stellatum, atque in eo Acephalum, ante Stellam errantem fingi solitum, qui capite in ventrem usque depresso incurvus consider, imagine, ut rectè inquit, helluones aptè exprimente, quorum omnis cogitatio de ventre est. Ænigma aut Hieroglyphicum Upupa sit quæ occultius simile complectitur, ut quæ uvis immodicè ad ebrietatem usque ingurgitatur, sordesque humanas pro oblectamento habet, ideoque Ægyptiis ebrium designavit. Si parabola delectet, adhibe illam, quæ Janum asserit in plantata irrigandaque primum vite adhibuisse simiæ, leonis, porci & agni sanguinem, quâ diversorum in ebrietate ingenia apposite exprimuntur. Si Apologum opportuno etiam loco ad oblectamentum aliquod orationis quæras: illam usurpes, qui inter Bacchi discipulum & Promicondum usurpatur, quorum hic illi, colorem vini consectanti, exhibuit in vitro urinam, quâ gustatâ, cum nasum corrugaret, an non placet (inquit Æconomus) certè bonum fuisse vinum scio. tum alter, sed in vase ultimo corruptum est.

En quanta ex uno fonte amplificandi ornandique materies.

§. 4.

Unum symbolum dati exemplum propono, ad cujus modum reliqua explicari poterunt. *Spectemus hinc ebrium, illinc navem inter fluctus, Poeta ingenio, ac penicillo Pictoris, adumbratam, Magis illa magisque ex assultantibus per aperta latera undis aquarum haurit: gravis primum ac deinde abundante fluctu plena, frustra obnitentibus nautis, excusso jam clavo remisque, verticibus infesti fluminis absorbetur, cui lemma, velut mortualis epigraphe; additur. Haurio & haurior. Videlicet tantum haurio undarum, ut ab illis denique oppressa hauriar. Nonne vobis in hac imagine ebrii hominis vitam casusq; efformasse hic vates scitè videtur? Navis in oceano, homo in vinaria taberna est, illic inquieta jactatio fluctuum; hic sociorum tumultantium fremitus; illic aqua profusius hausta, hic vinum creat periculum; illic Navarcho clavus excutitur, remigum officia turbantur; hic ratio statione sua excidit. sensus omnis cum pedibus vacillat; illic navis à flumine, hic à mero belluo obruitur.* Acervari etiam comparationes aliquando eruditè possunt. ut *Quod in aquis spongia, uter in olla, in puteis antlia, hoc in taberna Ennius, semper aut haurit, aut plenus est*, vel in historiis, ut *Mirentur alii Tiberii Neronis tantam in bibendo licentiam, ut ipso cum ratione everso nomine Biberius Mero dictus sit; Bonosi in vino hauriendo intemperantiam, ut suspensus, non homo, sed amphora per ludibrium pendere diceretur, tantam Alexandri summi Ducis in ebrietate impotentiam, ut ab amicissimo sibi Clito vim cædemque non abstinuerit: magis ego Christiani hominis degenerem in tam sancta disciplina, ab omni lege, ratione, ac Deo temulentiam obstupesco &c.* vel. *Noe per ebrietatem expositus ludibrio. Lothus turpitudini, Ammon insidiis, Holofernes morti, & quis sibi felicem ab ea exitum polliceatur?*

§. 5.

FONS III.

Testes.

PEr testes non illos tantum accipimus, qui præsentes, voce vel scripto, testimonium ferunt; sed absentes quoq; etiam fato functos, graves præsertim sapientesque viros, qui animi sui

sui sententiam quâquâ ratione declararunt. Horum igitur *Apopthegmata, gnomæ* ac brevia *scitaque pronuntiata*, ad rem nostram firmandam illustrandamque proferuntur. In primo genere testandi, amici, servi, domestici, inimici, infamis, non oculati exigua ad testificandum vis est; in altero, quò minor autoritas, vis quoq; sententiæ est levior. A probatissimis igitur quibusq; maximè valent testimonia. Tale illud est Democriti, *qui invite tres nasci botros asserebat, primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium injuriæ.* & Androclidis ad Alexandrum, *Rex memento te sanguinem terræ bibere.* & Aristippi ad bibonem jactantem, se *multum* posse *bibere.* Et *muli*, inquit, *hoc possunt.*

Huc & Laconum factum pertinet, qui servos fœdè ebrios, ad ludibrium in conspectum filiorum, producebant; ut horrorem ebrietatis his incuterent. Ejusmodi enim facta quandam testimonii vim obtinent.

Primi generis testimonium est Anacharsis Scythæ Philosophi, qui rogatus, *num in Scythia essent tibicinæ?* Respondit, *ne vites quidem*, quod raræ mulieres sobriè tibiam inflent. Adeò igitur Scythæ, ipso teste, à vino alieni. Sententiosum illud est Menandri. *Multum merum, pauca facit sapere.*

Et illud Virg.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Uno namq; modo vina, Venusq; nocent.

Bonosi amphoram, Bacchi thyrsigerum, Sileni alumnum, secundum usitata adagia hominem ebrium dices, quanquam hæc, juxta similitudinem quam involvunt, etiam ad fontem primum referri possunt.

§. 6.

Unum ex omnibus expono.

Quantum hominem fortem ab immoderato vini usu abesse deceat, ille Aquilonarium Philosophorum facilè Princeps, Anacharsis sat disertè detestatus est, quando interrogatus: nunquid tibicinas alerent? tantum gentem suam ab omni mollioris vitæ illecebra abesse respondit, ut nec vites quidem educarent, sentiens vinum ejusmodi cantatricum esse nutrimentum, voluptatis lenocinium, libidinis irritamentum, neq; bellicam Scytharum virtutem, ac fortitudinis gloriam cum tanta levitate posse consistere, vires facile inter vites enervari. Brevis itaq; autoris descriptio, expositioq; ac ratio sententiæ dari solet, quod

uberius præstandum esset, si potissimum in ea robur causæ poneretur. sed hic locus, ut cæteri, & amplificat, & ab aliis amplificatur. Spectant huc etiam *testimonia divina*, *responsa & oracula, auguria & somnia*, sed his modo parum firmamenti, præterquam divinæ testificationi inest.

§. 7.

FONS IV.

Leges.

LEgibus comprehenduntur tam *privatæ*, quàm *publicæ*, adhæc illa quæ legum vim obtinent, seu publicarum, ut *consuetudines*; seu privatarum, ut *votum, iusiurandum, promissa, pacta, tabulæ* earumque obsignationes. Ita in proposito Ebrietatis themate Græcorum vox erat, ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, aut bibe aut abi. Lex illa in Capitularibus Caroli Magni est. *Nemini liceat, alium cogere ad bibendum, nisi quantùm ei suffecerit*, & Solonis lex erat, ut Laërtius refert. *Princeps, si deprehendatur ebrius, morte multetur*. Pittaci: *Qui per temulentiam sceleris aliquid commiserit, duplo plectuntor*. Contra memorat D. Ambros. de Helia. cap. 17. consuetudine inductum, *ut bibatur pro salute Imperatorum, nisi quis reus indevotionis haberi velit*, quam ut fœdam Deoque adversariam detestetur. Simile pactum Domini cum servo, qui ingenti, ex auro, cratere oblato, ita pactus est; *ea lege tuus esto, ut uno illum haustu evacues*, quod se facturum recepit, & non sine discrimine præstitit. Par certamen bibentium ab Alexandro, ubi plerique succubuerunt. Quod ad *tabulas testamentarias* attinet, celebres illæ Christi, quibus Eucharisticum nobis calicem multò laudatius ad sui recordationem consignavit. Et *publicæ* illæ *Synodi* Nannetensis dignæ memoria sunt, quibus *Sacerdotibus ebrietatem omnem interdicit*, commendatque, *ne tertiam bibendo vicem excedant*.

§. 8.

Hæc aliaque, seu pro sobrietate, seu adversus ebrietatem statuta, ex hoc fonte hauriri, amplificarique hac similive ratione possunt, e.g. *Quæ vobis, qualisque illa lex Pittaci, non Christianis disciplinis imbuti hominis, sed rationis sola luce illustrati, videtur; qui omne per temulentiam admissum flagitium geminata pœna castigandum statuit: ut qui in tali scelere*

pri-

primum præcipuumque ipsam esse ebrietatem existimaret; ab hac, tanquam capite, gravissima quæque delicta manare, incendi cupiditatem, inflammari sentiret audaciam, quantumvis enorme facinus, sine legum observatione, sine Numinis reverentia, sine consilio, sine ratione perpetrari. Comparate huic legem illam nostram, indulgentiæ plenissimam, qua flagitiis per ebrietatem commissis ignoscendum non raro censemus; expendite, cupiditasne ab hac opprimatur, an excitetur? crescat, an minuatur, temeritas? eliminentur, ac invitentur crimina? Par ratio leges exponendi diducendique, quæ testimoniorum est, ex oppositis hic etiam amplificandi viam aperui. De votis, tabulis, pactis, aliisque idem esto judicium.

§ 9.

FONS V.

Cum Judice, Fama.

HIc ultimus, neque omnino sterilis fontium est, in quo *Iudicia* expenduntur, vel *publica*, quæ sunt hominum *fama*, aut *rumores*; vel *privata*, quo spectant *accusationes, tormenta* sive *quæstiones, præjudicia & sententiæ Iudicum. Præjudicia* ex variis sumuntur: ut cum, vel eadem causa quondam in judicio expensa & damnata est; vel similis; vel certe aliquid cum ea connexum. Sic de ebrietate præjudicium illud vulgatum, quod plerumq; cũ aliis sit connexa, eo quod sæpius aliorum scelerum rea fuerit damnataq;. Hinc apud Hispanos receptum fuit, *nec intestem quidem admittere illum, qui semel ebrietatis compertus fuisset*, solo n. præjudicio talis minus integer habebatur. *Fama* publica Germanos ebrietatis arguit. Ebrietas *tormentis* ad veritatem extorquendam non eget; ipsa sibi ipsi, multis malis incumbentibus, tormentum est, & plerumque latens verum absque equuleo prodit. Apud Indos *ebrii Reges, publica legum, damnati sententia, à muliere etiam interimi poterant eo facti præmio, ut successori nuberet.* ut Alex. ab Al l 3. c. 11. memorat *Zeno Imperator ebrius ab uxore Ariadna sepulchro inclusus periit.* Per civilia iura (ut D. de injur. l. si quis) *accusare eum de injuria illata licet, qui cujusquam servum, aut filium, ad popinam duxerit.*

§. 10.

En quot argumentis hic fons ad probandum affluat. Unum

Rhetoricè exponamus, & leviter illud Ciceronis pro Sylla inflectamus. *Quæstiones servorum ac tormenta, frustra ebrioso ad sceleris explorationem adhibebimus. tormenta gubernat dolor, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur, sua ipse ebriosus torqueatur ebrietate; ex ea quaratur: num qua occultetur libido? num quod lateat facinus? num qua crudelitas? num qua audacia? Nihil erit erroris in causa, nec obscuritatis, si in sua deprehensus ebrietate, propris oris confessione, qua nihil occultum in illo esse patiatur, gravissimorum scelerum damnatus fuerit.*

§. 11.

Hæc de Inventionis fontibus universè, propriis quinque, & totidem communibus: quorum ordo, facilitas, copia, atque ad rudiorum etiam hominum capitum dispositio, quantam scribendi dicendique facultatem pariat, experientia quisque sua doceri poterit. Nolim tamen quisquam existimet, quamvis materiam omni ex fonte locupletari posse. Nam neque id semper futurum, neque, si fiat, insistendum omnibus; sed cum delectu optima quæque ad probandum aptissima deligenda erunt. In Exemplo de ebrietate à me proposito, si quis fontes exhaurire omnes, atque in singulis adhibere amplificandi ordinandique velit gratia, aliorum communium locorum patrocinium, contraria, similia, testimonia, tabulas, judicia &c. nullus esset dicendi modus, præsertim, si nonnulla ex his acervarentur. Quare ubi & abundamus materia, & inter Doctos res agitur, iis utendum nonnunquam descriptionibus, quæ multa paucis verbis sententiisque colligunt. In quibus observandum illud erit, quod subjicio.

§. 12.

APPENDIX I.

Descriptio quædam rerum nervosa ac stricta est (quam Rhetores quidam definitionem appellant) quæ quibusdam velut titulis rei, vel causas plures, vel effectus, vel adjuncta, vel similia, vel contraria, idque, vel per affirmationem, tribuendo rebus quæ possident; vel per negationem, removendo quæ non habent, breviter exponit: estque egregium quoddam orationis ornamentum, atque ad illum spectat fontem, cu-

cujus locos prosequitur. Differt verò à Definitione propriè dicta, quod illa rerum naturam explicet, hæc tantum, quoque modo cum rebus connexa, strictim auribus animisque subjiciat, tunc etiam definitionis loco adhibenda, cum rerum natura fuerit obscurior. Paucis de Ebrietate rem exemplis illustremus. Petrus Ravennas, sic illam describit.

Ab effectis. *Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantiæ magistra, rabies voluntaria, illecebra honestatis, pudoris injuria* &c. Augustinus ait, *est turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ &c.*

A fine *Ebrietas æterna nostræ salutis hostis, felicitatis omnis inimica, gaudiorum meta, dolorum initium, fomentum ignis, alimentum cruciatuum &c.*

A causis Efficientibus, ut *Ebrius concitator tabernariorum, antesignanus scurrarum, dissipator honorum, turbator familiæ &c.*

Sic etiam ex locis communibus duci poterit.

A comparatis *ut Ebrietas venenum dulce, opum charybdis, sanitatis scopulus, innocentiæ naufragium, scelerum propugnaculum, arx seditionis, caput perfidiæ, malitiæ omnis barathrum.*

A contrariis. Ut *Ebrietas amica seditionis, pacis hostis, levitatis patrona, constantiæ labefactatrix; impudentiæ magistra, verecundiæ prodiga. flagitiorum omnium domicilium, virtutum exilium.* Vel *Ebrietas est quædam opum profusio sine liberalitate, secretorum denudatio absque synceritate, jucunditas sine amœnitate.* Vel *est inamœnum gaudium, illiberalis profusio, hilaris insania.* Atque ex his præcipuè fontibus ducitur Descriptio: quam facile vides substantivis, ac verbalibus delectari. quare cæterorum locorum haud magna inflexione, potest fieri Descriptio. Ut cum Seneca Ep. 58. Ebrietatem ab effectis dissuadet. In hac impudicus, ait, morbum profitetur; petulans non linguam, non manum continet, crescit superbo insolentia, crudelitas sævo &c.

Sic vertes. *Ebrietas est quædam impudentiæ possessio in lascivis, linguæ in petulantibus incontinentia, superborum insolentia, crudelitas sævorum.*

§. 13.

APPENDIX II.

USUS FONTIUM PROGYMNASTICUS.

Ex his fontibus nascenti primùm Oratori hauriendum, ut copiam facilitatemque assequatur. Progymnasticæ verò exercitationes irrigandæ hoc pacto erunt. Sumat quippiam ad laudem præsertim, aut reprehensionem spectans, idque juxta fontem primum suas in partes describendo tribuat. Deinde ex locis illud communibus, hoc est, contrariis, paribus, disparibus, testimoniis, legibusque exornet. Nihil enim prius in Eloquentiæ studio esse debet, contemplatione partium, quibus probè cognitis infecundus esse Orator non poterit, campus ad figurarum ornamenta panditur, res tota auditorum animis explicatè subjicitur; adjuncta causæ & effectus haud difficulter penetrantur. Illa verò quæ à similibus & contrariis ducuntur argumenta, inventione etiam perquam sunt facilia. Poterit in reliquis idem fontibus fieri, ut modò adjuncta rerum, tanquam magis obvia, modò etiam causæ & effectus per communes locos, ita ut dixi, amplificentur. Quin & ipsi communes loci, ut ex paribus, vel disparibus, Apologus, Emblema, ingeniosum, simile, &c. ex testimoniis dictum aut factum argutum gnome, apophthegma, &c. ex legibus privata, aut publica, ex judiciis quæstio aut sententia expendi suis partibus adjunctisque aliquando poterunt, ratio subjici à pari disparique probari. Sed hæc posteriora usurpanda parcius. quod hic rarus sit in oratione amplificandi usus: prior omnino obvius, plus facilitatis utilitatisque complexus. Quare illorum non possum institutum laudare, qui progymnasticam hujus facultatis exercitationem illis propemodum Chriis circumscribunt, quibus dictum factumve aliquod, aut certè locus tantùm communis exornatur amplificaturque; cùm, quæ ex locis propriis ducuntur, ipsam rei substantiam spectent, ex qua fundamentum omnis eruditæ dissertationis potissimum sumitur. Quod si juventus, hâc, quâ suadeo viâ, per Aphthonium non satis expensâ, in levioribus illis scribendi præludiis regeretur, parva deinde superesset ad solitæ Orationis corpus formandum difficultas, cum his, veluti membris

qui-

quibusdam, integretur. De his igitur progymnasmatis sigillatim infra agendum est.

CAPUT V.

De triplici Orationum genere, Statibus diversis, inveniendi & argumentandi ratione singulari.

Singula nunc Orationum genera propius consideremus, ut quis usus locorum in iis, quæ copia, quis ordo, intueamur.

Tria plerique Rhetorum caussarum statuunt genera, ***Demonstrativum***, sive ***Apodicticum***, aut ***exornativum quod ad laudem reprehensionemve, seu personarum, seu factorum, seu rerum est institutum, atque in sola cognitione honesti, aut turpis; utilis, aut inutilis, cum delectatione acquiescit.*** Deliberativum ***quod de rebus faciendis, aut omittendis consultatur, ac statuitur;*** sitne res, tanquam utilis aut honesta, prosequenda; an contra, velut inutilis & turpis, rejicienda? unde ***nec in sola contemplatione quiescit, sed opus actionemque utilitate ac honestate conjunctam spectat.*** Judiciale mixtum quoddam, ex utroque caussarum genere, genus est. Modò n. laudando aut reprehendendo personis, factis, ac rebus insistit; modò facienda omittendave à Judicibus, consultando suadet, dissuadetve; ***spectat*** verò ***absolutionem, aut damnationem accusati.*** Sed hoc tempore in foro non usitatum, atque iccirco etiam parcius à nobis pertractandum. Sunt qui his quartum genus Orationum Didacticum addunt, quod ***in sola explicatione, & contemplatione rerum consistat.*** ut si quæram; sintne quatuor elementa? Quot sint causarum genera? Sed hæc, aliaque aut ad Oratorem non spectant, cujus officium est apta ad persuadendum tractare; aut Demonstrativi, vel deliberativi sunt generis, ut ex Statuum cognitione mox intelliges.

§. I.

Cum tria in re qualibet disceptari possint. ***An res sit? quid res sit? & qualis res sit?*** Status quæstionum in singulis caussarum generibus triplex esse poterit, ***Conjecturalis*** si primum; ***Defi-***

Definitionis ſi alterum, *Qualitatis*, ſi tertium quæratur. Unde ſi priores iſtæ didacticæ quæſtiones cognitionis gratia, inſtituantur, erunt conjecturales in genere Demonſtrativo; quæritur enim. an res ſit? ſi tamen operationis gratia, Rhethor e. g. ſcire velit: quot ſint cauſarum genera? Deliberativo adſcribentur. Ita ſi quæras. Sitne ſtatus religioſus à Chriſto inſtitutus? erit conjecturalis in genere Deliberativo.

Si quæras, an Clodius Miloni inſidiatus ſit? talis erit in genere Judiciali. Quod ſi quæſieris, in quo conſiſtat religioſæ vitæ ratio? erit ſtatus definitivus; quæritur enim, quid res ſit? idque in genere deliberativo, quia ad actionem talis vita ordinatur. Si quæras. Dignior ne vita religioſa ſit ſeculari? erit ſtatus qualitatis, in eodem dicendi genere, cum inveſtigetur, qualis res ſit? idque actionis gratia. Qua in re non erit ſpectandus finis cujusque hominis, quæ ex arbitrio illius ſuſpenſus eſt, ſed obſervandum, quem in finem res quælibet ex natura ſua ordinetur. Vide Cic, in 2. de orat. n. 204. Quint, lib. 3. cap. 6.

§. 2.

Poſtquam cauſæ ſtatum, ſeu conſtitutionem agnoveris, de judicatione, ſive crinomeno, ut vocant, tibi erit videndum. eſtque illa quæſtio, quæ ex una ratione defendentis, & oppoſita ratione adverſantis (quam firmamentum appellant) naſcitur. ut Conſul Cicero juſſerat occidi in carcere Lentulum & Cethegum: rationem facti dabat, quod illi *cum Catilina in excidium resp. conjuraſſent*. Sed Clodius opponebat: *non debuiſſe illos cauſa inaudita tolli*. Hinc quæſtio, ſeu judicatio exiſtit; *rectene comperti conjurationis, inauditâ cauſâ ſublati ſint?* de hac enim re ſolum judicandum eſt, in hunc ſcopum omnis argumentorum vis, & defenſori, & accuſatori intorquenda eſt. illi, ut probet, ſine mora & judicio ulteriori, compertam conjurationem fuiſſe puniendam; huic, ut citra defenſionem reorum auditam, id fieri potuiſſe, deneget. Quæ res magnopere in omni diſſertatione obſervanda eſt, tum ut à propoſito non deflectat oratio, tum ut conſtet quibus potiſſimum è fontibus argumenta ducenda ſint.

Facilè autem crinomenon deprehenditur; ſi, quod adverſarius neget, ad hoc potiſſimum animum convertas. Ut in hoc ſyllogiſmo: inſidiator violentus jure occiditur; *Clodius fuit violentus inſidiator*: Ergo jure occiſus eſt: aſſumptio ſeu mi-

nor

nor propositio judicationem constituit, & Ciceroni probanda tantum erat; quia cæteris admissis, hæc sola ab adversariis negata est. At in illa argumentatione: *Ille Roscium occidisse judicandus est, cui mors illius maximè fuit utilis; Capitoni hæc maximè utilis fuit:* Ergo ille occidisse judicandus est: tam propositio, quam assumptio crinomenon includit: quòd utramq; adversarii negarent. Sic in hac deliberatione; an Moscho à Polonis bellum inferendum sit, ideo quod pacem violaverit, cum Moschus tamen Polonos violatæ pacis accuset? Crinomenon est. *Vter pacem violaverit, & iniqua arma inferat?*

§. 3.

Observandum præterea est, quibus potissimum è fontibus singula causarum ac statuum genera, suas ad probandum amplificandumque rationes depromant. Quam ad rem generalis hæc esto regula. Dum quæritur, *An res sit?* ex adjunctis, effectis, causis, ac denique ipsa rei natura, hoc est, ex fonte 5.4.2 & 1. illud probandum esse, à notioribus enim ad illa, quæ ignotiora sunt, progredimur. nisi fortè auditoribus persuasum sit, rem de qua quæritur esse talem, quæ fieri, & existere nequeat. tunc enim à fonte primo ratio ante omnia petenda esset; ut ipsa ex sua natura pugnare secum non existimetur. Iterum dum, *quid res sit?* investigamus à fonte 1. argumenta potissimum derivabimus, cujus natura, si minus ex se ipsa pateat, satis ex reliquis fontibus universim poterit illustrari. Denique si, *qualis res sit, aut quanta?* postuletur, ex fonte 3, & 5. hoc est, ab attributis, & adjunctis præcipuum rationum firmamentum petetur. Quare cum hi status in demonstrativo, ac deliberativo genere, non rarò confundantur, pro rei cujusque ingenio loci etiam proprii adhibendi erunt, ac fontes variandi. Locorum verò communium communis ubique est usus, tantò copiosior usurpandus, quantò propriorum locorum major sterilitas futura est.

§. 4.

Notandum denique, quod argumentandi apud Oratores varia sit ratio, ut hanc natura potius, quam ars moderetur. & judicio dicentis magis quam præceptionibus nitatur. Universè at strictim & dialecticè argumentum concipi, vel enthymemate, vel syllogismo, aut etiam ratione, potest. *enthymema* est propositio *antecedens*, unde *consequens* alia infertur; ut *Clodius vim intulit Miloni*; ergo, *jure ab illo*

illo occisus est. ad quod si aliam generalem propositionem adjeceris, hoc modo: *qui vim intulit jure occisus est*: sed *Clodius vim intulit*, ergo, *jure occisus est*: *Syllogismum* ex propositione, assumptione, & complexione (ita major, minorque propositio, & ex utrisque sequens conclusio dicitur) Quod si verò uni alterive propositioni (ut familiare est Oratoribus) suam rationem, aut probationem subjeceris; ut, *qui vim intulit jure occisus est, cum vim vi repellere liceat*; sed *Clodium vim intulisse constat, quia ex agro suo cum servis armatis erupit*: ergo *jure occisus est.* Hæc ratiocinatio appellabitur. Quod si una tantum propositione juncta ratione aliqua Orator utatur qualis hæc est: *Sine causa Clodium Milo non occidit.* dicetur *epicherema.* Si verò ex oppositis strictim arguat: ut, *vel Clodius Miloni vim intulit, & jure occisus est: vel non intulit, & adversariis hoc probandum est, cum indiciis manifestis urgeantur*; *dilemma* est. Porrò cæteræ argumentandi rationes, ex jam dictis, conficiuntur, nam ab exemplo, aut comparatis per enthymemata ferè arguimus. quod si plura exempla, aut similia, congeras, fiet *inductio*. Ita si epicheremata plura, vel enthymemata acerves, ex quibus denique collatis universè concludas, *acervalis*, vel *sortites* dicetur. Sed in his non est cur immoreris. Usu hæc potius, atque imitatione, quàm præceptis capienda sunt: aliter enim hæc ab Oratoribus, aliter à Philosophis usurpantur. Hi ita ut posuimus (ad faciliorem intellectum) strictim: illi cum verborum sententiarumque copia tractant. Hi nudam simplicemque veritatem; illi etiam ornatum quærunt. Hi una propemodum inferendi forma, per solenne suum *ergo*, omnia concludunt: illi variis ad illationem viis incedunt, quas certis præcipiendi legibus complecti velle, hominis sit, aut suo nimium ingenio fidentis, aut prorsus diffidentis alieno. Ratio cujusque viam inveniet, ipsaque huc ducet Ciceronis imitatio, quo præcepta nunquam pertingent.

CAPUT VI.

Ratio inveniendi in genere Demonstrativo.

GEnus causæ Demonstrativum Græcis Epidicticum (alii Exornativum, Encomiasticum, Panegyricum, à præcipuo ejus munere, quod in laudando versatur, dicunt) in laude,

reprehensione vel substantiæ, vel attributi versatur, idque per omnium fontium, in inveniendo usum: nisi quod pro varietate rerum, de quibus dicitur, tum Orationum specie, locorum quoque usus varietur.

Alia enim de Alexandro, alia de Bucephalo, alia de fortitudine, alia de intemperantia, ex his fontibus argumenta petes. Aliter quoque eidem Victori gratulaturus, aliter benefactori acturus gratias, aliter mortem ipsius oratione funebri deploraturus es; & tamen universæ hæ Orationes epidicticæ futuræ sunt. Res igitur & tractandi ratio, inveniendi quoque rationes mutabit. Sed hujus observatio discriminis perquam erit facilis superiorum præceptionum non ignaro.

§. 1.

Generalis hic iterum esto regula, ut sive substantiam, sive ejus attributum laudandum, aut vituperandum susceperis, in suas partes, ac tempora distribuas, e.g. personam in illa quæ intrinsecus ipsi adhærent bona, & quæ interna eidem sunt corporis atque animæ. quibus sua rursum membra sunt, ad omnem scribendi copiam suffectura. Hac enim via ob tenuitatem intellectus nostri, facilius rem totam penetrabimus. Altera est regula. Ut non tantum principium, ex quo res quæque sit, verùm & finem quem spectat, expendas. E. C. Mortem Puerorum Innocentium, quod ab hoste Christi illata, ac præcipuè, quòd hujus finis, æterna sit illorum felicitas, quòd honesta, quòd utilis fuerit. Nunc ad singulas hæc propius species Orationum applicemus.

§. 2.

Laus, aut vituperium substantiarum.

1. In Substantiis rerum, quas dicendo exornamus, occurrit Deus, Angeli, homines, animantia, in aqua, terris, & aëre, plantæ, earumque fructus, gemmæ, metalla, atque ipsa etiam elementa, arte facta, urbes, arces, cultæ insulæ &c. Quorum omnium in laude; aut vituperio par ferè ratio. Nam ex locis propriis eorum origo ac causæ, natura rei, attributa, effecta, & adjuncta spectantur. nullo non ex fonte bibitur.

Exemplum sit, laudandus homo universim ab iis, quæ, vel est, vel possidet. 1. Nomen, origo, parentes, ac proavi,

aut etiam patria, ex quibus videlicet, juxta sensum nostrum, à reliquis hominibus distinguitur, inquirenda sunt. Deinde in partes quidquid est, aut possidet, distribuendum, in quibus reperiuntur bona fortunæ, ut nobilitas, opes, dignitas, potentia, amici, clientes &c, bona corporis, ut sunt vires, valetudo, sexus, statura, forma, sensus vegeti, celeritas &c. bona animi, ut sunt felix memoria facilè ingenium, scientiæ & artes; aut certè horum omnium contraria, quæ ejusmodi sunt universa, ut si bene usus fuerit, aut adversa mala patienter tulerit, laudem; si minus, reprehensionem ex his illisve, mereatur. Et hæc ad 1. fontem spectant.

2. Vis eundem ex fonte 2, causarum expendere? Occurret, quòd hominis conditor Deus: ejus materia terra, atque elementa cætera; ejus forma æterna, immortalis, atque ad imaginem Dei effićta anima; ejus finis æterna sit felicitas.

3. Vis attributa spectare? hic quantum honestati affectus sit, quantum utilitati publicæ, quantum saluti suæ divinæque gloriæ, aut eorum contraria: verbo, omnes in virtutem, aut vitia inclinationes, ad laudem, reprehensionemve, obveniunt.

4. In effectis, omnia quæ domi forisque, in bello, aut republ. magnificè, vel turpiter gessit, sese offerent. Et si defunctum laudes, ejus mortem constanter obitam, argumenta pietatis, præclara monita, testamentarias tabulas, & quæ mortem, exequiasque aut comitata aut consecuta fuerint, memorabis. Quod si infeliciter vitam finierit, referes illud magis, quàm insultabis.

Postremò ex fonte 5. quod hoc salutis tempore in fidelium societate natus, quod in orthodoxa religione educatus, tot Dei beneficiis ad bene vivendum provocatus, cumulatus gratiis &c. His universim ornandis amplificandisque cæteri fontes locorum communium accedent. Orationis ejusmodi exemplum de Carolo quinto dedimus in *Exercitationibus* nostris *Oratoriis*.

§. 3.

Prout in homine, sic in reliquis substantiis Deo, Angelis, animalibus, plantis &c. quantum noster intellectus assequitur, progrediendum. Et quo res quæque in sua natura obscurior, tantò diligentius ipsius attributa, & effecta investiganda erunt. Dei Angelorumque naturam haud satis nosti, itaque illorum sapientiæ, potentiæ, virtutibus cæteris, tum deinde

immortali incorruptibiliq; substantiæ, iisq;, quæ in cœlo atq; his inferioribus operantur extollendis insistas. Quibus si nondum utramque paginam expleas, ad ea, quæ non sunt, ab iis removenda convertere. Ut non esse illis, quibus nos sumus, objectos affectionibus, non ita ferri præcipites, cupidine immoderata duci, mole corporis morbisq; gravari, tot jactari adversitatibus &c. opes honoresque nostros nihili facere, fortunam illam, quam nos suspicimus, aspernari &c.

§. 4.

Bruta animantia iisdem, quibus homines, locis ornantur. Earum Origo progenitores & patria nomen à magnis fortè viris usurpatum, ad laudem aut reprehensionem faciunt. corporis atque animæ facultates expenduntur, in illo robur, agilitas, magnitudo, pulchritudo &c. in hac docilitas, sermonis humani, aut alterius brutæ vocis, imitatio, fidelitas, obsequium, facta, quæ prudentiæ, temperantiæ, aut fortitudinis speciem dedêre. Possunt etiam hic illa recenseri, quæ non possident, vitia, & inprimis comparationes variæ, modò cum natura factisque hominum, modò cum aliorum ingenio animalium institui. Vide quæ de Asina Bethlehemitica scripsimus in *Exercitationibus*.

§. 5.

Inanimæ res vel naturales sunt, ut plantæ, gemmæ, elementa, &c. vel artificiales, ut urbes, statuæ, &c. Illarum igitur primo ortus, locus, ac cœlum expenditur; quibus plerumque à cæteris differre noscuntur. Deinde & partes, species, ac genera à peritis rerum investiganda. Secundo ad effecta, earumque virtutes ac vitia accedendum. Tertio ad utilitatem, variumque ac laudabilem illarum usum. Ultimi hic fontis, major est ariditas, priores locis communibus exornandi erunt. In peste terræmotu ac tempestate describenda, par ratio ab origine, partibus, effectisque institui poterit.

§. 6.

Artificiales res, ut urbes, arces, statuæ &c laudantur quoque ab Origine & Autore, atque in suas distribuuntur partes. Urbs v. g. in ipsum civitatis materiale corpus, ut sunt domus, templa, gymnasia, palatia, munimenta, horti, vicini, agri, silvæ, prata, cœli clima, aëris temperies &c. tum politica religiosaque disciplina, studia, artes, scientiæ &c. quæ animæ instar sunt. His cum deinde virtutū aut vitiorum usum, res fortiter bello aut

pace gestas, vel toleratas, æquitatem in judiciis, temperantiam in moribus &c. adjeceris, non poterit deesse copia scribendi. In statua, vel imagine, ejus autor, partes singulæ, eorumq; artificium, tum materia ex qua fabrefacta, aut qua adumbrata, denique & forma atque operis elegantia, æstimatio, rari circa illam eventus, ut si qui decepti figmentum pro veritate amplexi fuerint. Verbo, hic fons 2. plurimum avidis propinabit, cæteri steriliores futuri sunt. quare ad parium dispariumque comparationes sese Orator convertet. De vituperio idem esto universim judicium, ex iisdem enim locis ducitur. quia contrariorum eadem est disciplina.

CAPUT VII.

Laus attributorum substantiæ.

ATtributa substantiarum, prout hic sumimus, vel in *transeunte* aliqua *actione* aut *passione* consistunt, exempli gratia, urbis expugnatione, triumpho, profectione, reditu, morte, martyrio &c. aut in permanente qualitate, ut justitia, temperantia, fide, eorumque contrariis, iniquitate, immoderatione, perfidia &c. Horum laudem, aut reprehensionem, quidam ex diversis bonis utili, honesto, & delectabili, tum etiam affectionibus mediorum, possibili, facili, necessarioque ducunt. Et abundè quidem ex hoc fonte, non omnino rudi affluet, sed nihil prohibet, ad majorem copiam delectumque etiam cæteros fontes, prout in substantiis rerum factum, delibari. Nam 1. in Expugnatione urbis opportunè ejus autorem, locum, tempus expendes, quibus adjunctis, ab aliis ejusmodi expugnationibus distinguenda erit. tum ejus in diversis stationibus partes, militem, &c. cum apposita urbis distributione, exhibebis. 2. Quæ expugnationis causæ fuerint, quibus artibus, machinisque ad illam sint usi, expones. 3. Quàm necessaria, & utilis Reipubl. quam honesta Duci fuerit. Ubi de commodis incommodisque, inter se conferendis, magnus ferè campus. 4. Quid per diversa tempora & loca factum &c. 5. Quoties, ubi, quomodo, quando, pugnatum. Quæ si locis ornentur communibus, uberrimi fontes manabunt.

Alterum hic exemplum filiæ Jephte Judicum cap. 11. quæ Patri, illam poscenti ad mortem (ob votum Deo factum, quod

quod primum ſibi poſt devictos Ammonitas ex domeſticis occurrentem Deo immolaturus eſſet) paruit. 1. Hic illius perſona, Duxque pater, & quod huic unicâ, exponendum: tum explicandæ partes ad factum conſtituendum propoſitæ. Votum patris, ejus religio; obedientia, & mors filiæ. 2. In utramque partem pro laude vel reprehenſione diſceptari poteſt; an hoc medium ad patris religionem neceſſarium, ac Deo gratum, an facile? Iterum an utile cuipiam, aut honeſtum? cum ſcelere, an cum virtute conjunctum? ſi probare velit, dicat votum hoc Deo inſpirante, qui vitæ Dominus erat, factum; ſi malit improbare, dicat parentem non habuiſſe poteſtatem in vitam filiæ, adeoque votum ex ſe ſuaque natura fuiſſe irritum, non neceſſarium, nec utile, nec honeſtum; ſed turpe, ac noxium. 3. Effecta, quæ ex hoc facto conſequuntur, ut immerentis pœna, familiæ orbatio, luctus patris, aliorumque, expendi poterunt. Ex cæteris duobus fontibus pauca hic ſervient. Locis communibus uſus erit. ut à ſimili, exemplum Iſaaci immolandi, & gentilium filios Diis mactantium ſervire poterit, tum quorundam animalium partus opprimentium. à contrariis, quod autor vitæ, autor ſit mortis, teſtimonia, leges, & judicia quoque non deerunt, in quamcunque demum partem orationem verteris.

Huc variæ Orationum ſpecies referuntur, quæ eadem argumentorum diſquiſitione, quanquam pro actionis diverſitate diversè, utuntur. & aliæ ex aliis fontibus abundantius, aut parcius, hauriunt. unde breviter ad fontes prævius digitum intendam.

§. 1.

Gratulatoriæ ſunt quibus gratulamur aliis, aut de re bene geſta, aut opum honorumque præmiis, feliciter ex virtute, ac merito laboris impetratis; aut ſuperatis terrâ marique, domi bellique diſcriminibus &c. ubi pro diverſitate perſonarum, & rei agendæ, aut ſuſtinendæ magnitudine, & varietate, argumenta ſeſe offerent. 1. Rei ipſius collatæ, actæ, aut ſuperatæ natura, cum ipſo conferente aut agente, expendenda, ſuis etiam partibus erit. 2. ex fonte altero cauſas ejusmodi boni inveſtigabimus, perſonæ merita ac virtutes conferentiumque benevolentiam ac reip. utilitatem, exponendo. 3. memorando ex fonte 4. effecta, communis lætitiæ ac ſpei bonorum &c. De *Epinicis*, quibus victoribus gratulamur. *Proſphoneticis*, quibus de adventu applaudimus, par ratio eſt.

§. 2.

Gratiarum actoria, quæ beneficii in nos collati memoriam prosequuntur. 1 Beneficii originem naturamque expendunt, simul ipsius partes præstantiamque considerant. 2. Causas dantem illinc, hinc accipientem; illius liberalitatem, hujus necessitatem proponunt. 3 Attributa, quamque ad illum obtinendum res danti ardua, accipienti utilis; illi honesta, huic jucunda. 4 Ex adjunctis hic erit ampla seges. ut si contulerit sæpius, si promptè si profuso animo, si ultro, ac non rogatus, si illo tempore, quo non mereretur &c. Quæ comparationibus exemplisque ac contrariis eximiè illustrabis. *Natalitia*, *Nuptiales*, *funebresq;* Orationes iisdem ex fontibus argumenta pari investigatione depromunt: nisi quod in laudibus personarum versentur profusius, parentes, conjuges, mortuosque à virtutibus celebrent. Quare ex iis quæ diximus, quæque restant dicenda, copiam facultatemque subministramus. Consule & illa quæ in poëticis tradidimus part. 1. lib. 1. capite 20. ubi singulis materiam subjecimus.

§. 3.

Attributorum quæ in *permanente qualitate* consistunt vix dispar est ratio ut sunt in externis bonis opulentia, dignitas; aut paupertas, & contemptus: in corpore valetudo, statura, forma; aut contra infirmitas, parvitas, deformitas, cæcitas &c. in anima scientiæ & ignorantia, virtutes & vitia. Horum singula sua origine, natura, partibus, effectis, fine, causis, adjunctisque expensa, iis ferè quibus substantiæ legibus, exornantur, quanquam ex fine inprimis honesto, utili, ac delectabili eorumque contrariis laudem aut reprehensionem mereantur. Pro exemplo potest esse Ebrietas, cujus supra Vituperium per omnes breviter fontes duximus. Pro similibus, exemplis testimonisque Polyanthea Langii faciet, si minus tibi memoria ad hanc rem suffecerit

Exemplum tamen aliquod breviter, in re sterili, subjicimus. Cæcitas tibi laudanda proponatur. Quis hujus ignarus disciplinæ credat, hic nobis suppeditari ad laudem materiam posse? Sed expende 1. quod autor cœcitatis Deus sit. Partes naturamque cœcitatis, nisi ex opposito visu. non poteris describere. qui locus cum in laude versetur, dissimulandus erit. Ergo 2. Cœcitatis attributa & effecta consideres, ut sunt multorum malorum declinatio, quæ multi per oculos sedu

cti incurrunt, offensiones, invidiæ, bella, habendi cupiditas, libido, luxus, superbia, &c. contra verò bonorum animi facilior in cœcis possessio, & custodia. In reliquis fontibus pro laude quidem occulorum plura, pro cœcitate pauca reperies. Priora igitur exornanda illorum exemplis, qui cœcitate præclarè usi sunt, Homeri, Majoli Abbatis; contraque illorum, qui abusi oculis, quo & testimonia aliorum sapientum referes, ut Cicer. 5. Tusc. &c. Quod in exemplo, illud observandum est, quod universim ad copiam prodest, ab unius oppositi vituperio, alterius sæpe laudem petendam esse. Cœcitas enim, cum privatio sit, nihil in se laude dignum complectitur.

§. 4.

Appendix ad rationem inveniendi Perutilis.

Cui tam copiosus argumentorum apparatus non suffecerit, hic ad generales illos exornationum campos, per formatas ex hypothesibus theses, sive ex singularibus propositionibus ad universales; tum etiam digrediendo ad incidentium rerum, vel narrationes, vel descriptiones (modò tamen ad propositum finem dirigantur) excurrat, quæ idem quod in carmine Epistola præstabunt e.g. laudes generosum Alexandri facinus, quo primus in occupatione urbis cujusdam muros transiliit, fortissimè contra plures dimicans? poteris opportunè hic ad alia præstantiora ejus facta digredi, atque illa in comparationem adducere. Iterum commendas quidquid fortiter ab eo factum? ad ipsam hinc licebit fortitudinis laudem divertere, atque illam heroi tanto aptare. Deinde, fortitudinem exornandam suscepisti? poteris universè ad virtutis commendationem accedere, ac docere, quod hujus inprimis dignitas in fortitudine emineat. Virtutem extollis? ad omnia quæcunque hæc exornat subjecta, ut homines, Angelos, Deũ, quin etiam ad ea quæ destituit ut sceleratos ac Dæmones, te poteris latissimo disserendi campo effundere, ut ostendas illorum potissimum ornamentum à virtutis usu, horum turpitudinem à defectu esse. En quanta scribendi ad generaliora quæque incedentibus se offerat copia. Hac verò eadem si affluas, contraria flectendũ via erit, atq; ab universalibus ad res singulares ita transeundum est, ut in uno tantùm aliquo pedẽ figas, non ad quævis ejusdẽ generis singularia transeas. Virtus

exempli gratia laudanda, in uno aliquo homine, aut uno alterove facinore, aut in sola prudentia, vel temperantia celebrari poterit. Illud erit, ut ajunt, hypothesin ad thesin, hoc thesin ad hypothesin reducere. Quocirca cum virtus atque oppositum ejus vitium penè universim, ea sint, in quibus eloquentia humana se jactet, ac verseтur, perquam utilis mihi rudis aliqua earum adumbratio visa est, quâ juventus in scholasticis hisce exercitationibus uti queat. Quare virtutum ethicarum perbrevem descriptionem, suasque in partes distributionem, subjeci. quibus cognitis cætera ex fontibus obvia sunt: Vitiorum quoque ex his naturæ patebunt; cum in illis omnia reperiantur contraria.

CAPUT VIII.

De Prudentia.

PRudentia est virtus, quâ de bonarum & malarum rerum usu ad felicitatem hominis dirigendo rectè consulimus. Hujus universim triplex officium est. 1. rectè agenda inquirere. cui studiosæ investigationi, opponitur tanquam vitium, præcipitatio.

2. Inquisita ordine, loco, ac tempore disponere: cui repugnat inconsideratio. 3. Disposita, ut decet, exequi: cui inconstantia fluctuantis ingenii adversatur.

Virtutes administræ, seu comites prudentiæ sunt, quæ in prudenti quovis viro laudari poterunt.

Memoria quæ ex cognitione rerum præteritarum agentem dirigit.

Intelligentia, quæ ex præsentium æstimatione, quid faciendum sit, pervidet.

Providentia, quæ est rerum subsequentium investigatio, ac idonea agendarum dispositio ad consequendum finem.

Ratio est idonea ex rebus dispositis per ratiocinationem ducta conclusio.

Docilitas est notitia per aliorum consilium & institutionem comparata.

Solertia est ingenii quædam in rebus inveniendis perspiciendisque facilitas.

Circumspectio, quæ omnia rerum adjuncta ponderat, tempora, locum, modumque minus discrimini obnoxium dispicit, ne temere offendat.

Cautio quæ difficultatibus sese objicientibus tempestivè occurrit, ac præstruit, & his veluti partibus Virtus Prudentiæ constituitur.

§. 1.

Porrò hæc ex diversis, circa quas versatur, rebus nomen permutat.

Prudentia *œconomica* illa dicitur, quæ circa rei privatæ ac familiaris administrationem domi adhibetur. Hac rectè opes, & fortunæ, in emendo, vendendo, locando, permutando, donando, accipiendove pertractantur. nihil conjugi, soboli, familiæ, ad rectum usum institutionemque, juxta Dei ac rationis præscripta, decedit. novit quantum sibi aliisq; in cibo, somno, vigiliis, labore tribuendum; quantum Deo cœlitibusq; observantiæ, pietatisq; debeatur. Quanquam hanc sui directionem prudentiam *monasticam* liceat appellare.

§. 2.

Prudentia *politica* est, quæ in publica ac civili vita usurpatur. Hæc expendit, quemadmodum cum proximo in sociali hominum vita degendum: quomodo verbis, moribus, exemplis fovenda amicitia, violata rursum sarcienda, ponenda odia; aut dissimulandæ offensæ: cum qua moderatione, loco, ac tempore occurrendum dissensionibus, præstandum proximo quidquid ad alendam consensionem facit.

§. 3.

Prudentia *regnativa* (quam alii sub politica censent) est quæ providet, ut & opportunæ leges malis moribus corrigendis ferantur, & si plus æquo gravent, abrogentur, tributa & vectigalia, aut necessaria instituit, aut tollit iniqua, judicia æquitati administrandæ idonea ordinat. Ratione magis & consilio, quàm vi & armis comprimit. Seditiones cautè natas disjicit, aut occurrit nascentibus, cives urbesq; communi pacis vinculo adversus omnem hostem conciliat.

§. 4.

Prudentia *militaris* est, quâ quis circumspectus est in bello suscipiendo, aut omittendo, in deligendo milite, illumque certa disciplina administrando, exercendo, excitando, munerando, instruenda acie, hoste prævertendo, consiliis, tempore, loco, copiis, comparandis alimentis, classibus, commeatibus, stipendiis, ineundis strategematis, suis consiliis occultandis, hostium detegendis quâ in clade parum dejectus est, eaque instauranda expeditus, in victoria minimè præceps atque immoderatus.

CAPUT IX.

De Juſtitia.

Juſtitia eſt virtus, quæ unicuique ſuum tribuit, pro dignitate cujuſque. Hæc vel *generalis* eſt, & *legalis* appellatur, eſtque in Principe illisque qui Reip. moderandæ præſunt, atque ad ejus ſeſe utilitatem impendunt, cujus officium eſt ordinare, ac præcipere quarumcunque virtutum exercitia ad commune totius Reipubl. emolumentum. Vel *ſingularis*, & hæc ſi in rerum diſtributione ſecundum proportionem, expenſa dignitate perſonarum, verſetur, ita ut Duci plus tribuat, quàm militi, licet eadem uterque virtute pugnarit, *diſtributiva* appellatur. Si rem tantum præſtitam, citra perſonæ æſtimationem, ſpectet, ut cum venditori par emptor pretium reponit, non habita ratione vendentis perſonæ, commutativa dicitur.

Rurſum, aut natura ſolum, ac ratione duce, quod æquum eſt præſtamus, & *naturalis* Juſtitia eſt; aut laudabili majorum conſuetudine ducimur, prout bella, commercia, conductiones, locationes, pacta, obligationesque aliæ celebrantur, & hæc *conſuetudinis* eſt; aut legibus à Principe aut Rep. ſatis adſtringimur; ut fit in Senatus conſultis, plebis ſcitis, decretis, edictis, & *legitimam* appellamus. Quibus ſpecies Juſtitiæ quarta *vindicativa* accedit, quæ vim & injuriam omnem, aut defendendo propulſat, aut in ſceleratos animadvertendo caſtigat. Hæc igitur virtus juſtos & inſontes tuetur, nocentes perſequitur, defert in judiciis, accuſat, cognoſcit, inquirit, damnat, plectit. Ipſas etiam Reip. leges & ſancita, tum quidquid æquitati Deo ac hominibus debitæ proprium eſt tuetur, juſtisque ſuppliciis defendit.

Juſtitia denique naturalis universè aut Deum ſpectat aut homines. hæc verò atque illa in ſubjectas ſibi partes variè dividitur. quarum duæ Religio & Pœnitentia Deum conſiderant, reliquæ proximum.

§. 1.

Religio eſt, quâ Deo tanquam autori ac domino creaturarum, animum noſtrum, corpus, omniaque bona ab ipſo conceſſa ad cultum illius honoremque impendimus. Quare 1. mentem ipſi noſtram conſecramus, ſumma de illo ipſiusque per-

perfectionibus,& qua par est,existimatione concepta,insigni nostra,qui infinitis ab eo perfectionis partibus distamus, submissione. 2.Arbitrium illi nostrum, prompto obsequio ac cultu,subjicimus. 3.Ipsius etiam amicos debita veneratione prosequimur. 4.Res Deo proprias, ut sacramenta promptè administramus ac suscipimus, oblationes,primitias, decimasque Dei ministris tribuimus. 5.Leges tum naturæ, tum latas à Deo eorum autori honorando exequimur. 6. Quandoque nos totos omniaq; quæ possidemus,voto peculiari, Deo consecramus. Huic virtuti adversatur *superstitio* excedendo cultu non usitato,& *irreligiositas* deficiendo cultu non debito.

§. 2.

Pœnitentia virtus est, quâ delicti aut sceleris cujusque admissi pœnitudine ducimur, atque ex intimo animi sensu dolemus,nos benignissimum Dominum ac creatorem nostrum offendisse,adeoque ablata veluti per amorem honoremque rursus impensum reddimus. Quod cum præcipuis religionis actibus fieri necesse sit,huc etiam pœnitentia à quibusdam revocatur. Habet tamen adjunctum vel dolorem aut detestationem sceleris,vel amorem Dei, omnem aversum in creaturas affectum obliterantis, propositumque observandæ imposterum voluntatis divinæ imperium, cui aliquod vel ultro susceptæ afflictionis, vel imperatæ etiam satisfactionis opus accedit.Huic *obstinatio* in malo adversatur.

§. 3.

Pietas est, cum patriæ, parentibus, fratribus, ac sanguine junctis cultum atque officium tribuimus,ut fit

1 Mente æstimando illos pro merito,nec tenuiorem ipsorum conditionem erubescendo. 2.Omne venerationis obsequium verbo atque opere præstando. 3. Illos ab imminenti malo tuendo,in necessitate suis etiam facultatibus incurrendo,illorum defectus,convitia,morbos,aliaque senectutis vitia æquo animo tolerando. 4.Non opes tantum, sed & vitam pro salute patriæ, parentum, & consanguineorum deponendo,opponitur illi *impietas*.

§. 4.

Observantia,qua ætate,dignitate,sapientia,aut virtute majores, ut senes, Prælatos, Sacerdotes, Doctores, Religiosos, digno honore atque officio prosequimur. 1. Æqua de illis existimatione animique reverentia. 2. Externis venerationum

nis signis, ut sit capitis denudatione, loci cessione, sermonis coram illis moderatione & submissione, sententiæ illorum, approbatione consensioneque, aut non nisi modesta, ubi ratio exigit, deflexione. Huic opponitur *irreverentia*, & *despectio.*

§. 5.

Obedientia est voluntas prompta obsequendi majorum præceptionibus, quod fit. 1. Judicii nostri, & quandoq; etiam sensuum submissione ad universa quæcunque ab illis impetrantur, modò legibus humanis divinisque non adversentur. 2. Arbitrii nostri, in rebus licet arduis ac difficilibus, ad omnem promptitudinem inflexione, etiam ubi mali nobis homines imperant, suisque affectionibus perperam obsequuntur. 3. Lætari aliorum imperio, quamvis difficili, atque omnem promptitudinem verbo atque opere declarare, nihil moræ morosæque frontis atque excusationis adferendo. Hinc *obstinationis* vitium repugnat.

§. 6.

Gratitudo est, quâ beneficia à proximis in nos profecta rependimus 1. Æstimando illa pro merito, non dissimulando, oblivis cendo, negando. 2. Apud alios prædicamus ipsique magna amoris significatione amplectimur. 3. Opportunè eadem (cum per facultates nostras licet) etiam cum fœnore rependimus. Huic neglectæ gratitudinis vitium opponitur.

§. 7.

Liberalitas est, quâ proximorum utilitati, tam temporali, quàm æternæ, bona omnia, sive sint naturæ, artis, aut privilegiorum, aut doctrina, consilium, exemplum bonæ vitæ, sacramentorum administratio &c. sive opes sint, & bona temporalia, Dei ipsiusq; honoris causa libenter impendimus indigentibus; sive homines illi sint, ut pupilli, pauperes viduæ, desolati, sive domus, ut Ecclesiæ, aræ, scholæ, nosocomia &c. Quanquam aliqui cum D. Thoma strictius liberalitatem usurpent, ut est virtus dispensandi divitias in suum aliorumque bonum usum.

Munificentia hæc virtus dicitur, in eo, qui munerum liberalis est distributor. Huic *illiberalitas* seu *avaritia*; & *profusio* seu *prodigalitas* opponitur.

§. 8.

Magnificentia grandium virorum est, cum dignitatis ostentatione, ad proximi utilitatem, aut Dei honorem, facta opum in-

insumptio, idque in res amplas & illustres, ut sunt ædificia, templa, palatia, urbium instauratio, aquarum deductio, propugnacula, portus, navalia theatra, ludi, scholæ, & academiæ, nosocomia, monasteria &c. Quam alii virtutem ad fortitudinem referunt, cum in ea generosè pecuniarum appetitus vincendus sit. Vitiis iisdem quibus liberalitas oppugnatur.

§. 9.

Amicitia est plurium mutua inter se benevolentia, virtute magis, quàm proprii emolumenti amore nixa. Quæ bonorum quandam habet communicationem, & cum affabilitate ac comitate sermonis, & consuetudinis est conjuncta. Quæ & arcana sua cum aliis communicat, consilii directionisque patiens, & virtutes in amicis amplectitur, defectus nonnunquam dissimulat, & patienter tolerat; nonnunquam, ubi emendationis spes affulget, moderatè ac blandè castigat: nihil ab illo honestati bonisque moribus contrarium flagitat, levitatem ac scurrilitatem in familiari consuetudine devitat, nec ita immoderatè in alium fertur, ut ad iniqua cupiamus obsequi: nec ita frigidè, ut eum, vel absentem, vel inter adversa deseramus; sed majori etiam benevolentia, solatio, atque ope in necessitate adsistamus. Opponitur *inimicitia*.

§. 10.

Veritas in verbis, *simplicitas* in moribus factisque eminens, est conformatio verborum, aut factorum, cum eo quod in animo sentimus ac reipsa sumus. Opponitur *mendacium*, *& duplicitas*.

CAPUT X.

Fortitudo.

F*ortitudo* est, quâ adversa omnia, aut fortiter patiendo toleramus, aut agendo vincimus: ita, ut nec indigno timore, nec temeraria audacia, ab officio rationi consentaneo, deflectat. Unde hac virtute appetitus irascibilis regitur, estque inter *timorem*, *& audaciam* media, ita ut utrique affectui imperet, nunc adversa sustinendo, nunc ardua superando.

Mala autem toleranda, vel corporis animique sunt, vel honoris opumque. & illa quidem vel naturalia, seu naturæ accidunt;

dunt; ut ingenium hebes & labilis memoria, complexio melancholica, tristitia, timiditas, dejectio animi, morbi, contagio, deformitas, monstrositas, cœcitas &c. vel extrinsecus inferuntur, ut vulnera, captivitas, tormenta, frigus, æstus, fames, mors &c. quæ corporis sunt, & infamia, contumelia honoris & opum spoliatio, quæ fortunæ. Ardua verò in agendo superanda, vel interna sunt, ut abjectio animi & formido, ira, furor, audacia frangenda: vel externa, ut vincendus hostis, expugnandæ urbes, aut defendendæ; ferenda, aut inferenda arma periculo mortis proposito.

Partes quas universim fortitudo complectitur, hæ sunt præcipuæ.

§. 1.

Fiducia, quà post Deum, nostris viribus animique ac corporis subnixi robore, ardua quæque honesta, aut ferenda, aut agenda, timor, suppresso, audemus aggredi, sine præsumptione, aut temeritate. Huic adversatur *diffidentia*, ac *præsumptio*; illa deficiendo, hæc excedendo.

§. 2.

Magnanimitas est eximia alacrisque quædam animi, tam ad adversa quàm prospera fortiter sustinenda promptitudo, cum honoris proprii opumque neglectu conjuncta, quæ neque subitis casibus dejicitur, aut succumbit, neque periculis impendentibus sese subtrahit, prosperis non intumescit, nec calamitosis consternatur, nec inopinis percellitur, injuriam negligit, cum vitiis conjuncta aspernatur, honesta præfert utilibus, vulgi sensum contemnit, magna tantùm consectatur. Quidquid in orbe periturum est, tanquam animo immortali inferius, sub se despicit. *Pusillanimitas* eidem adversatur.

§. 3.

Patientia est rerum, quas homo jam sustinet, adversarum voluntaria quædam & diuturna perpessio. quæ lachrymas quidem admittit, & gemitus; ejulatum autem ac lamentationem non patitur. Succensere quidem potest iniquè malum inferentibus, non tamen ulciscendo in vindictam effervescere. Maledicentiam & impotentis animi furorem cohibet, suisque etiam inimicis novit parcere. Gaudet etiam ac gratias Deo agit inter adversa: injurias, irrisiones, probra, dolores, tanquam Dei munera, atque amicitiæ testimonia amplectitur, Huic adversatur *impatientia*, & *excandescentia*.

§. 4.

§. 4.

Perseverantia, sive constantia, est constans vivendi tenor, in rebus magnis ac honestis, seu agendis, seu perferendis, ad vitæ finem; adeò, ut, nec mortis timore, nec vitæ amore, nec minis, aut promissionibus, ac quibusvis demum terriculamentis, aut difficultatibus objectis, ab instituto, laudabiliter proposito, deflecti atque abduci possit. Opponitur huic *levitas, & inconstantia.*

CAPUT XI.

Temperantia.

Temperantia est virtus omnem inordinatam animi affectionem, circa sensuum præsertim oblectationem, coërcens, ac cohibens. Hæc virtus regit potissimum appetitum concupiscentiæ.

Quare hujus actus præcipuus est moderari affectiones rerum delectabilium, alter, Appetitus etiam iracundiæ affectiones, prout in alios feruntur regere. Pro rerum autem varietate, in quas nostræ cupiditates tendunt, ac reprimendæ sunt, varias hæc virtus partes habet.

§. 1.

Abstinentia est, quæ oblectationem illam in ciborum usu sitam, moderatur, adeò, ut nec in ciborum excedamus copia, immoderatâ ingluvie, sed corporis necessitati ac sanitati consulamus; nec aviditate nimiâ, modum temporisque præscripti leges negligamus, aut vetitis cibis temporibusque utamur; nec pretiosior lautiorque mensa sit, studioq; exquisito paratior, quam opes, status, necessitas ferat, nec tantum cupediis, aut etiam illicitis abstineamus ipsi, sed alios verbo atque exemplo ad eandem frugalitatem adducamus. Huic virtuti *Gula & Crapula* opponuntur.

§. 2.

Sobrietas quæ delectationem potandique usum immoderatum castigat, adeò ut neq; mensura excedatur, neq; in deliciis, alia vina potumque, quàm aut regio, aut consuetudo, aut status ferat affectemur. Necessitati quantum sat est indulget, ac subinde etiam necessariis amore virtutis detrahit, neq; tantùm unquã admittit, ut vel usus rat., vel ipse etiã stomachus obruatur,

tur, ac evertatur. Denique non patitur, ut mens, *Ebrietas* (quod vitium huic adversatur) calore, ad illicita qualiacunq; inflammetur.

§. 3.

Castitas, quæ in incorruptis prorsus, *Virginitas* dicitur, cumque in externorum sensuum continentia spectatur, *Pudicitia* mereretur nomen; hæc, inquam, ab omni illicita voluptatis illecebra mentem ac corporis sensus cohibet: non cogitat, cupit, legit, audit, loquitur, videt turpia, & honestati adversantia. Quare libris impuris abstinet, Societatem scurrilem & illecebrosam aversatur, leviorem corporis cultum, & blandimenta non sectatur, duris potius, atque asperioribus gaudet, quibus lascivientem carnem edomet ac frangat: mollitiem, prostibula, fæminarumque illicita quæcunque consortia fastidit, ac devitat. Huic vitio *Luxuria* adversatur.

§. 4.

Mansuetudo est virtus, quæ iræ, adversus eos qui nos injuria & contumeliis afficiunt, moderatur, tranquillitate quadam, id est, miti & sedato animo ab omni perturbatione libero adversantium impetus sustinet. Hæc *comitate* quadam, idque vel verborum suavitate, vel silentio, vultusque hilaritate adversarios demulcet: facilitate, id est, animi quadam ingenuitate sese submittit, alteriusque quantum licitè ac honestè potest, voluntati ac sententiæ acquiescit, pervicariam omnem detestatur. *Humanitate* quadam singulari aliorum sibi adversantium calamitatibus subvenit. *Submissione*, seu humilitati insigni, se suaque aliis posthabet, omnis arrogantiæ fastidiens. Adversatur *immansuetudo, & inhumanitas, &c.*

§. 5.

Clementia est, quæ pœnas delicti causa infligendas moderatur, neque potestate ulciscendi ultra mediocritatis limites effertur, neque remissione nimia sceleribus ex indulgentia succrescentibus favet, sed loco ac tempore, quandoque in levioribus, aut ubi spes emendationis affulget nulla, sed exasperantur potius animi, dissimulat: ubi verò puniendum est, de meritâ etiam pœna nonnihil remittit. Porrò *Severitas* justas pœnas rigidè exigit. Adversatur *inclementia, & crudelitas.*

§. 6.

Modestia est quædam actuum externorum, ad præscriptum

ptum rationis & honestatis, moderatio, quæ nec oris effrenem fert loquacitatem, nec oculorum protervam illam evagandi licentiam patitur, sed submissis, moderatèque, quo res fert circumlatis frenos adhibet, nugas odit, futilia non effutit, captiosis abstinet, nihil sugillat, censet, nulli derogat, nec sibi quicquam arrogat, frontem, nasumque rugis liberum explicatumque, blanda quadam vultus hilaritate serenat: manuum etiam libertatem in gestu, cursu saltuque, nullum admittit. Ubi lusui ac jocis indulgendum, personæ dignitatisque memor, injuriâ, obscœnitate, illiberalitate ac petulantiâ abstinet. Vestium luxum, molliorem ac curiositatem peregriniorem exosa, devitat, honesta mundicie decoroque oblectatur. Adversatur *immodestia, & superbia.*

§. 7.

Frugalitas, est virtus paucis contenta (alii recentiorum *paupertatem* vocant) quæ affectum immoderatum habendi supprimit, opes vitæ necessitati subvenientes, non avarè per fas nefasque congerit, atque in victum vestesque profundit: scrinia auro, cimeliisque, domum suppellectibus copiosè ac supra usum necessarium non instruit, & nihil nisi indigentiæ propriæ avertendæ, atque explendæ exigit. Adversatur *Prodigalitas & Avaritia.*

§. 8.

Submissio est (recentiores *Humanitatem* vocant:) qua quis ex divinæ majestatis, suæque vilitatis consideratione, Deo sese superisque omnibus, ac etiam Dei causâ hominibus dignâ veneratione submittit, omnemque excellentiæ sibi non debitum affectum reprimit, imò despicientiam ac contemptum non reformidat, sed magis ambit, ut quem præ honore malefactis suis promeritus sit. In oneribus atque officiis primus, in muneribus exigendis ultimus, nec loca, nec munia digniora affectat; sed concedit subditque omnibus. Ubi verò majoribus rebus adhibitus, atque amplo honore affectus fuerit. Hæc Deo autori, nihil sibi vendicando, tribuit. Adversatur illi *arrogantia*

Ex his ethicarum virtutum tabulis, quæcunque opposita vitia, suis descriptionibus ac partibus habes adumbrata, nihil enim aliud est vitium, quàm virtutis quædam privatio: negando igitur hæc de hominibus virtutum exercitia, scelera iisdem imputabis. Latissimus hic omnino, non tantum in Demonstrativo, sed quovis. Causarum genere, disserendi campus

eſt, vixque ſterilem Orationem ſcribentis dicentisque hærere in arida jejunitate patitur. Exempla plerarumque virtutum ſtrictim habes in funebri Oratione noſtra, quâ Carolum Quintum, hoc potiſſimum fine exornavimus. in *Exercit. Orat.*

CAPUT XII.

De genere Orationis Deliberativæ, & ratione inveniendi.

GEnus deliberativum, quod in ſuadendo, aut diſſuadendo occupatur, iisdem quibus demonſtrativum fontibus hauritur, præcipuè tamen tertio fonte delectatur; quia ex utilis, honeſti ac jucundi contemplatione auditorum animi ad agendum potiſſimum impelluntur, cui ſi rei perficiendæ facilitas, neceſſitasque perſuaſa accedat, pronum erit, eo quò libet, auditorem impellere. Quare paucis, quid utile, quid honeſtum, quid cæteræ in ſe rei affectiones contineant videndum.

1. *Honeſtum* tribus ex locis ſumitur ex naturâ, legibus, & virtutibus. Naturâ honeſtum eſſe ex propenſione quadam ſolet, quidquid cum gloria, fama, dignitate, nobilitate ac conſervatione ſtatus noſtri conjunctum eſt. Ex legibus honeſtum eſt, quidquid, vel jura gentium, vel majorum exempla, vel patriæ conſuetudines, vel ſancita Regum ac Principum, vel autoritates ſapientum virorum præſcribunt.

Ex virtutibus honeſtum eſt, quidquid Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, ejusque nobis partes, ſupra expoſitæ, dictant. Quæ res uberrimum diſſerendi campum aperit. Cum ſingula etiam à contrariis, locisque communibus aliis diduci poſſint.

Turpe verò, quod honeſto opponitur, per jam recenſita ad diſſuadendum, ex oppoſitis adhibendum eſt, ut ab ignominia ſubeunda, conculcandis legibus, vitiis admittendis &c.

2. *Utile* à bonis externis, internisque deſumendum eſt. Externa ſunt, opes quælibet. ſive in ære, ac pretio rerum, ſive in poſſeſſione agrorum. Pax & tranquillitas, amici, clientes, ſubditis, &c. Interna ſunt, vel corporis, ut robur, valetudo, forma &c. vel animi, ut artes, & ſcientiæ. Media quoque ad virtutes comparandas, tum etiam virtutes ſingulæ, n[illegible] ſe ipſis conſide-

ſideratæ, ſed prout ad æternam nobis felicitatem conducunt, ipſaque hujus & alterius vitæ beatitudo bonis utilibus accenſentur. Quidquid verò his univerſim opponitur, *noxium* eſt, ac fugiendum; proinde in diſſuadendo adhibetur.

Ex his bonis & honeſtis, & utilibus, alia aliis ſunt magis neceſſaria, jucunda, facilia, quæ etiam affectiones, ſive in mediis ad finem adhibendis, ſive in ipſo fine (ut ferè ſolet jucunditas, ſeu delectatio) reperiantur, multum ad ſuadendum valent, uti & contraria ad diſſuadendum. Sola neceſſitas apprehenſa, non tam ſuadet, quam impellit.

3. *Jucundum* ab iis omnibus, tam honeſtis, quam utilibus bonis petitur, quæ, vel corpus, vel animum hominis poterunt oblectare. Maximè autem jucundum evenit, quidquid à moleſto nobis contrario ad oppoſitum tranſeuntibus proponitur, ut jactatis in mari jucunda eſt in portu quies, ſanitas ab ægritudine, opes ab inopia ſe recipientibus, exulibus patria, amicorum conjugum liberorumque complexus, vario æſtu affectionum inter vitia jactatis jucunda etiam eſt virtutis poſſeſſio. Contra inamœna illis omnia, qui à felicitate ad infelicem ſtatum tranſeunt.

4. *Neceſſarium* verò eſt, vel abſolutum, ut moriendum omnibus eſſe, quod non cadit in deliberationem, aut hypotheticum & ſub conditione, ut opprimendi ab hoſte ſumus, niſi arma pro defenſione ſumamus. Et hujus magna vis ad perſuadendum eſt, cum videlicet in periculum adduci cernimus, quidquid, ſive in bonis honeſtis, ſive in utilibus poſſidemus: aut cum hujus, aut illius generis bonis, nobis ad conſequendum propoſitis, certa quædam media, ad illorum poſſeſſionem obtinendam, neceſſaria animadvertimus Ita videmus pro ſanitate impetranda, aut evitanda morte, pedes manusve putreſcentes multis amputari; tam dura remedia perſuadet neceſſitas. Hæc igitur in diſſuadendo removenda.

5. *Facile* eſt quod citra magnam moleſtiam, laboremque, citra opum, famæ, ac quorumcunque bonorum jacturam, præſtari poterit: quod verò cum hac conjunctum inter difficilia cenſetur. Niſi fortè inter plura damna ſubeunda, minus eligendum ſuadeatur, quod nulli debet eſſe difficile. Quare ut in diſſuadendo labor, ſumptus, jactura, temporis diuturnitas, aliaque ad impellendum auditorem valent, ita in perſuadendo facilitas multum poteſt.

Amplissimus hic tibi disserendi campus panditur, si horum singula per alios argumentorum fontes duxeris. ut si dissuadenda ebrietas, ab honesti jactura, sive turpi fuerit; tam ex natura ebrietatis ac hominis ratione præditi, ab affectis quoque adjunctisque, quàm reliquis locis communibus, id te præstare posse animadvertes; si propositi supra exempli diductionem expendas. Sic de utili, jucundo, aliisque affectionibus, per eadem loca diducendis, progrediaris, nec destitui à copia poteris. Quanquam pro diversis in hoc genere Orationum formis, argumentorum etiam delectus aliquis habendus sit.

CAPUT XIII.

Variæ Deliberativi generis formæ.

IN hoc genere deliberativo, variæ cùm Epistolæ tum Orationes versantur.

1. *Monitoria*, quâ consilium nostrum de re quapiam fugienda, aut sequenda communicamus, quæ vel simplex est, vel juncta cum objurgatione. In utraque. 1. conciliabimus benevolentiam à singulari nostro in alium affectu, & cura ob indolem, cognationem, aut consuetudinem. Si quid in illo laudabile est memorabimus, ita leniter sensimque ad opposita deflectentes vitia, vel certè iis, quas suadere intendimus, virtutibus ab honesto, utili, necessario, &c. aut eorum oppositis, insistendo. In primis autem vitiorum ignominiam, pericula, pœnasque per exempla similiaque, atque autoritatem sapientum inculcabimus. 3. in objurgatione, postquam vix fidem non factis habere potuisse ostenderimus, per vibrantes interrogatiunculas, priora illa mala oculis subjiciemus. Hæc verò locum habent in eo, qui autoritate præstat, quâ, si par, aut inferior sit, orando magis, quàm increpando intercedet.

2. *Adhortatoria*, quâ languentes animos ad audendum prosequendumque opus aliquod impellimus; aut contra i malè cœptis revocamus, Quare, ut monitoria ad persuasionem consiliorum, sic hæc ad impulsionem animorum affectuumque concitationem refertur. Persuasum itaque ante omnia illi, quem hortatis, esse debet, rem honestam, utilem, facilemque aut necessariam videri; aut contra turpem, noxiamque. Ut vel amet, vel aversetur. Id enim nisi ante constet, vi-

ridi ligno faces admovebis. Sub hæc, 1. personam ab indole, genere animique dotibus commendando, ostendet, spem se aliosque egregiam de ipsius virtute concepisse. 2 ejus quam commendat rei dignitatem ex natura adjunctisque proponet, exemplis, atque autoritate, si potest etiam divina, pertrahet. Ab æmulatione aliorum heroum, & abjecta ignavorum sorte impellet, pœnarum metu denique, ac spe præmiorum accendet. Præclaræ sunt ejus generis Alexandri, apud Curtium exhortationes.

3. *Consolatoria*, qua in adversis casibus, ad fortunam præsentem fortiter sustinendam, alios animamus. Universim in hac. 1. Laudabimus si quid etiamnum in adversis rectè ac fortiter egerit. 2. Ostendemus hujus vitæ conditionem cum aliqua semper afflictione conjunctam: calamitates alias aliis sufferendas, has locis etiam temporibusque mutari, ac remittere. 3. Deum harum omnium autorem, nostroque esse bono destinatas: majori plerumque, quam prosperas benevolentiæ argumento nobis tribui; quòd animum à perituris ad æterna transferant. 4. Inevitabiles esse, quæque obluctatione nostra magis etiam crescant, omne bonum evertant. 5 Indignum esse generè, doctrina, virtute nostra vili animo in his demum succumbere. Denique observabis, cujus res quæque adversa, quàm sustinet, generis sit, atque ex illius natura adjunctisque argumenta ad solatium depromes. Ut si mortem alterius lugeat, ostendatur, hac illum miserias vitæ absolvisse quam plurimas, incepisse felicius vivere, adeòque damnandas esse lacrymas, quæ alienæ beatitati invideant. Si juvenis raptus fuerit; mutandum hunc fortè suâ fuisse malitiâ, onus ac dedecus suorum futurum, &c. Exemplis hæc aliorum illustranda.

4. *Petitoria*, quâ, vel aperta postulatione, vel occulta insinuatione ad quippiam impetrandum utimur. 1. Concilianda, vel ex nostro affectu & confidentia, vel ipsius erga nos favore alias cognito, benevolentia est. Liberalitatem etiam pietatemque, si munus aliquod, autoritatem, si patrocinium rogemus, commendare licebit. 2. Postulata quæ proponimus ab honesto, utili, necessario ac facili suadebimus. 3 Si res sit, quam postulamus, magna, ostendemus, nos quidem indignos ac nihil tale promeritos, sed hoc illi futurum gloriosius, quod erga immerentes etiam beneficus fuerit. In occulta

verò insinuatione, exponemus pudorem nostrum ortum ex indignitate, miseriam tamen necessitatemque extorquere verba vel invitis asseremus, quod nimius pudor sit noxius indigenti. 4. Gratitudinem pollicebimur.

Commendatitia, quâ alteri quempiam, ad patrocinium opemque impetrandam, commendamus. 1 Hominis probitatem & indolem, deinde etiam necessitatem exponet. Denique & suam, vel miserationem, vel obligationem, quâ ipsius curam suscipiat, alterius verò cui commendatur humanitatem, pietatemque, aut etiam amicitiam, ob quam suscepturus videatur, commemorabit. 2. Ex locis supradictis suadebit. 3. Vicissim operam deferet, seque, & commendatum, memorem gratumque fore pollicebitur.

6. *Conciliatoria* est quæ vel alios blandè in amicitiam pertrahit, vel dissidentes inter se conciliat. In hac, post circumspectam quarundam virtutum laudem, dignos esse nobis visos dicemus, quibuscum iniremus gratiam. Deinde si aversos inter se aliorum animos delinire studeamus, id non temerè in calenti adhuc furore tentandum, sed explorandi sensus, & origo mali, ac quid timeant, quid destinent animo perscrutandum. Tum remediis ad suadendum aut dissuadendum utendum potentioribus, prout quisque honestate, aut utilitate maximè tangetur. Metus verò potissimum imminentis vicissim mali exaggerandus. Minus enim plerumque bonorum spes, quàm malorum timor impellit.

CAPUT XIV.

De genere Orationis Judicialis, atque in eo inveniendi ratione.

GEnus judiciale orationum, quod in accusando aut defendendo versatur, à foro hac ætate abstractum ad curiam, ab Oratoribus ad Patronos, sive Advocatos translatum, strictiori nunc juris methodo, oblatis ultro citròque scriptis, cum accusationibus, tum defensionibus ita peragitur, ut ad tertiam quartamque vicem (ubi ex æquitate res administrantur) Judicis sententia absolvatur. Olim una Accusatio Defensioque Oratorum causis plerumque, & principium, & finem, per

per Judicis tamen definitionem, obtinebat. Unde plurimum tunc forensi tributum eloquentiæ. Intentio argumentorum hic pro statuum genere nonnihil variatur. Cæterum ex apertis supra fontibus petenda.

In statu conjecturali, an, exempli gratia. Clodius sit insidiatus Miloni? rationes quæ probent eum voluisse, potuisse, fecisse adducendæ erunt. Potuisse ac voluisse probabit. 1. à descriptione personæ ejusque vitæ ac morum. Ubi fortunæ & opes attritæ, auri aut honoris ambitio: perdita, profusa, libera vita; aut si hæc non constet, simulatio morum & bonæ vitæ prætenditur. Unde nihil ab homine hoc facinus abhorrere contendet.

2. Magis idem stabiliet, si impulsores habuisse convincatur, aut ira, amore, odio, dolore, vino efferbuisse. Quod si deliberata ratione aggressus putetur, ostendat commodo ipsius, ad honorem opesque consequendas factum, metu damni, paupertatis, infamiæ ductum, amicitiâ cum inimicis alterius, cui nocuit, junctum.

Fecisse autem docebit, ex adjunctis potissimum, ut ante factum esse possunt, apparatus, colloquia, auxilium, facta, dicta, loci ac temporis ratio: in facto clamor, strepitus, modus: post factum fuga, relictus gladius, pallor, inconstantia, metus, titubatio, quæ sunt conscientiæ sese prodentis indicia. Verbo, ex causis, effectis, & adjunctis investiganda erit facinoris ratio. Hæc verò ex locis communibus, ut rumore, testibus, jurejurando, tormentis, tabulis &c. maximè erunt stabilienda.

Defensor hæc universa extenuabit, negabitque hic quicquam argumentis evinci. Vide in hoc genere M. Tullii Verrinas pro Cluentio; ubi quæritur; an is Oppianicum vitricum, aliosque veneno sustulerit? pro Muræna; an commiserit ambitus crimen? pro Flacco; an repetundarum reus sit? pro Sylla; an conjurarit cum Catilina? pro Plancio; an sit reus ambitus? pro Dejotaro, an adversus Cæsarem conjurarit?

In statu definitionis qui rarior est, quæritur, quid res sit? aut quo nomine compellanda? ut Cicero pro Cæcina quærit: num dici possit ei vim esse factam, qui tantũ armis fuerit perterritus, quo minus fundum ingrederetur? aut de Julio Cæsare quæri potest. Fuerit ne Rex, an Tyrannus? Argumenta hic à fonte. 1. Potissimũ desumuntur, nomine, definitione, partibus rei, tũ ex locis cõmunibus, exemplis paribus, legibus, autorita

te. Actor contendet ex factis eorumque natura tale tantumque crimen esse commissum. Defensor negabit omnia ad tale facinus requisita inveniri, & si quæ leges opponentur, harum sententiam ex mente Legislatoris aliam esse demonstrabit.

In statu qualitatis, vel de scripti qualitate investigamus, ut certumne, an ambiguum? æquum, an iniquum? & hic status *legalis* dicitur, & scriptoris mens, autoritas, jus expenditur, sed hic rarior est.

Vel facti qualitas, aut etiam quantitas consideratur, nam ex hac, illa quoque variatur, & hic status *Iuridicialis* appellatur, in quo facti æquitas, aut iniquitas examinatur, estque vel *absolutus*, in quo investigamus: Bene, an malè factum fuerit? vel *assumptivus*, in quo male factum veniam mereri contenditur. Prior status argumenta desumit ex fonte 1. naturam rei expendendo, & fonte 3. ubi justitiæ ejusque partium ratio præcipuè habetur, ostenditurque per singulas partes, neque Deo, neque proximo injuriosum factum illud fuisse. Ex fonte etiam 5. adjunctorum: quibus res quæque extolli potest, aut imminui. Denique ex fontibus communibus, præsertim 4. & 5. ut ex legibus & consuetudine, judicato in re simili, &c. rationes depromuntur. Posterior assumptivus argumenta capit ex fonte 2. 4. & 5. quod causæ & adjuncta, rem excusent, aut aggravent. Si enim res utilitatem publicam habeat, v. g. mors Clodii, si causæ datæ, exempli gratia, insidiæ ejus, qui occidit, vitæ structæ sint, si nos prior invaserit: universim, si spe pacis aut mortis metu, aut persuasione æquitatis, aliove honesto motu impulsus fecerit, si ignorantia etiam, aut casu, vel necessitate quapiam inductus, facilius veniam obtinebit. præter hæc verò loci communes adhibendi, præsertim aliorum facinorum, quibus venia facta sit, comparatio.

Adversarius ex iisdem locis infirmabit sibi opposita.

§. 5.

Variæ generis judicialis species.

Hujus generis judicialis partes quædam sunt, seu species.

1. Oratio aut etiam Epistola *Objurgatoria*, quæ ob admissum crimen verbis increpat. Hæc per locos proprios & communes criminis gravitatem potest extollere. ut docere illud personæ, generi, ætati, professioni, patriæ non convenire. 2. Osten-

Ostendere quæ mala evenerint, bona impedita sint. 3. Finem ipsi vitæ professionis suæ proponere, atque ut à malo desciscat, seriò hortari, quæ si locis communibus ornet, argumentis affluet.

2. *Invectiva* ab objurgatoria tantum differt, quod illa ab inimico, hæc ab amico fiat: unde iisdem promit fontibus.

3. *Expostulatoria*, de illata sibi injuria quæritur, in qua si factum adversarius neget, argumentis status conjecturalis utendum: si concedat, ex ante dictis locis criminis extollenda gravitas, & si quid de illo bene simus meriti, huic illius ingratitudini opponemus. Quod si mitius illum arguendum esse statuerimus. 1. Dolorem quendam suum significabit monitor, quòd amicitia aliorum læsa sit, obtrectandiq; causam pluribus dederit, vel aliorum factorum laudem cum reprehensione miscebit; aut in alios hujus facti culpam derivare conabitur, vixque se credere ostendet, hæc illo autore perpetrata. 2. dices te gravatè insimulare delicti, amore tamen ductum erga illum, tuo, aut impulsu alieno id ausum. 3, officium omne deferes, atque ut æqui bonique faciat, quæ non nisi ex amore profecta sint, postulabis. Quod si gravior persona sit, ac rectè malis expostulare, exempli alicujus similis inductione atque improbatione id non importunè feceris, sicut nonnulli per apologos etiam veritatem persuasi fuerunt.

4. *Exprobratoria* est, quæ ingratitudinem in benefactores ostendit. Hæc & collata beneficia, & repensa maleficia, per locos plerosque, tam proprios, quam communes solet expendere. Ipsius etiam nostræque personę conditionem examinare poterit: ut qui talis tantusque suâ existimatione, vir tot ornatus beneficiis, in amicum benevolumque, in juvenem, aut senem, in necessitatis tempore, injurius fuerit &c.

5. *Purgatoria* est, quâ nostrum aliorumve factum defendimus. In qua, pro varietate status (ut ante vidimus) argumenta etiam ad refutationem assumenda variantur. Quare in his superiora remittimus. Universè tamen conabimur & personam adversarii, & ipsius orationem probationemque, tanquam futilem in contemptum adducere, ac denique ostendere, quæ sequantur incommoda, si adversario fides habeatur. Et 1, quidem si persona viri potens sit, magnæque autoritatis, in cæteris ejus prudentiam æquitatemque laudabimus; sed hic causæ ignoratione falli, mutaturum animum, si rectius

cognoscat. Si par nobis, aut inferior fuerit, ipsius audaciam temeritatemque exaggerabimus, nosque illud non criminandi gratia, sed studio boni communis agere profitebimur, leviora quæ in reprehensionem cadunt joco, aut transitione explodemus. 2. Orationes, argumenta, vel ut levia, vel ut obscura, vel ut extra scopum cadentia, alicujus erroris insimulanda erunt. Deinde, vel oppositis validioribus dissolvenda, vel correctione brevi perstringenda, vel ironicè irridenda, aut per interrogationem distorquenda aliquando etiam reponet. Vide Orator. pro Milone, pro lege Manilia, pro Archia.

Deprecatoria in errore aut crimine admisso, utetur argumentis quæ in statu assumptivo usitata sunt. si tamen culpam non agnoscat, excusationem à sua persona ex anteacta ducet vita, studiis, sociis, ætate, honestatis cura, aliisque, quibus maximè innotuit, moribus. Orabit denique, ne se innoxium in suspicionem criminis vocent.

CAPUT XV.

De Artificiosa Orationum Dispositione.

DE argumentorum inventione actum hactenus, nunc ut in ordinem quæque suum rectè distribuantur videndum. Quare ad alterum Oratoris officium, quod est *inventa disponere*, accedimus. *Est* enim *Dispositio rationum ad probandum & movendum inventarum per ordinem facta distributio.* Et hæc Oratori necessaria est, ne turbatum atque enerve Orationis corpus instruat. Non satis est Imperatori numerosum ducere militem. nisi suis illum turmis opportunè in aciem digerat, pugnabit absque victoria.

Quocirca Rerum Primò ante omnia tractandarum *naturam* considerabit, ut si humilia sint, grata insinuatione animi occupentur, atque illa qua possunt dignitatis, aut utilitatis commendatione extollantur: si invidiosa, cum excusatione facti suscipiantur. Si minus apta locis, temporibus, personis, arte quapiam aptentur, & necessitatis, aut commodi specie inferantur. Videndum etiam, quæ cuique rei maximè conveniant argumenta. aliis enim ex titulis e.g. laudandus miles; aliis Senator, illum à fortitudine potissimum, hunc à prudentia extolles, licet cæteris non destituantur virtutibus.

De-

Deinde *personarum*, ad quas dicitur, *ratio* præcipua habenda est. aliis enim aliæ nationes, status, ætatesque rebus capiuntur. Hispani Gallique maximè trahuntur gloria, Itali & Germani juncta huic utilitate. adolescentia profusa est, voluptate ac laude capitur; senium horum magis fastidiens, utilitatem spectat, sollicitum ne quid inter tot vitæ casus, sibi in extremis desit. Plebs universim magis lucro ducitur, honore nobilitas.

Tertiò, & *dicentis* habenda *ratio*, qui cum ad suadendum, aut dissuadendum, accesserit, autoritate polleat necesse est, aut submittat aliorum potius judicio rationes ponderandas, quam ut ipse ex his agenda definiat. Odii, metus, aliorumque transversum in sensum rapientium, suspicione affectuum vacare debet. *Temporis* denique *locique ratio* non negligenda; cum in sacris aliter & profanis dicendum locis, secus in acie contra hostem, quàm foro ac curia.

§. 2.

Finem sibi scopumque orationis certum, ex crinomeno, seu judicatione rectè intellecta, præfiget, ad quem argumenta singula, tanquam acum nauticam suum ad polum, dirigat, & quotquot huc tendere non animadvertet, tanquam otiosa, atque etiam noxia respuat. Quare non omnia syllogismo, aut enthymemate complectenda suaserim. ut Cicero in 1 Catilinaria, ubi hæc est quæstio. *An Catilina urbe excedere debeat?* universim hoc syllogismo utitur, *Quod tam è re Catilinæ quam Reip. est, hoc est faciendum.* atqui *ut Catilina excedat, utrique expedit.* Igitur *excedendum.* Quod si tamen diversi generis quæstiones in eadem oratione pertractandæ essent, ut pro lege Manilia à Cicerone factum, plures etiam syllogismi adhiberi poterunt. Hic enim primò quæritur; *an contra Mithridatem bellum suscipiendum sit?* iterumque postulatur. *An Pompejus illi sit bello præficiendus?* Primum universè sic probat. *Bellum in quo agitur de gloria, salute, vectigalibus, bonis populi Rom. est suscipiendum.* Tale *illud est de quo deliberamus.* Ergo *est suscipiendum.* Alterum ita evincit. *Ille in quo est scientia rei militaris, virtus, autoritas & felicitas singularis, hic præ cæteris est eligendus.* Vide quid in utroque syllogismo maximè controversum sit, & ab Adversariis negetur. In hoc enim crinomenon, seu judicatio continetur, estque probanti inprimis spectandum. Est verò utrobiq; assumptio, seu propositio minor. Unde Ciceronis argumenta in illius probatione potissimum versantur. Cætera paucis tanguntur.

§. 3.

§. 3.

Ubi ex fine proposito intellexeris, quæ tibi res probandæ fuerint, distribue, tanquam urbem defendendam, in suas stationes. *Ordo* enim duplex; *naturalis*, quem natura fixit, & *artificialis* ab arte repertus. Ille plerumque tenendus, cum & memoriam fulciat, & ingenium illustret, ideoque, quæ tempore, loco, dignitate, pretio, necessitate prævertunt cætera, dicendo pervertenda non sunt. Valet hic ordo maximè in docendo, & tam in rerum investiganda natura, quam earum adjunctis. Ita plerumque docens ante rem definit, subinde dividit, proprietates, causas, effectus denique exponit, quemadmodum nos supra de inventione fecimus. In personarum laude, antè illarum educationem, & juventutem, quam virilem ætatem tangit. In temporibus, ante præteritum, quàm præsens, futurumque expendit. Artificiali tum ordine utendum est, quando is, qui naturæ est, cum aliqua virtute negligitur. Ita inter rudiores sæpe convenit à notioribus transire ad ignota, hoc est, ab effectibus ad causas, à proprietatibus ad naturas, à genere, sive thesi, ad species & hypothesin, à partibus Physicis ad totum; illa enim his notiora sunt. Inter doctos verò ingenioso sæpe conceptu, qui rem totam complectitur, plus gratiæ minusque fastidii obtinetur, licet res in se perturbato ordine confundantur. Atque illud non raro necessarium est, cum res notæ auditoribus tractantur, ut tractandi quadam novitate teneant, ac delectent. Ita in exornando, ad certa rerum gestarum, aut virtutum capita; ut in tragœdiis, & heroico poëmate assolet, totam alicujus Herois vitam revocare licet, & quandoque uno in facto, per comparationem reliquorum diducto, tanquam in nucleo complecti iliadem. Qua in re judicio non minus, quàm arte opus est.

§. 4.

Denique ad argumenta, quibus illa quæ probanda sunt, stabilias, perveniendum est. Hæc principio singulis ex fontibus, prout sese offerent, admittenda; deinde, velut conscripti milites in ordinem digerendi, imbellioribus, vel rejectis, vel in mediam conglobatis aciem; fortioribus in fronte, fortissimis in extremo collocatis; ut horum denique virtute Orator vincat triumphetque; sive docendo tantùm ac delectando; sive etiam movendo sit persuadendum. In Confutatione tamen adversariorum (nisi fortè multitudo rationum aut con-

nexio

nexio certum requirat ordinem) principium minus firma, fortissima medium, imbecilla argumenta finem occupent. Ita enim auditor utrobique tenebitur exspectatione victoriæ, quam ex primo orationis successu facilius concipit; dum neque Confirmantis rationes, neque refutationis dissolutionem aspernandam putat, quæ ubi semel despexerit, ægrè adversus animus ad causæ æstimationem revocatur.

Diligenter hic causæ, personarumque diversa ratio expendenda est; ut illius vel asperitatem, vel invidiam, vel humilitatem aptis discas argumentis extollere, harum affectus moderari, quod insinuatione idonea dicentis præstandum est.

§. 5.

Postremum itaque est, rationem, non tantùm causæ totius, sed & argumenti cujuslibet tractandi opportunè & ad persuasionem motumque proponendi ita providere; ut siquid, vel incredibile, vel absurdum, vel humile, vel dubium, vel obscurum, vel ingratum, vel prolixum, vel oppositum illius persuasum, vel reprehendendum, vel turpe videatur, illud apta insinuatione, hoc est callida inductione eorum, quæ his adversantur, & auditorem teneant, molliatur. Universè hæc aliqua præfatione, præmunitione, aut excusatione leniri poterunt, tum deinde suis quæque contrariis moderari.

Ut, incredibilibus & absurdis, per alia, graviora, & tamen credita atque admissa, fidem aliquam conciliabis: humile ab adjunctis quibusdam aut similibus minimè abjectis extolles; dubium per signa quædam evidentiora firmabis. Sic pro Milone, arma obstrepentia, tanquam in præsidium comparata tradit; ut metum adimat. *Arma*, ait, *non periculum nobis, sed præsidium denuntiant &c.* Obscura definiendo, & dividendo, tum verò similibus maximè illustrabis. Ingrata, gratis temperabis; ut si cujus errorem perstringas, eum potius à nimio excessu v.g. Zeli quo ferveat, quàm ignavia profectum asseras. Prolixa nimium, vel honestis jocis, aut narrationibus jucundis interpolabis. Quæ persuasa sunt, vel orabis tantisper suspenso judicio differri: vel præjudiciis, ut Cic. pro Mil. facit, refutatis, subrues. Reprehendendis præmissa excusatio intercedet, ut *non dicturum se asperius quicquam, nisi quod sine justa criminis expositione nequeant præteriri*: aut certè laus, aut indulgentia admiscebitur, ut Cic. pro Sylla. ad Torquatum, *Do aliquid adolescentia, cedo amicitia, tribuo parenti, sed &c.* Res

turpis, vel cum aliqua dissimulatione, vel certè transitione tangatur. ut Cic. 3. in Verr. *Date hoc & concedite pudori meo, ut aliquam partem de ipsius impudentia recipere possim, sileatur de nocturnis ejus bacchationibus & vigiliis &c.* Hac ingeniosa sese insinuandi in rebus durioribus ratione Cicero potissimum excelluit, priscisque Oratoribus palmam præripuit, ut cum in cæteris plures assequerentur, hic par nemo accederet. Tantum refert, non quæ reperias ad res pertractandas argumenta, sed quemadmodum iisdem, cum gratia audientium, utaris. in quo præcipuum consistit oratoris artificium. Porrò quæ ad permovendos animos dispositio requiratur, infra prolixius, à peroratione, videbimus. Hæc universè ad dispositionem sufficiant, nunc singularum attributa partium expendamus.

CAPUT XVI.

De Partibus Orationis.

ORatio constat exordio, narratione, seu expositione causæ, confirmatione, & (si opus) confutatione ac denique peroratione.

§. I.

Quid sit Exordium, & quæ ad illud requirantur.

Exordium est *principium orationis auditoris animum idoneè comparans, ad reliquam dictionem, dum & benevolum, & attentum, & docilem efficit.*

1. Igitur benevolentia comparatur, idque vel à personis, vel à rebus. In personis auditores, nos ipsi, & adversarii, vel clientes sunt. Auditores modesta laude dignitatis aut virtutis alicujus, maximè liberalitatis, justitiæ, fidei &c. tenebit. Se illis Orator conciliabit, si affectum suum erga rempubl. atque ipsos Auditores, vel etiam tenuitatem suam, cum voluntate gratificandi conjunctam, exponat; contra Adversarium vitiorum suspicione gravabit, clientes afflictionem miseratione dignam exponet.

Res ipsæ si magnæ, utiles, necessariæ, jucundæ, honestæ sint, benevolentiam merentur & amorem.

Exemplis pleraque Ciceronis exordia te erudient. Pro Marcel. & Ligario Cæsarem Tullius clementiæ ipsius commemo-

memoratione totum occupavit; ut ad misericordiam inflecteret. Ita pro Quinctio Judicum æquitatem laudat, ut eos ad damnationem adversarii inflecteret. Pro Plancio Judicum erga se conservandam benevolentiam, ut eandem pro amico obtineret. Unde facilè intelligis, eam præcipuè in auditoribus virtutum extollendam esse, quæ ad causæ tuæ propositum obtinendum faciat.

A persona sua pro Rabir. Cicero auditorem conciliat, tum amicitiæ cum Rabirio jus, tum consulare officium quo Reip. obstrictus sit, commemorando. A persona afflicti Clientis pro Rosc. Amerino, uti contra à Chrysogoni adversarii avaritia, ab hoc ad illum animos Judicum transferre conatus est.

2. Attentionem conciliat, si de rebus vel magnis, vel raris, admirandisque, vel atrocibus, vel magnopere auditori profuturis, vel recens cognitis se dicturum promittat. Hæc enim cupiditatem audiendi inflammat. Ita Cic. post Rabir. ait. *Post hominum memoriam rem nullam magis periculosam susceptam &c.* Potest & historiâ, aut jucundâ fabulâ, attentio somniculosi ac fastidientis auditoris tam in exordio, quàm progressu orationis excitari; ut Demosthenes à contentione de umbra Asini inter conductorem & Agasonem nata, auditores ad controversiam longè graviorē de hominis salute excitavit.

3. Docilitatem paramus, si paucis dilucidisque verbis summam rei, de qua oratio instituta est, complectamur; vel simplici ejusdem expositione, vel definitione, aut in suas partes (quæ tamen multæ ob vitandam confusionem non sint) distributione rei præmissa. Ita Cic. pro Cluent. *Animadverti Iudices omnem accusatoris Orationem in duas divisam esse partes &c. Itaque certum mihi est eandem distributionem invidiæ & criminis servare &c.*

Cæterum in causis dubiis, absurdis, ingratis, turpibus inprimis, de comparanda benevolentia; in humilibus, & prolixis de attentione; in obscuris, & incredibilibus, de docilitate Orator debet esse sollicitus, atque in plerisque grata insinuatione, ut supra monuimus, uti, dissimulata re ingrata, vel turpi, donec favorem audientium occuparit. ut Cicero leges Agrarias populo acceptas damnaturus, ab illorum laude & adversarii reprehensione sensim ad rei propositionem delabitur.

Neque ubique his exordiendi artificiis, imò nec ipsis quidem

dem opus erit exordiis. Nam si auditor & causæ addictus sit, & ejusdem non ignarus; vel si breve tempus, res gravis, moræque impatiens, ex abrupto, sive à reipsa incipere Orator poterit. Ut Cic. in Catil. *Quousque tandem abutere patientia nostra, Catilina? &c.*

§. 2.

Unde, & quomodo deducantur exordia, ut apta sint?

Post totius Orationis corpus repertum apteque dispositum, de exordii primùm argumento cogitandum est. *Ego*, inquit, Cic. lib. 2. de Orator, *omnibus rebus consideratis, tum denique id quod primum est dicendum, postremo loco soleo cogitare, quo utar exordio. Nam, si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune. Principia autem dicendi semper, cùm accurata, tum acuta, & instructa sententiis, tum quasi causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio & commendatio orationis.* En plerasque exordii dotes, cum illius inveniendi ordine ac ratione.

Debent enim exordia esse causarum propria, sive ex ipsis causæ visceribus, ut ajunt, deprompta. Quare licet ex omnibus inventionum locis ad causam, quam tractas, spectantibus desumi possint argumenta; ex locis tamen propriis atque intrinsecis hausta cæteris præferuntur. Idque latius plerumque in genere exornativo (quod Cicero parcè attigit, hodie verò est frequentissimum) usurpatur. Nam in deliberativo & judiciali Cicero ferè, vel ex sua tantum, vel auditorum aut adversariorum persona, quippiam eruit, quod ad præsens causæ institutum pertineret; ut illi, vel favorem, vel odium conciliaret.

1 Universè autem in exordio Orator in singularibus & hypothesi, orationem ferè ad genera, aut thesin convertit. Ut constituisti, vel laudare temperantiam in potu, vel eam suadere adolescentibus, aut ostendere in judicio Zenonem Imper. ebrium rectè ab Ariadna sepulchro inclusum. Hic *vel à rebus universè sumptis*, ut laude temperantiæ in genere, imò & virtutis in pulchritudine ordiri licebit: vel *à personis* ad hanc causam concurrentibus, ut si ostendas, quanta illa sit hominis dignitas, quâ supra bruta eminet, quantoque illud studio declinandum, quod hanc nobis ereptum eat, vel *à causis* ebrietatis exempli gratia, vino, ut quanta sit Dei liberalitas, qui non

tan-

nobis in vita ad hanc alendam necessaria, sed quædam etiam cum honesta oblectatione conjuncta, ad solam copiam, indulserit, ut tot sunt ciborum & potus genera. Vel *ab effectis*, ut quantum bonum sit, tranquillitas domestica & civilis, miserumque infestis illam turbationibus subverti, in se suosq; hominem locupletem abstinere, quando tot egentium passim hominum fame sitique affliƈtantur, quibus jure subvenias.

2. Hæc similiaque cum nonnihil argumentando, quemadmodum in ipsa confirmatione solet, diduxeris, aliisque etiam nonnunquam, per ratiocinationem perfectam, argumentis stabilieris atque exornaris, ad minorem propositionem, sive assumptionem sic deflectes, ut dicas exempli gratia (*quo ad rem*) hanc temperantiæ seu virtutis pulchritudinem ab ebrio contemni; (*quo ad personam*) hanc illius dignitatem per ebrietatem obscurari; (*quo ad causas*) hanc Dei liberalitatem ab ebrio in hominis exitium converti (*quo ad effecta*) hanc tranquillitatem ebrios evertere, & (si spectes *adjuncta*) benignitatem in pauperes enervare. Quæ cum moderatè etiam amplificaveris, via tibi vel ad laudem temperantiæ in potu, vel ad dissuadendam ebrietatem, vel ad Zenonem damnandum erit præparata, ut de tota deinde causa, quæ volueris dicere, per brevem dilucidamque propositionem declares.

3. Uti à locis propriis, sic & à communibus argumentum exordii licebit sumere. Verum laude minori, quod non ita proximè intimèque causæ jungantur. Sic virtutem felicitatemq; bellicam Alexandri pro exordio laudabis, quam deinde ad propositam tibi causam deflectens solā dices ebrietatem pessum dedisse. Sic Veterum testimonia, leges, & judicia pro exordio inducturus, primo eorum in disciplinis politicis sapientiam extolles, ac deinde quid de temperantia prudenter decreverint adduces. Simile etiam nonnunquam, aut fabula occasionem dicendi afferet, cui tuæ orationis thema aptabis. Quæ, ut minus semper artis, ita sæpe tamen non minus gratiæ obtinebunt.

Cæterum, ut ante memini, quæcunque pro exordiis eruuntur, argumenta, & manifesta esse debent, & grata, hoc est, ad docendum & conciliandum auditorem accommodata. Cùm hoc solùm fine exordia assumantur. ad causam enim probandam instituta est confirmatio.

4. Cavendum verò, ne, ut supra in se reprehendit Cicero, ex-

ordium *vulgare* sit, quod pluribus queat causis accommodari: ne *commune*, quod etiam contrariam partem tuenti serviat: aut *commutabile*, quod leviter inflexum dicenti adversetur: aut *longum* nimis, quod, velut caput monstrosum, exile corpus dedecoret: aut *separatum*, quod causæ non adhæreat; aut *translatum*, quod aliud, quam causæ genus exigit, præstet; aut *contra præcepta* sit, iis quæ exordium requirit, de benevolentia, attentione, aut docilitate, cum opus est, malè neglectis.

CAPUT XVII.

De Narratione & Propositione.

NArratio est *perspicua probabilisque rerum gestarum expositio*, quæ si statum aut fundamentum causæ complectitur, *brevis* est, si ad causæ confirmationem referatur, *suavis*. Duplex enim hæc apud Oratores reperitur, illa brevis & moderata; hæc sæpe longior, & figuris interpositis ornata atque accensa, illius pro Milone exemplum datur; hujus pro Cluentio de Sassiia, & 2, in Verrem de Sopatro. Nos infra quædam ex Cic. exempla promemus imitationi proposita.

Sit igitur Narratio verbis, atque ordine, cum rerum, tum temporum *perspicua* sit *probabilis*, tum ab autore notæ probitatis ac fidei, tum adjunctis personarum locorum ac temporum &c, denique *brevis*, hoc est succincta verbis, rebusque tantum ad causam instructa utilibus Quod si tamen confirmationis, simul ad modum comparata, pars sit, *suavis* molliorum figurarum inductione, etiam reddatur. Quare admirationes habeat, exspectationes, inopinatos eventus, hypotyposes, dialogismos: iracundia, metu, lætitia incendatur. Qualem in Ver. 7. de Romano cive in foro Messanæ virgis cæso videbimus.

Porrò in causis generis exornativi & deliberativi, pro Narratione illa, quæ statum complectitur, *propositio* soleat adhiberi, quæ est *brevis status totius comprehensio*, vel indivisa, vel in partes aliquot distributa. (quas binario aut ternario plerumq; numero absolves, quòd multitudo confundat:) quinarium certè numerum transgredi, duxero vitiosum. Ita Cicer. Philip. 7. cum dissuaderet cum Antonio pacem, Propositionem

factam

factam sic distribuit. *Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Hac tria dum explico, peto à vobis &c.*

Solet vero post factam propositionem, attentio plerumque ac benevolentia Auditorum ab Oratore demissè postulari.

CAPUT XVIII.

De Confirmatione.

Confirmatio præcipua Orationis pars est, *qua orator rei propositæ per argumenta fidem facit, & si opus voluntatem impellit.* Hæc nonnunquam Confutationem, sæpe etiam Amplificationem, ad promovendos animos admittit, quanquam hæc in peroratione potissimum dominetur. Unde & post hanc illius artificium pertractabimus.

1. Primum itaque in confirmatione est, rem quæ probanda est; per suas in quas distribuitur partes (si tamen plures sint) sibi proponere. Exemplo nostro de ebrietate utamur, Vis suadere, *adolescenti ebrietatem vitandam esse.* Simplex hæc propositio est, quod si diceres, *otium atque ebrietatem adolescentiæ pestes esse,* in duas universe partes esset distributa, ideoq; pro singulis harum probandis argumenta invenienda essent. Nos priori simplici insistamus, quæ licet in se indivisa per diversas rationes (ut ante in Phil.7. fecit Cicero) secari poterit. Quærat itaq; argumenta Orator (quod primum suæ confirmãtis Officium est) & se ipsum interroget, quæ causa cur ebrietas merito adolescenti fugienda sit: & occurret ex fõte; quia & turpis, & injucunda est. Pergit igitur, & vel hoc enthymema pro fundamento totius Confirmationis ponit. *Ebrietas est turpis, noxia & injucũda Ergo adolescenti est devitanda:* vel, si aliquãto fusius rem malit diducere, hunc syllogismum statuit. *Quidquid turpe noxium atque injucundum est, hoc merito adolescẽti est devitandum, ebrietas est turpis, noxia, atq; injucunda, ergo &c.* Prima pars syllogismi propositio vocatur, & thesin continet; altera assumptio & hypothesin; tertia complexio, quia priores in se complectitur. Dialectici conclusionem vocant.

2. Alterum est, ut hoc fundamento confirmationis, ex argumẽtis invẽtis, constituto videas; quid ex illo potissimũ, & quomodo probandum sit Propositio illius syllogismi ab omnibus

bus admittitur, ideoque probatione non eget, sed exponitur tantum; ut ex istius concessione alia, quæ consequuntur, vim habeant. Assumptio vero (seu antecedens in enthymemate propositio) est, quæ potissimum negatur, ideoque probanda erit, ut quod *ebrietas turpis sit, noxia, & injucunda*, quare ad hanc stabiliendum omnes inventionis fontes explorandi sunt, & 1. quidem illi parti insistendum est, quod *ebrietas turpis sit*. Quæres igitur, ex fonte primo, quid *turpe sit? quod*, inquam *honestati adversatur*. Quod si satis nondum explicet, definiendo perge, quid honestati adversatur? *Quod*, inquam, *rationis humanæ, & præscriptas virtutis leges violat*. At hoc (sic conclude) facit ebrietas, quæ rationem obruit, virtutem negligit, ejus leges conculcat, vitiis favet, luxuriam alit, &c. Progrediendum enim sensim, per alias aliasque rationes, disserenti est, donec minus certa per certiora abunde probari, atque intellectum convincere videantur, quod difficile futurum non est, si Orator rerum quas tractat, naturam, causas, attributa, effecta; & adjuncta, pleraque, velut in quadam imagine per classes depicta, ante oculos habeat. Demum, ad locos communes, hoc est contraria, exempla, similia, leges, autoritatesq; testificantium (præsertim ubi rationes ex locis propriis minus firmæ erunt) sese effundet. Quod si vero hæc ratio ex fonte primo ad turpitudinem demonstrandam non sufficiat: quære ex fonte 2. per quæ, aut quos, hæc ebrietas causetur? & (si causam efficientem velis) quis autor? & occurret tibi *quod* vel *Dæmon* sit, vel *prava cupiditas*, aut *nefaria societas*: si finem spectes, *quod bruta sensuum oblectatio &c.* (Tu de pluribus argumentis fontes consule) Ergo, quam turpe sit Dæmonem, Ventremque potius, quam Deum ejusque leges, cum omni honestate conjunctas, sectari ostendas. Hanc sequelam facile concedent, (quanquam & illam breviter ex opposita utriusque natura, legibus, regno, præmiis poteris demonstrare) ut Dæmonem ebrietatis autorem esse, difficilius admittent. Hujus igitur reddenda erit ratio, quæ tum ex hoc sumi poterit, quod omnis vitii suasor autorque sit Dæmon, tum quod violatæ temperantiæ singularis consultor videatur, quo primum flagitio Adamum, totumque cum ipso humanum genus, præcipitarit. quæ ut manifesta res est, ita aliis locis communibus ad illustrandum non indigebit. Primam itaque partem, quod ebrietas res turpis sit, vel ex postrema hac solum, vel ex altera simul fontis primi ratione strictim in memoriam revocata, concludere poteris, & ad secundam partem fundamentalis argumenti transire. Seque-

Sequebatur, quod *ebrietas* vitanda ſit, quia *noxia* eſſet: Quid eſt *noxium* eſſe? niſi *multa illam inferre damna.* In quibus bonis? naturalibus, eisque vel internis, ut ingenio, memoria, valetudine, forma, &c. vel externis, ut opibus, honore, vita, fama, &c. aut moralibus, ut quæ virtutum plerumq; hoſtis, tot vitiorum parens. Nec ipſi tantum homini, ſed & proximo noxia, neque in rebus ſolum perituris, ſed æternis quoque. Hæc ſi exemplis (quibus ea potiſſimum nituntur) tum contrariis aliisque locis communibus exornaveris, nec rationes, nec materia ſcribenti deeſſe poterit. Quæ ubi rurſum aliis alisque, cum opus erit rationibus, vel ornaveris, vel amplificaveris, ac denique concluſiuncula brevi collegeris, ad ebrietatis incommoda certius inculcanda, hic ſubſiſtes, atque ad ultimum te membrum conferes.

Poſtremum erat, *ebrietatem injucundam eſſe* ideoque jure fugiendam. *Quid* (quæres) eſt *injucundum eſſe?* niſi *cum multa conjunctum eſſe moleſtia, & afflictione.* Quibus igitur in rebus affligit ebrietas? In mente, inquam, ex conſcientia ſcelerum inquieta: In corpore, dum caput turbat, pedes debilitat, ſtomachum gravat, nauſeam creat, morbos plures generat &c. In rebus ad vitam neceſſariis quas exhaurit: In domeſticis quas turbat: In morte, quam & præcipitat, & metuendam efficit; In æternitate quam duriſſimam atque infeliciſſimum in pœnis meretur. Ex his, per contraria, exempla, autoritatesque (ſi velis) expertorum diductis, ad Concluſionem univerſalem digredere, &, vel per ſolas rationes ultimas, vel per graviores omnes enumeratas, ad perſuadendum, vires dicendi collige.

En diſpoſitionem confirmationis, per ſuggeſta breviter argumenta, eademque per argumentationem ſtabilita, quæ tam ad prolixas, quam breves orationes poſſit ſufficere. Nam in brevibus ſatis erit unum aliquod argumentum, ſive partem Confirmationis, ita diducere; vel certe omiſſis, per ſingulas partes, locis plerisque communibus, tantum propriis inſiſtere. Si prolixior argumentandi materies placeat, loca ex propriis plura licebit excutere, cum ego tantum nonnulla attigerim, ut facile colliget, qui exempla locorum à me cap. 3. propoſita expendit. In plurium vero argumentationum concurſu illud, quod alibi de argumentis monui, teneat, ut imbecilliores medium, fortiſſimæ finem occupent, ac denique vi ſua perſuadeant.

3. Tertium, præcipuumque Oratoris in confirmatione

officium est, ut si animi concitandi sint, atque ad certum propositum impellendi (quod fit in omni oratione, quæ non solum ad docendum, sed etiam ad agendum quippiam instituta est) amplificationem sive exaggerationem, cum verborum, tum rerum non negligat, cujus beneficio auditores inclinet, de cujus artificio & vi, paulo post videbimus.

4. Quartum postremum est, ut tam in argumentatione, quam amplificatione quædam varietas observetur ne similitudo fastidium pariat. De hujus varietate postea: de illius commutatione sic accipe Non debere Oratorem dialectico ordini alligari, sed licet unius syllogismi formam præ oculis habeat, tamen à conclusione quandoque ordiri posse, finire alias assumptionē nunc simul plures cumulare propositiones, priusquam complexionem subjiciat. Quod ipsum varie potest fieri. Inductione scilicet, cum ex pluribus singularibus una generalis propositio infertur, idque vel ex locis propriis, vel communibus, hoc est, exemplis, similibus, aut etiam horum contrariis vel sorite, cum ex una propositione ad aliam velut gradatim transitur, donec spectata denique inferatur conclusio (quanquam hoc genus rarum, fallaxque esse soleat) Adde nunc ratiocinando hæc eadem varie interpolari mutarique posse, si modo propositioni, modo assumptioni, quandoq; etiā ratio alia, quam in syllogismo allata est conclusioni subjiciatur. Quin & rationes nunquam cumulari plures, & ipsius (si multa paucis complectaris) allatæ rationis causam aliam, fundamentumq; assignari. Quæ universa exemplis docere velle, prope sit infinitum, atque etiam supervacaneum; cum natura hac abunde sine arte moderari queat, modo tantum sollicitum fueris, ne eadem tractandi methodo fastidium moveas, noverisque immensum quendam patere Oratoribus variandæ argumentationis campum. Si quis tamen exempla desideret, quævis boni Oratoris dissertatio suppeditabit, & inprimis Cicero rara veritate omnes solitus orationes exornare. Breve tamen exemplū in proposita nobis materia hoc esto. Statuatur ille syllogismus dialecticus *Propositio* sit. Omne noxium vitandum *Assumptio* ebrietas noxia est. *Complexio.* Ergo ebrietas est vitanda. Jam rhetorice idem sed strictim prosequamur, *Rationes & ingenitæ naturæ propensio ad hoc erudivit, ut noxia quæque atq; et inimica saluti nostræ vitaremus* (en propositio) *quid vero per inde potest esse noxium atque infestum saluti nostræ, sive illam quæ corporis est præsens, sive etiam quæ animorum futura est spectemus,*

mus, quam abominandum illud ebrietatis vitium, quo Germanorum non pauci adharescunt? (en assumptio) *Hoc igitur quisquis sapienti fugiendum esse negaverit, non ego inter homines esse censeam ratione praditos, qui quid noxium sit, quid salutare humano generi, considerent.* (en complexio) Variabis 1. si, propositione neglecta ab assumptione ordiaris. 2. si a complexione incipias hoc modo: *Non ego illum inter homines ratione praditos esse duxero, qui ebrietatis vitium homini neget esse fugiẽdum. Quid enim magis illi poterit esse noxium, sive vitam hanc corporis, sive anima consideres?* Si assumptionẽ præmittas propositioni. *Cave noxiũ ebrietatis vitium consecteris, nocet corporis, nocet anima incolumitati. Non potes illud non abominari, si qua ratio, qua natura tibi vitanda ostendit, aversaberis.* 4. Si plures simul propositiones jungas, unde ista per inductionem sequatur conclusio, ut, *fugis quidquid valetudini inimicum esse nosti: fugis quidquid caput affligit, & pedes debilitat; fugis quidquid ingenium hebetat, rationem opprimit, mentem inquietat: fugiẽda itaq; ebrietas unde universa hac mala exundant.* Variabis 5. rationibus, sive causis, vel propositionis, vel assumptionis, vel utrarumq;, vel etiã complexionis, appositis unius exemplũ sit *Fugis quidquid valetudinẽ ladit, & merito, potissimũ enim hujus corporis in vita bonũ est sanitas, quidni igitur ebrietatẽ devites, qua hoc bonũ indigesta cruditate tibi subvertit?* En utrique tã antecedẽti, quam consequẽti propositioni rationẽ adjunctam 6. Si rationes plures sibi invicem nectas, cum stricta rem totam dictione lubet complecti. ut, *quid ni valetudinem studiosè conserves, cum & illa potissimũ corporis bonum sit, & membrorum sensuumq; usum integrum, mentis alacritatem, vita totius felicitatem tueatur? Hoc tamen bonũ non poteris, nisi devitata ebrietate obtinere.* 7. Si illata propositionis ratio aliis rationibus adductis stabiliatur (quod cum prior ratio minus firma est, frequens esse solet,) ut *Euge tuere valetudinem rem sane raram magnamq; tueberis. Quod enim bonum illa humano in corpore prestantius est? nam si se iucunditatem spectes, amœna est; sive utilitatem, commoda sine hac cibus parvam adferet voluptatẽ, lusus exiguam recreatione, pecunia parvam utilitatem. O te igitur ignarum, si non intelligis una hac tibi eripi ebrietate universa.* Hæc rursum, ut supra, per ἐπάγωγὴν πρότερον conclusione præmissa, ejusque deinde rationibus subnexis, poterunt usurpari, ut *Fuge ebrietatem hoc est serva valetudinẽ, nulla enim sanitati hac una pestis est infestior, stomachum obruit, cruditates generat, tenuesq; atque e...*

ces per intimos membrorum nexus humores instillat, unde pedum manuumque usus atroci dolore enervatur. 9. Per dilemma idem sic urgere poteris, *aut ebrietas fugienda est, aut denique carendum sanitate corporis, atque animæ salute, utrum malis elige, brevis ebrietatis voluptas est, longus amissæ sanitatis ac salutis dolor: illa levissimo oblectationis sensu palatum oblectat, hic æterno corpus animumque cruciat, &c.*

Longum sit omnem hic argumentandi varietatem expendere. Hi modi strictim percensiti sufficere tam indiligenti, quam industrio hujus artis studioso poterunt, & una cum dicendi copia varietatem suppeditare.

CAPUT XIX.

De Digressione.

DIGRESSIO est *alienæ rei, sed ad causæ utilitatem pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio, ad ornandam orationem instituta.* Episodiis Poëtarum respondet; verum frequens minus & fusa oratoribus tum plerumque usitata, cum res, vel inamœna & sterilis, vel minus grata auditori tractatur. Etenim in hanc quandam ex cognata materia, aut artificiose connexa, vel copiam, vel gratiam transfundere, cum virtute orationis conjunctum est.

Sit igitur res quæ per digressionem tractatur, cum causæ utilitate conjuncta; ne temere accersita videatur: sit deinde eidem vel natura affinis, vel ingenio apte connexa; ne per vim intrusa, & velut in catastam adducta, reluctetur: sit denique amœna & grata, sine hac enim dote, nec utilis quidem esse poterit; cum quod durum ingratumque est, quantum licet, ex propriis etiam causæ partibus proscribendum. Duplex vero, quantum ad materiæ genus spectat, potissimum est digressio, altera quæ in narratione historica versatur, continetq; expositiones rerum gestarum, locorumque, ac personarum descriptiones, qualis est Ciceronis Verr. 2. de laude Siciliæ, & in Verrina 7. plurium historiarum diductio: altera, quæ thesin, seu locum aliquem communem, qui pluribus causis potest accommodari, prosequitur; ut sunt quæ universe de fortunæ, corporisque, atque animi bonis, hoc est, virtutibus eorumque oppositis malis, & vitiis disseruntur. Ita Cicero pro Roscio in Erucium, & Accusatores ineptos digreditur. In his can-

candidati eloquentiæ præcipue exercendi sunt, quod & loci hi cæteris notiores sint, & ad res deinde singulares haud difficulter applicentur.

Quæ de *Transitione*, hoc est modo à parte una orationis ad aliam transeundi, hic nonnulli perscribunt, nobis visum est, alium sibi locum de elocutione opportuniorem requirere. Quare de hac infra dicendum.

CAPUT XX.

De Confutatione.

CONFUTATIO *pars confirmationis est, qua contraria adversariorum argumentationes dissolvuntur.* quæ tamen in diluendis argumentis (cum ordinem licet, sine nota, confundere) viam confirmationi oppositam sectatur. mediocria in fronte aggreditur; ut & par esse possit; & hostile robur non videatur negligere, & fortissima in mediam digerit aciem imbelliora in finem rejicit, leviori opere, & tanquam victrici jam manu disjicienda.

Triplex vero à Quintiliano lib. 5. c. 13 refutandi ratio aperitur. Nam ait, *aut negandum, aut defendendum, aut transferendum est* quod objicitur. Quod enim falsum est negatur; quod verum admittitur, & velut r[illegible]tum defenditur, vel deprecatione lenitur, vel explosione aliqua elevatur. quod anceps in adversarium, aut alio transfertur. Quibus in rebus, non tam eloquendi ornatus & copia (ut in Confirmatione reliqua fit) quam ingenii vis, & acumen valebit: tum vibrans quædam & stricta dicendi ratio, per interrogationes, subjectiones, concessiones ironias, & increpationes adversario intorta.

Quemadmodum igitur negando confutabit? Aut simpliciter negabit, ut Cicero pro Quintio. *Negamus te bona Quintii, Sexte Nævi possedisse ex edicto Prætoris*: aut certe ex persona, vel adjunctis, contrarium verius esse demonstrabit. Sic pro Rosc. Amer. *Patrem occidit Roscius. Qui homo? adolescentulus corruptus, vetus sicarius, homo audax, &c.* quod ironice subjicit, ut ostendat, qui talis non sit, parentem occidere non potuisse.

Quomodo defendet factum quod negare non potest? 1 Si nullum petet effugium, atq; ex Judicis arbitrio non ex legum rigore ejus remissio: aut etiam, si quantumvis defensum, adhuc

huc dubium maneat, verumne sit? deprecando, atqui Judicis clementiã confugiendo tuebitur. Illud Cicero pro Ligario: hoc in variis perorationibus facit 2. Si factum elevemus, vel regerendo par factum, in personam adversarii, ut iccirco hæc illi accusatio obesse etiam debeat, si obsit accusato; vel simile argumentum ex re ipsa petendo, unde pari arte, & vi adversus Tuberonem accusatorem facit, cum in eodem illum crimine hostilitatis in Cæsarẽ fuisse contendit, cujus Ligarium arguebat. hoc pro Cælio agit, ut scilicet, cum luxuriam præteritam negare non posset, jam saltem ex laboribus actionibusque susceptis, frugi hominem esse, emandato errore doceret. 3. Si hoc quod factum est, vel re factum probemus vel certe ex eo minime consequi quæ adversarius intendit, utrumque pro Rosc. Cicero conjunxit. *Vides*, ait, *Eruci quantum distet argumentatio tua, abs re ipsa atque a veritate quod consuetudine patres faciunt, id quasi novum reprehendis, quod benevolentia fit, id odio factum criminaris &c.* 4. Facetis urbanisque nonnunquam dictis facti gravitatem eludimus, in quo genere egregius artifex Cicero est, sic pro L. Flacco testes Asiaticos facere exagitat, ipsumque manifestis delictis subducit. 5. Cum negari crimen nequit, saltem attenuetur verbis, ut pro sordido parcum pro maledico liberum fuisse non diffiteamur. Elevemus factũ similibus, aliorumque exemplis virorũ illustrium, quos una labes non obscurarit. Quæ ab adversario facti adjuncta minus urgentia adducta sunt, hæc disertissime à confutante, cæteris firmioribus dissimulatis, exponantur, ut facilius veniam mereatur.

Quo pacto factum transferet, adversarium redarguendo? 1. Si factum anceps, non probabile, imo fictum probare conetur. Sic pro Cluent. Cicero. *Iam verò illud quam non probabile, quam inusitatum, quam novum, in pane datum venenum? facilius ne potuit, quam in poculo? &c.* 2 Si per contrariã à se dicta adversarius refellatur, ut pro Cælio, *Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod summi odii argumentũ est.* 3. Si adversarii suimet argumentationibus periti in criminis suspicionem adducantur. Sic pro Roscio, sicarios Sexti interfectores ab accusatoribus potius immissos docet. 4 Si crimina tanquam indigna quæ objiciantur, contemptim Orator respuat, ut ibidẽ Cicero de Erucio. *Ille quomodo crimen commentitium confirmaret non inveniebat; ego res tam leves quemadmodum infirmẽ ac diluam, reperire non possum.* 5. Si explodat facinus, vel stri-

cta in-

cta interrogatione; vel cum indignatione respuens; vel cum permissione aliquid indulgens; vel cum irrisione rejiciens, modo desit immodestia, quod pro Muræna egregie Cicero præstitit, cujus infra exemplo prolixius utemur.

Hæc universe de confutatione dicta sufficiant, in qua Cicero supra omnes suæ ætatis Doctores, uti & in amplificatione (de qua postea) maxime excelluit. Hanc autem erudite tractare, plus sæpe ingenii, quam artis continet. Ego paucis his multa de illa complexus sum, unoque difficulter exemplo, in materia de ebrietate declararem, nisi brevitatis studio absisterem. Nam Germanum pro ebrietate adversus Italum accusantem inducerē, defensioni ille quædam non importuna reperiret, licet quædam ingeniosa magis, quam solida. Dicat Italus Germanum vino abuti: hic vel neget: vel etiam ostendat, quā temperanter prudenterque illo ad multa utatur. Dicat Italus nonnunquam vino inebriari: concedat Germanus: &, vel deprecetur lapsum? vel Italos non minus in hoc delinquere, aut in alio gravius etiam prolabi crimine asserat: vel non malo quandoque eventu à Germanis fieri contendat quod amicitia hoc pacto læsa sarciatur, nondum facta coalescat: vel facere explorat, quod mirum videri non possit, si Germanus Rheno vinifero propinquus aliquando sese abluat: aut linguam tardiorem durioremque hoc liquore solvat, ac molliat. Denique tantum minime delictum haberi posse, quod tot tamque gravibus aliorum sententiis præstringatur, cum humanitatis atque hospitalitatis ratio id exigere à Germanis semper visa sit, ut liberali illam haustu, apud gratos sibi amicos contestentur. En delictum utcunque defensum. Nunc quemadmodum idipsum transferendū sit videamus. Dicat Italus, recte Imperatorē facturum, si ebrietatem frequentiū inter Germanos turbarū cædiumque causam, legibus civilibus proscribat ac puniat. Neget Germanus, tū quod anceps sit; plus ne mali an boni ex hac lege secuturum sit? lex autem ferri debeat, ob majus bonum: tum quod Italus, cum suo concedat, Germanos inter pocula de maximis rebus agitare consilia, unde vinum sapientiæ fomentū esse necesse sit; contra affirmet Germanos maxime delirare inter pocula, qua in re manifeste secū ipse pugnet adversarius: tum quod odia inter vinū sese prodere, atque in cædes nonunquā erūpere inter Germanos laudabilius sit, quā inter Italos pluribus hæc sæpe añis occultata in cædes insidiosas ac repen-

repentinas sæpe effundi: tum quod levicula hæc sint, aliquando vulnere aliquo accepto datove, contentiones atque odia terminari; neque digna quæ in totius generis singularem infamiam trahantur, tum denique quærat: adeone sancti ac moderati sunt Itali, ut se non aliquando (& quam Germani etiam frequentius) mutuo depectant? an idcirco novis legibus, quam Christiana præscribat charitas, obstringendi videantur. Hoc fore ludibrio leges objicere, de re tantilla legem condere, leges sine lege ferendas non esse. Germanos sine legibus etiam juxta legem vivere. Dignam hanc Italis fore, qui inter pocula gravius delirarent, &c.

En contentiosæ orationis, ultro citroque suis argumentationibus ductam, per plerasque refutandi vias, materiam: quam, ut par est, ornate dicendo eloquentiæ studiosus, exercitationis gratia, poterit.

CAPUT XXI.

De Peroratione.

PERORATIO *est totius Orationis generalis quædam conclusio, ad persuadendum accommodata.* Hæc duabus potissimum absolvitur partibus; enumeratione & amplificatione rerum præcipuarum.

1. Enumeratio hoc fine instituitur, ut totius causæ vis, & comprehensio, velut in brevi tabella, memoriæ judicioq; auditorum proponatur. Amplificatio, ut rationum fortissimarum, velut in unam collatarum aciem, totus simul impetus animum affectumque auditoris expugnet, nisi una aliqua tam potens sit, ut hæc tanquam generosus in exercitu imperator, sola adreportandam victoriam, cæteris tantum stipantibus, maxime contendat. Hic vero omnes eloquentiæ nervi ab oratore intendendi sunt, cum supremus ille congressus sit, in quo nisi perrumpat vincatque persuadendo, operam frustra collocavit. Fidem igitur in rebus docendis, affectum etiam in agendis (quæ præcipue Orator tractat) obtineat necesse est, si propositum sibi finem assequatur.

2. Providendum vero in Enumeratione erit; quid causa, quid auditor postulet. Si causa, vel obscurior, vel prolixior, auditor etiam rudior, quam ut omnium meminisse rationum possit, articulatius illa disertiusque instituenda est, ut omnia simul

simul menti ad impetrandam fidem subjiciantur, ubi verò aut brevis, aut clara est, aut etiam satis auditor instructus, summa tantum delibanda erunt rerum capita, quæ conclusioni urgendæ sufficiant, aptisque sententiis, figurisq; exornanda; ne vel illius diffidere memoriæ, vel ex repetitione fastidiũ movere possis. Maxime vero cavendum, ne diserta rationum inductione, alteram quasi orationem instituere videaris. Sic igitur de vitanda ebrietate licebit peroranti rationes enumerare. *Quare cum ebrietas ita turpis sit, ut omnem honestatem obruat, ita noxia ut gravissima mala inferat, ita injucunda, ut difficillimis gravet laboribus, procul tantum malum à vestris arcere consortiis. nolite oblivisci Christiani nominis, tanto Sanguinis Christi pretio comparati, salutis vestræ tam impense ab illo quæsitæ, felicitatis æternæ, tam bruta voluptate proditæ*, &c. *Invitant vos tot heroum animæ temperantiæ laude illustres: suo exemplo provocat majorum pietas. Christus ipse suis & legibus urget, & cohortatione impellit, & vita incitat*, &c. Ubi vides, tam ex locis propriis, quam communibus perorantem gravissimas quasque rationes strictim colligere.

3. Rursum in amplificatione, quæ ad motum instituta est, providendum erit, ut non tam multis, quam efficacibus verbis sententiisque propositum urgeas. Quare vehementes amplificationis figuræ (de quibus infra) atq; inprimis apostrophe, deprecatione Judicum, Invocationes Dei, ac Cœlitum, tum etiam nonnunquam prosopopœiæ ad impellendos animos poterunt adhiberi. Ante omnia verò affectum quem Orator auditoribus impressum voluerit, hunc in se exprimat necesse est. quod Cicero *in Orat. perfecto*, & in se præcipuum ad impellendum auditorem fuisse adjumentum, & in aliis futurum, agnoscit. Juverit hic imagines rerum absentium vivaci phantasia expressas, velut præsentes intueri, rebusque ut gesta sunt, interesse, quod potentissimum hoc sit, ad excitandos affectus invitamentum, & quandoque etiam auditoribus, ut suis lineamentis ad vivum depictæ exhiberi possint, ut in nostro de ebrietate themate. *Proponite nunc vobis divitem illum helluonem, post vitam infamem sceleribusque plurimis obnoxium, sic denique in flammis infelicibus Abrahamum compellantem: ille ego hominum miserrimus, qui olim in purpura ac bysso, in auro & gemmis, inter obsequentes famulantium manus, epularum ac vini consectabar delicias, (heu fluxas nimium voluptates, & erepta cito gaudia) nunc in squalore ac tenebris, inter hominum ac Dæmonum opprobria, inter tormenta nunquam finienda,*

da, atrocissima siti conficior. affluebant mihi olim ad famem sitimque extinguendam omnia, nunc vel unica refrigerantis aquæ gutta destituor. Damnata sit illa lux, quæ me primum in lucem effudit, æternæ quondam caligini destinatum, damnata nutrix quæ suo lacte pavit, nunc siti atq; ardoribus sempiternis crucianaum, damnata opes, quæ funestissimum persuasere in mensa luxum, damnata pocula, ebrietatis quondam instrumenta, nunc sitis alimenta perpetua. Cavete hunc lapsum nepotes vestriq; tam infelicis avi posteri, huc animum mentemque, si quam habetis, ad tristissimum hoc spectaculum ardentis æstuantis, extremeq; inter summos dolores sitientis convertite: hinc torquet conscientia, inde flamma excruciat; hinc frigus horrendum & trepidatio, inde ardor, & exurens siccitas, &c.

Porro, & res, & figuræ, in quavis oratione, ad illum, quem spectas, affectum concitandum adhibendæ sunt. Spectatur autem in genere demonstrativo, vel amor & æmulatio auditoris, tum denique gaudium & delectatio in bonis laudati: vel contemptus & odium illius, qui reprehenditur. In deliberativo, si suadeas amor, desiderium, spes confidentia; si dissuadeas, odium, fuga, timor, desperatio obtinendi nascitur. In judiciali cum accusas, odium; pudor, invidia, tristitia, ira, indignatio: cum defendis, amor, spes, & commiseratio quæritur. Quorum affectuum illi dominantur, quos Orator sibi in peroratione tanquam scopum dictionis proposuit, ut sunt in demonstrationibus amor, vel odium, seu delectatio, & indignatio: in deliberationibus spes, vel timor: in judiciis commiseratio, vel aversio, seu indignatio. Cæteri affectus sparsim in suis quique orationum generibus concitantur, idque amplificationis potissimum beneficio, quæ in rebus magnis & figuris ardentibus versatur. Quocirca nunc de illa seorsim agendum est, ne quid ad perfectam orationem desideretur.

CAPUT XXII.

De Amplificatione.

AMPLIFICATIO *est gravior quadam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* ut Cicero in partit.

Hæc duplex est, alia verborum, rerum altera. illa vel in solis consistit verbis, vel in verborum & sententiarum figuris; hæc in sola expositione rerum gravium, atque ad illum, quem spe-

cto,

cto, affectuum tendentium, quadruplici à Quintiliano lib. 8. cap. 4. specie comprehenditur. De singulis videamus.

1. Amplificatio verborum. 1. fit per verba gravia & consonantia, ut, *immane flagitium, conscelerati mortales*, 2. per verba translatione rerum gravium illustria, ut *incensus ira, inflammatus cupiditate, charybdis bonorum*. 3. per excedentia in aliquo adjuncto, ut, *domuisti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas*. 4. per excedentia significatione, sic in Verrem Cicero *Non furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum sed hostem sacrorum religionumque in vestrum judicium adduximus*. 5. excedentia comparationis gradu, ut *conspectus mihi vester multo jucundissimus, hic locus autem ad agendum amplissimus visus est*. 6. epitheta splendidiora ut *incredibilis ac prope divina Consulis virtus, ac industria, crudelissimum civem Catilinam urbe expulit*. per periphrasin, seu descriptionem ut P. *Lentulus inimicus Clodio, ultor sceleris illius, propugnator senatus*, &c. Turca *Tyrannus Asiæ, prædo Europæ*. 6. per verba idem significantia, raro tamen cauteque, ne puerilis videaris, usurpanda, ut Cic. de Catil. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefarie molientem ex urbe vel ejicimus, vel emisimus*, &c.

Amplificatio figurarum diversarum beneficio utitur, qualis est hypotyposis, prosopopæia, interrogatio, subjectio, exclamatio, exprobratio, &c. de quibus suo loco infra.

2. Amplificatio rerum quadruplici via instituitur. Congerie, ut ait Quintilianus, incremento, ratiocinatione, & comparatione, quæ omnes in eo conveniunt, quod res graves & affectibus movendis opportunas tractant; Cæterum ab aliis argumentationibus non dissimiles, & Congeries quidem atq; incrementum per omnes intrinsecos, quosdam etiam extrinsecos effunduntur, ratiocinatio in solis oppositis, Comparatio in sibi propria sede subsistit. Omnes in eo conveniunt, quod rei magnitudinem subjicere animo conentur. Congeries, illam per partes explicando; cæteræ easdem, vel inter se, vel cum aliis conferendo. Nos sigillatim primo de earum natura, deinde de rebus ad quosvis affectus postulatis agemus.

CONGERIES est *conglobatio quædã argumentorũ diversorum, in re gravi* sive definitionum, aut partium rei, sive causarum, aut antecedentium, sive effectuum, aut consequentiũ, sive attributorum, sive adjunctorum, seu deniq; pugnantium,

seu

seu parium, aut disparium, seu exemplorum, aut testimoniorum. Per singulorum hic ire exempla longum sit, atque alibi opportunius est futurum. Cum, ut recte sua vi intelligatur amplificatio movens, & ingressum ad illam, & motum (qui præviis rationibus solide est muniendus, ne velut inermis expugnator hanc arcem animorum invadas) & ipsum progressum, qui rationes, velut tela acervatim spargit, neque in unius loci amplificatione consistit, sed ad causas, ad effecta, ad adjuncta, eorumque contraria sæpe eodem calore fertur; denique & ejusdem exitum, qui tanquam jam occupata arce, sensim impetum, ad possessionem capiendam, remittit; necessarium sit cognoscere. Quare, nisi integris orationum membris, hoc artificium non licet exponere, ideoq; separato ad hanc rem exemplorum libro inferius trademus. Breve illud nunc sufficiat, Cic. pro Milone, quo ex oppositis & descriptione, cladem incensæ à Clodianis Curiæ ad dolorem & indignationem populi concitandam, deplorat. *An ille Prætor, ille vero Consul, si modo hæc templa atq; ipsa mœnia, stare eo vivo tamdiu, & consulatum ejus exspectare potuissent? ille deniq; vivus nihil mali fecisset, qui mortuus uno ex suis satellitibus Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, publici consilii, caput urbis, aram sociorum, portum omniũ gentium, sedem ab universo populo Rom. concessam uni ordini, inflammari, exscindi, populari?* In quo exemplo pleræq; amplificationis virtutes in ipso servandæ progressu impetuq; elucent. Ut quod brevibus delectetur membris, & incisis, iisque plerumque dissolutis (nisi cum multitudo aut varietas rerum significanda est; tum enim frequentantur conjunctiones. Deinde quod acres figuras amet, ut est interrogatio, exclamatio, apostrophe, &c. Denique oppositis frequentatis, & conglobatis definitionibus inprimis conciterur.

Incrementum est *conglobatio argumentorum, in re gravi, sensim ascendentium.* Diffunditur per locos tam proprios, quàm communes, ut etiam congeries, sed in hoc ab illa differt, quod vi & magnitudine res dispares conglobet, gradatim per hæc ascendens. Major in hoc quam in sola congerie vis est. Per definitiones diversarum rerum sensim ascendit. Cic. Act. 6. in Verr. ob simulacrũ Siculis ereptũ n. 88. *Vnum crimẽ videtur esse, sed plura sunt. Est pecuniarũ captarum, quod signũ à sociis pecunia magna*

magnæ sustulit: est peculatus, quod publicè populi Rom. signum de præda hostium captum, positum Imperatoris nostri nomine non dubitarit auferre: est majestatis, quod imperii nostri gloria rerumque gestarum monumenta evertere, atque asportare ausus est: est sceleris, quod in hominem innocentē, in socium nostrum, atque amicum novum ac singulare supplicii genus excogitarit. Idem Tullius ab adjunctis pro Roscio Amer. Judices ad vindictam incitat n. 12. *Petimus abs te Fanni, à vobisque judices, ut quam acerrimè maleficia vindicetis: ut quam fortissimè hominibus audacissimis resistatis: ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit ostendatis, eo prorumpere hominum cupiditatem & scelus & audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros, Iudices, inter ipsa subsellia, cædes futuræ sint.* En gradus. clam, in foro, ante tribunal, ante pedes interque subsellia; cædes fient. Est autem hic locus adjunctorum, pro incremento maximè fœcundus, potestque ex diverso rerum genere augeri, ubi illud in Antonium ebrium Phil. 2, n. 63. illustre est. *Tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Rom. conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpè duceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is esculentis frustis vomens, vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal implevit.* En gradatio in diversis factis, à cœna ad cœtum populi, & negotium publicum transcendit, ab eructatione ad vomitum, & vomitum tam turpem in sinum & tribunal effusum.

Comparatio *amplificans est ex simili vel dissimili rerum gravium, per diversa argumenta, instituta prudenter, ad rem augendam, collatio.* Hujus cum magna ad orationem extollendam vis sit, neque brevibus facile exemplis innotescat, alibi de ea ex Cicerone prolixius agendum est. Ad has verò diducendas rectè Quintilianus monet, utriusque partis inter se conferendæ adjuncta, quæ maximè augere rem possint, diligenter excutienda esse. juvabitque magis singula conferre singulis divisim, quam omnia junctim universis ut Cic. *pro domo sua* Clodium domum suam inconsultis Pontificibus Libertati consecrantem, cum Cassio dedicantem Curiam Concordiæ ita comparat. *Quæso, Pontifices & hominem cum homine,*

mine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat summa modestia & gravitate cens.r; hic Tribunus plebis scelere & audacia singulari. tẽpus erat tranquillum, & in libertate populi, & in gubernatione positum senatus: tuum verò tempus libertate populi Rom. oppressa, senatus autoritate deleta res: plena justitia, sapientia, dignitatis. Censor enim, penes quem Majores nostri (id quod tu sustulisti) judicium senatus de dignitate esse voluerunt. Concordia signum volebat in curia, aramque ei Dea dedicare, ut sine studiis dissensionis sententia dicerentur, si sedem ipsam, ac templum pulchri consilii, religione Concordia devinxisset: tu cum ferro, cum metu, cum privilegiis, cum præsentibus copiis perditorum, absentes exercitus terrore, & minis Consulum societate & nefario scelere, servitute oppressam civitatem teneres, Libertatis signum posuisti, magis ad ludibrium impudentia, quàm ad simulationem religionis, &c.

Porrò cavendum in hac collatione rerum, ne immodico augendi studio fidem similitudinemque excedas, ne, ut puerilis, risum pro motu habeas. In mitioribus tamen affectibus sæpius locum opportunum invenit comparatio: ut pro lege Manil. n. 36. integritas & temperantia Cn. Pompeji & n. 42. ejusdem felicitas, cum aliorum Imperatorum virtute ac felicitate confertur.

Ratiocinatio *amplificans est, cum expositæ rei augmento, alterius partis æstimatio augetur.* Ita Cic. in Verrina 7. ut crudelitatem Verris extolleret, civium Rom. supplicia graviter exaggeravit. Contra poterit aliquis Maxentii tyranni crudelitatem extollere, ut Martyris Catharinæ illustret constantiam. Et Cicero pro lege Manil. ut Pompeji in bello virtutem magis faceret admirandam, belli Prædonum gravitatem exposuit. Sed minor in ratiocinatione, quàm cæteris vis est, quòd rem ipsam non ita oculis distinctè subjiciat; sed velut per ambages insinuet, ut iccirco magis tectæ amplificationi deserviat.

CAPUT XXIII.

De Affectibus generatim.

SEnsim ad nobilissimam orationis partem, & velut sanguinem animamque illius delabimur. De qua ex æquo penè certat inventio, dispositio, atque elocutio, cui potissimum debeatur; cùm omnes in hac una perficienda laborent. Nos hoc

loco

loco ejus exponere principia maluimus, ut Orator ab exordio usque ad finem per singulas Orationis partes decurrens, persuasionem (quæ affectuum victoriam includit) tanquam scopum sibi haberet propositam. Quam unam si in loco neglexerit, frustra in cæteris omnes nervos contendit: si fuerit assecutus, negligentiam aut ignorantiam in reliquis admissam partibus, hic abundè compensavit. Non referet; quâ viâ, aut arte hostem straverit, modò victor triumphet.

Est autem *affectus: motus animi ex apprehensione boni vel mali exortus.* Dividitur in πάθη καὶ ἤθη affectus sensibiles, vehementiores, & lenes morum illi concitato feruntur impetu, atque ut torrens obvia rapiunt, odium, invidiam, metum, iram, miserationem, desperationem adferunt; hi desiderium, amorem, spem, lætitiam, & quandoque etiam miserationem conciliant. Illi elatam vocem, incisam, abruptamque & inflammatam dictionem, minaces oculos, vultum horrentem, jactata crebro latera, & brachia: hi tardam leniterque fluentem vocem, orationem tractim & circumductè fusam, raros & lentos corporis gestus, submissum placidumque vultum. Utrosque suis locis permiscere nosse, summæ artis eloquentiæque est. ad quam idoneam adferre vocem naturamque oportet ut sine qua omnis illius industria evanescat, nisi quis fortè in rebus scribendis eandem collocaverit.

Ad concitandos idoneo motu animos, tria præcipuè Oratori consideranda sunt, personæ. res & modus tractandi.

1. Quod suprà monui, & hîc valet maximè, habenda est ratio personarum tam illius qui dicit, quàm qui audiunt: non enim omnibus omnia conveniunt.

Orator ipse, nisi à probitate, ætate, scientia vel dignitate commendationem aliquam adferat, parum movebit. Adolescens, nisi ad voluptatem, aut miserationem, vix impellet; dolori & indignationi concitandæ inferior est.

Idem quo auditores accendi volet affectu, hoc ante exardescat necesse est. Hic ignis, nisi à tali igne non concipitur. Quare si crudioris naturæ sit, quam qui hos facilè ardores in se primò excitet. Duplici ad hoc connitendum via erit. Una quam imaginatio aperit, altera quam ipsa dicendi ratio. illa posita est in viva quadam rerum gravium repræsentatione, quà se illis, vel illas sibi intuendas sistit, defixaque in tales mente orationem rebus conformat, & quodammodo animat

auditoribuſque pari, quâ contemplatur, vitâ repræſentat. Hæc, ipſam cum perſona orationem, vel ad alios transfert; vel aliorum ad ſe translatum ſuſcipit. ut ſi quis D. Magdalenam, Dominum ſuum quærentem, ipſius verbis ſuſpiriiſque, ut poteſt, expreſſis, cum Origine, introducat. aut ſi contra ipſe Petri, aut Davidis, ſuum lapſum dolentis, perſonam induat; cogitationes, voces, querelas, vota, deſideria, contentiones, deprecationes, lacrymas etiam, ſi poteſt, imitetur. eſtque hoc ultimum genus, auditores etiam commovendi; tectum atque inſidioſum, quo velut per cuniculos expugnatur, & hinc illi tam potentes ſæpe in tragœdiis motus.

Auditor quoque ſua nobis indole, conditione, atque inclinatione debet eſſe perſpectus. *Equidem*, ait Cicero de Orat. n. 186. *ad animos Iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque verſor, ut odorer quam ſagaciſſimè poſſim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid velint, quo deduci facillimè poſſe videantur.* Agreſtibus ſæpe hominibus corneæ in pectoribus fibræ ſunt; nec docti gravesque viri, molliorum rerum ſenſu tanguntur, quibus mulieres, juvenes, ſenesque inflecti videas. Multum quoque intereſt, quibus quisque à prima ætate moribus inſueverit, quibus parentibus educatus, quo cœlo natus ſit. Galli humanitate & morum comitate eminent: ingenio ut facili & excitato: ita mutabili irrequieto, gloriæ cupido. Hiſpanorum major gravitas, conſilium tectius, conſtans fides, honoris ambitio, quem ſi illis deferas, obtineas omnia, ſi neges, habeas implacabiles. Germanis ingenium tardius, ſed labore ad ſumma etiam emergens; candor & ſimplicitas morum commendata, peregrinandi & linguarum gens avida, tam levis in aliorum habitu effingendo, quàm conſtans in ſua fide: obſequio prompta; at ſervitutis impatiens. Itali parem cum ingenio jungunt induſtriam, omnis belli domique artis capaces, tam faciles offenſu quàm placatu difficiles. cùm degenerant, extremi in vitiis, cùm aſſurgunt in virtutibus Gallos & Hiſpanos honore, Italos ac Germanos utilitate facilius duxeris. Et ætatem quoque intueri oportet, nam adoleſcentes rebus jucundis, ſenes utilibus tenueris. Sic officia cùm videris, militem gloriâ, mercatorem & ruſticum lucro duxeris, ita nobilis honorē commodis, ignobilis commodum honori prætulerit. Universè

vulgus rerum amissione, incendiis, bello, morte percellitur, graviores viri ignominiâ potissimum, extremisque etiam calamitatibus impelluntur. Denique & hoc generatim tenendum est, mortales omnes adversarum magis rerum impetu, & malarum trepidatione, quàm spe atque exspectatione secundarum concitari.

2 Ratio deinde ipsius causæ habenda est, videndumque quos illa requirat affectus, & quibus hi rebus argumentisque præcipuè concitandi sint.

Demonstrativum igitur Orationis genus, cum dicendo oblectet, nonnisi mollioribus affectibus, amori, lætitiæ, benevolentiæ & admirationi, in laudibus, aptandum est quod fiet, commemoratione meritorum, earumque quæ animos concilisnt virtutum, ut sunt illæ inprimis, quibus communi patriæ, aut aliorum bono prospectum est; pietas erga alios, humanitas, liberalitas, clementia, æquitas, religionis studium. In mortuorum laude ostendes etiam quanto patria, religio, ecclesia, cives, pauperes, liberi, per ipsorum mortem, præsidio spoliati sint. Si vivos reprehendas (nam mortuis parcendum, nisi eorum vitiis posteri innitantur, ac faveant) ad odium indignationemque movendam, opposita his vitia præcipuè insectaberis.

Deliberativum genus amore etiam & odio, spe ac metu, pudore, audacia, ac desperatione gaudet. Amorem, spem, confidentiamque suadens accendet, si utilissima quæque, honestissima ac jucundissima, quæ loco, tempori, personisque maximè viderit accommodata, eaque obtentu facilia esse demonstrarit. Contra qui dissuadet, ad odium metumque, ac desperationem obtinendi concitandam locis oppositis inhærebit. Exemplorum hic vis magna futura est.

Judiciale genus, cùm accusas odio, pudori, indignationi iræque obnoxium est. quos affectus concitabis, ex malorum aliis illatorum commemoratione: præsertim si perfidè, iniquè, crudeliter in miseros, vel innocentes, sævitum sit, in defensione verò spem concitabis ex concepta emendatione, & misericordiam ex afflictione, quam, vel ex ignorantia delinquens, vel casu fortuito incurrit, tum deinde ipsius merita & benevolentiam in alios, si qua fuerit, pristinum felicemque quondam illius statum, cum præsenti comparatum exponens, ostendensque calamitatem esse, quæ non ipsum solum,

verùm alios immerentes, ut liberos, familiam, amicosque simul involvat. quod potentissimum est ad animos penetrandos argumentum, in quo plerumque Cicero triumphavit, ut pleræque ipsius perorationes testantur.

Universè igitur argumenta affectuum ex communibus locis eruenda sunt, eo tantùm delectu; ut res quæque gravissimæ & pro tempore, loco, personisque, quibus Orator utitur, ad movendum potentissimæ sunt, adhibeantur. Has autem deligere non tam artis, quàm judicii est.

Sunt autem aliæ res magnæ natura, ut divina ac cœlestia, quæq; in terris, aut ob raritatem & pretiũ, aut, propter occultas causas, amorem vel admirationem merentur. aliæ res propter usum æstimationemque hominum magnæ habentur: quæ vel bona nobis, vel mala sunt. illa in fortunæ, corporis & animi bona dividuntur. quorum si nobis possessionem obvenire posse Orator ostendat, spes & desiderium nascitur: si obtineamus, admiratio, amor, & gaudium existit; si quis illa conetur possessa eripere, timor, tristitia, indignatio oritur; si amittamus nostrâ culpâ, pudor & dolor; si alienâ, ira atque odium; si casu nos, vel alii, tristitia & commiseratio. In malis verò vel imminentibus, vel jam opprimentibus, tristitia, dolor, desperatio, commiseratio, indignatio emergunt.

3, Postremò ratio diligens habenda est, ut intelligas, qua via optimè & inducas & producas commotionem affectuum. atque hic duo, post rerum delectum, inprimis observanda videntur; primum est, ne ardenti aliqua figura ad motum componatur oratio, nisi prius thema propositum manifestis argumentis demonstratur fidem auditori fecerit; nullius enim voluntas ad incognitum inclinatur. alterum est, ut sive apertè, sive furtim, & quasi per cuniculos (quod plus artis virium que habet) animum auditoris oppugnes, leniori sensim vi impetumque dicendi, tanquam velitatione quadam ad fortissimum congressum, præludas; neque vim summam, nisi varietate quadam vocis, figurarum atque affectuum producas. Facilè enim concepta hæc flamma nisi novam ardoris materiam subjicias, evanescit. Quare aptis ad flectendum exaggerationibus, figurisque nunc elevanda, nunc rursum inclinanda: nunc præcipitanda, nunc sistenda iterum, ac circumducenda erit ratio. Ad quam rem plurimum in dicente potest apta vocis moderatio, quam, nec præstabunt qui assurgere, secumque audien-

audientis transferre sensim ad summa animum, cum virtute, nequeunt; nec qui ad summum evecti dicendo tonum, remittere, cum opus est, vocem non possunt. Utrumque vitiosum est; vel in medio semper tono sine varietate sistere, vel in summo perpetua contentione luctari.

Ut verò duplex potissimum affectuum genus est, lene, quod amorem, benevolentiam, dolorem, commiserationem, aliosque molliores animi commotiones amplectitur; & vehemens, quod audaciam, iram, fugam, desperationem, indignationem gravioresque motus continet; ita & diversum iisdem orationis genus, vocisque moderatio est aptanda. Lene, quod in exordiis non rarò gratiæ conciliandæ servit, verbis sententiisque grandioribus ac circumscripto dicendi genere delectatur, voce submissius, tardiusque circumductâ gaudet. è diverso vehemens affectus concisis vibratisque inter repetitiones, interrogationes, aliasque ardentes figuras sententiis effervescit, vocis elatæ concitatæque requirit imperium. quæ qui negligit, vitam subtrahit orationi, frustraque animorum regnum affectat.

Hæc generatim de affectibus dicta suffecerint, quibus sigillatim nonnulla adjicimus.

CAPUT XXIV.

De Natura, Causis, Effectisque *singulorum affectuum.*

UT Orator in se suisque auditoribus affectum exprimat, illius naturam, causasque, quibus excitetur, aut componatur, tum effecta, quibus cognoscatur, nosse conveniet. Quare hæc in plerisque, quamvis strictim, & per summa tantùm rerum capita, investigabimus. Qui prolixius hæc eadem tractata desiderat, Aristot. lib. 2. Rhet. cap. 1. usque ad 18. consulat.

Amor itaque, qui in affectibus regnum tenet, est *propensio quædam animi in rem bonam, ut bona est,* quam si alteri cupiamus, amor benevolentiæ, sive amicitiæ dicitur, si nobismetipsis, seu nostri causa, concupiscentiæ appellatur. & hic sæpe turpis est, quem Orator etiam dissuadet.

Amor conciliatur, partim natura, partim moribus. natura hos potius diligimus, quos genere, ætate, studiisque, ac periculis etiam communibus, propius accedimus, similitudo enim quædam amoris est conciliatrix. Familiaritate hic alitur.

 Quod

Quod si deinde forma & pulchritudo corporis, ætas florens, nobilitas & opes, grata indoles, ingenii jocosi urbanique facilitas adjungatur, plana ad amorem non honestum solum, verum & turpem via est. In moribus utrique etiam amori favet, comis vultus ac sermo, simplicitas & candor animi, fiducia & secretorum communicatio, tum pericula, alterius societate potiundi causa, animosè subita, postremò amor ipse amoris potentissimum illicium, muneribus quoque ac liberalitate culta amicitia. Hæc igitur, qui amorem sibi, vel aliis conciliat, aut seipsa præstare debet; aut dicendo prædicare. Quanquam & amoris honesti dignitas, & fructus sanctæ familiaritatis, ejusque mira jucunditas, amandi possint esse incitamentum.

Benevolentiæ amor præter hæc singularibus quibusdam stimulis excitatur, ut illius, quem volueris amari, innocentiâ, humanitate, mansuetudine, constantiâ, fidelitate, ac virtutibus penè universis, artium etiam ac scientiarum commendatione.

Concupiscentiæ amor, quo vulgus hominum magis capitur, rerum utilium commemoratione accenditur. Quare gratificandi studium, & parata beneficia, & rerum magnarum spes ostenditur.

Impurus amor dissuadetur, si illis, quæ amori huic favent, opposita induxeris, dissimilem naturam, mores improbos, fallacia fortunæ, formæque bona tum verò etiam hujus amoris vilitatem, fœditatemque, delectationem illius brevem, dolorem longum, vitæ & valetudinis damna, aliaque ejus incommoda descripseris, pœnas etiam gravissimas fœdè amantium exemplis, demonstraveris.

Vis atque effecta amoris varia sunt Emollit erga amatum, obdurat erga alios animum, in lacrymas oculos solvit, in flammas cor accendit. Mille votis & desideriis exæstuat, rei potius amatæ, per affixam cogitationem affectumque præsens, quàm sibi; illius etiam vultum, verba, gustus, motus, affectus, habitum, cùm intueri non potest, fingit, magisque est operatione ubi amat, quàm ubi animat. Sæpe ob desiderium animo loquitur, graviusque amantis cladem sentit, quàm si ipse præferat. Componit sese ad nutum formamque alterius: cum amante ridet, dolet, lætatur, gemit. ubique obsequitur, illique se submittit, ac profundit in illum omnia. non

ætas,

ætas, non forma, non honestas, non opes, non vita denique ab illo divellit, aut detinet; prodigit, ut potiatur, audet, ut assequatur, timet ne excidat. Suspicatur, horret, irascitur, exprobrat, desperat. Litigat & placatur; periclitatur & contemnit, perfringit hostes gladiosque, montes fluviosque penetrat. Blandus, liberalis, candidus erga amatum; gravis, parcus, secretus erga cæteros. Hæc aliaque in uno amore deprehendes; qui si turpis sit, in omnia sese immergit vitia; si honestus, ad quasvis virtutes enititur Nihil grave, aut impervium, verè amanti est. Quare ut hunc suadeas, virtutum inprimis pulchritudinem, pretium ac præmia; contraque ut illum dissuadeas, scelerum turpitudinem exitumque infelicissimum inprimis demonstrabis.

Juverit has etiam amoris notas effectaque Oratorem nosse ad illustres descriptiones imaginesque amantium per hypotyposin ac prosopopœjam in oratione. illic præsertim ubi motus spectatur, efformandas. Quare & in cæteris affectibus hunc ordinem servabimus.

2. Odium oppositum amori, *est aversio animi à re, quæ vel est, vel existimatur mala.* Hoc, vel justum, vel injustum est; prout in meritos atque immeritos exercetur. illud in sceleratos ita suadetur, ut vitia, non personam averseris. hoc in emendatos dissuadetur, cum essent vitia. Gravissimè autem inflammatur ex sceleribus in alios, ac præsertim rempub. grassantibus, hoc est, calumnia, libidine, avaritiâ, ingrati animi vitio, superbiâ. injustitiâ, crudelitate, impietate, quorum commemoratione Cicero in Verrem, Vatinium, Catilinam, Antonium, Clodium, aliosque odia concitat.

Ad restinguendas odii flammas origo illius exploranda est, ut fomes moveatur, idque rectè magis, quàm apertè, ne cùm expugnari se sentiat, fortius resistat. Laudabis in adversario nonnulla in quibus dissentire minus queat. ostendes errore multos in suscipiendis inimicitiis labi, & hoc ipsi evenire in præsenti re posse. rectius igitur ignoscere, quàm periculum adire, ne injuriâ oderit, errare hîc non posse, nisi humanitate & clementiâ pietatis hoc esse, & Christi exemplo traditum, legibus etiam præceptum. ut nec inimicum sine scelere odisse liceat; quid igitur, si amicum etiam oderit?

Quod si fortuna hominis, ante felicis, calamitosa fuerit, illius graphicè depicta imago animos poterit miseratione inflectere,

Vis atque effecta odii sunt, dolore, indignatione, furore, spe, desperatione, votis crudelibus, & gaudio de malis inimici, tristitia de successibus, invidiaque complere, linguam verò in minas, exprobrationes, imprecationes, convitia, diras solvere; seipsum tanto æstu affectuum miserè excruciare, atque æternum infligere vulnus animæ, ubi, nisi inimici corpori, nocere non possis.

3. Desiderium est *appetitus boni absentis*, quod dicitur *cupiditas*, si feratur in bonum delectabile, idque si fiat appetitu legibus rationis difformi, erit *avaritia*, cum spectat opes; *ambitio*, cum honores; *superbia*, cum excellentiam; *libido*, cum voluptates. Quanquam verò desiderii & cupiditatis nomen virtutibus æquè ac vitiis competat; tamen hoc ferè vitiis, illud virtutibus assignatur.

Ad desiderium igitur in auditore excitandum inflammandumque, illud, quod supra tradidimus, de personarum discrimine, ante omnia est observandum, ut quo quisque moveatur maximè, intelligas: tum verò præstantissima quæque ex illo bonorum ordine, ab honesto utilive, ac denique à facili, erunt proponenda. Consule illa, quæ de spe dicentur.

Ad restinguendam cupiditatem mala illius gravissima, inexplebilis ardor, spes sæpe fallax, frustratio affligens, prosecutio anxia & periculosa, assecutio non rarò noxia, exemplis etiam propositis, demonstrentur.

Vis atque effecta desiderii & cupiditatis sunt, perpetuis curis, metu, exspectatione, dolore, impatientiâ, immaturo gaudio, invidiâ, injuriisque conflictari; neque ipsam quidem noctem ad quietem habere liberam, laboribus, impensisque sæpe irritis fatigari, non frui obtentis, ad heredes illa vel ingratos, vel indignos, vel immemores, aut degentes transferri.

4. Fuga est *aversio à malo imminenti*, opponitur desiderio rei bonæ; atque ut hoc ex amore, sic illa ex odio proficiscitur. quare iis, quibus ad odium argumentis impellis, suadebis fugam; quibus ad amorem impellis, eandem dissuadebis.

5. Lætitia, seu Gaudium, est *exultatio animi in bono obtento*, quod si vanum sit, reprehendenda est, si verum solidumque, laudanda.

Excitatur hic affectus maximè, si quispiam à tristi atque afflicto statu ad meliorem fortunam & felicitatem transeat, tantoque est eminentior, quantò hoc major permutatio, seu

vera,

vera, seu certè apprehensa. Unde Orator ad boni possessi æstimationem extollendam præcipuè conniti debet, quod comparatione, tum status præteriti; tum aliorum miserorum inductione potissimùm assequetur. Si præterea novum & admirandum, si paucis concessum, si cum virtute atque honestate conjunctum, si majoris felicitatis atque ad alios propagandæ spe commendatum, si denique insperatum, aut minus promeritum bonum sit; uberioris inde lætitiæ seges crescet. Juverit hic etiam Oratorem in amœnas descriptiones effundi, atque, exultanti lætius stylo, quandam in se gaudii ideam repræsentare.

Ad vitiosam porrò lætitiam refrenandam, mala imminentia exaggeranda erunt, fluxa vanaq; nimium mundi fortuna, honoris vicissitudo, opum pericula, voluptatis momentaneæ longos dolores. vilis describendus animus, qui cœlo natus in eis defigatur, tam fœdam servitutem serviat, tot curis doloribusque emancipetur. Quantum honoris & gaudii ex honore, opibus, voluptate contempta, & recti conscientia promanet, ostendendum.

Vim atque affecta lætitiæ exultans testatur animus, qui ipsum etiam corpus formamque vivo florentique colore depingit, sæpe in tripudia pedes, in plausus, & acclamationes faustas, vocem solvit: totam non rarò mentem ingenuo candore explicat, rerùm magnarum spem concipit, fortunæ suæ, aut mentis integritati fidenter nititur, vota pro se aliisque concipit, ominatur felicia, sibi aliisque gratulatur, delectatur possessis, amorem ac desideria accendit; nonnunquam, aut in lacrymas, aut in deliquia, aut in mortem, exundantis gaudii impetu, dissolvitur; ut Chilon Spartanus dum filium videt ex olympicis victorem, Clydamus Atheniensis affluente gloria, Pub. Crassus exorto risu moritur. Tertul de an. c. 52.

6. Tristitia seu Dolor lætitiæ & gaudio oppositus, est *dejectio animi ob præsens malum* ab iisdem existit fontibus unde odium nascitur, unde gravissima quæque mala, in se, amicos, in familiam, præsertim immeritò exundantia, tristitiam doloremque secum deferunt.

Moderaberis huic affectui, si communem hanc vitæ conditionem esse tradas, quam cùm vitare nemo possit, insanus est, quisquis obluctando non minuit, sed auget molestiam. Si innocens malis premaris, solatium habes ab innocentia; si no-

cens, tibi imputes, neque indignè ferendo culpam augeas. An querelæ, an lacrymæ, an obluctationes, an execrationes, profuturæ quicquam sunt? si hinc nullum remedium, cur, etiam cum ignominia, adhibentur? Præmeditatio malorum cuique impendentium, ut fortius excipiantur, faciet. quod à tot millenis mortalium æquo toleratum est animo, generosè etiam superatum; cur declinas? An laudem, an gloriæ futuræ messem, an felicioris vitæ statum non intueris? An brevitas te non solatur, & minora non amplecteris mala, ut gravissima atque æterna subterfugias? Age, tolle hæc omnia, sola Dei voluntas sit, quæ statuat; an potes recusare? an rectius, justius, sapientiusque quicquam velle? cogeris, debes, optimum est. Valens igitur lubensque accipe, ut levius, quod ferendum est, perferas; ut cum honore, cum præmio. Subtrahe à cogitanda molestia animum, molestum esse non debet, quod ordinante Numine tibi est saluberrimum. cape ex studiis, ex pietate, ex transcripta ad Dei nutum voluntate; solatium.

En remedia tibi aliisque ad hunc affectum persanandum idonea. Dolor crescit ex pristina felicitatis memoria, ex comparatione felicium, ex inimicitiæ alienæ sensu, & gaudio hostium, ex cupiditate aliis nocendi, quam nequeas explere, ex vitæ tædio, ex desperatione de meliori felicitate. Hæc igitur dicendo admove, cùm auges; submove cùm dolorem imminuis.

Vis atque effecta illius sunt, quod molles, dejectos, stupidos, desperatos reddat animos. Nunc etiam voce querulus, nunc mutus dolor est, squalidus, impatiens, inquietus, iratus.

9. Spes est *ejectio animi in bonum absens arduum ac difficile, quod potest obtineri.* quæ ut parum à desiderio abest, ita iisdem impulsibus regitur. Ad hanc concitandam rei inprimis dignitas, utilitas, jucunditas, magnitudo, & facilitas audentibus explicanda. Ostendendæ vires, audacia, industria, experientia; multorum subsidia, Dei amicorumque favor, quibus possit obtineri contra obsistentium vires, ingenium, industria, ac felicitas imminuenda erunt.

Ad spem infringendam contraria omnia extolles, rei utilitatem, incommoda, dedecus, difficultatem. vires aspirantium minuendæ, obstantium augendæ sunt, &c.

Vis

Vis atque effecta spei varia sunt, multos ad ingentes conatus erigit, labores incitat, dolores mollit, miserias solatur, blanda conciliatrix, fallax spe vates & auguratrix, suspensa in dubiis, pertinax confidensque in successibus, virtutis calcar, audaciæ fomes. voluptatis & gaudii alimentum.

8. Desperatio spei contraria est, *dejectio animi diffidentis se bonum obtinere posse, vel malum imminens evadere.* Hæc iisdem argumentis depellitur, quibus spes suadetur; iisdem promovetur, quibus illa dissuadetur.

Vis atque effecta illius admiranda sunt, ut curam salutis, ita & timorem omnem excutit, mentis securæ atque immotæ, in ultionem tota hostium, cunctis periculis contemptis, fertur, consilia omnia respuit, & cohortationibus magis etiam exasperatur, solitudine ac privata meditatione sceleris gaudet, efferata mente, truci vultu, verbis aspera, audacia singulari, vindictæ cupida, & ejus expletione cum gaudio fruitura, nulla crudelitate satianda. Ejus imago apud Senecam Tragœdum Medea esse poterit.

9. Metus seu Timor est *trepidatio animi ex mali noxii & impendentis opinione orta.* Hic salutaris est, si à vitiis ad virtutem avocet; damnandus si ab hac ad illa impellit.

Concitatur metus, si mali gravitatem, immanitatemque, tum deinde præsentiam certitudinemque augeas. Si hominem, qui inferre possint, pravitatem, offensionem, potentiam, voluntatem, insidias, æmulationem extollas: signa & prodigia malè ominata proferas, expertos illorum vim, conscios & participes consiliorum aperias: denique si nullam passuro resistendi vim, effugia, subsidia relinquas.

Propulsatur idem metus, si declares contraria. vel, si malum certò sit subeundum, ut morbi mortisque; commune illud pluribus esse tradas, neque tam ingens modò Deo conciliatus vivas; imò nullum, si cum gravioribus atque æternis malis comparetur: felici exitu malum terminari posse: metuentem Deum nihil debere aliud metuere. Verbo, quale quantumque demum malum immineat, metu præconcepto non esse augendum: levius fore, si tum primum feratur, cùm incumbit.

Vis & effecta timoris sunt. anxium discrutiat animum, mentem confundit curis, suspicione, diffidentiâ, votis, præsagiis, exspectatione fatigat; corpus horrore, ac sudore,

genua

genua debilitate, tremorę membra, pallore vultum perfundit, sanitatem, opes, honores negligit.

10. Audacia vel Confidentia est *erectio animi ad mala ardua impendentia superanda.* Hæc iisdem quibus spes (quam includit) rationibus erigitur, ac deprimitur. quæ, si absque consilio ruat in pericula, *temeritas* appellatur.

Ut ad hanc impellas malorum vis imminuenda, audentis extollenda est. ad quam si bonam causam, favorem cœlitum, vi æ probitatem, atque innocentiam, aliorum gravem injuriam, successum multorum gloriam, facti æternam, pristinæ etiam virtutis memoriam attuleris, aut denique necessitatem perfringendi attuleris, facilius persuadebis.

Ut audaciam reprimas oppositis insistendum rationibus est, & hinc periculi magnitudo, inde virium imbecillitas, causa iniqua, &c persuadenda erunt.

Vis atque effecta audaciæ sunt, periculorum reddi contemptorem hominem, bellis ab rebus arduis delectari, ambiri famam gloriamque, securitate animi frui, virtutis existimatione teneri, rerum à se gestarum narratione capi, nonnunquam & superbè efferri, ac despicere cæteros.

11. Ira est *inflammatio dolentis animi, ultionem ob contemptum, aut injuriam expetentis.* cujus propensio, seu habitus in nobis *iracundia* dicitur. Ab odio differt, quod hoc sine dolore, at pertinax; ira brevis sæpe, at non sine dolore sit. hoc quovis malo; ira ob injuriam plerumque moveatur.

Excitabis iram, si injuriam, contemptumque gravem, cum exultatione hostis, & gaudio, si in officio nobis debito, si absque causa, si non ignoratione, sed destinatione, si cum fraude etiam ac maledictis, si cum generis familiæque, aut factorum nostrorum despicientia, illatum doceas: Si deinde, vel à persona abjecta in honore dignam, ab ingrata in bene meritam, à consanguinea in propinquam. Si in consortio plurium honestorum, aut subditorum alteri, injuria data sit, gravius urgebit. quam ad rem etiam opportunum tempus erit, si vel corpus, vel animus hominis concitandi jam aliquo dolore ægrescat, facilius enim erit jam inclinatum impellere.

Placabis iram, atque ad miserendum, seu ignoscendum, inclinabis, si contra injuriam contemptumque eleves, si ex officio, vel religione, vel mala instructione, aut errore, aut non iniquo animo, aut corrigendi studio, aut lacessitum, vel etiam

impo-

impotentem sui, inductum afferas: Si deinde personæ lædentis conditionem exponas, quòd, vel juvenis, aut mulier imbecillis, vel Rex, aut pater, aut Dominus autoritate præditus; vel denique vir improbus (qui enim probus noceat?) contemptus, humilis, aliis pœnam daturus; postremò deprecans, pœnitens, extremè afflictus sit. Contrà quòd persona læsa in paribus, aut majoribus etiam, si non homines, certè Deum offenderit, à quo tamen miserationem spectet.

Ipsius verò iræ turpitudo, quæ magnos nequaquam viros deceat, damna quæ ipsum inprimis iratum premat dum quietem sibi adimit, conscientiam lædit, scelus scelere vindicat, per suum jugulum hostem petit, sunt exponenda. Taceo, hac potissimum inimicitias, bella, cædes, extremum multorum exitium oriri. Captanda porrò ad leniendos animos opportunitas temporis, si potest; nam lætus, & honore aliquo vel lucro, successuque rerum, captus, vel hilaritate convivantium recreatus, facilius emollietur. Mulier etiam, ut blanda est illecebra formæ & facundiæ; tum viri Deo consecrati, ut religionis quædam in omnibus reverentia est, fortius obluctantem animum, quàm alii, impellunt.

Vis atque effecta iræ sunt. Mentem suo officio statuque dimovet, ut sine consilio judicioque ruat, indignatione, ulciscendi cupiditate, desperatione, aut certè inconsulto gaudio vindictæ, exæstuet. Linguam in convitia, contemptum, imprecationes, minas, execrationesque solvit: Oculos accendit, frontem exasperat, indignisque homine totum corpus gestibus format.

12. Mansuetudo seu Clementia iræ adversatur; *est enim traductio animi ab inordinatis iræ cōmotionibus ad quietem.* iisdem igitur argumentis, quibus iram placamus, suademus mansuetudinem. His accedere poterit, commendatio insignis clementiæ, & heroici animi seipsum vincentis magnitudo, quam præclarè in Cæsare pro Marcello extollit Cicero. ostendatur & clementiæ ingens fructus & favor, & gloria apud mortales universos. Despectus illorum, qui ab ira superantur, &c.

Dissuadetur, cùm ostendimus alios lenitate abuti ad vitia, aut incommoda gravia reipublicæ immites ipsos, ferosque, hanc minimè promereri. Mansuetudinem non esse, sed missionem atque ignaviam, æquam severitatem negligere, &c. Vide, quæ iram suadeant. Vis

Vis atque effecta clementiæ sunt, compositus semper animus, vultusque, blanda vox & grata familiaritas, suave amoris illicium, gaudium, & pacis quieta possessio.

13. Misericordia est *inclinatio dolentis animi, erga afflictum malis, quibus premi, vel ipse, in se, vel in aliis ebari possunt.* Unde facilè miseratione tanguntur, qui vel ipsi similia tulerunt, aut reformidant; vel certè alium, cujus miserentur, inter charos numerant. Amor enim facit, ut velimus ab amicis abesse omne malum. Qui igitur, vel in extrema calamitate vivunt, ubi nullius gaudent amicitia, nec gravius malum exspectant: vel in suprema felicitate, ubi nec amicos respiciunt, nec timent miseriam, non tanguntur miseratione.

Concitabis misericordiam, iisdem ferè argumentis, quibus componis iram Calamitatem quam fert miser inprimis exaggerabis, sive illa ex malis fortunæ nata sit, sive corporis, sive animi; quæ per comparationem, congeriem, atque incrementum extolles, valetque inprimis mors atque orbitas, sive in parentibus, præsertim senibus, sive in liberis aliorum præcipuè hostilitate appetitis: tum verò fortunæ prioris commemoratio, si illa florenti usus sit.

Deinde valet personæ afflictæ dignitas, ætas, innocentia: vel, si nocens sit, deprecatio, submissio, emendatio, squalor: contra affligentis vis, dolus, nequitia, indignitas, arrogantia, contumacia, aliorum contemptus, &c. quæ per hypotyposes, ethopopœjas, apostrophas, dialogismos ad Ciceronis imitationem in perorationibus inprimis effingens.

Vis & effecta miserationis sunt, quod animum mansuetudine emolliat, præ aliis sollicita sit, amorem conciliet, doloris alieni sensum trahat, querelas, deprecationesque suscipiat.

14. Indignatio est *exacerbatio animi ob bonum altori immerenti collatum.* ut sunt bona fortunæ: nam virtutis, scientiarum, & naturæ immerenti non censentur obvenire.

Concitabitur igitur, si ostendas indignum esse his opibus, honoribus, potentiâ, favoribus, amicis hominem; idque vel ob pristinas vitæ sordes, & abjectam conditionem; vel ob mores profligatos, ob prodigalitatem, superbiam, libidinem, aut periculum reip. aliis ab illo imminens.

Mitigabitur indignatio commemoratione oppositorum, atque excusatione datæ offensionis. Si vilis homo fuerit, ingenii naturæque donis, Deo ita ordinante, emersisse asseres; aut

certè

certe labore, studio, virtutibus. Si quæ objiciantur scelera, aliorum invidia augeri, vel humani laboris lapsus nunc ab eo corrigi. aut si hæc defuerint, vel genus, vel merita & virtutem extolles, quibus illa forte dignus videatur.

Vis atque effecta indignationis cum ira conveniunt.

15. Invidia est *tristitia animi, ob bonum alterius paris, quo nostrum vel excedere, vel obscurare creditur.* Differt ab *indignatione*, quòd animum dejiciat; quodque inter pares ferè sit: nam inter dispares cessat invidia; quòd tam dignum, quàm indignum illis, quæ æstimantur, bonis respiciat; quòd non solùm fortunæ, sed & naturæ virtutumque bonis, quæ laudem merentur, excitetur. Ab *Æmulatione* verò etiam distinguitur; quòd hæc ex alieni boni consideratione, ad par illius acquirendi studium inflammetur; cum invidentia illud sublatum oppressumque cupiat.

Invidia, ad justam alienæ felicitatis repressionem, accenditur, si, ut ait Cic. 2. de Orat. n. 209. doceas bona non esse virtute parta, deinde etiam vitiis atque peccatis: citra laborem & pericula, turpi etiam gratia. Non esse tanti ulla merita, quanta sit insolentia hominis, cæteros præ se despicientis. præreptos aliis honores, qui digniores fuerint. aliorum damno emersisse.. Laborandum omnibus, ut penes antiquas familias, penes optimè de rep. meritos, non penes novos sibique tantum natos, hæc decora maneant, ad aliorum oppressionem horum spectare gloriam.

Restinguitur ab oppositis, si magno labore, periculis, virtute, meritis in rem publicam parta bona afferas; tollique omnem virtutis stimulum ac mercedem, nisi emergere ita sordibus etiam novos liceat. Obtentis moderatè illum uti, atque ad bonum convertere publicum; nec sine calamitatibus hanc ejus fortunam censeri. Turpe esse, & vilium humique jacentium animorum, invidere aliis, quod, vel nequeas, vel nolis obtinere. tormentum esse abjectis dignum hominibus, quo seipsos maximè torqueant, magnisque præbeant sceleribus alimentum; alteri nihil noceant; nisi quòd ejus felicitatem magis testentur, suamque prodant ignaviam.

Vis atque effecta illius sunt, quod acerba animi dilaniatio sit invidentia; quæ, ut vipera, ipsa quibus concipitur viscera discerpit, & aliena felicitate torquetur, dolet, stupet, ringitur, virtutum hostis, vitiorum adulatrix, ut vultur, fœtidis tantùm

assueta cadaveribus, nec honestæ patiens laudis, obtrectationis & convitiorum magistra, odiorum, impatientiæ, iræ plena. Diabolo familiaris, cruoris etiam fraterni cum Caino sitiens, ore exsanguis, vultu tristis, verbis dejecta.

16. Æmulatio est *ardor consequendi boni, quo alii fruuntur, & nos, cum dolore, caremus.* Hæc plerumque inter virtutes habetur. quanquam mala sit, vel alienam felicitatem destructam cupiat; vel in bonis non honestis æmuletur; vel cum inimicitiis, contentionibusq; conjuncta sit. & hæc ferè *simultatis* nomine solet usurpari.

Provocatur æmulatio virtutis, quæ proponitur æstimatione, ac pretio, laude, gloriá, æternitate, generosi animi commendatione, qui ad hanc enititur. Majorum gloriâ qui sibi posterisque illustre generis decorisque ornamentum pepeřere, æternumque virtutis in cœlo fructum.

Reprimitur æmulatio cum noxia est. Si vanam tantùm esse doceas virtutis, aut felicitatis, ac gloriæ, quam in aliis admiratur, imaginem. personam vilem. ac vitiis sordidam, fortunas illius multis subjectas calamitatibus. & quod nemo hac via ad solidam laudem felicitatemque penetraverit.

Vis atque effecta illius, si improba sit, cum invidia ferè conveniunt; si proba, animum accendit, nec quiescere patitur; nunc spe, nunc desperatione æstuat: nunc ingentia promittit; nunc rursum dolet eripi, quod alios videt assecutos laudis ac gloriæ stimulis ad audendum concitatur,

17. Pudor, seu Verecundia, est *perturbatio quædam animi, ex apprehensis malis infamiam causantibus*, sive præterita illa sint, quæ sua recordatione confundant; sive præsentia, aut etiam futura, quæ ad inhonestam actionem destinata, detegantur.

Incuritúr pudor igitur ex omnibus consiliis atque actionibus, quæ merentur infamiam. Qualia inprimis sunt. prodita amico fides, & inconstantia levitasque in verbis factisque, quæ Germanus summo habet dedecori. Ignavia, quá mulierum, senum, aut puerorum fortitudini cedimus, atque inferiora his præstamus. Ignorantia artis aut scientiæ, quam jactanter profitemur nudata. furtum, aut iniquitas, aut libido furtiva in lucem protracta, quæ tantò turpiora censentur, quantò dignior qui patravit.

Dissuadendus pudor non est, nisi ille, qui ad vitium degenerat;

nerat; cùm sint, quos bonorum etiam operum pudeat, quando à perditæ vitæ hominibus ridentur, malorum verò pudeat societatem detrectare; quando ab impudentibus ad illicita provocantur. Quod vitium rudiori ætati non parum infestum est.

Exaggeranda igitur hujus tam imbellis pudoris abjectio & turpitudo est, per quam virtus omnis, & conjuncta illi honestas eliditur, animus ad vitia enervatur, damna, nullis temporibus, tam scientiæ neglectæ, quàm innocentiæ perditæ, reparanda, incurruntur. Exemplis verò juventus urgenda est, ut generoso Hippolyti, inter profanos, & Josephi inter sacræ historiæ adolescentes facinore; quo ille Novercam, hic Dominam inverecunda postulantem verecundè fortiterque sui capitis discrimine rejecit. Græcos miseram sibi denique servitutem accersivisse Demosthenes asserebat, quod Philippo Regi Maced. unum ȣ respondere, turpi pudore, ausi non fuerint.

Denique ad pudorem noxium excutiendum, honestum ingenerandum, valebit quandoque generis conditionisve ratio, sapientum & gravium virorum, quos vereri deceat, notitia & existimatio, quin & tacitus aliorum ad scelus provocantium sensus, qui illam secreta animi veneratione virtutem admirari cogentur, quàm verbis factisque aversantur, tanta conscientiæ vis est, etiam cum contemnitur.

En, mi Lector, has breves affectuum præcipuorum in quavis oratione tabellas, quibus summa tantùm rerum capita sum complexus. quæ singula suis diducere exemplis penè sit infinitum quævis illa Ciceronis dabit oratio, ex quibus & nos infra lectissima quæque daturi sumus, cum brevia esse non possint, & seorsim extra sui corporis partes exhibita, tanquam soluta nervis juncturisque membra, minus artis viriumque ostendant. Si quis tamen avidius illa poscat, Palatium Eloquentiæ Exercit. 6. consulat. cujus & nobis, in hac materia, diligentia profuit, & placuit ordo. Nos tamen unum hic in proposita nobis de ebrietate materia exemplum applicemus.

CAPUT XXV.

EXEMPLUM ALEXANDRI, ITA DOlentis se Clytum sibi amantissimum per ebrietatem occidisse; ut vix à violentis in se manibus abstineret.

ORditur ab effectu amoris. meminitque cùm donorum naturalium, tum virtutum, tum fructus ex amore percepti, ob quæ Clytum complexus sit, & nunc desiderio amissi exæstuat.

Egone te Clytum sic odisse potui. tantamq; in te iram concipere, ut funestâ lanceâ suavissimam mihi animam extorquerem? nihilne me ætas florentissima, nihil generis aviti nobilitas, nihil communis sanguis & patria, nihil amœnissimum & regia consuetudine dignum ingenium, nihil illa oris gratia; ille verborum lepos, ille potens suadendi ardor, illa virtutis præstantia, quâ tot hostium cuneos, tot adversas acies mecum victor perfregisti, nihil, inquam, hæc potuere universa, ut crudelissimam de manu nostra sicam excuterent? O felicem tot donis juvenem, mea solum amicitia infelicem! Quantò te in acie cadere, jucundius tuis Manibus, mihi futurum erat honestius! jaceres hostili perfossus spiculo, rueres, (qua tua est virtus) nō incultus, occumberes cum gloria; nunc ab amico, nunc inter pocula, nunc cum ignominia cecidisti. O qualis quantusq; hostium terror, quam consilio perspicax, manu promptus, fortis pectore! qualis Alexandro amicus! quanta fide, quam stabili, quam syncera! quanta in Regem observantia, in socium candore, in amicum charitate! quoties illud, quod tibi impiè confodi pectus, hostium pro me telis objecisti! quoties illum, quem nunc totum exhausi sanguinem, pro mea vidi fundi gloria! quoties ista, quam sceleratissimè extorsi, vitam meam protexisti! O me tot beneficiorum immemorem hominem, & semel majori ab ebrietate victum ignominia, quàm toties hostium victorem factum gloria! Quantum admisi facinus Alexander, quando fidelissimum suavissimumq; amicorum Clytum interemi! Iam recurrit illa magnanimi oris species, illa verborum comitas, illa morum humanitas, oculi, vultus, gratia, vel in hoste amplexenda. quo te meq; præcipitavi, quando hæc uno ictu sustuli universa! quando fructum dulcissimæ consuetudinis, quando indivisum hactenus fortunæ vitæq; comitem, quando salutis meæ constantissimum propugnatorem crudeli ferro mactavi.

vi. Quin eâdem te viâ manuq; consequor, quâ inferis immolavi? quin violati à me amoris pœnas exigo, tuisque dignam Manibus ultionem? Date illam ministri lanceam, quâ Clytus cecidit, jungantur mortui, qui vivi amplius non possunt. nullus jam hostis vindicandus Alexandro superest, præter seipsum.

En amoris affectum, sensim ad summum impetum, per supra præfixos titulos, & figuras infra commemorandas, productum. Vix longius progredi in affectu (ne languescat) sæpe brevius licebit abrumpere. Idem affectus paucis mutatis, sic ab Oratore in Alexandro concitari potuissent. *Ergone, ô Rex, tu Clytum odisse poteras, tantam in illum iram concipere, tam funestam lanceam stringere, &c.*

Pari ratione ad descriptionem amantis Alexandri juverit, vim atque effecta amoris considerasse. Ipse igitur secum in amoris affectu progrediatur.

Heu quantos æstuantis animi fluctus flammasq; perpetior? quis Oceanus tot montibus, quis Euripus tot flexibus, quæ Ætna tot incendiis jactatur? Ille meus adhuc versatur in oculis Clytus, quem truculenta manu confeci, ille suavissimos ostendit vultus, & rursum subtrahit; ille pristinæ familiaritatis fructum exhibet, & surripit; ille fidelissima obsequia regerit, & exprobrat, ille pro me pericula adita, suscepta pro me vulnera objicit. Hic ego tam durus sim, ut non emolliar, tam ferreus, ut in lacrymas non dissolvar? En rursum occurrit sordibus oblitus, sanguine cruentatus, ingenti vulnere saucius, aperto pectore, truculenta lancea diviso. Meum hoc facinus est, meum ô Clyte, ego hoc intorsi ferrum, ego oblitus communis patriæ, consanguinitatis avitæ, fidelitatis præstitæ: ego mortalium crudelissimus, & infelicissimus, post tot inimici cruoris fusum, amicorum etiam cædibus manus pollui. Euge satisfaciam violatæ, ô Clyte, amicitiæ, vindictam, quando alii desunt, ipse pro te exigam. valeant opes, regna, amici cæteri, vita ipsa; quando aliter non licet, jungemur mortui. Hoc uno læto, quod eodem, quo te confodi ferro, cadere liceat, &c.

Hanc verò ethopœjam facilius usurpabit de Alexandro alius, qui ipsum, in omnes se amantium formas, gestusque, ac habitus vertentem describat.

O quantos æstuantis animi fluctus Alexander sustinet, &c. Ipsum sese redivivum ab inferis Clytum, truculenta manu confectum credit intueri; ille notos ostendit vultus, &c. Quanta amoris vis, atque in uno animo affectuum vicissitudo: nunc ta-

citâ contemplatione factorum defixus, suaque immunitate obstupefactus hæret; nunc in suspiria, vota, exclamationes, lacrymas solvitur, terram quatit, Clytumque velut ab inferis excitatum intuetur, inanemq; ejus umbram amplexatur, nunc velut præsente gaudet, lætatur, exultat, verba ejus excipit, sermonem reddit; nunc ut fugientem consequitur, revocat, seq; ut exanimem in terram effundit. iam surgit, atque ardentibus oculis suum ipse execratus facinus, in se ultionem exposcit, ferrum quærit, in mortem ruit spontaneam. Prohibete nefas famuli, submovete tela & enses: ne tot gentium barbarum victor, barbaro magis facinore seipsum trucidet, quam amicum, & tantæ victoriæ gloria uno scelere extinguatur.

Sed hæc, si tanquam de re præsenti, instituatur oratio, scenæ propior est, quàm cathedræ. & Poëtis quàm Oratoribus magis frequentata. In prosopopœis, tamen Rhetorum locum occupabit

Poterit idem Alexander extremum concipere erga ebrietatem odium, à quo tantum mali in se aliosque promanet. Quin & justo dolore perstringi, quod tantis ex uno facinore malis obruatur. postremò sibimet indignari ob illatam amico injuriam, Brevius aliquanto, omissis prosopopœis, singulos affectus, juxta rationes supra allatas, prosequamur.

Odium in ebrietatem sic licebit exprimere. *Turpe Alexandro facinus, immane, vel in barbaro, inauditum in Rege per ebrietatem occidere hominem, eumq; & amicum, & consanguineum, & ducem fortissimum, & ipsius vitæ regiæ propugnatorem, quis talem tantamque, tot sceleribus cumulatam, ebrietatem non execretur? illum, quem consilio præesse cæteris decuit, omni ratione exuit, quem æquitatem subjectis administrare, iniquissimo parricidio obruit, quem imperare reliquis digna oportuit, hunc indigna grassari cæde in immerentem, violare leges, jura, sceptra, pietatem, Deos fecit. Potestne fera ulla crudelior, bellua fingi immanior, quæ in proprium grassetur genus, quæ non parcat amantibus, quæ suos defensores violet, discerpat, opprimat? Vah portentum in ultimas terras amandum! vah labes nostri generis! vah humanæ amicitiæ pestis! vah excidium virtutum omnium! vah gurges vitiorum ebrietas!, quot immerentium uno hominum fœderis sanguine, quàm fortes heroas bello subtrahis, fideles reip. cives tollis, nobilissimos juvenes orco immolas, regna integra perturbatione confundis, & funestas cædibus! te ego non oderim,*

oderim, non execrer, non diris omnibus, ipsisque quibus accenderis, inferorum furiis devoveam? Moriar ante, quàm in illius rursum sceleris insaniam præcipitem.

Hic affectus cùm vehementior sit sensim, ut vides, per incrementum, à minoribus ad majora transit, ardentesque simul exclamationis figuras, incisis, sæpius periodis, frequentat.

Dolorem ob Clytum interfectum; hac ratione prosequetur, si pristinam felicitatis memoriam, cum præsenti statu componat &c. *Tune ille es fidelissime amicorum Clyte, quem intueor exanimem, nudum, desertum ab omnibus, meo ferro cruentatum, meo profligatum scelere? Quo te florentissime juvenum, quo te mea præcipitem egit, tam immanis insania? ille, prô dolor! flos nobilitatis Macedonicæ; illud Majorum suorum decus, illa aulæ nostræ gloria, illud fulmen militiæ; illa niveæ candoris anima, illa rupes constantissima fidei, dejecta, prostrata, contempta in morte jacet! Comparate fortunam præsentem & pristinam felicitatem, unde excidit, cum hac calamitate componite. Ex opulenta sorte, & regiæ vix impari, ad hanc nuditatem devolvitur, ex honore post Regem præcipuo, ad tam despectæ mortis ignominiam recidit, ex suavissima amicorum societate, ex mediis gaudiis, inter ipsa pocula, contentione, mœrore, funere obruitur. Quam iucunda mihi quam cæteris Macedonum tua erat Clyte consuetudo, quantum comitatis in sermone, urbanitatis in moribus, amœnitatis in oculis, humanitatis in obsequio, quem nunc in squallore aversantur, in pallore horrent, in fœtore subterfugiunt. Sed talem, tam miserandum detestandumque mea te fecit crudelitas heu quoties, hac mihi tam abominanda, per somnum, per ipsas vigilias occurris imagine! quoties hoc pectus inter medias hostium acies impavidum subito terrore exanimas! quoties frigido horrore perstringis, sudore proluis! quæ me satis unda purgabit, quænam expiabit hoc nefas hostia! O quis dolor, quæ lacrymæ, lamenta, planctus miserum expedient! aut quæ satis mors absolvere poterit, nisi ipse tuis imperiis cadam victima, & sanguine diluam proprio, quod alieno contraxi flagitium?*

Jam denique ad acerbiorem rursum affectum, indignationem, odio haud dissimilem, accedamus, quâ seipsum, suumque facinus Alexander detestetur. *Ergone hoc denique regium existimas, & suprema potestate dignum, ita in nobilissimos Macedonum grassari, & fidissima etiam ferro confodere pectora? Hoc Rege dignum est, & tot terrarum Domino, tot gentium*

victori, qui ferrum pro patria, contra ejus insidiatores, pro amicis contra hostes induit? quem Dii non aliter his donarunt opibus, quàm ut suos tueretur. his extulerent honoribus, quàm ut vitaret ignominiam, his viribus, quàm ut contra inimicos uteretur, hac potentia, quàm ut æquitatem propugnaret apud populares, apud exteros propagaret. O indignum his opibus, hoc honore, hac vi, hac potestate Regem; cùm abusus ob ebrietatem opulentia, ad dedecus gloria, ad violentiam virtute, ad crudelitatem potentia est. atque amantissimum suæ patriæ civem, fidelissimum sui corporis custodem, fortissimum militiæ Ducem, parricidali manu confecit! Quin crudelissimam hanc è manibus hastam abjicis, unius magis clade amici fœdatam, quam tot hostium nobilitatam cædibus? quin sceptrum deponis, coronam relinquis, purpuram exuis, quæ ab uno plus scelere dedecoris, quam ab omni retro jactorum gloria dignitatis participant! Vah te probrosum tuis Macedonibus, jam terrarum Dominis, Regem, qui, inter prælia victor, succumbis inter pocula; in campo inimicorum prostrator: stratus in ebrietate domi: inimicorum pernicies in acie, amicorum in triclinio es: illic miles; hic latro: illic Rex, hic tyrannus. Potestne cuiquam Alexander placere amplius, qui hac immanitate amicis, sibi, Diis invisus est? Tollite tam ingratum mortalibus atque immortalibus è terris portentum Macedones, vel si vobis animus & ferrum deest, Alexandro suppetit.

Vides hic per affectus diversos, molliores duos, ut amoris & doloris; alios asperiores odii & indignationis, ad eundem penè desperati hominis exitum Alexandrum ferri. Tractatio in affini materia singulorum affectuum distincta est. Amoris impetus per Congeriem, doloris per incrementum, odii per comparationem, indignationis per admixtam comparationi ratiocinationem extollitur; à Regis enim dignitate aucta crescit facinoris, tantâ personâ indigni, gravitas.

Quæres. Unde sumendi affectus sint? &, quando potissimum usurpandi? Respondeo ad primum. Ex locis, unde graviora quæque argumenta petuntur, etiam affectus desumendi sunt. E. g. Agis contra ebrietatis vitium, & finis tuus est, ut hoc dissuadeas, pro affectu igitur præcipuo *fuga* tibi, vel *odium* ebrietatis debet esse propositum, quare illa quæ turpitudinem ebrietatis, atque inde promanantia mala gravissimè inculcant, erunt per amplificationem, modis ante positis, exaggeranda. Quod si longior oratio fuerit, pluresque per

cam

eam affectus eidem proposito servientes spargere conveniat; Vide quid opponatur rei, quam tradis (ut hic est sobrietas, vel, temperantia) oppositumque fugæ, atque odio affectum, hoc est, *desiderium*, aut *amorem* temperantiæ excita. Poteris & causas, effecta, attributa, vel adjuncta ebrietatis adjungere. ut quod amor carnis & voluptatū ad hanc impellat, (quę causa est) ideoque hujus *odium* congestis rationibus; aut etiam oppositum *Dei, cœlestiumque* rerum *amorem* perurgere. Ita si effecta ebrietatis spectes, illos, quos ante in Alexandro dedimus affectus, meritò concitabis Si denique attributa consideres; quod turpis est, atque inhonesta; aut adjuncta, quod Christiano maximè, aut mulieri indigna; aut consequentia, quod gravissimas in hac, atque in altera vita pœnas adferat, *indignationem* contra hujus vitii sectatores, *metum* ob mala impendentia, *audaciam* ad superandas ejus vincendæ difficultates, gaudium ob eadem mala devitata, & sobrietatis bonum obtentum, licebit excitare. En quot affectuum materiem res una subministret.

Ad secundum Resp. Universè affectibus moderatè utendum est, ut neque nimii sint, neque nulli: illo enim auditor obruitur, hoc nihil ab eodem obtinetur. Demonstrativum verò genus cum rariores affectus, tum mitiores; Deliberativum & Judiciale frequentiores, gravioresque plerumque poscit. Sed nullibi ad effectus, nisi rebus ante per rationes solidè probatis, est progrediendum. Nimis enim puerile est, voluntatem impellere velle, priusquam intellectum fidem faciendo convicisti.

CAPUT XXVI.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA, geminisq; Elegantiæ dotibus, puritate, & perspicuitate.

ORatoris boni est rectè *invenire, disponere, & eloqui.* Inventionem sæpe & Dispositionem natura sufficit, ab arte perficiendam. Elocutionem potissimum ars præstat, & scholarum disciplina; siquidem Romano nobis sermone utendum sit.

Elocutio est *idoneorum verborum ac sententiarum ad rem*

inventam accommodatio. Quæ duabus potissimum orationis virtutibus perficitur. *Elegantiâ, & Ornatu.* De his igitur Eloquentiæ dotibus paulò differendum fusius, quas si assecutus mente studioque fueris, plana invenies cætera. Vide Cic. lib. 3. de Orat. ubi in cæteris quærit §. 7. Quinam igitur dicendi modus est melior, quàm ut *Latinè*, ut planè, ut *ornatè*, & ad id, quod agetur, *aptè* congruenterque dicamus?

§. I.

De Latini sermonis Elegantia, & inprimis Puritate.

Elegans sermo is est, *qui in verbis sententiisque, & sua latinitate purus, & claritate perspicuus nitescit.* Elegantia igitur in duobus, *puritate, & perspicuitate* consistit, de quibus hic paucis, in Palæstra styli pluribus actum est.

Primò igitur quidquid Latinè purum non fuerit; id est, aureo illo argentoque, excultæ apud Romanos Eloquentiæ, seculo non receptum; hoc ab oratione proscribatur.

Cujusmodi sunt 1. antiquata & absoleta ab Ennio, Pacuvio, Plauto aliisque traducta, ut *donicum* pro donec cum, *foras betere*, hoc est, excedere, *Dapsilia comisse*, id est, lauta edisse, quæ licet in comicis ad captandum risum nonnunquam serviant, extra hanc scenam displicent, nisi fortè in jocoso scribendi argumento sit locus. Nam & Ciceroni suo loco placuit, *averruncare, muginari, tricari, nictuabundus, rauduſculum.*

2. Novata, quæ recentium scriptorum ingeniis formantur, non nisi rarò circumspecteque adhibenda. Formantur autem, vel imitatione rerum, ut *pipire, bombizare*; vel derivatione, ut *Ramosa* dixit Virg. *Invideor*, Horat. *Aduncitas, Disparilis, Debitio, Beatitas, Mulierositas, Syllaturire, Proscripturire.* Cicero. Quæ tamen rursum suo loco poterunt tolerari. Certè Gazæus scitè lepideque in Hilariis Seazonticis non rarò est usus: vel Compositione, ut *Vitilitigatores*, Plinius, *Campascuus* ager. Cicero. *Repandirostrum, Incurvicervicum* pecus, Pac. *Turpilucricupidus, Dentifrangibula*, Plaut. Quibus iterum comici, & Gazæus noster opportunè utuntur. vel extensione, aut etiam fictione vocum ad res novas significandas, ut in rebus sacris in Ecclesiam Catholicam introductis, Philosophicis quoque ac Theologicis olim incognitis, quandoque barbare usurpantur; Sic *Casula, Antipendia, Agni Dei, indul-*

indulgentia, in Sacris: *ſubſtantialitas*, *ubicatio*, *hæcceitas* in Philoſophicis, quæ in culto ſermone, non niſi cum excuſatione admittenda eſſent.

3. Peregrina, vel barbara, ut *gaza* Perſicum, *Amptmannus* Germanicum, *Parlamentum* Gallicum, *Maſtruga* Sardum; vel Græcum, quæ orationi Latinæ citra neceſſitatem non magis miſceri conveniet, quàm Græcæ Latina. Quibus tamen nomina artium, herbarum, morborum, & ſi quæ Romano jam pridem foro donata ſunt, ſuo jure eximuntur. Neque doctis, inter Epiſtolarum commercia, inconceſſum Græcis vocibus gnomiſque ſignificantibus ludere. Modò oſtentationem vitent, ubi nulla neceſſitas. A qua certè non abſunt quidam, horum temporum in fide Novatores, qui paſſim, putidâ affectione vocum, græciſſant, & hebraizant; ne vel ipſam nobis Romanam linguam incorruptam relinquant. Quod plerumque minus peritorum, aut certè ineptientium, eſt vitium; quales hodiedum eos deprehendimus, qui Germani ſermonis candorem Latinis Galliciſq; vocibus, tanquam ſtulti alicujus cucullum, depingunt. Ut jam Priſci Teutones nihil ſuum, ne linguam quidem, retinere videantur.

4. Sordida vel ipſo ſono ut *vacca*, vel etiam ſignificatione, ut *cacare*. Sic & cætera, quæ natura tegi voluit, tutis etiam velis honeſtè teget oratio.

5. Poëtica, ut ſunt audaciores Synecdochæ, Metonymiæ, Metaphoræ, Periphraſes. Sic non rectè *Cruſtum*, aut *Cererem* pro pane, *ſquammigerum gregem* pro piſcibus, *Libitinæ immolari* pro mori uſurpabo. Hoc diſticho quidam vitanda complexus eſt.

Sordida, priſca, nova, antiquata, poetica, dura,
Turpia, rara nimis, & peregrina cave.

§. 2.

De Perſpicuitate ſermonis.

Alterum Elegantiæ munus eſt, ut perſpicuam rationem reddat, hoc eſt, tanquam limpidum fontem, omnium oculis pervium, objiciat. Quod fiet.

1. Si verba ſententiæque, ſeu propriè, ſeu tropicè adhibitæ, non alia, quam uſitata doctis ſignificatione uſurpetur.

Unde

Unde ex Lexicis aliorumque instructione, propria verborum significatio diligenter haurienda: nec quævis ex imperitioris vulgi usu ad sermonem traducenda. Sic v. g. *devotum* malè pro pio scripseris, & *humilem* pro modesto aut demisso: cum illa vox nunquam, hæc rarò inter doctos ista significatione adhibeatur.

2. Ambiguæ interpretationis verba sententiæque suo sensu per adiuncta ita definiendæ sunt, nec audientem legentemque incertum relinquant. Ita vox *sacer*; tam pro consecrato, quàm execrato; vox *gallus* tam pro homine, quàm volucri accipi poterit. Ut si gallum ab aliquo captum asseras. Ita si lupum te dixeris tenere; piscem an quadrupedem intelligas, nemo discernet, nisi aliquid ad tollendam ambiguitatem adjeceris. Quo & oraculum illud amphibologicum spectat: *Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse.*

3. Quidquid obscuritatem parit ab oratione submovendum est ut præter obsoleta, novata, peregrina verba, (de quibus antea) etiam nimia affectatio vetustioris historiæ, rituum, adagiorum, atque ænigmatum introductio. Hæc enim ornamenta quædam sunt, at extra nebulas obscuritatis, clarâ in luce doctorum, exprimenda. Cavendum præterea, ne, vel incisis nimium membris, in varium spargatur sensum, tanquam dissipato corpore, oratio; vel circumductis in immensum periodis, intentum auditoris animum fatiget: nam, ut præcipitatio omnis levitasque desultorii sermonis, sic & cunctantis nimium, immorantisque eidem sententiæ tarditas odiosa est. Justis itaque membris periodus, ad optimorum scriptorum, in loquendo scribendove mensuram, exigatur. Mediocritate nihil habetur laudatius.

4. Res ac verba ordine ad rationis atque artis præscriptum collocentur. Unde trajectiones vocum, insertæ longiùs frequentiusque parentheses, digressiones ante rem formatam, evitentur. Ita arti natura, ars vicissim naturæ, ad compositam perspicuamque elocutionem, subveniant.

Qui de his enucleatius erudiri voluerit, Palæstram styli libro 2. & 5. adire poterit, ubi hæc pressius, diversis etiam styli exemplis pertractantur. Illud universè ad perspicuam orationem requiritur, ut verba usitata, non ambigua, obscura, aut multa generalia sint: Phrasis minimè peregrina, aut verborum turbata sit ordine; periodus, neque prolixa nimium, neque confusa.

CAPUT

CAPUT XXVII.

DE LATINI SERMONIS ORNATU, ET prima ipsius parte, hoc est, illustratione per tropos, ac figuras.

§. 1.

ORnatus dicendi *est apta partium orationis, & inter se invicem compositio, & cum rebus, de quibus loquimur, convenientia.* Ex ista compositione sermonis concinnitas suavitasque nascitur; ex hac convenientia illius decorum emergit, vis item, ac dignitas. *Compositio* tribus potissimum *conciliatur, recto ordine. Junctura & Numero, Convenientia verbis, sententiisque lectissimis, quæ rei naturam illustri quodam troporum schematumque lumine, oculis quodammodo subjiciant.* Cum verò, ex natura schematum, numeri non rarò & junctura varianda sit: pauca ante de ornatu, qui ex tropis, ac figuris orationi accedit, quam de cultu ex compositione nato agemus.

§. 2.

De ornatu Troporum.

Orationis igitur *ornatus*, qui ad res illustrandas adhibetur, *vel in verbis alienis cum virtute traductis. vel in propriis concinnè dispositis consistit.* Ille tropicus, hic figuratus dicitur. *Tropicus* ille *ornatus* quidquid habet pulchritudinis, *vel ab illustri similitudine, per* Metaphoram, *vel ab opposita dissimilitudine*, per Ironiam, *vel denique ab affini re nobili.* per Synechdochen, Antonomasiam, aut Metonomyam *ducitur.* Si quid præter hæc troporum fingitur, hunc in ordinem cogendum est. Universè igitur *Tropus est verbi unius, vel plurium, à propria significatione, ad aliam rem similem, vel conjunctam significandam apta traductio*, ut exemplis per singulos mox tropos productis, intelliges.

1. *Metaphora* est *verbi à significato proprio ad aliud simile, cum virtute, traductio.* sic *ridere* prata dices ab homine. *virere* vel *florere* jam à pratis. Illustrior verò nullus orationi universim ornatus, quam ex hoc tropo petitur. Valet etiam mirificè ad res cùm augendas, si à nobilioribus sumatur translatio, tum imminuendas, si à rebus traducatur vilioribus. Est enim argumenti instar à similitudine ducti, quod in verbo uno senten

ſententiaque totum oculis ſubjicitur. Quocirca res inanimæ magnopere extolluntur, ductis à rebus viventibus Metaphoris. quæ Poëtis, ob remotam & audacem traductionem, magis ſunt familiares, ut *iratum mare. Indignatus Araxes* (fluvius) contra verò animata, per inanima, vehementer deprimuntur; aut ſi quem hominem *ſtipitem* aut *peponem*, ob ſtupiditatem, nuncupes. Quod etiam tam ad augendam quam minuendam ſignificandi dignitatem ſpectat, ſi a rationis expertibus ad hominem, contraque translationem ducas; ut cùm, pro viro fallaci, *perfidam* dicis *vulpem*; aut pro cane blandienti, *aſſentatorem*. Cæterum quo res quæque maximè in ſenſum cadit, illuſtriuſque eminet, hoc aptior Metaphora eſt. Sordida viliaque niſi ad riſum deſpectumque, adhibenda non erunt: ut neque humilia rebus magnis, aut res magnæ humilibus applicandæ ſunt. ſic verrucam ſaxeam, pro rupæ; aut rupem carneam, pro verruca in genis, uſurpare, æquè ſit ridiculum. Par in ſimilitudine cavenda eſt ratio: nam ſi vel laborioſum ruſticum formicæ; vel formicam ruſtici nomine compelles, exploderis: niſi fortè riſum captes, nam licet in labore ſit paritas, nimia tamen in mole diſparitas eſt. Plura de recto vitioſoque Metaphorarum uſu (prona enim in hoc genere offenſio) vide in *Palæſtra Eloquentiæ* lib. 2. cap. 4. & ſeq. Regula explorandi optima eſt. Si reſolutâ in ſimilitudinem Metaphorâ, expendas; aptamne illa, & per quam illuſtrius exponatur, ſimilitudinem involvat.

Quod ſi Metaphora per abſolutam cõtinuetur ſententiam aut periodum, *Allegoria* erit. in qua cavendum, ne plura ſimilia confundas, & qui ab incendio cœpiſti, in naufragio abſolvas. Quod ſi brevis, ac ſcita Allegoria fuerit, ut *dolium pertuſum*, pro homine profuſo, *Paræmia* appellabitur. ſi nimio exceſſu efferatur Metaphora, *Hyperbole* dicitur. ut, *ferit aurea ſidera clamor*. Si in locum tranſeas, ubi propria vox deeſt, ut, *gemmare vites; ædificare naves*, *Catachreſis* futura eſt. Quare hi tropi fruſtra à Metaphora ſeparantur.

2. *Ironia* eſt *verbi vel ſermonis à proprio ſignificato ad contrarium cum virtute traductio*. ut ſi *Narciſſum* pro deformi, *Herculem* pro imbelli ſumas. Notum illud. *O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, Lupum.*

3. *Synecdoche* eſt *intellectio totius pro parte, aut partis pro*

toto:

toto: tropus Poëtis, quàm Rhetoribus usitatior, cum copiam magis, quàm ornatum adferat. Sola quandoque raritate placere possit. Fit autem si *vel* genus pro specie, aut contra ponitur, ut *quadrupes* pro equo, contraque *Sabellicus sus*, pro quovis sue *vel* pars integrans pro toto, aut contra, ut *fontem ferebant*, pro aqua; *durum pectus*, pro homine. *cæsus Hannibal*, pro Hannibalis exercitu. *vel* cùm pars naturæ pro tota, contraque sumitur. ut, *Carolum sepeliunt*, pro còrpore: *cadaver viri*, pro homine contempto. *vel* cùm numerus unus pro alio substituitur. ut, *Romanus prælio victor*, id est, Romani. *Oratores visi sumus*, id est, visus sum.

Antonomasia huic affinis est; quæ, *vel commune aliquid à genere, patria, aut artibus desumptum adhibet loco proprii*, ut est *Anchisiades* pro Ænea; *Mantuanus vates*, pro Virgilio, *Philosophus* pro Aristotele: vel, *proprium loco communis usurpat*, ut est *Crœsus* pro divite, *Codrus* pro paupere, *Venus* pro formosa, *Cretensis* pro mendace. Quæ Oratoribus etiam ad ornatum serviunt. Hic igitur tropus, cùm vel genus aliquod accidentarium, pro subjecta specie: vel hanc, contra, pro illo usurpet, non est cur à Synecdoche separetur.

4. *Metonymia*, seu Hypallage est *traductio nominis ex rebus sibi invicem connexis*. Hæc autem connexio, *vel* est inter causam & effectum, ut si *Mars* pro bello. *Virgilius* pro scriptis: aut contra *scelus* pro scelerato, *Eversor Carthaginis* pro Scipione sumatur. sic & *pallida* mors dicitur, quæ pallorem causat, a suo effectu. *vel* inter continens & contentum; (quo etiam conjunctio subjecti & attributi, possessoris ac rei possessæ spectat) ut *Athenæ Roma, Italia*, pro Atheniensibus, Romanis, & Italis: & vicissim. *Vel* inter signum, & rém designatam, ut *toga* pro pace, *sagum* pro bello, *fasces* pro Magistratu. Huc spectat *Metalepsis*, quæ audacior quædam traductio est, ex remotè tantum sociatis. ut *post aliquot aristas*, id est, æstates.

Cæterum *Onomatopœia*, quę *nomen aliquod fingit*, ut *coaxare* ranas, & *Hyperbaton*, quod *voces trajecit*, ut *me cum* & *septem subjecta Trioni*. *Periphrasis*, quæ *rem ex adjunctis describit*, ut, *Romanæ urbis conditor*, ac *Mimesis*, quæ *sermonem alienum* moresque imitando exprimit, vel tropi non sunt, cum verba usurpent propriâ: vel ad alium ex dictis jam tropis, ut Periphrasis ad Metonymiam, Mimesis

Mimesis etiam ad figuram Ethopœjam, revocantur. Frustra igitur,& citra necessitatem, multiplicantur.

CAPUT XXVIII.

DE ORNATU FIGURARUM IN VERBIS ac sententiis universis.

Ornatum verborum , & sententiarum paucis, velut in tabella, quam ante oculos scriptorem habere convenit, complectitur in suo Oratore. §. 27.

CICERO HIS VERBIS.

SIngulorum verborum & collocatorum lumina attigimus: quibus sic abundabit, ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat: ex omni genere frequentissimæ translationes erunt: quod eæ propter similitudinem transferunt animos,& referunt, ac movent huc & illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus per se ipse delectat. reliqua ex collocatione verborum, quæ sumuntur, quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi, sunt enim similia illis, quæ in amplo ornatu scenæ, aut familiæ, appellantur insignia: non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum quæ sunt orationis lumina, & quodammodo insignia: cum aut duplicantur iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur sæpius oratio, aut in idem conjicitur, aut in utrumque, aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter idem verbum, non in eadem sententia, ponitur: aut cum similiter vel cadunt verba, vel desinunt: aut multis modis contrariis relata contraria: aut cum gradatim sursum versus tenditur: aut cum demptis convictionibus dissolutè plura dicuntur; aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, ostendimus: aut cum corrigimus nosmetipsos quasi reprehendentes: aut si est aliqua exclamatio, vel admirationis, vel conquestionis: aut cum ejusdem nominis casus sæpius commutantur.

Sed sententiarum ornamenta majora sunt: quibus quia frequentissimè Demosthenes utitur, sunt qui putent iccirco ejus eloquentiam maximè esse laudabilem. Et verò nullus fere ab eo locus, sine quadam cõformitate sententiæ, ab eo edicitur: nec aliud quicquam est dicere, nisi omnes, aut certè plerasq; aliaque

aliaque specie illuminare sententias: quas cum, tu Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis. Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset sæpe multis modis eandem & unam rem, & hæreat in eadem commoreturque sententia: sæpe etiam, ut extenuet aliquid: sæpe ut irridetur: ut declinet à proposito, deflectatque sententiam: ut proponat, quid dicturus sit: ut cum transegerit jam aliquid, definiat: ut se ipse revocet; ut quod dixit iteret: ut argumentum ratione concludat, ut interrogando urgeat, ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat: ut contra, ac dicit, accipi & sentiri velit: ut addubitet, quid potius aut quomodo dicat? ut dividat in partes: ut aliquid relinquat ac negligat: ut ante præmuniat: ut in eo ipso, in quo reprehenditur, culpam in adversarium conferat: ut sæpe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario, quasi deliberet: ut hominum sermones moresque describat: ut muta quædam eloquentia inducat: ut ab eo, quod agitur, avertat animos: ut sæpe in hilaritatem risumque convertat: ut ante occupet, quod videat opponi: ut comparet similitudines: ut utatur exemplis: ut aliud alii tribuens dispertiat: ut interpellatorem coerceat: ut aliquid reticere se dicat: ut denuntiet, quid caveant: ut liberius quid audeat: ut irascatur etiam, ut objurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur, ut à proposito declinet aliquantulum, ut optet, ut execretur: ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris, atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequatur: brevitatem, si res petet, sæpe etiam rem dicendo subjiciet oculis: sæpe supra feret, quam fieri possit: significatio sæpe erit major, quàm oratio: sæpe vitæ, naturarumque imitatio. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat, oportet eloquentiæ magnitudo. Sed hæc, nisi collocata, & quasi structa, & nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare non possunt.

§. II.

APPENDIX AUTORIS.

Hæc ex Tullio adferre placuit, ut de figurarum ornamentis universalem quandam Lector disciplinam hauriret, quâ

instructus, etiam sine peculiari singularum figurarum cognitione, variare, ac diversum orationi habitum haud difficulter queat induere. Neque enim magnopere refert ad eloquentiam, tot figurarum in verbis sententiisque, quot hic multi formant, discrimina pervidisse. Satis est aptos quosdam in omnem partem vultus, motusque orationi, ad rem quæ dicitur accommodatè posse tribuere. Nos tamen more Rhetorum hunc figurarum apparatum distribuemus.

Verborum cultus, quàm rerum aliquantò est levior. Utroque tamen oratio enitescit, illo, ceu regia quadam veste, hoc tanquam vultu, gestuque ac motu totius corporis: illo delectat, oculosque animi grato velut spectaculo detinet; hoc tanquam in arena gladiator, in omnem se partem versat, pugnat, impellit, extorquet victoriam. Priorem apparatum elegans grammatica & syntaxis tribuit; hunc viva agilisque quædam animi vis per Rhetoricam excitata atque exercitata. quo fit, ut hic cultus, verbis mutatis, etiamnum persistat; ille, velut detracta veste, evanescat.

Est igitur figura *Ratio quadam loquendi, supra vulgarem consuetudinem, verbis, vel propriis, vel tropicis elevata*, quæ vel in verbis, vel in rebus, sive sententiis, reperitur, illa à Græcis λέξιος, hæc διανοίας σχήματα appellantur.

De figuris verborum ordior, exemplisque Tullianis hic strictim utor, cùm nisi ex diversa non suppetant dicendi materia. Qui de eadem re paria voluerit (ut sunt ad docendum magis accommodata) consulat Palæstram styli lib, 2. cap. 5.

§. 2.

De figuris Verborum per Adjectionem.

Verborum figuræ fient, si vel præter usum communem, orationi quippiam adjicias, idem sæpius repetendo; aut detrahas quædam usitata subtrahendo, quæ auditor facile ex dictis subintelligat; aut denique inter similes sono, dissimiles verò significatione voces apposité ludendo hæreas. Videamus in exemplis singula.

Adjectio figurata est *ejusdem, vel re, vel significatione, vocis, cum virtute, iteratio*.

Hæc fit 1. in principio, & dicitur *Repetitio*. (a) ut *Nihil te noctur-*

(a) ἀναφορὰ vel ἐπιβολή.

nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum, nihil horum ora, vultusque moverunt? Cic. in Catil. 1.

2. In fine idem repetitur, & dicitur *Conversio.* (*a*) ut, *ex quo tempore concordia de civitate sublata est, fides sublata est, amicitia sublata est, respublica sublata est.* ad Heren. lib. 4.

3. In principio simul & fine eædem voces iterantur, & dicitur *Complexio,* (*b*) ut de Publii Clodii servis rogas? *Quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius.* Unde? Ab Appio. Cic. pro Mil.

4. Eadem vox vel oratio quocunque loco geminatur, & dicitur *conduplicatio* (*c*) idque vel conjunctim, ut in Catil *vivis & vivis, non ad deponendam; sed ad confirmandam audaciam.* vel disjunctim, ut pro Marcello, *vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina in urbe vacuum non vidimus.* Idem in pluribus fieri potest vel retrogradè (*d*) ad Her. 4. *Nunc etiam audes in horum conspectum venire proditor patriæ? proditor, inquam, patriæ, venire audes in horum conspectum?* vel disjunctim, ut in Verrem. *Quid Cleomenes facere potuit (non enim possum quenquam insimulare falsò) quid, inquam, Cleomenes magnoperè facere potuit?* Quæ geminatio plus gratiæ habitura est (quamvis minus virium) si alternante & mutato verborum fiat ordine. (*e*) ut, *Vestrum hîc factum reprehenditur. P. C. non meum; at pulcherrimum factum, vestrum, ut dixi, non meum, sed vestrum.*

5. Species quædam conduplicationis est, si conjunctiones eædem geminentur, & dicitur *Polysyndeton:* ut, *Et inimico proderas, & amicum lædebas, & tibi ipsi non consulebas.* Ad Her. Sic, aliæ particulæ. ut, *quà, quà; tum, tum; vel, vel; aut, aut;* &c. sed que, que; apud Poetas inprimis duplicatur, ut *tectumque, laremque, Armaque,* &c. Virg. Georg. 3.

Hæ quinque figuræ adjectionis easdem re & significatione voces, diversa tantum ratione multiplicant; subjicio nunc alias, quæ vocibus immutatis modò stringunt, modò tantum ludunt venustatis gratia. In his censetur

1. *Traductio* (*f*) quæ *ejusdem verbi inflexione varia utitur.*

(*a*) ἐπιφορὰ vel ἐπιστροφή. (*b*) ἐπανάληψις vel συμπλοκή. (*c*) ἀναδίπλωσις. (*d*) ἐπάνοδος. (*e*) πλοκή. (*f*) διαγωγή.

tur.Idque in casibus,aut temporibus. Cic.pro Dejot.*Nulli p*
rietes nostram salutem,nullæ leges,nulla jura custodient. Et p
L.Flacco.] *Civis civem à civibus communis humanitatis ju*
& misericordia deprecarer.& hoc πολύπτωτον quoque seu c
suum commutatio dici solet. quæ latius sumpta figuris l
merito submovetur.

2. *Gradatio* seu *Climax*(a) quæ *repetitis quibusdam,ad al*
velut gradatim, pergit. ut ad Heren. 4. *Africano virtutem i*
dustria,virtus gloriam,gloria æmulos comparavit. Rara hæ
esse debet,ne affectata videatur oratio.

3. *Synonymia*, (b) quæ ad *rem exaggerandam pluribus n*
dem vocibus, sed aliis post alias gravioribus repetit. ut
quædam quasi rei ejusdem repetitio. Cic in Catil. 2. *Cat*
nam furentem audacia,scelus anhelantem, pestem patriæ ne
riam molientem, ex urbe, vel ejecimus,vel emisimus, abiit,
*cessit,evasit,erupit.*Puerilis hæc figura erit, nisi simul cum v
bis crescat oratio, magis magisque rem exponens.

Universim hæ figuræ, si repetitionem, polysyndeton,
traductionem demas, raritate placere, frequentia solent
fendere.

§. 3.

Figuræ per Verborum detractionem ortæ.

Detractio adjectioni opposita, *tollit in vulgari quadam*
ratione usitata,& vel subintelligit, vel ad unam vocem.sen
complentem refert,brevitatis & virtutis gratia.

1. *Adjunctio*, sive *Zeugma* est,*cum ad idem verbum pl*
referuntur sententiæ: idque, vel in principio; (c) ut, *Vicit p*
dorem libido, timorem audacia, rationem amentia, vel in fi
(d) ut Cic.in Catil.*Nec enim is es,Catilina,ut te,aut pudor à t*
pitudine,aut metus à periculo,aut ratio à furore revocarit.
in medio, (e) *ut forma dignitas, aut morbo deflorescit,*
vetustate. Apparet itaque hanc unam, tribus Adjectio
figuris Repetitioni, Conversioni,ac Complexioni suo m
opponi.

Alii eandem Disjunctioni hoc loco inter figuras prod
opponunt; ut quæ singula orationis membra suis verbis c
clu

(a) κλίμαξ. (b) συνωνυμία. (c) προτόζευγμα. (
ὑπόζευγμα. (e) μεσόζευγμα.

idat. Sed hæc vel schema non est, cùm usitati sermonis ; vel ad sequentes similitudinis figuras spectat ut hoc quod ducitur ex Arch. exemplum. *Ita vivo, ut à studiis nullo me quam tempore, aut commodum, aut odium abstraxerit, aut luptas avocarit, aut denique somnus retardarit.* cum sit si-liter cadens ac desinens.

2. *Synecdoche*, vel *Ellipsis* est (a) *cum aliquid intelligendum, n virtute subticetur.* ut, *mirari ille, stupere gaudio*, subaudien-m est *cœpit*. Et Virg. *Sed vos qui tandem ?* subintellige *estis*. bet hæc quandam cum Reduplicatione oppositionem. uti sequens figura.

3. *Synœceœsis* (b) est, quæ *res oppositas sub eodem verbo con-git.* ut, *tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.*

4. *Dissolutio*, sive *Asyndeton* Polysyndeto oppositum est, *n demptis conjunctionibus plura, ad vim orationi concilian-m ponitur*, ut Cic. *Sit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fi-felicitati commendata est.*

Quinque igitur prioribus Adjectionis figuris, hæc Detra-tionis schemata opponuntur. Utraque autem, tum ob ra-tem, tum præcipuè ob vim, atque acrimoniam quandam ationi conciliandam, adhibentur.

§. 4.

Figura ex verborum similitudine ducta.

Similitudo (c) verborum, vel in singulis inesse debet voci-s, vel in conjunctis. Singulæ vocum vel significatione vel no convenient. Idem de conjunctis dicendum. Nos hic cum præcipuè in sono convenientiam expendemus ; quia nificatio rerum est, de quibus postea.

Paronomasia, seu *Annominatio* est, *quæ vel similes, vel non-il immutatas inter se voces, significatione tamen dissimi-, conjungit.* Igitur 1. in vocibus eisdem reperitur. ut, *ari jucundum est, si curetur ne quid insit amari.* Iterum. *e cura, ut absolvaris omni cura.* quibus parcè & nunquam rebus gravibus utendum. 2. In verbis nonnihil immuta-est plerumque gratior. ut, *Amentes plerique amantes.* *oratore arator factus est.* Et *non exigo, ut immoraris lega-*

(a) συνεκδοχή. (b) συνοικείωσις. (c) ὁμοίωσις.

tioni; sed immorare. Emit morte immortalitatem. Homo navu[s] an vanus est? Animadvertis, opinor, addendo, detrahend[o] aut transferendo hæc immutari.

1. Phrasium verò similitudo vel ob quandam paritate[m] in terminatione oritur, & dicitur ὁμοιοτέλευτον *similiter de[-] sinens, cum plura membra orationis iisdem syllabis* (sive tempo[-] ra & casus pares sint, sive dispares) *terminantur*. Cic. pro Mil[.] *Non modò ad salutem ejus extinguendam, sed etiam gloriam pe[r] tales viros infringendam.*

2. Vel ob casus & tempora eadem: est ὁμοιόπτωτον *simi[-] liter cadens, cum plura iisdem casibus efferuntur* (sive termin[a-] tio syllabarum eadem sit, sive diversa) Cic. pro lege Ma[n.] *Quanta innocentes debent esse imperatores! quanta deinde [in] omnibus rebus temperantia! quanta fide! quanta felicitat[e!] quanto ingenio! &c.* & 1 in Verr. *Est idem Verres, qui fuit se[m-] per, ut ad audendum projectus sic paratus ad audiendum.* N[on] igitur semper etiam casus in finem membrorum cadunt.

3. Vel ob paritatem in membris & dicitur *compar*, seu *i[so-] colon, cum membra orationis æqualia sunt*, ut Cic. pro bel[lo] Pompeii, *extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, m[e-] dia æstate confecit.*

Aliæ hic aliis figuræ verborum, ut *Contrapositum, Com[-] mutatio, Correctio, Dubitatio.* Sed has ad sententiarum fig[u-] ras reiicimus; quod non verborum tantùm, verum & reru[m] oppositionem, mutationem, correctionem, ac dubitation[em] instituant; & si quid in verbis præterea similitudinis occ[ur-] rat, hoc prioribus figuris sit adscribendum, ut *Annominati[o,] cùm dicitur cedam inermis armatis, innocens nocentibus.* Nih[il] enim prohibet plures simul figuras in eandem periodum i[n-] currere. Hæc igitur de figuris verborum sufficerint, ex quib[us] illæ, quæ sola ludunt similitudine, plus ad delectatione[m] quàm motum faciunt, non, nisi moderatè, usurpandæ.

CAPUT XXIX.

DE ORNATU FIGURARUM IN REB[US] sententiisque.

§. 1.

Figuræ sententiarum *minimè vulgari modo res ipsas ani[mo] contemplandas subjiciunt, &, verbis licet mutatis, ead[em]*

præsta[-]

præstant, partim ad delectandum, partim ad movendum comparatæ: ut iccirco easdem divisim malim proponere. Sitæ autem sunt quasi in quodam Oratoris habitu gestuque, quo res ipsas apprehendens, versat; nunc cunctanter hærens interrogando, & respondendo, dubitando, communicando, corrigendo, rejiciendo, prætereundo, concedendo, conferendo, sustinendo, contrariaque opponendo: nunc velut procurrens, exclamando, optando, comminando, exprobrando, mortuos & inanima excitando, personas inducendo, dicta, facta, actionesque imitando; ut modò delectet, modò flectat audientem.

§. 2.

Figuræ ad delectandum inprimis idoneæ.

Interrogatio (*a*) generalis quædam figura est, ad omnem etiam motum idonea, quæ tamen in his schematibus non interrogandi, sed vel urgendi, vel imperandi fit gratia; quâ etiam indignamur, admiramur, hæremus. ut, *quid agam? quo me vertam?*

2. *Responsio* (*b*) hic est, quâ insperatum aliquid, sed tamen ad causam spectans respondetur, & in dialogismis locum habet. ut, *hominemnè occidisti? Latronem*, inquit.

3. *Subjectio* (*c*) est, cum Orator, & interrogat, & sibi ipse respondet. quod si præter, vel cōtra opinionem cadat responsio, perquam est grata ut, *quid tam novum, quàm adolescentulum privatum, exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit. huic praeesse? præfuit. Remp. optimè suo ductu gerere? gessit.* Cic. pro l. Man. Valet ad motum quoque. Cic. de Harusp. resp. *Tu meam domum religiosam facere potuisti? ecqua mente? qua invaseras: qua manu? qua disturbaras: qua voce? qua incendi jusseras.*

4. *Dubitatio* (*d*) *est*, cum quid, quoquo loco dicendum Orator ambigit. *Quid dicam, quò me vertam nescio, negem fuisse infamiam judicii corrupti? &c.* Virg. Eloquar? an sileam, &c.

5. *Communicatio*, (*e*) cum adversarios judices auditoresque consulimus. *Tu denique, Labiene, quid faceres, tali in re ac tempore, &c.*

 6. Occu-

(*a*) ἐρώτησις. (*b*) ἀντίκρισις. (*c*) ὑποβολή. (*d*) ἀπορία. (*e*) ἀνακοίνωσις.

6. *Occupatio*, sive *Prolepsis* (a) cum objicienda nobis præoccupamus. *At enim istum soli Siculi persequuntur, Cives Romani defendunt, diligunt, salvum esse cupiunt. Primum si esset: tamen vos sociorum querimonias audire oportet. &c.* Cic. Actio 3. in Verr.

7. *Correctio* (b) quæ dicta aptiori ad probandum sententia corrigit. ut, *Pœnam dedit, quanquam non tam pœna, quàm prohibitio sceleris fuerit.* Et, *Domum conduxit, nisi officinam nequitiæ malis dicere.*

8. *Concessio*, (c) *Permissio* (d) *est*, cum vel gratis, vel ad graviora inferenda quædam aliis indulgemus, ut Cic. in Verr. Act. 5. *Levia sunt in hoc reo crimina Metum virgarum Navarchus pretio redemit; humanum: alius ne condemnaretur, pecuniam dedit usitatum, &c.* Valet cum ironia. *Age perfrica frontem, & fac te digniorem, qui Consul fieres, quam Catonem.*

9. *Rejectio* (e) *est*, qua adducta ab aliis tanquam indigna responsione aspernamur. *Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam gloriæ suæ?*

10. *Licentia* (f) *est*, cum aliqua dicendi libertate citra offensionem utitur Cic. Phil. 1. *Quid? de Reip. malis licet mi dicere? mihi verò licet & semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere* Phil 10. *Grave dictu, sed tuendum tamen, &c.* Cic. ibid. *Erumpat aliquando vera, & me digna vox, &c.*

11. *Reticentia*, (g) cum abrupta oratione tacetur, quod subintelligi potest. *Quos ego. Sed motos præstat componere fluctus.* Virg. *Ego te furcifer si vivo.* Terent. Cic. ad Her. 4. *Tu qui nuper alienæ domus: non ausim dicere, ne cum te digna dixero me indignum quippiam dixisse videar.*

12. *Præteritio*, (h) cum illa quæ exponimus, nos prætervehi silendo fatemur velle. ut Cic. in Rullum: *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ atque damni, prætermitto illa, quæ nemo est, quin gravissimè ac verissimè conqueri possit.*

13. *Sustentatio* (i) *est*, quâ suspensi inter deliberationem Oratoris causam facti investigantis, tandem ad inspectatum aliquid deducuntur.

Obser-

(a) πρόληψις. (b) ἐπανόρθωσις. (c) συγχώρησις (d) ἐπιτροπή. (e) ἀποδίωξις. (f) παῤῥησία. (g) ἀποσιώπησις (h) παράλειψις. (i) ὑπομονή.

Observa quatuor hæc, quæ sequuntur genera schematum, planè ad illustrandam dictionem rara esse atque eximia. quamvis à nonnullis inter has figuras non censeantur.

14 *Gnome* (a) *est*, quæ generali oppositoque pronuntiato orationem concludit. Cic in Catil. *Hoc animo semper fui ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem.* Gnome hæc ad singulare quippiam applicata fit *Noema.* (b) ut si dicas Ciceroni. *Invidiam quam virtute peperisti, tuam esse gloriam interpretor.* Quod si idem tanquam extrema quædam approbatio rei narratæ adhibeatur, *Epiphonema* (c) erit. ut, *Tanta est virtutis dignitas, ut ipsam quoque invidiam majori gloria possit obruere.* De hoc schematum genere consule Palæst Eloq. lig. lib. 2. c. 13. Ubi facilem illorum inventionem tradidi. His adduut *Emphasin*, cum latens aliquid ex dicts eruitur. ut de Cyclope *Virg jacuitque per antrum immensum.* Ubi ex antri magnitudine, corporis vastitas cognoscitur.

15. *Symbole* (d) *sive collatio* (e) vel est comparatio similium inter se, vel dissimilium, facta per *Compar*, vel *Dispar*: vel partim similium, partim dissimilium (f) sive animata invicem, sive cum inanimis, aut hæc eadem secum conferantur, idque aut simpliciter, cum particulis *tanquam*, *velut*, *instar*, ut Cic. pro domo: *Cum tu in hoc vulnere, tanquam sanguis exi steres*, & vocatur (g) *Icon*: vel cum protasi & apodosi: ut, *dissimilis est pecunia debitio & gratia: nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit; qui autem debet, is retinet alienum; gratiam autem qui refert, habet, & qui habet, in eo ipso quod habet, refert.* Verum hic latissimus campus, & exempla passim obvia. Elegantiores illæ collationes sunt, quæ cum oppositione miscentur. ut Cic. 6. in Verr. *Conferte hanc pacem cum bello; hujus Imperatoris adventum, cum illius victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto: hujus libidines, cum illius continentia, ab illo, qui cepit conditas; ab hoc, qui constitutas accepit: captas dicetis Syracusas.* Ornant etiam comparata gnomen maximè Ita Seneca: *Otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura.*

(a) γνώμη. (b) νόημα. (c) ἐπιφώνημα. (d) συμβολὴ. (e) παραβολὴ. (f) ἀναμοίωσις. διαφορά. (g) εἰκών.

Exemplum sive παράδειγμα tunc dicitur, cum docendi gratia factum alteri proponitur, ex cujus similitudie instruatur ad vitandum quippiam, aut sequendum.

10. *Distributio* (dicta Græcis μερισμὸς) est, cum vel simpliciter res in suas partes distribuitur, ut Cic. pro Mar. *Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turba decerpit, &c.* Vel uni cuique parti sua laus vel reprehensio subjicitur, ut Cic. pro Amer. *His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque satis me commodè dicere, neque satis liberè vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora sunt impedimento.*

17. *Antithesis sive Oppositio* aut *Contrapositum* est in qua verba verbis, aut sententiæ sententiis opponuntur. idque, aut simpliciter, aut conversim. sive id fiat in contrariis, sive in negantibus, sive in repugnantibus, sive denique tantùm in diversis. eadem etiam hic omnium lex est. Hæc penè omnium figurarum est illustrissima: quòd contraria juxta se posita maximè elucescant. Quare al quod earum subjiciam. *simpliciter* opponuntur; (*a*) *vel singula singulis*. ut Cicer. 2. in Catil. *Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus.* Et Verr. 6. *Conferte Verrem; non ut hominem cum homine comparetis; (ne qua tali viro mortuo fiat injuria) sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum & jurisdictionem cum pace & armis, adventum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis.* Et pro Quinct. *Plus hujus inopia possit ad misericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem.* Et prò Posthumio, *Egentes in locupletes, perditi in bonos, servi in Dominos armabantur.* Et ante Exil. *Cedam inermis armatis, innocens nocentibus.*

Vel *plura opponuntur pluribus* ut Cic. Philip. 8. *Antonii promissa cruenta, tetra. Diis hominibusque invisa, nec diuturna, nec salutaria; nostra verò contra, integra, honesta, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.*

Vel *miscentur hæ oppositiones.* (*b*) ut Cic. pro Mil. *Est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.*

(*a*) ἀντίθεσις. *vel* ἀντίθετον. (*b*) μετάθεσις *juncta* ἀντιθέσει.

Elegans oppositio est, cùm in eadem re præter exspectationem diversa conjunguntur. ut Cic. pro Ligar. *Si in tanta tua fortuna, lenitas tanta non esset, quantam per te obtines, acerbissimo luctu redundaret ista victoria quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent; cum etiam de victis reperiantur? quàm multi qui cum à te nemini ignosci vellet, impediret clementiam tuam, cum etiam ii, quibus ignovisti, nolint te in alios esse misericordem.* Et pro lege Manil. *Neque enim potest exercitum is continere Imperator, qui seipsum non continet; neque severus esse in judicando, qui alios in se severos judices non vult.*

Conversim opponuntur, per *commutationem* (a) singula plerumque singulis. ut Cic. pro Dejotaro. *Fit in dominatu servitus, in servitute dominatus.* & Plin. de Trajano *Non ideo vicisse videris, uti triumphares; sed triumphare, quia vinceres.* Cic. pro lege Man. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum, quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno Imperatore confici posse?* Pro Cluent. *Illa definitio judiciorum æquorum, quæ nobis à majoribus tradita est, retineatur: ut in judiciis, & sine invidia culpa plectatur, & sine culpa invidia ponatur.* Pro Quinct. *Iugulare civem, ne jure quisquam bonus vult, mavult enim commemorare, se, cum posset perdere, pepercisse, quàm, cum parcere potuerit, perdidisse.* Et post Reditum *Mihi fratrem amantissimum, me fratri amantissimo; liberis nostris parentes, nobis liberos reddidistis.*

Præter hæc & aliud genus oppositionis peracutum est, quod ὀξύμωρον Græci dicunt, cum fatuum videatur, & tamen acutum sit. quando scilicet idem negatur de seipso. ut Cic in Catil. *Cum tacent, clamant* Et in Bruto. *Tum etiam ipsa de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit.* Et Mart. l. 12. epist. 72. *Quisquis ubique habitat, Maximè, nusquam habitat.* Sed ut hæc aliaque dispositionum genera argutè dictis serviunt, ita de his latius in Argut. Epig. egimus, quo avidum lectorem remittimus.

Tantum suffecerit de oppositis, quæ potissimum in Oratione florent ad delectationem instituta, quæ quo magis artem ingeniumque sapiunt, tantò in permovendis animis minus erunt adhibenda. Cæterum *Hypotyposis & Ethopœja* quan-

(a) ἀντιμετάθεσις.

quandoque etiam ad oblectandum valent; sed cum gravior earum in movendo sit virtus, postea de illis agendum erit.

CAPUT XXX.

DE FIGURIS AD MOVENDOS ANImos comparatis.

I*Nterrogatio* & *Subjectio*, *Dubitatio* & *Correctio*, *Concessio*, *Licentia*, & *Reticentia* ad motum valent; sed quòd delectarent quoque, ac naturali quodam ordine figuris cæteris nectentur, supra paucis exposui.

2. *Exclamatio* (*a*) ad movendum inprimis idonea, est ad rei alicujus propositam magnitudinem, in admiratione, ira, miseratione, dolore lætitiave erumpens oratio. Cic. Phil. 2. *O audaciam immanem! tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare?* Ironiæ quandoque servit. ut in Ant. 3. *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum! custosne urbis an direptor, & vexator Antonius?*

3. *Optatio* (*b*) est, vehementis desiderii, quo publicæ, aut privatæ cujusdam rei, bene cupimus, expositio. Cic. pro lege Man. *Utinam virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberemus, ut hæc nobis deliberatio difficilis esset, &c.* Pro Mur. *Dii faxint, ut meus Collega vir fortissimus hoc Catilinæ nefarium consilium armatus opprimat!*

4. *Deprecatio* (*c*) est, quâ post rei patheticam expositionem aliquid ab Auditoribus vel adversariis obnixè petimus. Cic. pro Mil. *Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat, &c.* Pro Dejot. *Per dextram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti, istam, inquam, dextram, non tam in bellis & præliis, quam in promissis, & fide firmiorem.*

5. *Imprecatio* (*d*) malum alicui imprecatur; sed Christianè usurpanda erit. Cic. Phil. 13. *Quin tu abis in malam pestem, malumque cruciatum? ad te quisquam veniat, nisi Ventidii similis?*

6. *Ominatio* (*e*) futurorum aut bonorum, aut malorum expositio est. Cic. pro Mil. *Erit, erit illud profectò tempus, cum tu &*

(*a*) ἐκφώνησις. (*b*) εὐχή. (*c*) δέησις. (*d*) κατάρα. (*e*) μαντεία.

tu & amicissimi hominis benevolentiam, & gravissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres. Pro Mur. *Illa pestis immanis, importuna, Catilina prorumpet, in agros suburbanos repentè advolabit. versabitur in castris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas; omni autem in sede ac loco ferrum flammamque metuemus.*

7. *Exprobratio* (a) est, qua vel præteritam, vel præsentem levitatem per insultationem objicimus. Cic. pro Rosc. *Quid ergo nunc adfers, quare id factum putemus? finge aliquid saltem commodè, ut ne plenè videaris id facere, quod aperte facis, &c. In nunc superbe, Virginum thalamos pete, contemne matres.*

Incrementum sive *auxesis* est, cum ab imo velut per gradus ad summum itur. ut Cic. in Ver. *Facinus est vincere civem Rom. scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere.* Et pro Quinct. *Miserum est exturbari fortunis omnibus, miserius est injuria, acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius à propinquis, &c.* Quod si contra, ut in defensione solet, descendatur & remissioribus res verbis mitigetur μείωσις erit.

Hypotyposis (b) est rerum gestarum tam diserta expressio, ut oculis quodammodo subjici videantur. Cic. in Ant. 2. *Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, &c.* In Ver. 7. *Procedit iste repentè de prætorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate: in forum venit, Navarchos vocari jubet, hominibus miseris innocentibusque injici catenas imperat. Implorare illi fidem popul. Rom. & quare id faceret interrogare, &c.*

9. *Ethopœja* (c) mores & verba personarum fingit. Cic. Quinct. *Quid Nævius ad hæc? ridet nostram amentiam scilicet, cum ab eo officia boni viri desideramus. Et quemadmodum natus, inquit, & quemadmodum educatus sum memini. Vetus est, de scurra divitem facilius multò, quàm patremfamilias fieri posse.* Et contra Rull. *Iam designatus* (Tribunus plebis) *alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quam ante barbaque*

(a) ὀνείδισις. (b) ὑποτύπωσις. (c) ἠθοποιΐα.

barbaque majore, ut oculis & aspectu denuntiare vim tribunitiam & minitari Reip. videretur. Quæ, si facta essent, ad hypotyposin spectarent.

Dialogismum, (a) sive sermocinationem, alii huic addunt, quando videlicet sermo inter duos pluresve exponitur. At hic si verus, ad hypotyposin, si fictus, ad ethopœjam aut prosopopœjam spectabit.

10. *Prosopopœja* (b) etiam personas fingit, rebus inanimis verba actionesque tribuens. Hac & mortui vitam: urbes, virtutes, ac vitia vocem accipiunt. Cic. pro Cælio. *Cæcus ille profectò* (Appius jam mortuus) *si exstiterit, sic aget, sic loquetur. Mulier quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cum aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares? aut tam inimica; ut venenum timeres?* Sic in Catil. 1 patriam secum loquentem inducit. *Etenim si mihi patria, quæ mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis Respubl. sic loqueretur; M. Tulli quid agis? Tune eum quem hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, autorem sceleris, principem conjurationis!* Et in Verr. *Sicilia tota si una voce loqueretur, hæc diceret, &c.* Et in Ant. *Quod si nunc ille Brutus revivìscat, & hic ante vestros pedes adsit, nõne hac uteretur Oratione? Ego Reges ejeci, vos tyrannos introducitis; ego libertatem, quæ non erat, peperi, vos partam servare non vultis; ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi sine periculo esse non curatis.* Pro Balbo. *Vtrum enim inscientem vultis contra fœdera fecisse, an scientem? si scientem, O nomen nostri imperii! ô populi Romani excellens dignitas! ô nationes, urbes populi, Reges, Tetrarchæ! testes Cn. Pompei. non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace! Vos denique, mutæ regiones, imploro, & sola terrarum ultimarum, vos maria, portus, insulæ littoraque, &c. hunc quisquam incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia præditum, fœdera scientem neglexisse, violasse, rupisse dicere audebit?* Rariores hæ tres figuræ, ad delectandum juxta ac monendum idoneæ sunt, & posterior quidem cautâ inductione præmunienda tum deinde uberi eloquentia est prosequenda, ne frigidâ fictione evanescat.

11. *Apostrophe* (c) est aversus à Judice sermo, ad Deum, homines, aut etiã inanimata. Valet inprimis, cum Adversarios urge-

(a) διαλογισμός. (b) προσωποποιία. (c) ἀποστροφή.

urgemus. Cic. in Cat. 1. *Quousque tandem Catilina abutere patientia nostra, quamdiu nos etiam iste tuus furor eludit?* Et in Pison. *Iamne vides bellua, jamne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? &c.* Hæc itaque figura, minatur, hortatur, ridet, impellit, misererur etiam tut pro domo: *Te Quinte Catule, patremne appellem, an filium? &c.* Quandoque autem, in aliorum persona compellata, quid Judicibus aliisve gravioribus viris faciendum sit, Orator consultius ostendit. Sic pro Roscio Cicero ab adversario Chrysogono potiùs, quàm Judicibus æquitatem postulat. *Orat te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit, si nulla in re te fraudavit, si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit:* &c. *ut sibi per te liceat innocenti, amicorum opibus vitam in egestate degere.* Ad Deum etiam cœlitesque Oratio patheticè convertitur. ut Cic. pro domo. *O Dii immortales, vos enim hæc audire cupio, P. Clodius vestra sacra curat? vestrum Numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat?* Conversæ ad res inanimatas orationis exemplum habes paulò ante pro Balbo. *Vos mutæ regiones, imploro,* &c. quæ ratio ad dignitatem exaggerandam valet. *O leges Porciæ, legesque Semproniæ!* &c.

12. *Repetitio* etiam ex verborum figuris, quæ verba *junctim conduplicat*, tum *Asyndeton*, atque etiam *Synonymia* ad motum inprimis serviunt, cui *Polysyndeton* tunc accedit, quando res magnitudine sua extollenda est, ad illius gravitatem exprimendam.

CAPUT XXXI.

DE APTA PARTIUM CONNEXIONE, & figurarum inductione per Oratorias Transitiones in eodem exemplo, ad faciliorem apprehensionem, propositas.

HActenus cum inveniendi, tum eloquendi artificium prosecuti sumus. nunc, ut aptis inter se partes orationis nexibus hæreant, ornatusque ille figurarum ad facilem usum traducatur, videndum est. Quæ sanè observatio plurimum ad ornatum varietatemque orationis momenti adfert. Cum hæc

tam

tam ad idoneam rerum destributionem distinctionemque, quàm ad opportunum figurarum cultum viam præstet, usuque compertum sit, hic plerumque non satis peritis aquam hærere. Quare hac in re exemplo variè in una eademque materia inflexo, ad faciliorem apprehensionem memoriamque utamur.

Vinculum hoc Orationis, quo vel una pars cum alia, vel una ratio cum altera cõnectitur, transitio appellari consuevit.

Transitio à parte ad partem est, quâ, e. g. ab exordio ad narrationem, aut propositionem, ab hac ad confirmationem, &c. transitur.

Transitio à rationibus, vel est ad rationes proximas, sive primas; vel ad remotas, sive ultimas. Deinde ea est, quâ ab uno argumentorum genere ad aliud transitur; ut ab effectis ad causas, ad contraria, similia, testimonia, &c. idque vel simpliciter, vel figuratè.

Transitio ab una partium Orationis ad alteram, debet esse clara, & distincta; ideoque plerumque non figurata. Quod locum etiam habet, quando ab uno confirmationis membro præcipuo, transitur ad alterum, e. g. à rei honestate, ad alterum. Ratio est, quia nisi hæc planissimè proponantur, distributio obscura erit, neque auditores memoriæ ordo, ac robur argumentorum, insidebit. Unde magno artificio hic opus non est, sed apertè, quid velis, profitendum. Exemplo sit. Constituisti aliquem laudare ab Eloquentiæ studiis. Primum ab ingenio & facultatibus naturæ, deinde à diligentia & artis perfectione, denique etiam à virtute, honoribus, opibus, per eloquentiam comparatis; sive ab utilitate & honestate Eloquentiæ poteris extollere, ac si apertè transire: *Dixi de ingenio, nunc de ejus diligentia accipite.*

I. Ad narrationem, seu propositionem transibis simpliciter, postquam in Exordio benevolentiam attentionemque captaveris, hac simili ve methodo.

Dicam quantum in Eloquentiæ studiis Muretus profecerit, quantum ab iisdem illi accesserit ornamentum, quo in dicendi genere tenuitatem meam vestrâ omnium benevolentiâ sublevandam spero. Primum itaque, quo ad hoc studium ingenio, quibusque naturæ facultatibus præditus accesserit; deinde quâ diligentia ad hujus perfectionem artis penetraverit; denique

quibus

quibus opibus,honoribus, ac virtutibus per illam auctus fuerit, videbimus. Atque ut ab ipso Eloquentiæ fonte, hoc est, ingenio ac ratione,mea quoque proficiscatur oratio, Muretum sentio inter præstantissima hujus seculi ingenia ad eloquentiam natum fuisse,ille enim,&c.

Vel. *Cum multa in Mureto commemoratione digna, quibus & Rempubl. Ecclesiasticam ornavit, & literariam amplificavit, tum illud mihi inprimis Eloquentiæ studium, ex quo pleraque manarunt cætera,visum est laude dignissimum. in quo, ante omnia, ejus veneror ingenium, diligentiam admiror, opes, honores, virtutesque inde profectas suspicio. quæ proinde singula dum fusiori aliquanto oratione prosequor, vos de Eloquentia minus eloquenter dicentem, benevola vestri favoris aura recreate. Ingenium ego Mureti præcipuè veneror, siquidem is,&c.*

II. Ad Confirmationem, sive causam rei, quam probamus, transitur, vel simpliciter, per particulas *Nam. Enim, Enimvero. siquidem.* Et si factum aliquod dictumve approbetur, præmitti solet, *Et rectè. Rectè enimverò. Et profectò sapientissimè. Et sanè prudenter. Nec absque causa, ratione,consilio. Gravissimis de causis. Nec levibus de causis. Non levibus inductus argumentis. Et jure merito, optimo. Nec injuria,immeritò; siquidem diligentia illa est, per quam ad Eloquentiam connitimur,&c.*

Vel figuratè, per præteritionem, si plures simul rationes occurrant. *Nam ut memorandi vim prætercam, nec illam tangam judicii acrimoniam,quanta illius sit,& in subtilissimis quibusque rebus apprehendendis celeritas, & in discutiendis perspicacia,experientia didicim,&c.*

Aut per sustentationem. *Et verò quid existimatis hanc illi persuasisse diligentiam? an fortè inutili curiositate rerum novarum abreptum? aut inani sciendi voluptate captum? aut denique vanissimis impulsum gloriæ studiis? Nequaquam sanè. major illum Reip. utilitas, vitaque cum virtute traducenda honestas provocavit. Vidit omnino quantum in literis commodi,&c.*

III. Ad Confutationem serviunt particulæ, *At, sed, verùm, verùm tamen,Enimvero,verùm enimvero,Sed enim.Opponit,Occurrit,Obstat hoc loco quorundam invidentium importuna loquacitas, qui cupiditate magis gloriæ, quàm amore Eloquentiæ*

quentiæ Muretum ductum autumant. Falluntur tamen, atque aberrant graviter. Etenim, ut is ambitione vanissima ductus sit, qui tanta contentione pro virtute egit, nemo mihi facilè persuaserit. Reclamant illæ disertissimæ voces, &c.

Vel figuratè transitur. Per Apostrophen. *Audite nunc vanissimum hominem tam apertæ sese veritati opponentem. Muretus inquit, plus aluit cupiditatis in pectore, quam eloquentiæ, &c.* Apage *his vocibus, invidentia plenissimis.*

Per communicationem. *Verum quid tam sanctum, numerisque absolutum omnibus; quod non carpat invidia? Te hic ego Mævi consulo, de Mureto quid sentias? quo ille tibi fructu versatus putetur in literis? Quid hæres, quin genuinos illos tuos in illum mordaciter exeris? Non is est, auditores, qui parcat innocentibus, viri illi gravissimi existimationem his audet dicteriis proscindere, &c.*

Per Ironiam. *Reliquum est, ut ex Mævio tanti viri præconium audiamus. Rarum ille aliquid ad illius existimationem tollendam, dicam, extollendam, adfert. Quid igitur? arrogantem atque inanis gloriæ cupidissimum hominem Muretum nuncupat. O plenas impudentiæ voces! Illum tu arrogantem, &c. dixeris, qui, &c.* Vide quæ infra tradidi c 33, n. 4. de oppositis rationibus.

Corrigendi se ipsum ratio his iisdem formatur particulis, & figuris extollitur. *Sed quid diligentem appello, quem diligentissimum dictum oportuit, &c. Verum nimium ego parcus laudator sum, &c. At enim à proposito longius evagatus sum, revertar, &c.*

IV. Ad Conclusionem venies simpliciter, per particulas. *Ergo, Igitur, Itaque, Quapropter, Quare, Quocirca, Quamobrem, Ideo, Iccirco, Proinde.* Vel etiam si apertè profitearis. *Sed jam finem dicendi facio. Ad finem denique procurrit oratio. His concludo. Quæ cum ita sint, finio. At ne vestra abutar patientia, hic libet subsistere. Recolligite nunc mecum, auditores, unius hominis tantam in dicendo copiam, in persuadendo vim, &c. At contrahamus denique effusæ nimium orationis habenas, &c. Ex quo intelligitur, conficitur, constat. Quo fit, &c.*

Vel figuratè, per interrogationem. *Et quisnam sit, qui dubitare ausit? Dubitabitis igitur Auditores?*

Per Apostrophen, exoptando, adhortando, detestando, &c. concluditur. *Vos igitur adolescentes, utinam illud æstimetis eloquentiæ*

quentiæ studium, quod in Mureto summam gloriam cum summa virtute conjunxit, &c. Videte nunc, quid vobis faciendum sit. Quapropter vos nunc oro, adolescentes, obtestorque, per illam spem, quam de vobis excitastis, Mureti vestigiis insistite, &c.

Per Ironicam concessionem. *Ite nunc, adolescentes, & plenam in lucem stertite, quando ipsum solem praoccupare etiam Muretus venientem solebat, ite ac diem otio consumite, &c. Negligite igitur, si vultis, Eloquentiam, quæ & opes tantas, & jam raros honores, &c. reconciliat. Fovete nunc desidiosorum adolescentum otia, &c.*

Per Prosopopœjam. *Quocirca nullum tempus erit, quo te animorum nostrorum decus Eloquentia non amplectar atque exosculer. Tu meorum eris unica laborum meta, quæ tantam Mureto & virtutem conciliasti, & gloriam, &c.*

Per Epiphonema etiam breviter concluditur. *Adeo nihil tam vile est, quod ab Eloquentia dignitatem non possit accipere. Tantum est eloquentiæ in teneris adolescentiæ annis omnem operam adhibuisse.*

CAPUT XXXII.

TRANSITIONES AD DIVERSA membra partium.

PRæter has orationis partes, sunt alia quædam ejusmodi membra, quæ in Narratione longiori, & præsertim in Confirmatione aut Confutatione occurrunt. Ut si eandem rem, e.g. Eloquentiam probemus utilem, honestam, & jucundam, vel in eodem homine ingenium, & diligentiam conjungamus.

I. In his transimus vel simpliciter ut *Quanta ipsius ingenii facultas fuerit audistis; nunc quæ fuerit diligentia accipite. Hactenus de utilitate Eloquentiæ; nunc ipsius in rebus humanis dignitatem cognoscite. Attendite, Videte, Intelligite, Cognoscite Expendite. Considerate, nunc Eloquentiæ dignitatem. Utilitatem vidimus, dignitatem expendamus. Nunc ad eloquentiæ dignitatem festinat, properat, anhelat oratio. Utilitas jam satis perspecta est, diligentia omitti, negligi, præteriri silentio non debet.*

Nonnunquam causa transeundi additur. *Sed nunc exspe-*

ctare videmini, ut de ejus dignitate pauca dicam. Sentio vos exspectare, ut si tanta in Eloquentia utilitas, quanta ejus sit dignitas, audiatis. Atque ut modum in dicendo servemus. Ne in immensum excrescat oratio. Ne vestra abutar patientia. Ne vestris auribus gravis sim, ut tædio audiendi sublevem, Quoniam temporis urgent angustiæ, Ne, consueta orationis terminos prætervehar, de ejus dignitate nonnulla adferam. Sed me dignitas Eloquentiæ invitat, rapit, sua trahit pulchritudine.

II. Vel tropicè, idque ferè Metaphoricè, in florenti magis oratione transitur. ut: *Nunc ipsius Eloquentiæ florem pulcherrimum, hoc est, honorem illi impendi solitum delibemus, depingamus, adumbremus. Nunc imaginem, dignitatis illius, quæ ex eloquentia subnascitur, oculis subjiciamus. Superest, restat, Reliquum est, ut oratio velis, remisque in ipsius Eloquentiæ dignitatem excurrat. Subeamus nunc illud amœnissimum Eloquentiæ viridarium, cultissimum hortum, in quo ejus efflorescit dignitas, &c.*

Nunc porro in amœnissima non hortorum, sed Eloquentiæ spatia sese effundat oratio, in quibus de illius dignitate concertatur. Ad extremum superest, ut favoris vestri aura provecti ad illam, quæ dignitate ipsius propria est, partem appellamus.

III. Vel figuratè per interrogationem. *Quid? quod dignitas hujus disciplinæ singularis, &c. Iam vero, num quisquam in Eloquentia honestatem desiderat?*

Per correctionem. *Sed quid tamdiu de Eloquentiæ utilitate tanquam de re ignota differo? quid immoror utilitati? ad dignitatem propius veniamus. Sed finis sit disceptationis institutæ, qua de commodis quæritur. Sed de utilitate nimis fortasse multa, &c.*

Per præteritionem. *Mitto plurima, quæ de utilitate dici possunt. Tempus me deficeret. Dies abiret, Nox occuparet omnia de Eloquentiæ commodis persequentem, Omnes utilitatis articulos discutientem, Momenta ponderantem. Supersedendum hic igitur, ut dignitatem ejus contemplemur. Cætera, quæ utilitati sunt propria, transeo, omitto, prætereo, ne fastidium, nauseam creem, generem, adferam, &c.*

Per comparationem. *Componamus, conferamus, &c. hanc dignitatem cum utilitate, & utra sit potior videamus. Magna ejus utilitas, sed dignitas major, haud sane minor, inferior. Atque ut Eloquentiæ commoda, sic honestatem potiori jure admirari*

rari potest, æstimabitis, &c. Atq; ut Eloquentiæ utilitas vestrum incitare laborem, sic dignitas amorem poterit inflammare.

Pro prolepsin, vel ante occupationem. *Sed erit fortasse aliquis, qui honestatem hac in arte desiderat, cui ego & rationem ipsam, & præclarissimorum hominum sententiam objiciam. Sed existimabit nonnemo, vilium tantum animorum esse nil nisi utile consectari, cui ego conjunctam cum utilitate dignitatem in Eloquentia ostendam. At verò inveniemus divites hujusce utilitatis contemptores, quibus ego facile quantum in Eloquentia honestatis insit, demonstravero.*

Per concessionem. *Sed esto, minor sit Eloquentiæ, hac ætate in foro utilitas, dignitas est certè maxima. Verum fortasse nunc de ejus dignitate commorare otiosum fuerit, quod plerique utilia honestis præferant. Esto, reperiantur qui Eloquentiæ studium despiciant, certè qui ejus honestate non tanguntur, paucos futuros existimo.*

CAPUT XXXIII.

TRANSITIONES AD DIVERSAS rationes & argumenta partium, sive membrorum Orationis.

Ut variis rationibus argumentisq;, ex locis propriis communibusque deductis, pars quæque membrumque Orationis probatur ac stabilitur; sic etiam Transitionibus exornatur. Quare & hi articuli nexusque minorum partium negligendi non erunt. Quia ab ipso cujusque membri aditu cultuque totius plerumque dissertationis successus ornatusque dependet.

Rationes autem, vel proximæ sunt, ad quas primo; vel remotæ, ad quos transitur post alias.

Ad rationes proximas transitur 1. simpliciter, eis fere particulis, quæ supra in confirmatione allatæ sunt. Nam Confirmatio in principio est transitus quidam ad rationem proximam, usurpando. *Nam, quia, quod, propterea, quod, quando, quandoquidem, quoniam, Ut qui, cum quippe.* Vel per asseverationis notas. *Ne, profecto, certe, certe quidem, sane,* vel ab ipsa propositione rationis ordiendo. *Manifesta hic nobis ratio suffragatur, Neque temere affirmavi, aperta res est. Causa est. Argumento est. Neque ambigere in re clarissima licet.*

Vel figuratè, per interrogationem. *Quid enim? an de uti-*

litate ejus disciplinæ dubitabimus, quæ à vitiis sceleratos quosque retrahit, ad virtutes accendit? Etenim honores ab Eloquentia fluere quis inficiabitur? &c.

Per ironicam exceptionem. *Nisi, Nisi forte, Nisi vero, Nisi fortasse hanc esse neget Reip. utilitatem sceleratos coercere, timidos impellere, &c. Nisi vero nullum sit emolumentum, opibus affluere, honoribus extolli, &c.*

Per subjectionem. *Nam quid illi Eloquentiæ studium contulit? opes auxit, necessarium vitæ humanæ subsidium. Quid tam novum atque inauditum, quam summorum occupare Principum animos, atque ad omnem suum nutum inflectere? Hoc ille Eloquentia est consecutus.*

II. Ad rationes remotas transitur, vel simpliciter per particulas. *Iam verò, Deinde, Adhac, Amplius, Præterea, Insuper, Adhæc, Tum vero. Sequitur nunc. Porro.* Si tamen ferè postremæ sint rationes, servient. *Denique, Demum. Adde quod, Accedit.* Si omnino postremæ sint. *Postremo, Ad extremum, Vltimum.*

Vel figuratè. Locus enim hic est figuris penè omnibus, post præmissas illas particulas, excepta præteritione, quæ in ultima ratione locum non habet. Per Apostrophen. *Ponite vobis nunc ob oculos, quantum præsidium ad omnem virtutem adferat Eloquentia.*

Per communicationem. *Iam ex vobis quæro, vel obsecro, ut quantum ad virtutem Eloquentia pondus adferat, commemoretis.*

Per concessionem. *Verùm age, faciamus nihil ab eloquentia nobis esse præsidii: an quod virtutem suadeat conservetque, satis non est, &c.*

Per Gradationem. *Magna fateor ab Eloquentia ad honorem præsidia, majora ad virtutem.*

Per Correctionem. *Eloquentia nonnullis ob difficultatem displicet; sed & iis virtus displiceat necesse est. Sed frustra compertis immoror, progrediar ad virtutem.*

Per Prosopopœjam *Vtinam nunc istorum voces audire liceret, qui ex profundo vitiorum ad virtutis apicem Eloquentia duce emerserunt, &c.*

III. Ad duas, vel plures rationes, vel simpliciter transitur, his particulis adhibitis. *cùm, tum; Tum, tum; Tam, quam; Quà, quà, Et, &; Aut, aut; Vel, vel; Non, solum, Sed etiam: Non modo, verum, etiam.* Vel figuratè.

Per

Per distributionem. ut, *Duæ res sunt, quæ ab Eloquentia proveniunt, opes & honores; opibus, potentia, honoribus, benevolentia multorum confirmatur: illa lautam vitam, hi splendidam præstant, &c.*

Per Præteritionem. *Nihil de opibus, quas Eloquentia auget, loquar; de honoribus sermo est; illis locupletatur, his ornatur.*

Per Comparationem *Quid de eloquentia dicam? opibus, an honoribus magis comparandis aptam? an ex æquo utrisque augendis idoneam?*

Difficilè sanè dictu est, plus opibus, an honoribus augendis conducat Eloquentia.

Per concessionem. *Finge nihil ad opes parandas esse præsidii ab Eloquentia, quod nemo nisi amens dixerit; nonne ad honores viam facilem muniunt?*

Per remotionem causarum. *Quid tandem obstat, quin omne studium Eloquentiæ impendimus? an quia opibus parandis non admodum idonea est? at re nulla perinde facilè cumulantur divitiæ? an quia honoribus parum opportuna est? at nihil ad illas obtinendas expeditius.*

IV. Ad oppositas disparatasque rationes, ac sententias, vel transitur simpliciter, per particulas: *Tamen, Attamen, Verum tamen. Sed. Sed tamen, Attamen, Verum enim vero, Quanquam, Etsi, Tametsi. At enim dicet aliquis. Sed inquies; Sed quosdam audire hic videor, &c.*

Ad disparatas ferè, ut rationes remotas, transitur, per particulas: *Ac, Atque, Age, vero, Age sis nunc, Et quidem, Et vero. At at, Et sanè. Et certè, At vero. Porro, Porro autem. Quid? quod, Quid vero, Sed ne illud præteream. Ne memoriâ excidat.*

Vel figuratè. Per dubitationem. *Quid ergo? an eloquentia res adeo difficilis est? Sit sanè. Difficilia enim quæ pulchra.*

Per Apostrophen. *At negas tibi ad eloquentiam ingenium à natura datum esse. Ne tu mihi graviter hallucinari videris. Tuam appello facilitatem, &c.*

Per ironiam. *Dicis te labore absterreri. Præclara vero excusatio!*

Per exclamationem. *At te laboris tædet. O inertiam!*

Per communicationem. *Quid ergo: laborem subterfugis? Apage ista desidia.*

Audite nunc adolescentem egregium, laborem hunc aversatur.

 satur.

ſatur. Quid vobis videtur. tantumne in iſta ætate dedecus ferendum eſt?

Per exceptionem. *Niſi forte laborem ſubterfugias. Sed quid abſque labore?* Vide ſupra de Confutatione.

V. Ad contraria rationum, vel ſimpliciter tranſitur per particulas. *Contra, Contra verò, Aliud planè, Secus tamen, Aliter longè res habet, Sed, Veruntamen. At vero, &c. Verùm non niſi vigilantibus hæc ſcientia provenit, nihil exſpectandum inertibus.*

Vel figuratè, idque per memoratas antea figuras. Apoſtrophen inprimis ubivis requiritur. *Vos hic inertes ac deſides appello, edicite, quid à tam utili honeſtoque vos otio ſeducat? &c.*

Per conceſſionem. *Age vero concedamus amœniſſimum illud adoleſcentiæ tempus otio prodigas, quantum in re ad reliquam ætatem manebit detrimentum?*

Per optationem. *Vtinam ſomnolenti omnes, & vigiliarum oſores, adoleſcentes hac ratione ducerentur, damnarent inertiam, &c.*

VI. Ad ſimilia tranſitur, vel ſimpliciter, vel particulas: *Quemadmodum, Vt, Vti, Velut, Sicut, Vt enim. Non diſſimilis ſtudioſo apis, &c.*

Vel figuratè. Per interrogationem, *Annon illud faciunt bruta animantes, atque inprimis florum illæ populatrices apes? Primâ ad laborem luce ſe conferunt.*

Per Apoſtrophen. *Vos melligeras ego apiculas compello, quid eſt, cur primo vos diluculo in campum effunditis, &c. Ad apes, vos ego ſomnolentos, provoco, has illuceſcente jam die contemplemini, &c.*

Per fictam perſonæ inductionem. *Etenim ſi ipſa vobiſcum apes humana voce loquerentur, veſtram accuſarent inertiam, ſuo vos damnarent exemplo, &c. ſic denique vobiſcum agerent. Nos quarum labor aliorum magis utilitati, quàm propriis emolumentis impenditur, & quas non ratio, ſed natura inſtruit, ſolerti tamen induſtria opus noſtrum aggredimur, &c.*

Per præoccupationem ironicam. *Niſi fortè ab apibus & brutis animantibus ad illa, quæ rationi conformia ſunt, inſtruendi eſtis.*

Per deſcriptionem. *Fingite vos modo ante oculos habere ſua inſudantem telæ araneam. Deum immortalem, quanta ad opus perficien-*

perficiendum solertia utitur! &c. Vos aranea non estis, sed homines, qui sibi, qui posteritati, qui Deo laborant, &c.

VII. Ad exempla & testimonia transitur, vel simpliciter, *Qua res, ut exemplis stabiliatur, demonstretur, clarior, evidentior, apertior, sit, Socratem attendite, videte, antelucanas etiam operas antevertentem, &c.* Cæterum iisdem exempla, quibus similia particulis gaudent. Non tamen testimonia. Sed in his à re ipsa simpliciter ordimur, ut, *Suffragatur, Favet, Adstipulatur Poeta, dum, inquit, Dii laboribus omnia vendunt.*

Figuris penè iisdem gaudent, quibus similia. Rariores tamen quasdam præterea, in uberrima messe, adjiciam.

Per Apostrophen. *Vos appello Oratorum lumina, Cicero, & Demosthenes, &c.*

Per Prosopopœjam. *Si Cicero pro me redux hoc ex loco perorarit, ita loqueretur. Nam si ipsa secum sic ageret Eloquentia, pro me Cicero omnem laborem suscepit. Reviviscat Demosthenes, Ciceronem audiamus, qui licet per mortem nobis ereptus sit, verba ipsius etiamnum vivunt, &c.*

Per Ironiam; *Quæ si falsa sint, derideatur Cicero, Accusandus erit erroris Demosthenes, qui tantum eloquentia tribuit, laboris impendit, &c. Amens Socrates fuerit. Nisi fortè Ciceronem dementem arbitremur, &c.*

Per Concessionem. *Sed erraverit Socrates, nos etiam cum eodem hallucinemur; at Salomonem mortalium sapientissimum, nemo errare fecerit. &c.*

Per hypotyposin, seu descriptionem. *Facite vos modo audire, aut intueri Socratem, altâ etiamnum nocte somnum oculis excutientem, ad Musæum sese transferentem. Non illum uxor detinet, non arduus labor deterret, &c.*

Per Communicationem. *Equidem vos interrogo, num Socrates vobis sapiens, num Cicero laudandus videatur? Quod si mecum senseritis, audite illorum verba, ad illorum vigilantiam attendite, &c.*

Per comparationem parium, ut, *Id sensit Demosthenes Demosthenem imitatus est Cicero. Idem Demostheni atque Isocrati visum, utrique suffragatus est Cicero.* Imparium *Nec facilè dixeris. plusne in Demosthene copiæ, an in Cicerone acuminis? Illius major ubertas, hujus potior ornatus. Ille hortatur, hic cogit; ille copiosè, hic etiam cultè loquitur.*

Per remotionem causatum. *Quid enim eloquentiæ studiosum deterreat? an labor? at hic Ciceronem non terruit. an desidiosorum exempla? sed neque iisdem retardatus est Cicero, &c.*

Ex his, nisi fallor, promptum cuique erit, quemcunque figurarum ornatum, & mente complecti, & ad scribendi dicendique usum traducere.

Ut verò expeditos ea in re discipulos Magister habeat. Jubeat nonnunquam dimidiæ unius horæ exercitatione simile aliquod exemplum varia figurarum inductione exornare; nunc hac, nunc alia Transitionum parte assumpta. Nonnunquam unam etiam illustriorem figuram ex Tullio propositam, simili in materia, imitando adumbrare. Ita denique nihil hac in re arduum, sed prona omnia, ad facilem copiosamque eloquendi facultatem experientur. Et quamvis principio non idoneo semper loco his ornamentis luxuriabunt; ætate tamen judicioque hunc facilè errorem corrigent; cum jejunæ atque inornatæ dictionis ariditatem maturior ratio nunquam fœcundet.

CAPUT XXXIV.

DE ORATIONE TOTIUS COMPOSITIONE ejusque varietate.

COmpositio alia est partium Orationis inter se, alia cum rebus ipsis. Inter se cohæret oratio, *junctura, ordine, & numero*; cum rebus ipsis per *tenuitatem, gravitatem*, aut *mediocritatem* dicendi aptè congruit, componiturque; pro rerum videlicet, aut tenuium, aut gravium, aut mediocrium natura. Et hinc potissimum illa scribendi dicendique varietas existit, ac distinctio. Quod à Salustio, Cæsar, ab utroque Livius ac Tacitus; ab omnibus his in scribendo dissideat Cicero, uni præcipue compositioni haud immeritò tribuas. Verba illis Grammatica, & Syntaxis fere communis est, compositio membrorum ac periodorum diversa. Ipse Cicero quod sibi in epistolis, orationibus, totoque eloquentiæ apparatu dissimilis sit, compositioni non minus, quam tropis figurisq; imputabitur. Adeoq; hac parte Romani sermonis diligenter post alias expensâ, futurum est, ut quemvis scribendi characterem haud difficulter æmuleris.

§. 1. De

§ I.

De Orationis compositione, ex variis partibus sensum complentibus.

Non agimus hic de oratione fusa liberaque, quæ nullis fertur numerorum legibus, & ab Aristot. lib. 3. Rhetor. cap. 9. *εἰρομένη*, sive interminata, dicitur, ac dithyramborum more, sine numero, atque ordine fertur, donec res exposita finem modumque imponat; nec de illa, quæ Poëticis illigata metris, harmonico quodam concentu aures detinet; quod hæc nimia oblectatione verborum, illa prorsus nulla, à rerum consideratione avertat animum: hæc lenocinio quodam dictionis, illa horrore frangat. Ut iccirco rectè ad Brutum in Oratore n. 195. Cicero *Neque numerosa esse, ut poema; neque, extra numerum ut sermo vulgi est, debet oratio. alterum nimis vinctum est, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum; ut pervagatum, ac vulgare videatur.* Paucis Quint. l. 9. c. 4. *Nihil,* inquit, *intrare potest in affectum, quod in aure, velut quodam vestibulo, statim offendit.* Quare cum ad persuasionem impulsumque quendam animorum instituta sit oratio; de illa nobis sermo est, quæ lenissima numerorum, per incisa sua, ac membra, inflexione, ductuque audientium animis illabitur, iisque, velut sine sensu, ac per insidias occupatis, veritatem imprimat.

Hoc igitur statuendum, quòd oratio quævis absoluta ex periodis, periodus ex membris, membra ex incisis, incisa ex verbis, uno aut pluribus, conflentur. Periodum Latini comprehensionem, circumscriptionem, ambitum, &c. vocant; membra Græci cola, incisa, commata dicunt. Quæ aliter apud Grammaticos, aliter apud Rhetores (ut mox intelliges) distinguuntur. Grammatici enim integram constructionem, quæ nomine & verbo completur, membrum orationis vocant; incisum partem talis membri, ob alias voces interjectas, divisam. Periodum, quæ plura membra, inter se, ad eandem sententiam absolvendam. Signa verò illis distinguendis fere adhibent diversa; ut inciso tale (,) quod comma appellant: membro tale (:) quod colon dicitur, cui tamen semicolon hoc signo (;) substituitur, si verbo eodem, cum vicina periodi parte, ad sensum absolvendum utatur: imò solo clauditur commate (,) si incisa in periodo desint. Periodus

verò

verò puncto (.) absolvitur, majusculâ consequente literâ, si à proxima periodo ejus sententia non pendeat; sin autem, minusculâ. Hic igitur signorum distinguentium ordo est. Comma distinguit in periodo incisa, vel cum hæc desunt, ad membra etiam transfertur: Semicolon membra minus perfecta, perfectiora colon, (ideoque in oppositis membris ejus usus præcipuus est) punctum claudit periodum. Quod si incisa, aut membra, talia sint, quæ sejuncta à periodo seipsis absolvant sententiam, punctis utraque clauduntur: solentque inter Grammaticos periodi appellari: inter Rhetores verò nomen suum, quod in periodo numerosa occupant, extra illam non amittunt.

Unde incisim, vel membratim dicere illi maximè dicuntur, qui minutulas ejusmodi vibrant sententias, quæ seipsis possunt intelligi. ut, *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat: at egebas.* Nunc singulorum naturam videamus.

Periodum Arist. l. 3. Rhet. c. 9. ait esse, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον, orationem, quæ principium finemque habeat, & magnitudinem uno obtuto spectabilem.

Debet itaque 1. periodus oratoria in principium finemque (alii πρότασιν & ἀπόδοσιν vocant) vel commate, vel semicolo, ut minimum, interjecto distingui posse, ideoque ex hac compositione aliquam corporis magnitudinem obtinere; ut, quemadmodum Cicero ait, *velut in orbem* à principio scilicet ad finem, *procurrat oratio.* Unde si dixeris: *Animadverti omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes,* non erit periodus, seu membrum longius Schinotenes; unâ tamen voce per incisum adjecta, periodum feceris. ut, Animadverti, Judices, omnem accusatoris, &c. quæ inter minimas periodos, μονόκωλος, seu unius coli, vel membri dicta.

Debet 2. periodus talem habere magnitudinem, quæ simul animo obiici perlustrarique facilè possit; qualem esse censent illam, quæ à monocolo ad tetracolon, hoc est, quatuor membrorum comprehensionem, extenditur.

Neque enim infra membri unius, neque supra membrorum quatuor, mensuram, volunt assurgere; ita ut, vel μονόκωλος, seu ἀφελής, simplex, sit, vel δίκωλος, vel τρίκωλος, vel denique τετράκωλος habeatur. Quod

Quod si tamen, vel rei exponendæ magnitudo, vel dicentis impetus viresque (ut non raro fit) periodum quadrimembrem excedant, suo tamen in orbe numerosa feratur oratio; prior quidem periodica seu περιβολὴ; posterior πνεῦμα, seu oratio pneumatica vocabitur; quod dicentis spiritum exhauriant. Denique si hunc etiam vindicat, ut respirandum sit (quod scitè, nonnunquam intersistens Orator admonet) καταφορὰ, seu impetus in rebus vehementioribus, τάσις, seu extensio, in moderationibus, appellabitur.

§. 2.

De membris & incisis.

Membra atque incisa periodum componentia duplicis sunt generis. alia quæ extra periodum (particula connectente, si adsit, sublata) sensum aliquem absolvunt, cum eandem in illa ob connexionem suspendant; alia quæ non nisi in periodo (ob nominis, aut verbi, aliis periodi membris inclusi, defectum) sententiam exhibent. Illa igitur perfecta, hæc imperfecta, periodi, quam componunt, naturam variant. vixque apud Rhetores (qui à Grammaticis hic discedunt, ut Quintil. lib 9. cap. 4. observat.) alia definitione universè describi possunt, quàm quæ ex magnitudinis mensura desumitur. ut, *membrum* sit *pars periodi, ab hemistichio ad hexametrum versum usque, suis numeris assurgens*; *incisum* verò *pars membri, vel periodi* (si hæc membris destituatur) quod *ab una voce ad hemistichii mensuram queat ascendere*; ut sit octo, aut quod extremum est, novem syllabarum: si quid ultra accedat, in membris censebitur. Ita membrum, si hexametri, vel syllabarum octodecim mensuram superet, alia voce *Schinotenes*, id est, funis instar *productum membrum*, dicitur. quod nisi per incisa extendatur, plerumque vitiosum est. Cæterum in concitata oratione frequens illius, per incisa producti, usus est; in moderata ac gravi nonnunquam per epitheta vocum, quandoque etiam per membra (membris, velut in parenthesi, inserta) longius evagatur.

Hæc verò cumprimis studioso Lectori sunt observanda, tum ut cujuslibet, quem sibi imitandum duxit; orationis habitum facile distinguat; tum in locis, rebus temporibusque

dictionem

dictionem aptare, & nunc cæsim, nunc membratim, nunc etiam numerosè ac circumscriptè nôrit incedere.

Exemplis rem ordine tradamus. Incisum vel magnitudine sua, ut magnum parvumve: vel sensu, ut perfectum imperfectumve spectatur. Quare aliud minus est, idque in voce una, ut, *veniunt, discumbitur, bibitur*; aliud plenum, ut, *Veniunt hospites, discumbitur ordine, græco more bibitur*. Et hæc singula perfecta sunt incisa, quia seipsis absolvunt sententiam. At si dixeris: *Non venirem, discumberem, biberem, nisi invitatus*. imperfecta erunt, quia seipsis plenum sensum non finiunt, sed ad finem suspendunt: ideoque hæc oratio minima periodus monocolos est. Illud propriè est cæsim; hoc circumscriptè, per incisa, dicere: illud narrationibus, & exhortationibus, hoc amplificationibus, & affectibus opportunum est. Utriusque vis singularis est.

Narratio cæsim facta à Cicer. Ver. 3. *Maturè veniunt, discumbitur, fit inter eos sermo, & invitatio, & græco more bibitur, hospes hortatur, poscunt majoribus poculis, celebratur omnium sermone lætitiaque convivium.* Quanquam membris duobus hæc oratio claudatur.

Exhortatio est pro Sextio. *Amemus patriam, pareamus Senatui, pareamus bonis, præsentes fructus negligamus, posteritati & gloriæ serviamus, &c.*

Amplificat hæc oratio commoda, aut incommoda, vitia, virtutesque, &c cæsim exponendo. Ut pro Archia Cic. *Hæc studia*, ait, *adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur*. Talis oratio oppositione majorem vim exserit. ut Cic. in 2. Catil. *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido. Hinc æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant, cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus. Postremò copia, cum egestate, bona ratio, cum perdita: mens sana cum amentia: bona denique spes cum rerum omnium desperatione confligit.* In qua oratione tres sunt partes, prima quidem membrum est schinotenes per incisa productum; sed non est propriè dicta periodus: quia

verbo

verbo præmisso, in singulis oppositis sensum absolvit. Quod si verbum *pugnat*; vel in medium, ut *certant*: vel in finem, ut *confligit*, rejectum esset, non minus monocolos hæc periodus, quàm utraque consequens existeret.

Porrò repetitio, interrogatio, aliæque vibrantes figuræ cæsim dictis magnam vim inprimunt. ut in Philip. 11. *Neque alienus ab eo essem; nisi ille vobis, nisi mœnibus, patriæ, nisi huic urbi, nisi Diis penatibus, nisi aris & focis omnium nostrum, nisi denique naturæ & humanitati inventus esset inimicus.* Quæ est periodus δίκωλος μακρόκωλος, hoc est, bimembris, verum ultimo membro longiori perschinotenes extensio quod laudabilius censetur, quam cum μύουρος illa fit, ac notabili brevitate finis claudicet.

Est enim ad disputandum aque excogitando adversarios magna in cæsim dictis vis. Unde Cicero in Vatin. *De te ipso, homine & arrogantissimo, & mihi inimicissimo, quæro, Vatini; utrum tandem putes, huic civitati, huic reipublicæ, huic urbi, his templis, ærario, curiæ, viris his, quos vides, horum bonis fortunis, liberis civibus, cæteris denique Deorum immortalium delubris, auspiciis, religionibus, melius fuisse, & præstabilius, me civem in hac civitate nasci, an te? &c* Et in Pison. *Dimittendi verò exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod senatus consultum? quod jus, quod exemplum? Quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non civitatem? cruentare corpus suum? major hæc est vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio.* Ubi ex utroque discursu patet, à membris rectius inchoari & finire orationem incisam, ut his velut limitibus includatur. Sed neque ornatum alium, quam qui à figuris est, hæc dictio requirit, præcipua illius vis in partium, rerumque circumstantium enumeratione consistit.

Membrum, si magnitudinem spectes, aliud breve est decem, aut duodecim syllabarum; aliud medium, octodecim; aliud denique maximum schinotericum, quod certam mensuram non habet, cum aliquando longam periodum expleat. Deinde, & simplex aliud, quod nullis incisis componitur; aliud è diverso ex his compositum. Breve simplexque membrum est, *obsequium amicos, veritas odium parit.* Iterum, si membrorum sensus spectatur; aliud perfectum est, ut utrumque

que jam propositum membrum; aliud imperfectum, ut si illa eadem periodo sic inclusa efferantur. *Cum obsequio amicos, veritate odium conciliari intelligas; nonnulla tibi in vitiis amicorum dissimulanda sunt; nulla vero obsequia, cum tempus postulat, facilè prætermittenda.* Quæ periodus trimembris est, & primo quidem, ultimoq; membro composito. Hæc verò compositio rursum distinguenda est, in illam, quæ simplex potestate, & multiplex censetur. illa ex solis incisis conflata in unius solummodo membri partes dissolvitur: hæc involuta, in unius pronuntiationis ductu, plura membra complectitur. Ut pro Roscio Cic. *Quoniam cujus consilio occisus sit video; cujus manu sit percussus, non laboro.* Duo hic membra sunt, quæ in quatuor resolvi sic potuerunt *Quoniam non obscurè video; cujus hic homo consilio occisus sit: non magnoperè laboro, cujusnam sit manu percussus.* Pari ratione, & illud supra dictum resolves. *cum vero tempus ita postulat; nulla facile obsequia sunt prætermittenda.* Quod si verò dixeris; e. g. *Quoniam, cujus fraudibus homo innocentissimus circumventus, sceleratoq; consilio, à nefariis sicariis occisus sit, &c. facilè animadverto:* Membrum schinotericum efficies, non incisis, sed aliis membris insertis productum, in quæ etiam resolvi poterit. Cujus membri usus in rebus ornatis gravibusque est; nam in vehementi affectu incisa in schinotericis, aut certè membra breviori impetu vibrata, magis impellunt. Ut sunt illa, quæ habet Cicero de lege Agrar. contra Rull. *Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus, & concionibus, & seditionibus tradidistis, spem improbis ostendistis, timorem probis injecistis; fidem de foro, dignitatem de republ. sustulistis.* Prior hujus discursus pars, duo cum totidem incisis membra absolvit in periodo: reliqua membratim dicta sunt, uno inciso temperata. Quæ subjicio, membratim tantùm feruntur. *Omnes, qui se incolumes volunt, sequuntur autoritatem Consulis, soluti à cupiditatibus, liberi à delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus.* Ornantur hæc acuunturque etiam oppositis in Cicer. Ver. 7. *Vide quæ intersit inter tuam libidinem, majorumque autoritatem; inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium, atque prudentiam. Illi aditum littoris Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti, &c.*

Illud verò observandum, quod quo membra quæque breviora,

viora, ad incisa accedunt propius, tantò oratio majori impetu fertur. ut pro M. Cælio. *Detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior; non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera illa ac directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem; dummodo illa in hoc genere præscriptio, moderatioque teneatur: parcat juventus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne intersit insidiis, scelere careat.*

Ubi incisis membratim dicta concluduntur, quod inprimis est elegans. Rectè etiam permiscentur. ut pro Flacco, *O conditiones miseras administrandarum provinciarum, in quibus diligentia plena est simultatum, negligentia vituperationum, ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundia occulta, blanditia aperta, &c.*

Quod si membra hæc, aut etiam incisa suis vinculis inter se, aut in periodo colligentur, gravior erit oratio atque exornativo generi dicendi serviet; præsertim si oppositis misceatur. Ita Plin. in Trajano. *Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non arma honestarunt; ille quæsitam domi gloriam, in publico, hic in publico partam, domi perdidit, postremò adhuc nullus extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.* Et Cicero de Pomp. de lege Man. *Qui plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures provincias confecit, quam alii concupiverunt. Cujus adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis inprimis; non offensionibus belli, sed victoriis: non stipendiis, sed triumphis est traducta.* Priorem discursum ultimum una claudit periodus, illa brevior, hæc aliquanto longior, cætera membratim dicuntur.

§. 3.

De periodo & ejus distinctione.

Quæ de Periodo reliqua sunt, facilè ex dictis assequeris. Siquidem Periodus 1. juxta magnitudinem dividitur, in Monocolon, dicolon, &c. Monocolos, sive unimembris est, quæ à principio ad finē aliquo orationis flexu ac distinctione

fertur. Unde licet membro, quandoque major non sit, flexu tamen ab illo separatur. ut si dicas: *apud Imperatorem magna valet gratia*; membrum erit. sin ita: *magna valet, apud imperatorem, gratia*; periodus est, quia *gratia* per incisum separata, ad principium suum, *magna valet*, refertur.

Dicolos, seu bimembris periodus est, quæ duo inter se membra aliquo vinculo ita inter se connectit, ut unum sine altero intelligi nequeat; resolvi tamen hoc vinculo sublato, in duas propositiones distinctas (ut sunt quæ verbum habent cum nomine) possunt. Vincula autem, quibus nectuntur, vel sunt particulæ, quæ aliquam includunt conditionem, ut est *si, postquam, cum, quandoquidem, &c.* vel quæ redditionem aliquam involvunt, ut sunt. *Hic, ille, iste, qui. quæ, quod. tantùm, quantùm, toties. quoties, ita, ut, &c* quo etiam optativi ac conjunctivi modi spectant. *Vellem sibi attenderent; cum hoc agant, &c.* Quare hæc periodus bimembris est. *Hæc ratio ac magnitudo animorum in majoribus fuit, ut in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti viverent.* (Adde quod sequitur, & trimembris futura est) *in imperio ac publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent.* (denique monocolo periodo sic concludit) *Quæritur enim in re domestica continentiæ laus, in publica dignitatis.* Pro L. Flacco.

Tetracolos, seu quadrimembris hæc est pro Cæcin. *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret, non minus in causa cederet A. Cæcinna Sext. Æbutii impudentiæ quam in vi facienda cessit audacia.*

Dividitur 2. periodus ratione membrorum inter se collatorum in ἰσόκωλον, seu membris inæqualem (ut ferunt supra allatæ) & ἄνισον inæqualem. quæ vel μακρόκωλος est, cùm posterius membrum est longius (quam cæteris inæqualium præferunt) vel μύουρος, cum idem est brevius: prioris exemplum est pro Aul. Cluent. *Ita flagrare cœpit amentia, sic inflammata ferri libidine. ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas. non macula familiæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror à cupiditate revocaret.*

Hæc de distincta certis membris periodo, quæ cum monocolos & dicolos est, maximè servit epistolis, historiis, didacticis, ac rebus moralibus, quæ frequenti gaudent sententiarum

tiarum apparatu. tricolos ac tetracolos in exornativo dicendi genere inprimis florent: quamvis utrobique, ne satietas fastidium pariat, apta varietate temperentur, & quo breviores plerumque periodi sunt, tantò longioribus membris, in ornata præsertim dictione, proferantur, amat enim hæc oratio aliquem epithetorum & phrasium cultum. Cæterum aliæ sunt *pneumaticæ periodi*, quæ per tasin & cataphoram has membrorum metas prætervehuntur, frequentesque sunt, cum vel totum in suas partes tribuitur, vel rerum adjuncta, causæ effectus, commoda, incommoda, &c. enumerantur.

Dilatantur igitur funduntúrque latè periodi per omnes amplificationum locos, serviuntque ad hunc luxuriantis dominantisque orationis cursum eædem sępius repetitæ particulę, ut, pro leg Man. *Nō illum avaritia, ab instituto cursu, ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.* Quæ periodus ab illo principio (*non illum eximia vis remigum*) ducitur, & huc per diversa membra ad unum aliquod verbum spectantia, excurrit. Sic post reditum ad Quirites. *En ego tot testimoniis. Quirites, hac autoritate Senatus, tanta consensione Italiæ, tanto studio bonorum omnium, agente P Lentulo, deprecante Cn. Pompejo, omnibus hominibus faventibus, Diis denique immortalibus frugum ubertate, copia, vilitate reditum meum comprobantibus, mihi meis, reipubl. restitutus, tantum vobis, quantum facere possum, Quirites, pollicebor.* ubi decem membra censentur. Hoc igitur pneumate, maximè Orator in animis auditorum dominatur. Verùm hæc in praxi styli çujuslibet aptè formandi magis elucescent. de qua *Palæstram styli* consule.

§. 4.

Dissertatio Ciceronis de numerosa & variè beneque composita oratione. In Oratore perf. §. 37. & seq.

Ostendit 1. numerum Oratorium à Poëtico differre. 2. in demonstrativo genere dicendi numerosè circumscriptam orationem requiri. 3. Eandem aliquando in judiciali inter descriptiones & amplificationes locum habere. 4. Varietatem delectare tradit. 4. Concinnitatis habendam rationem

 6. docet

6. Docet quid si incisè & membratim dicere, & ubi locum reperiat. 7. Quæ cavenda sint Oratori in numeris vitio, concludit denique 8. exemplis dissolutæ & compositæ ad numerum Orationis, apte dicere, magni ad eloquentiam interesse.

1. Neque numerosa esse, ut poëma, neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet Oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat, alterum nimis dissolutum, ut pervagatum ac vulgare videatur: ut altero non delectare, alterum oderis. Sit igitur permista & temperata numeris; nec dissoluta, nec tota numerosa, pœan maxime (quoniam optimus autor ita censet *Aristoteles*) sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata. Quos autem numeros, cum quibus, tanquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est; atque etiam quibus Orationis generibus sint cuique accommodatissimi. Jambus enim frequentissimus est, in iis, quæ demisso atque humili sermone dicuntur; Pœan autem in amplioribus; in utroque Dactylus. ita, in varia & perpetua oratione, hi sunt inter se miscendi & temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium, & quadrandæ Orationis industria: qui latebit eò magis, si & verborum & sententiarum ponderibus utemur. Nec verò nimius is cursus sit numerorum, Orationis dico (nam est longe aliter in versibus) nihil ut fiat extra modum: nam id quidem esset poema; sed omnis, nec claudicans, nec quasi fluctuans, sed æqualiter constanterque ingrediens, numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat, è numeris; sed quod numeros proxime accedit: quò etiam difficilius est oratione uti, quàm versibus. quod illis certa quædam & definita lex est, quam sequi sit necesse: in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaque non sunt in ea, tanquam tubicini percussionum modi, sed universa comprehensio, & species Orationis, clausa & terminata est.

Solet autem quæri. Totóne in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis? plerique enim censent cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non id solum. Ponendus est enim ille ambitus, non abjiciendus.

dus. Quare cum aures extremum semper exspectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet, sed hunc exitum tamen à principio ferri debet verborum illa comprehensio, & tota à capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. Nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis Orationis, eadem cum faciamus, quæ Poëtæ, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem. Est enim in utroque & materia, & tractatio; materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Ternæ autem sunt utriusque partes: verborum, *translatum, novum, priscum.* nam de propriis nihil hoc loco dicemus: collationes autem eæ, quas diximus, *compositio, concinnitas, numerus.* Sed in utroque frequentiores sunt, & liberiores Poëtæ. nam & transferunt verba, cùm crebrius, tum etiam audacius; & priscis libentius utuntur, & liberius novis; quod idem fit in numeris, in quibus, quasi necessitati parere coguntur.

2. Ergo in historia, & in eo, quod appellamus Epidicticum, placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, illâ circumscriptione ambituque, ut tanquam in urbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. Itaque postquam est nata hæc vel circumscriptio, vel comprehensio, vel continuatio, vel ambitus, (si ita licet dicere) nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem generis ejus, quod esset ad delectationem comparatum, remotumque à judiciis, forensique certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias. Nam cum is est auditor, qui non veratur, ne compositæ orationis insidiis sua fides attentetur, gratiam quoque habet Oratori, voluptati aurium servienti.

3. Genus autem hoc Orationis, neque totum assumendum est ad causas forenses, neque omninò repudiandum. Si enim semper utare, cum satietatem adfert, tum quale sit etiam ab imperitis agnoscitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem & fidem. Sed quoniam adhibendum nonnunquam est, primum videndum est, quo loco; deinde quamdiu retinendum sit; tum quot modis commutandum. Adhibenda est igitur numerosa Oratio, si, aut laudandum est aliquid ornatius, ut nos in accusationis secunda de Siciliæ laude diximus de consulatu meo; aut exponenda narratio, quæ

 plus

plus dignitatis desiderat, quàm doloris: ut in quarto Accusationis de Ennensi Cerere. de Segestana Diana, de Syracusarum Situ diximus. Sæpe etiam in amplificanda re, concessu omniũ, funditur numerosè & volubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem sæpissimè sumus, quod plurimis locis perorationes nostræ voluisse nos, atque animo contendisse declarant. Id autem, tum valet, cum is, qui audit, ab Oratore jam obsessus est ac tenetur. Non enim id agit, ut insidietur, & observet, sed jam favet, processumque vult, dicendique vim admirans, non inquirit, quod reprehendat. Hæc autem forma retinenda non diu est, in reliquis orationis partibus.

4. Nunc quot modis mutentur cõprehensiones, conclusionesque dicendum est. Fluit omnino numerus primò, tum incitatius brevitate pedem, tum proceritate tardius. Cursum contentiones magis requirunt: expositiones rerum tarditatem. Insistit autem ambitus modis plurimis, è quibus unum secuta est Asia maximè, qui Dichoręus vocatur, cum duo extremi chorei sunt, id est, è singulis longis & brevibus. Non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed in Orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse præclarè, quò etiam satietas formidanda est magis. Me stante Cajus Carbo. Caji Filius Tribunus plebis in concione dixit, his verbis, *O Marce Druse, Patrem appello.* Hæc quidem duo binis pedibus incisim, dein membratim ternis, *Tu dicere solebas, sacram esse rempublicam.* Hæc ita membratim quaternis; post clausula ambitus. *Quicunque eam violavissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas* (dichoręus est, nihil enim ad rem, extrema illa, longa sit an brevis) Deinde *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit.* Hoc dichoręo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset.

Quæro, Nonne id numerus effecerit: Verborum ordinem muta, fac sic. *comprobavit filii temeritas:* jam nihil erit, etsi *temeritas* ex tribus brevioribus & longa est, quem Aristoteles, ut optimum, probat, à quo dissentio. At eadem verba, eadem sententia. Animo istuc satis est, auribus non est satis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoscitur; deinde satiat: postea cognita facilitate contemnitur. Sed sunt clausulæ plures, quæ numerosè & jucundè cadant.

Nam

Nam & *Creticus, Spondeus, Iambus, Dactylus Dochimus adhiberi* poterunt, ut occurratur satietati, &c.

5. Et quia non numero solum numerosa oratio, sed & compositione fit, & genere concinnitatis: Compositio potest intelligi, cum ita structa verba sunt, ut numerus non quæsitus, sed ipse secutus esse videatur, ut apud Crassum: *Nam ubi libido dominatur innocentia, leve præsidium est*. Ordo enim verborum efficit numerum, sine ulla aperta Oratoris industria. Itaque si quæ veteres illi (Herodotum dico & Thucydidem totamq; eam ætatem) aptè numeroseque dixerunt, ea non numero quæsito, sed verborum collatione ceciderunt.

6. Sequitur, ut videamus, quæ sint illa, quæ supra dixi incisa, quæ membra; hæc enim, in veris causis, maximam partem Orationis obtinent. Constat enim ille ambitus, & plena comprehensio, è quatuor fere partibus, quæ membra dicimus, ut & aures impleat, & ne brevior sit, quàm satis est, neque longior. Quanquam utrumque nonnunquam, vel potius sæpe accidit; ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum; ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. His igitur singulis versibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus. Sin membratim dicere volumus, insistimus, idque cum opus est, ab ipso cursu invidioso, facile nos, & sæpe disjungimus. Sed quæ incisum aut membratim efferuntur: ea vel aptissime cadere debent; ut est apud me: *domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas*; Hæc incise dicta sunt quatuor: At membratim quæ sequuntur. *Incurristi amens in columnas; in alienos insanus insanasti*. Deinde omnia, tanquam in crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur. *Depressam, cæcam, jacentem domum pluris, quàm te, & fortunas tuas æstimasti*. Incisim autem, & membratim tractata oratio, in veris causis plurimum valet, maximeque his locis, cum aut arguas, aut refellas, ut in nostra Corneliana: *O callidos homines! ô rem excogitatam! ô ingenia metuenda!* membratim adhuc, deinde cæsim diximus. rursus membratim: *Testes dare volumus*. Extrema sequi comprehensio, sed ex duobus membris, quâ non potest esse brevior, *quem quæso nostrum fefellit, ita vos esse facturos?* Nec ullum genus est dicendi, aut melius, aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam singulis, paulò alias pluribus.

7. Qui verò in compositione fugerit, ut neque verbum ita trajiciat, ut id de industria factum esse intelligatur; neque inferciens verba quasi rimas expleat; nec minutos numeros sequens, concidat delumbetq; sententias; nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum: is omnia fere vitia vitaverit.

8 Quantum autem sit aptè dicere, experiri licet, si aut compositi Oratoris benè structam collocationem dissolvas, permutatione verborum aut si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque ordine verborum paulum commutato in quadrum redigas. Age sume de Gracchis, apud Censores illud. *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare qui improbos probet.* Quanto aptius, si ita dixisset: *quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare?* Res autem sic se habet (ut brevissimè dicam, quod sentio) composi è & aptè sine sententiis dicere, insania est; sententiosè autem, sine verborum & ordine, & modo, infantia; sed ejusmodi tamen infantia, ut ea qui utuntur, non stul.i homines haberi possint.

CAPUT XXXV.

DE JUNCTURA, ORDINE AC Numero Oratorio.

QVod in Orationis compositione præcipuum est, vidimus, quomodo vid licet incisis, membris, periodisque ad circumductum aut concisum, aut medium dicendi genus formanda sit oratio, quę res exemplis magis, quàm pręceptionibus est inculcanda. Reliquum est ut de junctura vocum inter se, earumque ordine, ac numero pauca dicamus. Sed hæc prioribus rectè intellectis prona sunt, auriumque magis judicio, quàm scriptis legibus definienda.

1. *Junctura est*, per quam apto nexu inter se hærens oratio facili cursu fluit estque in literis, syllabis, ac dictionibus. Qua in re 1. pondus, gravitas ac levitas literarum, syllabarum, vocumque est expendenda. Inter literas vocales eminent; deinde consonantes, post mutæ, obtusioris præ cæteris soni, sequuntur. Unde hæc dicitur regula, quod vox, quæ grandiores includit vocales, sit & ipsa grandior sonantiorque

reliquis

reliquis, ut *ajo*, quàm dico. Nam a & o inter vocales gravi, e & i exili, y & u mediocri sono efferuntur. Unde, cum rebus aptanda oratio sit, hæc lex nascitur, ut in arduis a & o quæramus, in exilibus e & i Sic *via alta atque ardua* contraque, *Accipiunt inimicum imbrem*, dixit *Virg.* Ex his igitur, quæ syllabæ, vocesque sint graviores, facilè colligitur: nam & syllaba, quæ plures ejusmodi literas, & vox, quæ plures ejus generis syllabas complexa fuerit, grandior quoque est futura: quæ exiles, paucasque, vel literas, vel syllabas; levior. Idem esto de tota dictione judicium. Vide hæc enucleatius tractata in Poeticis meis l. 2. c 2

2. In junctura, vitanda ejusdem literæ, syllabæ, vocisque crebra repetitio. Offendit enim plerumque, nisi cum vel res ardua, aut dura exponitur, ut supra, *via alta, &c.* vel stridulum quippiam per R. aut sibilans per S. exprimendum: ut, *horrendum infremens*, & *serpens sibilat*; aut sordidum quid per contemptum; ut *vacca*. aut Rhythmicum carmen, ut, *Optanda sors, est pulchra mors*; ligatæ orationi magis, quàm solutæ proprium. In qua multa similiter cadentia facilè displicent, ut, *gementes dolentes, fugientes*, & ingrata sunt iisdem ducta principiis ut, *vestra vos voluntas. &c.* Eadem de causa aures lædit recurrens sæpius consonans duplex. ut, *Zelus Xenophanis*, Rex *Xerxes*. Durum quoque si literæ contrario oris motu efferendæ concurrant, ut si B P. M. quæ os claudunt, cum N K. F. R. quæ aperiunt, collidantur: ut, *Mnemosynon, sub mente, sub situ, Abnepos, subfero, sub Rege, ob Pamphilum, &c.* Durum postremò, si concurrant elisione mutua vocales a & e: o & a: ut. *Alta erigo, Obscuro agit carcere.*

Ex his duabus observationibus facile intelligitur, quæ verba phrasesque consonantiores sint, quæ suaviores asperioresque habeantur. nam verbalia absolutis, superlativa positivis, composita simplicibus, universim verba omnia, quæ & longioribus, & pluribus extenduntur syllabis, cæteris consonantiora sunt; ita *conservatrix, ornatissimus, consceleratus, tempestivum*, magis sonant, quàm conservans, ornans, sceleratus, tempus. Adhæc voces quæ gravioribus implentur literis, ut, *magnanimus* sono gravius, quàm generosus, *heroa* quam heroem, *immanitas* quàm crudelitas. Syllabæ etiam longæ, quæ plures involvunt literas, ut *tempestas*, gravior vox, quàm procella; licet hæc vocalium granditate vincat.

Cæterum lenior asperitatibus vitatis fluet oratio. In quo studio nec illud observatu indignum est, quòd M N & L ut in medio vocis unius gratiam obtinent, sic eandem in concursu vocum amittant. Ita *illecebra molles*; *Annuit immensus*, placent; sed *imperium moderans*; *Sol lunaque lucens*, tardam pronuntiationem suspendunt.

3. In junctura observandum, quæ qualesque ad compositionem voces adhiberi soleant. Ex octo enim Orationis partibus, verbum semper ac substantivum aliquod requiritur. His adverbia & præpositiones modò ad necessitatem, modò etiam ad ornatum jungi possunt. Epithetorum frequens etiam ob utramque causam, usus. Interjectionem & pronominum rarior, nec sine energia dictionis, usurpatio. Horum neque multa nimium in membrum unum congerenda, ut spiritum dicentis. audientisque vim exhauriant; neque jejunis subsultantibusque passim membris excludenda: cum illud sit gravitatem affectare, hoc negligere.

4. *Ordinis* in junctura habenda est ratio. Cujus unica (ut supra tradidimus) hæc est regula præcipua, ut aut à generalioribus, quæque minus determinatam significandi vim habent; aut certe à minus significantibus ducatur ad finem oratio: ita enim quò auditor, lectorve, plura audit, legitve, plus intelligendo proficit, suspenditurque animus sciendi avidus, dum ad exitum decurrat oratio. quæ lex ut in periodis, sic in membris quoque singulis obtinet. Ex qua regula variæ præceptiones duci possunt. Ut quod verbum complet vim sententiæ, ejus plerùmque finem debeat obtinere. Unde rectius dices: *pueri currunt*, quàm currunt pueri. Deinde adjuncta suis esse subjectis anteponenda consequitur. ut, *illustris gloria*; non gloria illustris. quia, dum audis *gloriam*, facile quod illustris sit mente assequeris. at verò dum *illustrem* accipis, de gloria nihil hinc infers. Quod si tamen adjunctis, vis quædam, aut distinctiva, aut significativa major latiorve insit, eadem substantivo pone subjici poterunt. quare divisa, distributiva, ac numeralia, tum superlativa, & comparativa, atque universim negativa, ut *nemo*, *nullus*, ornatius post substantivum, & hæc postrema quoque post verbum, in oratione adhibentur. ut, *gloria quæ vera est fugienda, possidetur. Hostis quilibet molestus. Annus quintus agitur. Honor illi delatus est maximus. Nihil hoc viro modestius. Bonorum aversatur neminem.* Hæc enim dixeris

xeris elegantius, quàm si, vera gloria: quilibet hostis, &c. pronuntiaveris. Cæterùm inter adjectivum ejusque substantivum ornatè quippiam interponitur, ut, *Ingens profectò labor. Arx hostium munitissima. Annus agitur quintus.* Quæ tamen opponuntur, hæc se invicem tangant. ut *firmus infirma, parva magnis stabilitas* Denique ex eadem regula concludimus, infirmiora quæque, cùm verba, tum substantiva, in oratione præcedere, ut sensim crescat oratio. (nisi cum d struendo Adversarii dicta extenuamus, quod contrariâ lege facimus) ut, *Multa scelerate ac flagitiosè homo iste ausus est, ac perpetravit;* Flagitium enim majus scelere, & perpetrare plusquam audere est. Hac tamen præceptione naturæ ordo, rerumque dignitas confundenda est. Sic ortum ante occasum, virum ante fœminam collocabis.

4. Numerus hic est orationis apta modulatio, ex brevium longarumque vocum varietate consurgens. Hujus in membris quidem singulis, sed in claudenda inprimis periodo habenda est ratio Probatur autem in fine Dichoræus, ut *comprobavit*: Creticus & Dichoreus, *cum victoriam præferatis*: duo Dichorei *per triennium dederunt*: Pœan quartus & Ditrochæus, ut, *Siciliam nominavit.* Tum his, quos subjicio pedes similes. *Vitia damnarunt. Amicos tenes. Virum condemnarunt. Vicit armatos.* Universim polysyllaba, quasi fatigatum jam dicentis spiritum commodè terminabunt. Vitanda tamen, quæ carminum finem referunt. ut, *candida cervix. Sponte cadentibus, &c.* tum quæ, vel ex multis nimium brevibus constant, ut *itineribus*: vel pluribus longis conflantur: ut, *immanem tempestatem.* Varietas syllabarum, ut in ipso periodi decursu, sic in fine est optima.

Altera numeri cura principio Orationis, quamvis minor, adhibenda est. Hic præcipuè commendantur Creticus, Anapæstus, Molossus, Pœan primus, & Dochimus. Medio cura debetur minima. universè res graves tristesque spondæis, cæteræ, pro ingenio quæque suo, pedibus magis expeditis gaudent. cavendum verò, ne eædem sæpius quantitate recurrant, ut, *improbus perdidit viri optimi filium.*

Cæterum, quis numerus incisorum, membrorum, ac periodorum in oratione esse possit, supra cum præceptis, tum exemplis tradidimus. Leges hæ tamen Rhadamantheæ non sunt, quas aliquando Orator transire nequeat, cujus ita est ex

arte

arte dicere, ut celet artificium: cum illud studiosè nimis quæsitum audientis animum à rebus, ad sermonis cultum observandum transferat: Oratoris verò finis non in delectatione potissimum, sed persuasione sit collocatus. Quare ut nec horrida debet esse oratio, quam auditor aversetur, sic nec culta nimium, quâ tantum pascatur. diligentia hæc quandoque neglecta, & cultus quidam sine cultu eminet. Qui difficilis non erit observanti varietatem illam, quæ in ornatu ac compositione proponitur. Consule Cicer. in Oratore perfecto §. 34 & seq.

CAPUT XXXVI.

DE DIVERSO SCRIBENDI CHARACTERE pro diversitate materiæ, usurpando.

Superest, ut postquam orationem in sua resolutam principia expendimus, ejusque in forma vidimus diversitatem, hoc postremò intelligamus; quo scribendi dicendive charactere, qua in materia potissimum utendum sit. Est enim sermo humanus velut imago quædam rerum, ac tanquam vestis, quæ omnium corporum non est eadem; sed in brevibus brevis, in magnis magna, ineptus sit, quisquis eadem mensura omnes definiat.

§. I.

De charactere tenui.

Triplici verò materia penè res universas sub rationem humanam cadentes circumscribimus. Vel enim ad docendum præcipuè est comparata; ut in Dialogis, Epistolis, & quibusdam Didacticis, artes varias disciplinasque complexis, & hinc tenuem, aut humilem dicendi characterem assignamus: vel ad delectandum potissimum est instituta, & huic temperatum, seu medium scribendi genus tribuimus: vel postremò ad movendum auditorem, aut Lectorem spectat, & huic sublimem atque incitatam dictionem assignamus. Qui quidem character Orationis triplex cum illo, quem supra in periodorum distinctione adhibuimus, non erit confundendus. Suo enim, ut mox patebit, discrimine separatur.

Chara-

Poteris etiam hac super re consulere Cicer. in Oratore perfecto ad Brutum, cujus verba alibi recitavimus.

Character tenuis. parcè tropis ac figuris utitur. verbis brevibus, propriis, claris, nervosis delectatur, acutis gaudet sententiis, parœmiis, axiomatis (unde & acutum) ac subtile hoc genus dicendi appellatum est) Concursum vocalium & diphthongorum asperiorem vitat numerum ferè negligit, concisa dicendi ratione, membrisque ac periodis succinctis fertur. In Dialogis hæc maximè atque illo dicendi genere, quod mores instruit, consectatur; illic tamen parœmiis, hic gnomis locus est potior, Epistolæ hæc cum delectu, & citra affectationem amant. Cætera scribendi ratio, quæ in disciplinarum artiumque expositione versatur, aliquantò membris periodisque solutior, illo adagiorum sententiarumque cultu distituitur, sat docta, si cum proprietate perspicua. Quo in genere, nihil Cicerone exquisitius, post quem Quintilianus palmam obtinet.

Historia ad eundem characterem spectat, quod rerum gestarum expositione posteritatem erudiat, cum tamen ad delectationem quoque sit comparata, in temperato scribendi genere magna sui parte occupare locum meretur; quin etiam in rebus concitatis, præsertim orationibus ad motus animorum regendos dispositis, sublimi dictione assurgit; ut proinde, supra genus tenue, membris periodisque aliquantò ferri possit, modò circumscriptius, modò etiam vehementius. Ejus nitorem dignitatemque nemo Curtio propius est assecutus, cui Liviani ubertas & illimata quandoque copia, Salustiana brevitas, & subsaltantes, hiulcique non rarò numeri, jure postponuntur. Taciti, ut in maturis aptisque ad mores sententiis magna laus, ita styli inamœna asperitas. & obscura raritas, non magnoperè cōmendanda. Curtius & argutâ brevitate subtilis, & illustri dictionis ornatu à vulgo secretus, & perspicuo candore limpidus, & æquabili lenitate fluidus, & neglecto quodam numerorum cultu suavis concinnusque devolvitur. Cui si quis Taciti in sententiarum pondere gratiam maturitatemque nonnunquam adhibuerit, nihil in historia dare poterit exquisitius. Quædam etiam familiaria Poëtis illis quoque indulsero. ut est *vestem fratris induitur*, apud Curt. libro 10. *Incerta fortunæ*, Livius; *Avia saltuum*, Tacitus; *cum æqualibus cursu certare*, *equitare*.

equitare, jaculari. Salustius, id est, certat, equitat, &c. Quanquam nolim esse in his tam frequentem, quàm ille est. Quidquid enim raritate placet, frequentia displicet, atque hoc quod est, esse desinit. Cicero libro secundo de Oratione, in historico stylo suavitatem requirit; ut suo loco de stylo hist. circumscripta, & seorsim etiam de historia vidimus *in Palæstra styli.*

2. Vitia tenuis hujus characteris sunt. 1. Ruditas styli. 2. Jejunitas & siccitas. 3. Abrupta brevitas. 4. Dissolutio atque inconstantia. Ruditas vel in verbis nimium exilibus, quæ rei dignitatem non exprimunt; vel in neglecta verborum constructione ac compositione invenitur. Illius hoc in Cicer. 4. ad Her. exemplum est. *Ad hunc dixit, servus tuus me pulsavit, &c.* cujusmodi sunt quædam Sanctorum historiæ. Hoc errore peccatur, cum inter aurea sententiarum lumina, quædam miscentur quisquiliæ, ut solent rudiores adolescentes, ex consarcinatis bonorum autorum dictis centones conficere. Affine huic vitium sermonis jejunitas, in quam inflati tumidiorisque styli osores, Atticismi ac proprietatis sectatores, facilè incidunt, cùm medium non assequuntur. Hæc omni orationis flore dictionem spoliat. Si quis igitur illo styli genere, quo ad Atticum Cicero in Epistolis utitur, historiam prosequeretur: hanc labem non evitaret. Par ferè abruptæ brevitatis vitium, quale in suis Oratiunculis incurrit nonnunquam Salustius. Lege illam C. Marii ad Quirites. *Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt, gerere. Primo industrios, supplices, modicos esse, deinde per ignaviam, & superbiam ætatem agere. Sed mihi contra videtur, &c.* Nam & prima, & secunda periodus sine idonea cum sequenti connexione abrumpitur: nec ipsa inter se membra satis cohærent. planè magis perspicua hæc esset oratio. *Scio ego Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à vobis petere, quibus illud consecuti administrant. Primò industrios supplices, ac modicos: deinde ignavos, superbos atque immodicos experimur.* Ubi abruptim nihil, sed suo quæque nexu leniter perspicueque volvuntur. Porrò dissolutum styli genus illud est, quod aptis, pulchreque cœptis, inepta, atque inconcinnè hærentia admiscet; puris verbis sordida, sonantibus dissona: membra etiam numerosque in periodis nunc absolvit, nunc truncat, clara obscuris confundit, importunè digreditur, reditque, ordinis propositique immemor. His non

rarò

rarò peccat Tacitus quamvis ſenſu verbiſque grandior, priori tamē cum Saluſtio errori obnoxius, & abruptis, hiulcis, obſcuriſque ſenſibus egregia ſententiarum decora obruens. Sic lib 17. An. Piſo contra Othonem loquitur. *Falluntur quibus luxuria ſpeciem liberalitatis imponit, perdere iſte ſciet, donare neſciet, &c. Hac principatus pramia putat, quorum libido ac voluptas penes ipſum ſit, rubor ac dedecus penes omnes. Non enim unquam imperium flagitio quaſitum, bonis artibus exercuit.* Quid hic præter ultimam gnomen laudabis? prima enim ſententia obſcura eſt, abrupta altera, tertia dura ſimul & tecta. clarius veriuſque locutus ſic eſſet. *Falluntur, quibus prodiga opum luxuria ſpecie liberalitatis imponit, perdere magis, quàm donare facultates ſolita. Principatus illa ſui exiſtimat pramium, quod hunc libidine adminiſtret propria, rubore ac dedecore omnium. Nec mirum: cum nemo unquam, &c.* Sed hæc brevi adeò exemplorum appoſitione vix ſatis docentur, ipſi autores fuſiori lectione evolvendi ſunt. quos iccirco non carpo, ut diſſuadeam, ſed ut eorum tibi uſum ſaniorem reddam

§. 2.

De Charactere ſublimi.

Cum Charecter ſublimis in iis, quæ ad movendum ſpectant, verſetur, atque ad hoc requiratur primò, ut res graphicè deſcripta oculis, quodammodo ſpectanda ſubjiciatur; Deinde, ut ad odium, aut amorē, miſerationem, aut indignationē impellantur animi: diverſa quædam, in his atque illis ſcribendi ratio nobis eſt obſervanda. Ut enim res magnificè proponatur, verba ſint ſonantia, ſplendida, vim ſenſumque explanantia, minimè vulgaria, ſuiſque adjunctis ornata. Ita conſonantius eſt *obluctari*, quàm reſiſtere, *obſecundare*, quàm parere; ſplendidius eſt *majeſtas* orationis, quàm dignitas; *fulmina* belli, quàm decora, quia ab illuſtri re transferūntur. Significātius eſt, ſi proditorem dicas *ſceleratum ac perfidum*, quàm, nequam & infidum hominem. Minus vulgatum eſt quidquid aut uſurpatur rarius, ut *ſcaturigo* aquę, quàm fons: aut aliqua ratione novatur; ſeu per tropū, ut *caput* aquæ, pro fonte; ſeu per diſſolutionem, ut *poſtea verò quàm*, pro poſteaquam verò; ſeu conjunctionem, ut, *interjacens mœnibus*, id eſt, jacens inter

mœnia.

Adjunctis res ornatur, vel simpliciter, ut *Eloquentissimus* Cicero; vel resoluto in periphrasim epitheto, ut, *Romanæ eloquentia Princeps* Cicero. Hæc in verbis observanda. Membra verò plena numerosè, sine multis incisis, fluere, periodos circumductas, explicatasque ad majestatem, esse convenit; Sic enim ad rerum magnitudinem suo proximè habitu aptabitur oratio. At verò ubi jam ad impellendos animos sese orator converteret, minus exquisitus verborum apparatus sit, ne in his defixus auditor hæreat, incisa cadant frequentia; modò dissoluta, cum celeritas & multitudo rerum explicanda erit; modò crebris vincta nexibus, cum magnitudo. Membra etiam minus plena, & quandoque asperè collisa postulat, quanquam suis in oratione periodis inclusa. Sed hæc, cùm odium indignationemque Orator spectat; ad amorem enim & præsertim miserationem tardior & minus subsultantia incisa, & membra faciunt. Cæterum, ut ad orationis majestatem figuræ ornamentorum; ita ad illius concitationem illæ, quæ affectuum sunt, adhibentur. In quibus repetitio, & conduplicatio, interrogatio, & exclamatio inprimis valent; illæ addictionis velocitatem, hæ ad vehementiam. de quibus, quæ supra cap 2. tradidimus, erunt consulenda. In hoc genere dicendi versantur Orationes. Cic. in Verrem & Catilinam, in Vaticinium, Pisonem, pro Roscio, Cluentio, & Rabirio.

Vitia huic characteri vicina duo inprimis sunt. Inflatio & frigiditas. illa tumidis, poëticis, allegoricis, antiquatis, novatisque audacius verbis orationem implet, tum epithetis ac periphrasibus, supra necessitatem facit affluere: hæc alienis è re, loco, ac tempore vocibus sententiisque, præter veritatem abundat.

Sic Florus, cæterùm non aspernandus scriptor, de Decio Bruto Hispaniam obtinente. *Non prius arma convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii horrore, deprehendit*, id est, cum solem occidentem cerneret. Ubi alterum membrum poeticum, ultimum frigidum atque alienum ex hyperbole est.

Sic & Ammianus Marcel. *Vigore communi Romanis agminibus, quoties libet Rhenum pervium feci, contra rumorem fremitus, gentiumque validarum excursus stando immobilis, virtutis vestra nimirum firmamento confisus*. quam hic friget, *vigore*

gore & agminibus, & rumorum fremitus, quæ minus; *& pervium feci*, quod plus æquo significat! cætera verò quantùm tument! pergit. *Et hæc, laborum quos exhausimus Galliæ spectatrices, post funera multa jacturasque recreata, diuturnas & graves, posteritati per ætatum examina, commendabunt* prius inflatum, ultimum etiam frigidum. His affines Ennodius in Panegyr. *Tellus concita tremuit concussione Cornipedum. Excepit te sonipes lituorum desideriis inquietus, & lancearum imber cœlum obtexit.* quæ poeticè omnino tument. In his igitur sublimitas orationis affectata, vis movendi nulla est.

§. 3.

De charactere temperato.

Character medius sive temperatus est, qui tenuem sublimemque inter hac moderatione fertur, ut quæ in ipso humiliora sunt, quæque in hoc majestatis & vehementiæ plena declinet: adeoque pulchro quodam & circumscripto orationis flexu, amœnis tropis, figurisque tanquam floribus, cultus exspatiatur; cum ad delectationem potissimum sit institutus. Ejus usus in locorum descriptionibus, rerumque naturalium ac morum exornationibus est. Verborum igitur sententiarumque delectus quidam instituendus; asperitas omnis in compositione vitanda, numerosè & aptè membris periodisque cadens concinnanda oratio, quæ neque spondæis tarda sit nimium, neque jambis trochæisve claudicans. qualis Cicero pro lege Manilia, Archia & Marcello est. Figuris ornamentorum omnibus hic florere stylus debet. inprimis verò, per apposita Isocola, & repetitiones ornari periodus, paria respondere paribus, & relata relatis. Funditur hic character latissimè ad ea omnia, quæcunque laudem, reprehensionemve aliquam, seu factorum, seu rerum, seu personarum spectant; atque in demonstrativo potissimùm dicendi genere dominatur.

Vitia huic affinia sunt 1. quidem dissolutio, & fluctuans inconstantia, in stylo humili notata 2 Frigiditas in charactere sublimi reprehensa. 3. Affectatio ac puerilitas: quarum illa in immodico similium ornamentorum usu, hæc in imperita eorundem usurpatione consistit. Ita Sidonius

Apollinar. ut Celtarum nobiles oratorio & poetico stylo excultos diceret, frigidis lusit metaphoris. *Sermonis Geltici squammam depositura nobilitas, nunc oratorio stylo, nunc Camœnalibus modis imbuitur.* Sic & Ennodius affectatè Epist. 9. *Dum favos loqueris, & per domos cereas, eloquentia nectare, liquentis elementi mella componis, peregrinum labiis meis saporem epulis divinis infudisti:* id est, tuâ eloquentiâ delectatus sum. quæ ridicula nimium affectatione figurantur. Puerilis Apuleji lusus est. *Erat intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus, crines ejus præmulsis antiis, promulsis caproneis, antevenduli, & propenduli. Quid? quod & lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat?* Cui non sordeat, formosus ille atque intonsus hac descriptione Apollo? Cavendum igitur, ne his ineptis cultu vilescat oratio.

Gravis hic Doctorum virorum est concertatio, dum in hoc medio charactere ad laudes reprehensionesque comparato: alii numerosum circumscriptumque dicendi genus, quale laudat sequiturque Romanæ Princeps Eloquentiæ: alii concisum acutisque vibratum sententiis postulant, quali olim Plinius Secundus ad Trajanum, Ausonius ad Gratianum usus est: alii denique minus quidem concisum, tamen nec Tulliano more circumductum, sed grandius ac poëtico stylo propius amplectuntur, illi, quod olim Arbiter, atque hac proxima ætate Barclajus in sua Argenide excoluit, haud dissimile.

Verùm argutum illud scribendi genus, ut multis ad inveniendum difficile, ita, si longâ oratione continuetur ad audiendum quoque est grave. Quare illud quidem, cum inamœnis quibusdam censoribus, quibus facultas à natura, aut arte, ad hanc dictionem negata est, non proscribo; sed ita moderandum censeo, quemadmodum à Cicerone supra capite tertio factum docui. De altero verò grandiori sic statuo, loco illud ac tempore usurpatum, cum in rebus novis fictisque, tum in grandibus ac magnificis laudem admirationemque promereri. Utrumque tamen scribendi genus, non facile ab aliis, quàm provectæ jam eloquentiæ maturique judicii scriptoribus usurpandum, quòd prona utrobique sit in vitia prolapsio: nam, qui passim ejusmodi dictionum venantur aculeos, vel ineptiunt fringentque, vel affectatione, aut puerilitate vilescunt. Qui verò raritatem illam ac magnitudinem

dinem, tum verborum, tum phrasium consectantur, modò affectati frigidique, modò etiam ampullati tumidique superbiunt, paucis, nisi sibimetipsis, placituri.

Verbo ut in omni re, sic in oratione nihil mediocritate habetur salubrius, varietate gratius. Reliquum est, ut de eadem dicendi scribendique varietate Ciceronem eloquentissimè disserentem audiamus.

§. 4.

Dissertatio Ciceronis ad Brutum in Oratore perfecto.

Quæ sit optima species & figura dicendi.

1. Exorditur à persona & postulatione Bruti, cui hanc dissertationem petenti, fas non fuerit, hoc amici officium denegare.

2. Proponit deinde quæstionem, ac veretur, ne si perfectum Oratorem descripserit, plurium animos desperatione consequendi fractos, ab hoc studio dimoveat. Verùm tamen, nunquam defuisse, qui ad optima quaque contenderent, ostendit. Perfectum itaque Oratorem se indagaturum.

3. Ostendit porrò §. 3. & 4. Tria esse dicendi genera, in quorum singulis aliqui floruerint. Omnium verò Oratorum excellentissimum proponit Demosthenem Atticè inprimis eleganterque loquentem, in quo tamen nævi aliqui deprehensi fuerint. cum omnino perfectus Orator fingi quidem animo possit, inventus nondum fuerit.

4 Denique §. 5. Varios esse tradit variorum de forma dicendi sensus, & in Epidictico scribendi genere præfert reliquis Isocratem.

CICERO AD BRUTUM.

1. Utrum difficilius aut majus esset, negare tibi sæpius idem roganti; an efficere id quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi. nam & negare ei, quem unicè diligerem, cuique me charissimum esse sentirem, præsertim & justa petenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur: & suscipere tantam rem, quantam non modo facultate

consequi difficile esset, sed etiam cogitationi complecti; vix arbitrabar esse ejus, qui veretur reprehensionem doctorum atque prudentium. Quid enim est majus, quàm cum tanta sit inter Oratores bonos dissimilitudo, judicare *quæ sit optima species, & quasi figura dicendi*? Quod quoniam me sæpius rogas aggrediar: non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate. Malo enim cum studio tuo sim obsecutus, desiderari à te prudentiam meam, quàm si id non fecero, benevolentiam. Quæris igitur, idque jam sæpius, *quod eloquentiæ genus probem maximè, & quale mihi videatur illud, cui nihil addi possit, quod ego summum & perfectissimum judicem?*

2. In quo vereor, ne si id, quod vis, effecero, eumque Oratorem, quem quæris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant. Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas & magnopere expetendas concupiverunt. Quod si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenii vis fortè deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in Poëtis non Homero soli locus est (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum secundis, vel etiam infra secundos. Nec verò Aristotelem in Philosophia deterruit à scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia & copia cæterorum studia restrinxit. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Iasyli, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari. Nec simulacro Jovis Olympii, aut Doriphori statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent, quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus, ut cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.

In Oratoribus verò, Græcis quidem, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat; attamen cum esset Demosthenes, multi Oratores magni & clari fuerunt, & antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiæ dediderunt, spes infrigatur, aut languescat indu-

industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est: & in præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima.

3. Tria autem sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt: peræque autem (id quod volumus) perpauci in omnibus. Nam & *grandiloqui*, ut ita dicam, fuerunt, cùm ampla & sententiarum gravitate, & majestate verborum, vehementes. & varii, copiosi, graves, ad pervertendo- & convertendos animos instructi, & parati. Quorum ipsorum ali aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa: alii lævi, & instructa & terminata. Et contra *tenues*, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, nón ampliora facientes, subtili quadam & pressa oratione limati, in eodemq; genere alii callidi, sed impoliti & incõsultò rudium similes, & imperitorum. Alii in eadem jejunitate concinniores, id est, faceti, florentes etiam & leviter ornati. Est autem quidam interjectus, *intermedius* & quasi temperatus (character) nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum. Vicinus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque (si verum quærimus) potius expers. Isque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil adferens præter facilitatem & æquabilitatem, aut addit aliquos, ut in coronatoros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque dist nguit. Horum singulorum generum. quicunq; vim in singulis consecuti sunt, magnum in Oratoribus nomen habuerunt. Atque utinam in Latinis talis Oratoris simulacrum reperire possemus, esset egregium non quærere externa, domesticis esse contentos. Sed ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios, vel ut amarem meos, recordor me longè omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo cognoverim. Hoc necl gravior extitit quispiam, nec callidior, nec temperantior. Semper Oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium, & nutum totos se fingunt & accommodant.

Itaque Caria & Phrygia & Mysia, quòd minimè politæ

minimeque elegantes sint, adsciverunt aptum suis auribus opimum quoddam, & tanquam adipatæ orationis genus, quod eorum vicini (non ita latè interjecto mari) Rhodii nunquam probaverunt. Græci verò multò minus, Athenienses verò funditus repudiaverunt, quorum semper fuit prudens syncerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire & elegans. Eorum religioni cùm serviret Orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. Itaque hic quem præstitisse diximus cæteris, in illa pro Ctesiphonte Oratione longè optima, submissius à primo: deinde, dum de legibus disputat, pressius: post sensim incedens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. Ac tamen in hoc ipso, diligenter examinante verborum pondera, reprehendit Æschines quædam & exagitat; illudensque, dura, odiosa, intolerabilia esse dicit. Quin etiam, quærit ab ipso, cum quidem eum belluam (*κίναδος*) appellet. Utrum ea verba, an portenta sint? Æschini ne Demosthenes quidem videatur Atticè dicere. Facilè est enim verbum aliquod ardens (ut ità dicam) notare, idque restinctis jam animorum incendiis, irridere. Itaque se purgans jocatur Demosthenes, negatque in eo positas esse fortunas Græciæ.

4 Sed in omni re difficillimum est formam (quod χαρακτὴρ Græce dicitur) exponere optimi: quòd aliud aliis videatur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit à communi more verborum. Pacuvio, inquit alius; omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus, multa apud alterum negligentiùs. Fac alium Accio; varia enim sunt judicia, ut in Græcis, nec facilis explicatio, quæ forma maximè excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca. Contra alios nitida, læta, collustrata delectat. Quid est, quo præscriptum aliquod aut formulam exprimas, cum in suo quodque genere præstet, & genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus, existimavique in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiamsi lateret, idque ab eo posse, qui ejus rei gnarus esset, judicari.

Sed quoniam plura sunt Orationum genera, eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionū, Historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates

tes fecit panegyricum, multique alii, qui sunt nominati Sophistæ, reliquarumque rerum formam, quæ absunt à forensi contentione, ejusque totius generis, quod Græce ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum est, non complectar hoc tempore. non quò negligenda sit, est enim ea quasi nutrix ejus Oratoris, quem informare volumus, & de quo molimur aliquid exquisitius dicere.

Ab hac, & verborum copia alitur, & eorum constructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati sententiarum, & arguti certique & circumscripti verborum ambitus conceduntur: De industriaque & non ex insidiis, sed apertè & palam elaboratur, ut verba verbis quasi dimensa & paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia, comparenturque contraria, & ut pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo sonum. quæ in veritate causarum & rarius multò facimus, & occultius. In Panathenaico autem Isocrates ea se studiosè consectatum fatetur. non enim ad certamen; sed ad voluptatem aurium scripserat.

Hæc tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum, & Leontium ferunt Gorgiam, Theodorum inde Byzantinum, & quosdam alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates. quorum satis arguta multa, sed ut modò primumque nascentia minuta, & versiculorum similia quædam, nimiumque depicta. Quo magis sunt Herodotus Thucydidesque mirabiles, quorum ætas, cum in eorum tempora, quos modò nominabam, incidisset, longissimè tamen illi à talibus deliciis, vel potius ineptiis, abfuerunt; alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, primisque ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius, quàm superiores, & ornatius dicere. Horum ætati successit Isocrates. cumque ei concisus Thrasymachus minutis numeris videretur & Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam verba junxisse, Thucydides autem præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus: primus instituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere sententias. In quò cum doceret nos, qui

partim in dicendo, partim in scribendo principes extiterunt, domus ejus officina habita eloquentiæ est. Dulce igitur Orationis genus, & solutum, & effluens, & sententiis argutum, verbis sonans est in illo Epidicto genere, quod diximus proprium Sophistarum; pompæ quàm pugnæ aptius; gymnasiis & palæstræ dicatum; spretum & pulsum foro. Sed quod educata hujus nutrimentis eloquentia ipsa se postea colorat, & roborat, non alienum fuit de Oratoris quasi incunabulis dicere.

§. 5.

Dissertatio ejusdem Cicer. ibid. §. 12. & seqq.

Quis sit Orator omnium perfectissimus, & quomodo à Philosophi, Historici, ac Poetæ dictione separandus?

1. *Exquisita ipse eloquentia Oratorem à Philosophis, Sophistis, Historicis, ac Poetis ipso genere dicendi distinguit.*

2. *Oratori juxta triplex propositum triplicem dicendi characterem tradit esse observandum.*

Cæterarum rerum, quæ sunt in Oratore, partem aliquam sibi quisque vendicat, dicendi autem, id est, eloquendi maxima vis soli huic conceditur. Quamquam enim & *Philosophi* quidam ornatè locuti sunt (siquidem & Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, & Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, & Xenophontis voce Musas quasi locutas, & longè omnium quicunque scripserunt, aut locuti sunt, extitit, & ubertate, & gravitate Princeps Plato) tamen horum Oratio, neque nervos, neque aculeos oratorios, ac forenses habet. Loquuntur cum doctis, quorum se dare animos malunt, quàm incitare. Sic de rebus placatis ac minimè turbulentis docendi causa, non capiendi loquuntur: & in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quàm necesse sit, facere videntur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, secernere. Mollis est enim oratio Philosophorum & umbratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec juncta numeris; sed soluta liberius, nihil iteratum habet, nihil invidum,

vidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum; casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. itaque sermo potius, quàm oratio dicitur. Quanquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius Oratoris hoc proprio signata nomine est. *Sophistarum* magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet Orator in causis, persequi; sed hoc differunt; quod cùm si his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere, quàm delectare, & apertius id faciunt, quàm Oratores, & crebriùs. Concinnas magis sententias exquirunt, quàm probabiles, à re sæpe discedunt, intexunt fabulas, verba apertius transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum: paria paribus referunt, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definiunt. Huic generi *historia* finitima est, in qua & narratur ornatè, & regio sæpe aut pugna describitur, interponuntur etiam Conciones, & Hortationes; sed in his tracta quædam & fluens reperitur, non hæc contorta, & acris oratio. Ab his non multò secus, quàm à *Poetis* hæc eloquentia, quam quærimus, sevocanda est. Nam etiam Poetæ quæstionem attulerunt; quidnam esset illud, quo ipsi differrent ab Oratoribus? Numero maximè videbantur antea & versu (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui Græcè ῥυθμὸς dicitur: Itaque video visum esse nonnullis, Maronis & Democriti locutionem, etsi absit à versu, tamen quod incitatius feratur, & clarissimis verborum luminibus utatur, potius Poema putandum, quàm *Comicorum* Poetarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen, id est, Poetæ maximum; etsi est eo laudabilior, quod virtutes Oratoris persequitur, cum versu sit adstrictior. Ego autem etiam si quorundam grandis & ornata vox est Poetarum, tamen in ea, cùm licentiam statuo majorem, quàm in nobis, faciendorum jungendorumque verborum, tum etiam nonnullorum voluptati, vocibus magis, quàm rebus inserviunt. Sejunctis igitur *Orator* à Philosophorum eloquentia, à Sophistarum, ab Historicorum, à Poetarum, explicandus est nobis qualis futurus sit.

2. Erit igitur eloquens is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut *probet*, ut *delectet*, ut *flectat*. Probare id necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. nam hoc unum

ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia Oratoris, tot sunt genera dicendi; subtile in probando, medium in delectando, vehemens in flectendo, in quo uno vis omnis Oratoris est. Magni igitur judicii, summæ etiam facultatis esse debebit, moderator ille & quasi temperator hujus tripartitæ veritatis. nam & judicabit, quid cuique opus sit; & poterit, quocunque modo postulabit causa, dicere. Sed est eloquentiæ, sicut & cæterarum rerum fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quàm, quid deceat, videre. πρέπον appellant hoc Græci, nos sanè dicamus decorum. Est autem quid deceat Oratori videndum, non in sententiis solùm; sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis autoritas, non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum: semperque in omni parte orationis, ut vitæ, quid deceat considerandum. Quod in re, de qua agitur, positum est & in personis, & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt. In omnibus rebus videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quàm parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. Aliud porrò est, utrum decere, an oportere dicas. Oportere enim perfectionem declarat officii, qua & semper utendum est & omnibus, decere quasi aptum esse consentaneumque tempori, & personæ: quod cùm in factis sæpissimè, tum in dictis valet, in vultu; denique & gestu, & incessu. Sed cum hoc tantum sit, quid in causis, eorumque quasi membris, Orator faciat, viderit. Illud quidem perspicuum est: non modò partes orationis; sed etiam causas totas alia atque alia dicendi forma esse tractandas.

Sequitur ut cujusque generis nota quæratur & formula. Magnum opus & arduum, ut jam sæpe diximus; sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus; nunc quidem jam quocunque feremur, danda nimirum vela sunt. Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant Atticum. Summissus est & humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quàm opinione differens. Itaque illum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint,

ſint, tamen illo modo confidunt poſſe ſe dicere, nam orationis ſubtilitas imitabilis, illa quidem videtur ſic exiſtimanti, id nihil eſt experienti minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquem oportet, ut etiamſi illis maximis viribus careat, ſit, ut ita dicam, integra valetudine. Primùm igitur eum tanquam è vinculis numerorum eximamus. Solutum quiddam ſit, nec vagum tamen, ut ingredi liberè, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quaſi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concurſu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam hominis, de re magis, quàm de verbis laborantis. Sed erit videndum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint circuitus conglutinatioque verborum, illa enim ipſa contracta, & minuta, non negligenter tractanda ſunt. ſed quædam etiam negligentia eſt diligens. Nam ut mulieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ, quas idipſum deceat; ſic hæc ſubtilis oratio etiam incompta delectat. Fit enim quiddam in utroque, quo ſit venuſtius; ſed non, ut appareat. Tum removebitur omnis inſignis ornatus quaſi margaritarum, nec calamiſtri quidem adhibebuntur, fucati verò medicamenta candoris, & ruboris omnia repellentur: elegantia modò & mundicia remanebit. Sermo purus erit & Latinus, dilucidè planeque dicetur, quid deceat, circumſpicietur. Unum aderit, quod quartum numerat Theophraſtus in orationis laudibus, ornatum illud ſuave & affluens, acutæ crebræque ſententiæ ponentur, & neſcio unde ex abdito erutæ, atque in hoc Oratore dominabuntur. Verecundus erit uſus Oratoriæ quaſi ſupellectilis. Nec in faciendis verbis erit audax, & in transferendis parcus, & in priſcis reliquiſque ornamentis, & verborum, & ſententiarum demiſſior. Translatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſimè ſermo omnis utitur, non modo Urbanorum, ſed & Ruſticorum: ſi quid eſt eorum, gemmare vites, ſitire agros, lætas eſſe ſegetes, luxuriare frumenta. Illam verò concinnitatem, quæ verborum collationem illuminat, his luminibus, quæ Græci, quaſi aliquos geſtus orationis, σχήματα appellant, (quod idem verbum ab his etiam in ſententiarum ornamenta transfertur) adhibet hic ſubtilis; ſed paulò parcius. Nam ſic, ut in epularum apparatu, à magnificentia recedens,

non

non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet; eliget quibus utatur. Sunt enim pleræque aptæ hujus ipsius Oratoris, de quo loquor, parsimoniæ. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, & similiter conclusa, eodemq; pacto cadentia; & immutatione literæ quasi quæsitæ venustates, ne elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Itemque si quæ verborum iterationes contentionem aliquam, & clamorem requirent, erunt ab hac submissione orationis alienæ: cæteris promiscuè poterit uti. Continuationem verborum modò relaxet, & dividat, utaturque verbis quàm usitatissimis, translationibus quàm mollissimis. Etiam illa verborum lumina assumat, quæ non erunt vehementer illustria. Non faciet Rempubl. loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans unâ complexione devinciet. Valentiorum hæc laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exspectanda, aut postulanda. Erit enim, ut voce, sic etiam oratione suppressior. Sed pleraque ex illis convenient, etiam huic tenuitati: quanquam iisdem ornamentis utetur, horridius, talem enim inducimus. Accedit actio, non tragica, nec scenæ, sed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens, non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significent ingenuè, quo sensu quidque pronuntient. Huic generi orationis aspergentur etiam sales, qui in dicendo nimium quantum valent, quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque; sed altero in narrando aliquid venustè, altero in jaciendo mittendoque ridiculo. Cujus generis plura sunt; sed nunc aliud agimus. Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum Oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit, nec subobscœno, nec mimicum; nec petulanti, ne improbum; nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odii locum risus occupet: neque aut sua persona, aut judicum, aut tempore alienum. hæc enim ad aliud indecorum reservatur.

Uberius est aliud, aliquantoque robustius, quàm hoc humile, de quo dictum est: submissius autem, quàm illud, de quo dicetur, amplissimum. Hoc in genere nervorum est quam minimum, suavitatis autem est quàm plurimum. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt. In quo multi floruerunt apud Græcos; sed Phalereus Demetrius meo judicio præsti-

præstitit cæteris, cujus oratio cum sedatè placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stellæ quædam, tralata verba atque immutata. Tralata ea dico, ut sæpe jam, quæ per similitudinem ab ea re, aut suavitatis, aut inopiæ causâ transferuntur. Mutata, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti, ut horridam *Africam terribili tremere tumultû:* cum dicit Ennius, pro Afris immutat Africam. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica, & temperata) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: latæ eruditæque disputationes ab eodem explicantur, & loci communes sine contentione dicuntur. Hoc totum è Sophistarum fontibus defluxit in forum; sed spretum à subtilibus, repulsum à gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.

Tertius est ille amplus, copiosus, gravis ornatus: in quo profectò vis est maxima. Hic est enim, cujus ornatum dicendi & copiam admiratæ gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum valere passæ sunt. Sed hanc eloquentiam, quæ cursu magno sonituque ferretur, quàm suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent; hujus eloquentiæ est tractare animos, hujus omni modo permovere. Hæc modò perfringit, modò irrepit in sensus, inserit novas opiniones, evellit insitas. Sed multum interest inter hoc dicendi genus & superiora. Qui in illo subtili & acuto elaboravit, ut callidè arguteque diceret, nec quicquam altius cogitaret, hoc uno perfecto, magnus Orator est, si non maximus; minimeque in lubrico versabitur, & si semel constiterit, nunquam cadet. Medius ille autem, quem modicum & temperatum voco, si modò suum illud satis instruxerit, non extimescet ancipites dicendi incertosque casus: etiam si quando minus succedet, ut sæpe fit, magnum tamen periculum non adibit, aliè enim cadere non potest. At verò hic noster, quem Principem ponimus, gravis, acer, ardens; si ad hoc unû est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni; nec suam copiam cum illis duobus generibus temperavit, maximè est contemnendus. Ille enim submissus, quod acutè & veteratoriè dicit, sapiens jam: medius suavis: hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquillè, nihil leniter, nihil partitè, definitè distinctè, facetè dicere; præsertim cum causæ partim totæ

sint

sint, eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ: si is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.

Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submissè, modica temperatè, magna graviter dicere. Tota mihi causa pro Cæcinna de verbis interdicta fuit. res involutas deficiendo, explicavimus: jus civile laudavim⁹, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompejus, temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Jus omne retinendæ majestatis Rabirii causa continebatur, ergo in omni genere amplificationis exarsimus.

CAPUT XXXVII.

DE MEMORIA.

Dissertatio Antonii apud Cicer. lib. 2. de Orat. §. 48.

De Arte memoriæ, & ejus usu.

Exordio, Originem hujus artis ab Historia de Simonide Poeta ducit.

Deinde ostendit 1. hanc artem in imaginibus, quæ res ipsas tanquam literæ signent, per certa loca distributis consistere.

2. Magnum docet esse hujus artis emolumentum ad perficiendam memoriam naturalem.

3. Imagines illas, seu figuras, dicit esse desumendas à rebus, sensibus ac visui potissimum, subjectis, quæque acres sint, per certa loca eaque illustria & modicis intervallis distincta. Difficilius autem aliquanto est verborum, quam rerum sententiarumque imagines fingere. quarum illæ personis, hæ imaginibus, ordo verò omnium locis facilè comprehenditur.

Refutat denique illorum opinionem, qui existimant artificiali memoria naturalem obrui.

M. ANTONIUS.

NOn sum tanto ego, fateor, ingenio; quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem, quàm memoriæ malim; gratiam-

gratiamq; habeo Simonidi illi Chio, quem primum ferunt artem memoriæ protulisse. Dicunt enim cum cœnaret Cranone, in Thessalia, Simonides, apud Scopam fortunatum hominem, & nobilem, cecinisse id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa Poëtarum more in Castorem scripta, & Pollucem fuissent, nimis illum sordidè Simonidi dixisse: se dimidium illius rei, quod pactus esset, pro illo carmine, daturum: reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret, si ei videretur. Paulò post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret, juvenes stare ad Januam duos quosdam, qui eum magnoperè evocarent: surrexisse illum, ipsum prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse. quos cum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hac tum de re admonitus invenisse fertur ordinem esse maximè, qui memoriæ lumen afferret.

1. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercent, locos esse capiendos, & ea, quæ memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo, conservaret; res autem ipsas rerum effigies notaret; atque ut locis pro cera, simulachris pro literis uteremur.

2. Qui sit autem memoriæ Oratori fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere quæ didiceris in accipienda causa, quæ ipse cogitaris, omnes fixas esse in animo sententias, omnem descriptum verborum apparatum: ita audire vel eum unde dicas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere. Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt quid, & quatenus, & quomodo dicturi sint, cui responderint, qui supersit, idemque multa ex aliis causis aliquando à se acta, multa ab aliis audita meminerunt. Quare confiteor equidem hujus boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum omnium, sed hæc ars tota dicendi, sive artis quædam imago est, & similitudo, habet hanc vim: non ut totum aliquid, cujus in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat, & pro-

& procreet: verùm ut ea, quæ jam orta sunt in nobis, & procreata, educet atque confirmet. Veruntamen neque tam acri memoria ferè quisquam est, ut non dispositis notatisque rebus ordinem verborum, aut sententiarum complectatur: neque verò tam hebeti, ut nihil hac consuetudine, & exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides; sive alius quis invenit, ea maximè animis effingi nostris, quæ essent à sensu tradita, atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi quare facillimè animo teneri posse ea, quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur: ut res cœcas, & ab aspectus judicio remotas, conformatio quædam, & imago, & figura ita notaret: ut ea, quæ cogitando complecti vix possemus, intuendo quasi teneremus. His autem formis atque corporibus, sicut omnibus rebus, quæ sub aspectum veniunt, sede opus est: etenim corpus intelligi sine loco non potest.

3 Quare ne in re nota, & pervulgata multus & insolens sim, locis est utendum multis, illustribus explicatis, modicis intervallis Imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, similium verborum conservata, & immutata casibus, aut traducta ex parte ad genus mutatio, & unius verbi imagine totius sententiæ informatio, Pictoris cujusdam summi ratione, & modo formarum varietate locos distinguentes. Sed verborum memoria, quæ minus est nobis necessaria, majore imaginum varietate distinguitur. multa enim sunt verba, quæ quasi articuli connectunt membra orationis, quæ formari similitudine nulla possunt: eorum fingendæ nobis sunt imagines, quibus semper utamur. rerum memoria propria est Oratoris, eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi ego summos homines, & divina prope memoria. Athenis Carneadem, in Asia, quem vivere hodie ajunt, Sceptium Metrodorum; quorum uterque tanquam literis in cera, sic se ajebat imaginibus, in iis locis, quos haberet, quæ meminisse vellet, perscribe-

perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis: sed certè, si latet, evocanda est.

CAPUT XXXVIII.

DE PRONUNTIONE.

Dissertatio Crassi apud Cicer. lib. 3. de Orat. §. 32.

De actione ac moderatione vocis corporisque in dicendo.

Exorditur ab actionis præstantia in Oratore, ostenditque dicere Oratorem & Auditorem flectere, ut varios animi motus vario corporis, vultusque atque inprimis oculorum habitu exprimat; ita quidem, ut post vocem ejusque varietatem atque inflexionem, ante omnia vultus, ejusque ardor, aut remissio, atque in oculis eminens animi affectu valeat.

§. 1.

CRASSUS.

ACtio in dicendo una dominatur. Sine hac summus Orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus summos verò superat. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum: huic secundas, huic tertias.

Quid fuit in Graccho, quod me puero tantopere ferretur? *Quo me miserum conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne? ut miseram, lamentantemque videam & abjectam?* Quare sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu; inimici ut lacrymas tenere non possent, &c. Omnis enim motus animi sui quendam à natura habet vultum, & sonum & gestum totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus ita sonant, ut à motu animi quoque sunt pulsæ. Nam voces, ut chordæ, sunt intentæ, quæ ad quemque

tactum respondent, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quoque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum: contractum, diffusum: continenti spiritu, intermisso: fractum, scissum: Flexo sono attenuatum, inflatum. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte ac moderatione tractetur. Hi sunt Actori, ut pictori, expositi ad variandum colores. Aliud enim vocis genus *iracundia* sibi sumat, acutum, incitatum, crebro incidens: aliud *miseratio ac mœror*; flexibile, plenum, interruptum, flebili voce: aliud *metus*, demissum, hæsitans, abjectum: aliud *vis*, contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis: aliud *voluptas*, effusum, lene, tenerum, hilarum, ac remissum: aliud *molestia*, sine commiseratione grave quiddam, & uno pressu ac sono obductum. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus; non hic, verba exprimens, scenicus; sed universam rem & sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans. Laterum inflexinone, hac forti & utili; non à scena & histrionibus; sed ab armis, aut etiam a palæstra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens, verba non exprimens: brachium procerius projectum quasi quoddam telum orationis, supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis. Sed in ore sunt omnia, in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. Animi est enim omnis actio, & imago animi vultus est, indices oculi: nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Nec oris nimium est mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intensione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significemus aptè, cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis, quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo & leoni setas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione, secundum vocem, vultus valet. is autem oculis gubernatur. Atque in his omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam vis à natura data: quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maximè commoventur. Verba n. neminem movent, nisi qui ejusdem linguæ societate conjunctus est: sententiæque sæpe acutæ, non acutorum hominnm,

minum, sensus prætervolant: actio, quæ per se motum animi fert, omnes movet, iisdem etiam omnium animi motibus concitantur.

Ad vocem autem in dicendo obtinendam, nihil est utilius, quàm crebra mutatio, nihil perniciosius, quàm effusa sine intermissione contentio. Quid ad aures nostras & actionis suavitatem, quid est vicissitudine, & varietate & commutatione aptius? Itaque Gracchus servum sibi ad manum cum eburnea solitus est habere fistula, qui staret occultè post ipsum cum concionaretur, peritum hominem, qui inflare celeriter eum sonum, qui illum aut remissum excitaret, aut à contentione revocaret. In omni enim voce est quiddam medium, sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem utile & suave est. Nam à principio clamare, aggreste quiddam est; & illud idem ad firmandam est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius est, quam acutissimus clamor: quo te fistula progredi non sinet, & tamen ab ipsa contentione revocabit. Est item contra quiddam in remissione gravissimum, quoque tanquam sonorum gradibus descenditur. Hæc varietas, & hic per omnes sonos vocis cursus, & se tuebitur, & actioni adferet suavitatem. Sed fistulam domi relinquetis, sensum hujus consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

§. 2.

In Oratore perfecto ad Brutum §. 10. *sic habet.*

Volet ille, qui Eloquentiæ principatum petet, & contenta voce atrociter dicere, & submissa leniter, & inclinata videri gravis, & inflexa miserabilis. Mira est enim quædam natura vocis, cujus quidem è tribus omninò sonis flexo, acuto, gravi, tanta sit, & tam suavis varietas perfecta in cantibus. In quo illud notandum mihi videtur, ad studium persequendæ suavitatis in vocibus, ipsa enim natura quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec unâ plus, nec à postrema syllaba citra tertiam; quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria. Ac vocis quidam bonitas optanda est, non est enim in nobis, sed

tractatio atque usus in nobis. Ergo ille princeps variabit & immutabit: & omnes sonorum, tum intendens, tum remittens, persequetur gradus. Idemque motu sic utetur, nihil ut supersit in gestu. Status erectus, & celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaque rara. nulla mollitia cervicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerorum articulos cadens: trunco magis toto seipsum moderans, & virili laterum flexione, brachii projectione in contentionibus, contractatione in remissis.

Vultus verò, qui secundum vocem plurimum potest; quandam offert, tum dignitatem, tum venustatem, in quo cum effeceris, nequid ineptum aut vultuosum sit, tum oculorum est quædam magna moderatio. Nam ut imago est animi vultus, sic indices oculi. quorum & hilaritatis, & vicissim tristitiæ modum res ipsæ, de quibus agetur, temperabunt.


§. 3

APPENDIX AUTORIS.

Actio in Oratore laudanda, est vocis, oculorum, vultus, manuum. totiusque corporis moderatio rebus accommodata. Hanc Germani Hispanique gravem ac virilem, Itali Gallique agilem magis & concitatam amant. Sed nec gravitas illis affectata, nec levis his concitatio placuerit. Vultus cum imago quædam animi sit, plurimum in se oculisque ad agendum momenti adfert. nunc igitur severus ille, nunc blandus, nunc alacer, nunc dejectus, spem, metum, indignationem, aut favorem exprimat. Caput raro movendum, nisi quid leniter annuendum renuendumve fuerit. Humeros jactare indecorum est. Collum nec versetur levius, nec stipitis instar obrigescat. non contrahatur nisi in dolore aut metu, nec superbè efferatur, nisi alterius elatio significanda sit. Pedum manuumve in cathedra supplosio infrequens sit, nec nisi in summis contentionibus, aut inchoandis, aut finiendis usurpetur. Brachia nec dissoluta pendeant, sed moderatè in remissis, concitatè in ardentibus contentionibus; hic etiam exporrectè, illic contractè leventur. Manus,

nisi

nisi in summis affectibus, capitis altitudinem non excedant. Numeros partesque rerum, dextrâ manu à lævo in dexterum latus, tanquam leniter fluctuando ductâ, per modica locorum intervalla, distinguit. res oppositas dextrâ sinistrâque, alternatim clarâ, signat. Manibus, vel supra pectus complicatis, vel ad utrumque expassis latus supplicat: rejecta in aversam partem manu denegat: objecta rogantibus, cum reducto capite, aversatur: aversâ celeriterque mota admittit ac rejicit: explicatâ porrectâque dextram admittit. prona ante pectus sensimque depressa, annuente vultu, confirmat: supinâ rarius graviusque sublatâ hortatur, crebrius velociusque agitatâ urget: extensâ, sine jactatione, interrogat. Pronâ manu leniter morâ componit, ac mitigat: celeriter ex alto depressâ imperat: utraque sic ad populum clarâ, admiratur: quassata recusat, tremente trepidat. Ad latera reductis dolet ac miseretur; in pugnam collectis, aut ferociter jactatis irascitur. cavis contiguisque manibus paucitatem: supinis atque in orbem sensim circumductis multitudinem indicat. erecto motoque sæpius indice minitatur, verso in latus, aversoque, unà subsidente vultu, ironiam denotat. Quæ paucis designare placuit, ut inter prima dicendi exercitamenta rudis etiamnum Orator his ductibus assuescat, ne serò adversus pravam consuetudinem nequicquam obluctetur.





LIBER II.

Palæstræ Oratoriæ.

Deductio practica ad eloquentiam per exercitia progymnastica, & exempla eloquentium.

PROOEMIUM.

B*Reve iter per exempla, per præcepta longum est*, verè nonnemo dixit. His igitur solum traditis, si manum submovissem de tabula, videri nonnullis possem oneri operique cœpto, re imperfecta, cessisse. Dedi proinde operam, ne hac in parte Eloquentiæ canditatis meum quoque studium deesset. Idque tantò copiosius diligentiusque præstiti, quantò alios hac in re tenuius versatos animadverterem; plerosque etiam viam minus tenuisse securam commodamque; quando per exempla, & progymnasmata suo ex calamo deprompta, hanc palæstram instruere atque exornare conati sunt; quod ex optimorum Autorum, qui omne punctum eloquentiæ ferrent, multò erant facturi consultius. Aphthonius, Sophista inter Rhetores veteranus, hujus olim methodi fundamenta haud inutili labore posuit: quamvis Aristotelis illum magis vestigiis hæsisse vellem. Sed in hunc suis exprimendum ectypis nimium sese imperiti languidique eloquentiæ Magistri proxima ætate effudêre, qui præter nonnulla veterum exempla dignis illum coloribus parum aptè effingerent. In quibus cum multa occurrant, vix ulli scriptorum, eá, quâ præeunt lege, usurpata: censui ex optimis potius doctorum hominum exemplis scribendi nobis leges formandas esse, quam ad fictas dicendi leges exempla esse traducenda, Ita enim præceptiones olim natæ sunt;

ſunt;ita potiſſimum diſcentibus ſunt inculcandæ. In his verò cum Ciceroni præcipua ſedes honorque deferatur, per ipſius ſcripta, in quovis eloquentiæ genere ſecunda, nos ita effundemus; ut optimis quibuſque ad uſum imitationemque ſelectis, à faciliori argumentorum in differendo genere ad magis ardua ſenſim nos transferamus. Et hoc quidem libro illis, quæ claſſi, ut vocant, Humanitatis, & incipiendi Oratori maximè ſerviant, adhærere decretum eſt; ideoque, præter Ciceronem, ſuaviſſimum quendam ex Græcis ſcriptorem Maximum Tyrium à Daniele Heinſio Romanæ donatum linguæ adhibebimus. qui & modo, & argumento ſcriptionis ſtudioſæ juventuti perquàm erit accommodatus. Linguam facili elegantique dictione, mentem etiam, quamvis ethnicus, bonis moribus imbuet: ut non minus rectè vivere, quam loqui doceatur.

Moneo tamen non ubique in exemplis, cùm M. Tullii, tum Maximi Tyrii me continuatum eorum diſcurſum ſecutum eſſe; ſed nonnunquam media orationis intervalla (quæ minus illuſtria, aut ad meum propoſitum non ſatis accommodata) reliquiſſe. Quod ſelectiſſima quæque ex illis dare voluerim, præterire cætera. Quem in finem tuo bono, mi Lector, non ſemel evolvi.

Quod ſi quis juxta hæc exempla (quibus materiam imitationi idoneam plerumque ſubjicio) aliquamdiu fuerit ſcribendo exercitatus: is deinde quemvis etiam Autorem alium, Græcum Latinumve, quandoque & Poëtam, cum grandiori oratione delectabitur, ſecurè aſſumet; ut æmulatione quadam ornatuque contendat; nonnunquam & victor hac in palæſtra futurus, ſi naviter conſtanterque huic ſeſe exercitio tradiderit.

Juvabit de his ad eloquentiam progymnaſmatis Ciceronem more ſuo, hoc eſt, eruditè ſapienterque, diſſerentem auſcultaſſe; ut cum tradentem eloquentiæ præcepta legimus, hæc ipſa obſervantem intueamur.

CRASSUS APUD CICERONEM lib. 1. de Orat. §. 39.

Quæ exercitationes eloquentiæ studiosis conveniant.

Ostendit 1. Exercitationem privatam publico exercitio præmittendam.

2 Scriptione multa facilitandam expoliendamque dictionem publicam.

3. Poetam aut Oratorem eximium aliis verbis & oratione transferendum, licet cautè, ne deteriora seceris.

4. Græcum Oratorem Latinâ dictione reddendum.

5. Crebram vocis corporisque in dicendo exercitationem adhibendam.

6. Exercendam sæpius memoriam.

7. Prodeundum denique in publicum.

8. Interea Poetarum & Historicorum Lectionem, jurisque civilis cognitionem adjungendam, facetiarum denique leporem negligendum non esse.

DISSERTATIO CRASSI.

Ad Sulpitium & Cottam.

1. EQuidem probo illa, *Sulpici & Cotta*, quæ vos facere soletis; ut causa aliqua posita consimili causarum earum, quæ in forum deferuntur, dicatis quam maximè ad veritatem accommodatè. Sed plerique in hoc vocem modò, neque eam scienter, & vires exercens suas, & linguæ celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur, in quo fallit eos, quod audierunt; dicendo, homines ut dicant, efficere solere. Verè enim etiam illud dicitur; perversè dicere, homines perversè dicendo, facillimè consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subitò sæpe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum paratius, atque accuratius dicere.

2. Caput autem est, quod (ut vere dicam) minimè facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quàm plurimum scribere.

Stylus

Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector, ac magister. Neque injuria. Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facilè vincit: hanc ipsam profectò assidua, ac diligens scriptura superabit. Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cujusdam, atque prudentiæ, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, inquirentibus nobis, omniq́ue acie ingenii contemplantibus, ostendunt se, & occurrunt; omnesq́ue sententiæ, verbaq́ue omnia, quæ sunt cujusque generis, maximè illustria, sub acumen styli subeant, & succedant, necesse est: tum ipsa collocatio, & conformatio verborum perficitur in scribendo, non Poëtico, sed quodam Oratorio numero, & modo. Hæc sunt, quæ clamores & admirationes in bonis Oratoribus efficiunt, neque ea quisquam, nisi diu, multumq́ue scriptitarit, etiam si vehementissimè se in his subitis dictionibus exercuerit, consequenter: & qui à scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiamsi dicat, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur: atque etiam si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. ut concitato navigio cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum, & cursum suum, intermisso impetu, pulsuq́ue remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet reliqua oratio cursum, scriptorum similitudine, & vi concitata.

3. In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam istam exercitationẽ maximè, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti, sciebam; ut, aut versibus propositis quàm maximè gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria comprehendere possem; eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis, quàm maximè possem lectis, pronuntiarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quòd ea verba, quæ maximè cujusque rei propria, quæque essent ornatissima, atque optima, occupasset, aut Ennius, si ad ejus versus me exercerem, aut Gracchus, si ejus orationem mihi proposuissem. Ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse: si aliis, etiam obesse, cum minus idoneis uti consuescerem.

4. Postea mihi placuit, eoq́ue sum usus adolescens, ut summorum Oratorum Græcas orationes explicarem. quibus

lectis hoc assequebar, ut cum ea, quæ legerem Græcè, Latinè ederem, non solum optimis verbis uterer, & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova nostris essent, dummodo essent idonea.

5. Jam vocis, & spiritus, & totius corporis, & ipsius linguæ motus, exercitationes, non tam artis indigent, quàm laboris: quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi sunt nobis non solum Oratores, sed etiam Actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus.

6. Exercenda tamen est memoria, ediscendis ad verbum quàm plurimis & nostris scriptis & alienis. Atque in ea exercitatione non sanè mihi displicet adhibere, si consueveris, etiam istam locorum, simulacrorumque rationem, quæ in arte traditur.

7. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione, & umbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque aciem forensem. Subeundus usus omnium, & periclitandæ vires ingenii: & illa commendatio inclusa, in veritatis lucem.

8. Legendi etiam Poetæ, cognoscenda Historia, omnium bonarum artium Scriptores ac Doctores, & legendi, & pervolutandi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: disputandumque de omni re in contrarias partes, &, quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum. Perdiscendum jus civile, cognoscendæ leges, percipienda omnis antiquitas, Senatoria consuetudo, disciplina reip. jura sociorum, fœdera, pactiones, causa imperii cognoscenda est: libandus est etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos: quo tanquam sale, perspergatur omnis oratio.

APPENDIX.

Sententiam Autoris eiusque brevem universalemque institutionem continet.

QVæ illa, quæ in Palæstra styli, de elocutione præsertim, diximus, utcunque fuerit assecutus, ac deinde ex primo libro

libro rudem saltem de Inventione, perfectiorem verò aliquantò de tropis, figurisque cognitionem hauserit, hunc stylo manum adhibere convenit: & quod pictores solent, in partium adumbratione prius versari, quam totius alicujus corporis lineamenta, colores, umbrasque exprimere; sic Eloquentiæ candidatum diversas ante partes, suis quamque inventionum fontibus depromere, aptisque figuris, tanquam colorib⁹, exornare fas est, priusquam corpus aliquod orationis integrum formet producatque. Cautè hic sensimque incedendum est, neque statim elatis cum Icaro alis altissima quæque sunt pertendanda. Ab humilioribus ad grandiora enitemur, ne præcipites ab utrisque excidamus. Quare ita quemque prævijs exemplis ducam, ut ab ipso limine Humanitatis ac Rhetoricæ incedendum per varia exercitamenta arbitror. Quia tamen ardua videndum in re, ut optimorum Doctorum exemplis fulciamur, neque quisquam nobis ante Ciceronem esse possit ac debeat, ejus nobis vita tempusque, atque occasio illorum, quæ in manibus sunt scriptorum, inprimis orationum, erunt pernoscenda. Quæ cum alii breviori quam sufficere nobis possit compendio: alii longiori, quam properanti ad digniora placere queat, circuitu essent complexi, media quadam ratione ita strinxi, ut levioribus præteritis, graviora quæque, atque ad eloquentiam maximè profutura, stylo etiam Oratoribus propriore, comprehenderem; ne rebus tantùm, sed & genere ipso scribendi lecturis prodessem. Qui pluribus hæc disertiusque suis adjunctis exposita volet cognoscere, ex priscis de vita Ciceronis Plutarchum, ex recentioribus Fabricium Marcoduranum enucleatè singula expendentem consulat. ipse etiam Cicero diversis in locis vitæ suæ scriptorumque rationes exponet. Ego totam vitæ historiam per suas ætates distinguam.

HISTO-

HISTORIA
Vitæ & Scriptorum
CICERONIS.

CAPUT I.

Adolescentia transacta, ejusque studia.

M. Tullius Cicero. Dat operam Græcis literis.

2. *Adolescens Poesi & Orationi soluta vacat.*

3. *Philosophiam una cum Rhetorica jungit Syllani belli tempore.*

4. *Iuvenis causas in foro aggreditur, primam pro Quinctio.*

5. *Alteram pro Roscio Amerino suscipit.*

6. *In Græciam Asiamque perficiendæ eloquentiæ gratia se confert.*

7. *Reversus Roscium Comœdum defendit*

1. Marcus Tullius Cicero, Romanæ eloquentiæ princeps, natus est, una cum Cn. Pompejo Magno, anno Urbis Conditæ 647. ante Christum 103. Q. Servilio Cæpione & C. Attilio Serrano Coss. in Villa Arpinate, tertia Januarii die, Patre M. Tullio Cicerone, equite Romano, & Helviâ Matre, quæ citra pariendi dolores (si Plutarcho fides est) hunc filium enixa creditur. Magnam prima ætate spem sui concitabat, tanta erit in puero, cum docilitas, tum ingenii acrimonia. Hinc æqualium erga illum studia amorque exarsere, qui eum, tanquam suæ ætatis Principem ambire, adhærescere lateri, ex ore pendere, in plerisque applaudere, grandes etiam natu ad ingenii explorationem nonnunquam accersere. Nec mirum: cùm nihil subitò magnum, & qualis olim futura sit arbos, jam tum in primis plantarum surculis emineat. Instructorem pueritiæ suæ in liberali artium disciplina primum nactus est Archiam Poëtam, qui C. Mario & Q. Lutatio Catulo Coss. Romam delatus, quinto Ciceronis nati anno, Græcis

cis illic literis imbuere juventutem cœpit. Etenim Tullius autoritate doctissimorum hominum detentus est, ne L. Plotio Latiæ linguæ Professore, uteretur; quòd Græcis exercitationibus ali melius ingenia crederent, ideoque & Plotium Cicero (apud Suetonium) primum se puero Romæ Latinæ eruditionis gymnadem aperuisse est auctor.

2. Exactâ has inter artes pueritiâ Cicero, prætextam virili toga, decimo & septimo ætatis anno, L. Jullio Cæsare & P. Rutilio Lupo Coss. commutavit. quando jam eo eruditionis processerat, ut Arati Græci Poëtæ de cœlo stellisque carmina verterit, cujus etiamnum laboris argumentum aliquod superat. Verum jam ante poema quodpiam, sub Glauci Martini titulo, vulgaverat, quod multis integrum seculis, nescio qua denique incuria perierit. cui firmato jam cum annis ingenio plura adjecit, ut Phœnomena, Prognostica, Alcyones, Limona, Marium, Libros de suo Consulatu tres, & facetum unum in sua libellum tempora. Sed ligatæ orationis non par, cum soluta differendi facultate, gratia, minoris custodiæ venerationisque curam meruit. Et verò minus eidem temporis studiique impensum, cum ad forensem illam dicendi exercitationem toto pectore incumberet. Subjecit stimulos eloquentiæ honorisque cupido, illa dicentium pro Concione, atque in quamvis partem ducentium vulgi animos, non communis gloria. Ergo præstantissimos suæ ætatis Oratores audire indies, commentari, legere, scribere etiam; verbo, experiri omnia ad profectum perfectionemque emolumenta. Nec minor voluptatum hostis, quàm literarum amicus; quod probè nosset Veneri cum Musis societatem nunquam esse diuturnam. Quo consilio nec licitis quidem corpus oblectationibus indulgebat, atque à conviviis jucundaque familiarium consuetudine sese ad aliquem studiorum secessum abstrahebat, ratus ea homine magis digna esse, quæ animum potius, quàm ventrem pascerent.

3. Ut verò illam juris scientiam, quæ Oratori bono convenit, non ignoraret, Pater illum Q. Mutio Scævolæ adjunxit post depositam jam prætextam, noluitque ab illius latere ac disciplina absistere. Nec multò post tempore Philoni Academiæ principi, Athenis ad Romanos bellorum injuria ejecto, sese Philosophicis institutis erudiendum

dum tradidit. quo studio mirum est, quantum oblectatus fuerit, quantumque profecerit. Plutarchus tamen eundem Ciceronem sub Sylla legatione perfunctum anno ætatis 18. belloque Marsico interfuisse meminit. Interea pestilens illa Romanæ Reipublicæ inter Marium & Syllam æmulatio, quæ ex bello Jugurthino (cui uterque præfuit, anno natali Ciceronis) ortum duxerat, in civilem seditionem exarsit, cum uterque Mithridatici belli præfecturam ambiret. Quam dum Sylla potentior, profugo Mario occupat; hic, jure civitatis Italicis populis oblato, urbem ingenti exercitu victor ingreditur, totamque cædibus polluit. quando Romani tria summorum Oratorum capita M. Antonii, Q. Catuli, & Crassi pro rostris posita cum gemitu adspexere, anno U.C. 666. Sed quinquennio post, Mario jam in septimo Consolatu vita functo, Sylla rebus cum Mithridate in Asia compositis exercitum urbi admovet, Marianisque prælio victis, fœdiori etiam laniena universam penè urbis nobilitatem aut extinguit, aut certè novo exemplo proscribit. Cn. Pompejo, qui & Carbonem Consulem & Hiarbam Mauritaniæ Regem Marianarum partium fautores superaverat, cognomentum *Magni*, & triumphum (quamvis equiti & privato) decrevit, ipse sibi statuam cum inscriptione, *Sylla Imperatori felici*, pro rostris collocari passus est, & centum jam annis intermissam Dictaturam resumpsit, neque contemnendis Rempublicam legibus rursum constituit, ac subinde velut officio abundè functus Dictatoris imperio decessit. Nulla re magis admirandus omnibus, quàm quòd regere posset tantæ ambitionis homo, & noluisset. Cicero inter has tempestates minus jactatus est, quod ad quietiora sese studia, tanquam in portum subduxisset. Nam & Miloni Rhodio summo causarum actori magistroque operam dedit, & Diodatum Stoicæ Philosophiæ hominem, familiarem domi, ad dialecticen capescendam, aluit, neque inter hæc declamatoria illa dicendi exercitatio, quâ publicæ sese aptaret, defuit. Hanc cum M. Pisone, aut Q. Pompejo, aut alio quopiam studiorum vel æmulo, vel observatore, suis indies horis, frequentabat. Ita excultus anno ætatis 26. primam coram Aquillio Judice causam aggressus, Quinctium defendit, M. Tullio Decula, & Cn. Corn. Dolabella Coss.

4. Causa hæc est. *Quinctio* in Galliis absente, Sex. Nævius

se

se in bonorum illius possessionem, edicto Prætoris P. Burrienni, immisit, ac post dies 30. proscribi eadem jussit: Quòd à Quinctio debitore suo Vadimonium desertum assereret. Verùm Sex. Alphenus Quinctii Procurator sese objicit, impetratque prorogationem, dum Quinctius ad Vadimonium Romæ se præsens sisteret. Lapso jam anno Quinctius adest. Postulat Nævius; ut judicatum solvi satisdaret. Prætor P. Dolabella, aut satisdandum, aut responsionem præstandam decernit: ni bona ex edicto possessa non essent. Præstat Quinctius sponsionem. C. Aquillius Judex causæ datur, Assessoribus. L. Lucullo Quintilio & M. Marcello, apud quos Cicero contendit: bona Quinctii ex edicto à Nævio possessa non esse, Hortensio repugnante.

5 Proximo ab hoc anno in arenam lucemque fori publicam prodire ausus, *Sext. Roscium Amerinum* parricidii accusatum, præsidioque omni ob Syllæ metum destitutum tuitus est. L. Corn. & Sylla & Q. Cæcil. Metello Pio Coss.

Causa erat. Subjecerat hastæ Patris Roscii, tanquam proscripti, bona Dictator Sylla, quæ hujus libertus Chrysogonus duobus millibus nummûm emerat, cum Sextus illa sexagies esse demonstraret. Quocirca Chrysogonus de parricidio eum differt.

At Cicero 1. hoc crimen falsò objectum Roscio multis argumentis ostendit.

2. In audaciam duorum Rosciorum, Capitonis & Magni, hoc parricidium, multis suspicionibus, transfert.

3. Chrysogoni potentiam invidiosè exagitat. Tantum porrò Victor ab ea causa commendationis habuit, ut nulla esset, quæ in ipsius patrocinio digna non videretur. quod ipse de se in Bruto confitetur.

6. Sub hoc tempus Cicero jam natus annos 28. postquam Arretinæ Mulieris libertatem vivo adhuc Sylla (ut ait pro Cæcinna) contra hominem disertissimum Cottam defendisset, in Asiam concessit. quòd, ut erat gracili infirmoque corporis habitu, amici ab illa contentione dicendi recedendum suaderent. Ergo & ab ætate mutuaturus vires, & ab experientia moderationem, Athenas nobilissimam Oratorum palæstram adiit. ubi & Antiochum Academiæ facilè principem, & Demetrium Syrum egregium dicendi Magistrum sibi excolendo adhibuit. Neque acquievit

vit, sed quos fama totius Asiæ efferebat, his sese adjunxit, ut Meneppo Stratonicensi disertissimo homini, Dionysio Magneti, Æschylo Cnidio, Xenocli Adramiteno, Rhetorum id temporis locique nobilissimis. Ita tanquam sedula apis Cicero delegit ex illorum Oratorum flore quidquid esset suavissimum efficacissimumque. Nullus tamen ille perinde ut Molo primæ juventutis Romæ institutor placebat, quare eundem Rhodi ea tempestate versantem invisit. Hic luxuriantem, & juvenili quadam licentia redundantem dicendi copiam coercuit, & virili quadam maturitate instruxit. Ut Romam ille se biennio post, multò ad hanc facultatem paratior, receperit; cum & vires lateribus, & voci accessisset moderatio. Duo tum excellebant Oratores (Ciceroni fere in Bruto verbis utor) qui illum imitandi cupiditate incitarent, Cotta & Hortensius, quorum alter remissus & lenis, & propriis verbis cōprehendens solute & facile sententiam: alter ornatus, acer, verborumque & actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio sibi magis Cicero arbitrabatur rem esse; quod & dicendi ardore pronior, & ætate esset conjunctior. Etenim viderat in iisdem causis, cum Cotta Princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim Oratorem, incensum, & agentem, & canorum, concursus hominum, forique strepitus desiderat. Unum igitur annum cum rediisse ex Asia, tum alias nobiles causas egit, tum *Roscium Comœdum* defendit.

7. Causa hæc statuitur. C. Fannius Chærea servum suum Panurgum, *Roscio* tradiderat arte instruendum histrionica, ea lege, ut quem instructus quæstum faceret, is sibi cum Roscio communis esset. At Panurgum jam institutum Q. Flavius Tarquiniensis interemit. In hac causa Fannius, Roscio volente, cognitor est constitutus, qui Fluvium judicio damni injuriâ dati persequeretur. Interea Roscius cum Fannio transegit HS. centum millibus. certamq; ex ea Fannio pro labore pecuniam pendit. ea tamen cautione, ut si quid ex Flavio ipse etiam ob amissum servum pecuniarum exigiret, ejus dimidium cederet vicissim sibi. At Fannius post triennium de Flavio nihil assecutus, Roscium in jus vocat, ac dimidiam ex HS. centum millibus partem sibi postulat; quòd Roscium de re tota cum Flavio transegisse contenderet. Cicero verò à causarū debiti enumeratione nihil societatis nomine à Roscio

exigi

exigi posse evincit. Acta est hæc causa anno Urb. C. 677. Ciceronis 31. Cn.Octavio & C.Scribonio Curione Coss.

Et hæc fuêre Oratoris nostri in juvenili ætate ad eloquentiam,& subsecutos eandem honores, quædam veluti progymnastica.

CAPUT II.

Virilis ætas inchoata ejusque studia.

Cicero 8.quæstura in Sicilia cum laude fungitur.

9. *Verrinas, pro Siculis contra Verrem, tres declamavit, quatuor scripsit.*

10. *Ante Hortensium summum Oratorem florere cœpit.*

11. *Hortensii Oratio adolescentibus accommodata, senem minus decebat.*

12. *Cicero jam ædilis pro Fontejo,&*

13. *Pro Cæcina, Prætor verò*

14. *Pro Lege Manilia,&*

15. *Pro A.Cluentio dixit.Catilina conjurationem init.*

9. HIs exercitationibus jam cognitus Vulgo Cicero, & cæterorum æmulatione Oratorum provocatus, ad dignitatem in Rep.aliquam cœpit aspirare,à qua non ignorabat suum orationi pondus autoritatemque accedere. Itaque simul quæsturam Cicero, Consulatum Cotta,ædilitatem petiit Hortensius.Interim dum Cicero quæstor admissus in Siciliam,& Cotta ex consulatu profectus in Galliam est, princeps & erat & habebatur Hortensius. Hac quæstura ita Cicero defunctus est, ut licet frumenti in summa annonæ caritate maximum Romam numerum destinarit, ipse tamen suæ nihil cupiditati, vix etiam naturæ necessitatique quod satis est, indulgeret; ideoque negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens semper visus fuerit. (ut Verr.2.& 7.testatur) Evoluto hoc annuo munere, domum eâ spe rediit, ut omnia sibi populum Rom. amplissima delaturum crederet, ideoque non mediocriter consternatus animo Puteolis est,cum quidam ex eo quæreret (tanquam functionis Ciceronis demandatæ nescius) nunquid

veniret Roma, & quid ex urbe adferret novorum? Sed cum illa jam dicendi facultas habere maturitatem quandam suam (ut in Bruto loquitur) videretur, in plurimis causis versatus est) dum annum 36. ædilitati petendæ requisitum attingeret; quàm prior cæteris adiit, totius populi suffragatione.

6. Ante hac Siculorum defensionem contra Verrem suscepit, qui triennali prætura in Sicilia post Ciceronem versatus, raræ illam libidinis, avaritiæ, & crudelitatis exemplis compleverat, ut iccirco Cæcilius Niger origine Siculus, & Judaicæ religioni obnoxius, ejus accusationem ambiret. Quo circa cum legibus cautum esset. Ut si reo commodum sit, de accusatore instituatur deliberatio. *Divinatio in Verrem*, de accusatore instituendo præmissa est. In qua hâc usus est divisione Cicero, ut spectandum 1. doceret; à quo maximè agi velint ii, quorum de ultione quæritur. 2. à quo minimè velit is, qui accusatur. Ita rejecto Cæcilio (quid enim ait Cicero, Judæc cum Verre?) causa ad Tullium delata est, Patrono Verris Q. Hortensio, quem cum anno subsequenti consulatum aditurum prævideret, cum Q. Cæsilio Metello ejusdem Verris fautore; collectis properè Siculorum testimoniis, sub M. Licinio Crasso & Cn. Pompejo magno Coss. Verrem aggressus, primo die magno testium numero producto, Verris defensoribus non modò spem victoriæ, sed & defensionis abstulit voluntatem. Exponit hoc suum properatæ accusationis Consilium ipse Cicero *Actione prima*, additque cohortationem Judicum, qua incorruptè judicandum esse contendit; minis etiam adversarios corruptioni intentos terret. Qua Oratione ipse se Cicero in *Actione secunda* hoc assecutum esse affirmat, ut hora una, quâ cœpit dicere, reo spem judicii corrumpendi præciderit. Hac verò Actione convictus ita Verres, est spontaneo ipse sese exilio multarit, in quo senium, mortemque, à triumviris demum etiam proscriptus, oppetiit.

Reliquas Verrinas scripto tantum complexus, nequod lineamentum improbi hominis non exprimeret. Quas ita partitus est, ut postquam in *actione secunda* (quæ *Liber. I.* accusationis inscribitur) Verrem de flagitiis ante Siciliensem præturam, in quæstura, legatione, & prætura, urbana admissis, accusasset, *Libro secundo* (quæ est *Verrina tertia*) crimi-

num

num Siciliensium in jure dicundo commissorum reum ageret, *Libro tertio* rationes de frumento vel colligendo, vel emendo æstimandòve malè administratas continet. *Libro quarto* de signis aureis, marmoreisque, picturis, aliisque rei familiaris ornamentis, passim sublatis, tractat, *Libro quinto* itinera ipsius luxuriæ, rapinarum & suppliciorum in homines innoxios plenissima complectitur.

10. Ita ante Hortensium, summum id temporis Rom. Oratorem, Cicero æstimari cœpit, præsertim cum is (ut hic in Bruto loquitur) post consulatum (fortasse quod videret ex Consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui Consules non fuissent) summum illud suum studium remisit, quo à puero fuerat incensus: atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, aut certè remissius vivere. Ita primus, & secundus, & tertius annus multum detraxit quasi de picturæ veteris colore. Longius autem procedens, & cum in cæteris eloquentiæ partibus, tum maximè in celeritate, & continuatione verborum adhærescens, sui dissimilior, quotidie videbatur. Cicero autem non desistebat, cùm omni genere exercitationis, tum maximè stylo suum illud quod fuerat assecutus augere. Atque in hoc spatio, & in his, post ædilitatem, annis, Prætor & primus, & incredibili populi voluntate factus est. Nam cum propter assiduitatem in causis & industriam, tum propter exquisitius & minimè vulgare orationis genus, animos hominum ad se dicendi novitate converterat. Neque id mirum. Nemo enim erat cæterorũ, qui videretur tantum studuisse literis, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur: nemo qui Philosophiam complexus esset matrem omnium benefactorum, beneque dictorum: nemo qui jus civile didicisset, rẽ ad prucatas causas & adOratoris prudentiam maximè necessariam: nemo qui ita breviter arguteque, incluso adversario, laxaret Judicum animos, atque à severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret: nemo qui sic dilatare posset, atque à propria ac definita disputatione hominis ac temporis, ad quæstionem communem universi generis orationem traduceret: nemo qui inflammare ad iracundiam magnopere Judicem, nemo qui ad fletum posset adducere: nemo qui animum ejus (quod unum Oratoris est maximè proprium) quocunq; re postula-

ret, impelleret. Itaque cum jam penè evanuisset Hortensius, & Cicero sexto post illum anno Consul factus esset, revocare sese ille ad industriam cœpit, ne cum pares honore essent, aliqua re Tullius superior videretur. Sic duodecim post Ciceronis consulatum annos, in maximis causis, cum alterum sibi anteferret alter, conjunctissimè versati sunt, consulatusque Tullii, qui Hortensium primò leviter perstrinxerat, idem illos rerum à Tullio gestarum, quas Hortensius admirabatur, laude conjunxit. Maximè verò perspecta est utriusque exercitatio, paulò antequam perterritum hoc armis studium conticuit; cum lege Pompeja, ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem veniebant quotidie.

11. At si quærimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quàm senior Hortensius: causas reperiemus verissimas duas. Primū, quod genus erat Orationis Asiaticū adolescentiæ magis concessum, quàm senectuti. Genera autem Asiaticæ dictionis duo sunt: unum sententiosum & argutum, sententiis non tam gravibus & severis, quam concinnis & venustis, aliud autem genus est, non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato & faceto genere verborum. Hæc autem (ut dixi) genera dicendi aptiora sunt adolescentibus, in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius utroq; genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim Menecleum illud studium (à Menecle Oratore Græco celebratum) crebrarum venustarumque sententiarum, in quibus erant quædam magis venustæ dulcesque sententiæ, quàm aut necessariæ, aut interdum utiles, & erat oratio cum incitata & vibrans, tum etiam accurata & polita. Non probantur hæc sensibus. Erat tamen excellens judicio vulgi, & facilè primas tenebat adolescens. Etsi enim genus illud dicendi autoritatis habebat parum: tamen aptum esse ætati videbatur. Et certè, quod & ingenii quædā forma lucebat, & exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta comprehensio, summam hominum admirationem concitabat. Sed cum jam honores & illa senior autoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem. cumq; exercitationem studiumq; dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa, crebritasq; sententiarum pristi-

pristina manebat; sed hæc vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. Hæc de se, atq; ipso Hortensio in Bruto Cicero: Sed nunc ad Tullianas actiones revertamur.

Anno ætatis 38. Urb. C. 684. quo Cicero Ædilis curulis fuit cum M. Cæsonio, Capitolium superiorum annorum consumptum incendio à Q. Catulo magna laude instauratum est; Cicero verò pro Fontejo dixit Q. Hortensio & Q. Cæcil. Metello Coss.

12. Causa talis est. Tenuerat *M. Fontejus* Provinciam Galliæ per triennium Prætor, quam, quod ære alieno oppressisset, quodque ex viarum munitione & vini portorio novum quæstum instituisset, iccirco à M. Pletorio, subscribente N. Fabio Sanga, Gallis testificantibus accusatus, & repetundarum reus factus; à Cicerone verò defensus est, eo tempore, quando abrogata jam lege Cornelia (quâ Senatoribus tantum judicandi potestas delata erat) per legem Aureliam (quam L. Aurelius Cotta superioris anni Prætor tulerat) Equitibus quoque & Tribunis ærariis judicare concessum est.

13. Altera causa Ciceronis *pro A. Cæcina* ejusdem pene temporis esse videtur. Hæc talis erat argumenti. Cesennia M. Fulcinii Tarquiniensis uxor, mortuo viro bonorum usumfructum unà cum filio hærede obtinuit, sed & hoc mortuo, auctione bonorum constitutâ, Cesennia fundum ex iis bonis de sententia amicorum emit. Verùm cum id negotii Sext. Æbutio dedisset, ei tanquam emptori addictus fundus est. Cesennia cum non multò post A. Cæcinæ nupsisset, illum vita decedens hæredem instituit. Ergo Cæcina fundum occupare conatus est, adversus Æbutium sibi illum ut proprium vendicantem. eo consilio, ut si agro dejiceretur, interdicto unde vi, Æbutium postularet. Sed prohibitus ab armatis Cæcina ne posset ingredi, interdictum de armatis hominibus à Dolabella Prætore impetravit, ut unde dejectus esset, eo restitueretur. Æbutius restituisse se dixit, in eamq; rē sponsio facta est, de qua re judices à Prætore dati sunt Recuperatores (qui erant privatarum causarum decisores) Tota hæc quæstio definitionis est, an scilicet interdicto de vi teneatur etiam is, qui non dejecit de fundo, sed ab ejus ingressu prohibuit? Hoc Ciecero post causæ totius expositionem, disertè contendit.

Anno ætatis 40. cum ſeptem aliis Cicero, prælatus tamen omnibus, Prætor eſt deſignatus, cujus munus cum anno inſequenti, quierat Urb. C. 687. adiiſſet, Quæſtioni de pecuniis repetundis præfuit, in qua caſtè integrèque verſatus C. Licinium Macrum, hominem & privatis opiniobus potentiaque, & Craſſi opulentiſſimi viri amicitia, & nobilitatis fretum gratia, reum pronuntiavit Sententia Macro in tot prædiis amicorum tam inexſpectata, ut is judicio nondum finito, ex illo domum ſeſe ſubduxerit, mutatoque rei habitu ac tonſo capite, tanquam abſolutionis ſecurus, rurſum indè pedes efferret, cum Craſſus illi obviam factus triſtiſſimum damnationis nuntium tulit, quo ita conſternatus eſt, ut animi ægritudine in corpus transfuſa, febrim primò, ac deinde mortem contraxerit. Quod incredibili ac ſingulari populi voluntate acceptum eſt, cùm plus apud Ciceronem verum crimen & leges, quàm gratiam hominis valuiſſe intelligeret.

14. Orationem, *pro lege Manilia* in Pompei favorem lata, hoc anno 41. M. Æmil. Lepido & L. Volcatio Tullio Coſſ. Cicero habuit. Hæc ejus occaſio. Tulerat C Manilius Tribunuſp. legem ſeu plebiſcitum, ut Pompejo belli maritimi reliquias in Cilicia perſequenti, Aſiaticæ quoque provinciæ, bellum piraticum ac Mithridaticum (quod Lucullus 7. annis cum laude adminiſtrarat) committerentur. Quam legem cum Q. Catulus & Hortenſius diſſuaderent, ſuaſit obtinuitque Cicero, quod bellum hoc Mithridaticum & genere neceſſarium, & magnitudine periculoſum Cn. Pompejus, in quo ſumma eſſet ſcientia rei militaris, virtus, autoritas, & felicitas, optimè in cæteris adminiſtraturus videretur. Nec ſpes fefellit. Nam Pompejus multis jam ante militiæ pugnis victoriiſque nobilitatus fuerat, ut qui Syllæ auſpiciis Carbonem Marianæ factionis Conſulem in Sicilia, Hjarbam Regem in Africa, Perpennam earundem partium Ducem in Hiſpania, Spartaci gladiatoris hominis reliquias confecit in Italia. Conſul poſtea novo exemplo creatus, priuſquam quæſturam, præturamque inferioris ordinis officia adiiſſet. Hic igitur deinde poſt fractas debellataſque in Cicilia piratarum vires, adverſus Mithridatem Ponto rurſum, pulſo Lucullo, fretum, tanta virtute pugnavit, ut intra annum regno Ponti ſpoliaret, quod deinde in Provinciæ formam

mam redegit. Tigranem Armeniæ Regem Syriæ Phœniciæque amissione multatum, in fidem recepit. Mithridates profugus, cum aliorum armis ferox, atque in proprios filios crudelis, in hostem juxta atque amicum cædibus infestis grassaretur, à Pharnace filio obsessus, animam, quàm veneno assuefactus vix poterat, ferro Gallici Ducis extorsit. Interea dum Aristobulus & Hyrcanus Alexandri Regis Judæorum filii, de regno infestis odiis armisque disceptant, Pompejus arbiter controversiarum postulatus adfuit, quem cum deinde imprudenter Aristobulus lacesseret, Hierosolymam vi occupat, muros urbis subruit, atque in templi adyta ingressus sacrilegas ab omni thesauro manus abstinuit, Hyrcanoque sacerdotium ex legato patris destinatum reliquit. Verùm Judæam pop. Rom. stipendiariam esse jussit, Antipatro Procuratore gentis relicto. Aristobulus Romano triumpho reservatus est. Hæc modò de Pompejo sufficiant.

15. Cicero inter hæc sua in Prætura, *A. Cluentium Avitum* de Veneno Oppianico Vitrico suo propinato accusatum defendit contra T. Actium, apud Judicem Q. Vocanium. Priusquam tamen ad hoc crimen descenderet, Cluentium longâ defensione, ab infamia purgat, qua L. Quinctius eum ante annos octo corrupisse pecunia Judices dictaverat, quando Oppianicum judicio superavit.

Catilina hoc eodem anno ex Africæ Provincia Romam Consulatus petendi gratia profectus, cum repetundarum reus ageretur, honoris spe, insperata dejectus ignominia, ultionem à Consulum futurorum cæde petere constituit. Unde turpissimæ conjurationis cum P. Antonio, C. Pisone & P. Sylla initium ductum est. Cui etiam prælusisse sequentis anni prodigia videntur; quando & Capitolii turres de cælo percussæ sunt, & simulachra Deorũ suis vulsa sedibus, & veterum ipsiusque adeo Romuli tactæ, aut dejectæ fulmine statuæ, æreæ etiam legum tabulæ cœlesti igne liquefactæ. Sed Catilinæ indignationem fregit Consulis L. Manl. Torquati (qui cum L. Aurelio Cotta fasces prehenderat) si non vera, at simulata benevolentia, quando Catilinæ repetundarum postulati, adversus P. Clodium, defensionem suscepit. In qua tamen Clodius non veritate causæ, sed vi pecuniarum victus, Catilinæ concessit. Porrò Cicero ex Præ-

tura in Provinciam abire noluit; quòd ad consulatum sibi viam aperiri cerneret, quem anno sequenti, qui Urbis erat 669. una cum L. Sergio Catilina, C. Antonio, P. Sulpitio Galba, L. Cassio Longino, Q Cornificio, & C. Licinio Sacerdote petiit. In his cum Catilina & Antonius largitionibus sibi aditum sternerent, ideòque Senatus censuisset, ut lex ambitus, auctâ etiam cum pœna ferretur, intercedente, ne fieret, Q Mucio Orestino Tribp. Cicero in toga candida adversus Catilinæ & Antonii ambitionem, gravissimam orationem habuit (cujus etiamnum fragmenta apud Asconium suppetunt) quæ loco sententiæ apud senatum valuit. C. Julio Cæsare, & C. Martio Figulo Coss. Catilina tamen qui permultos à Sylla proscriptos occiderat, quæstione de Sicariis à C. Cæsare instituta, in judicium adductus, Torquato jam non favente, L. Lucullo etiam adversante, absolutus tamen est, quòd minus illorum autoritas ponderis, quàm Catilinæ pecunia habere videretur.

Lex agraria hoc tempore à P. Servilio Rullo Tribp. permulgata est. Quâ constitutum est, ut decemviri, summâ cum potestate, crearentur, qui & Italiam, & Syriam, & ea universa, quæ recens Pompei Magni virtute Rom. imperio accesserant, suo jure administrarent, venderent aut dividerent, quidquid populo Rom. ex publico deberetur, Colonias deducerent, ejicerent admitterentve ad Magistratum exules, pecuniam ex ærario sumerent, milites pro necessitate conscriberent, alerentque, ac judicarent de omnibus, Tanta erat Romanorum in suos ex alieno liberalitas.

CAPUT III.

Media ætas, ejusque studia.

Hæc ætas Consulatum Ciceronis & eum proxime consecuta complectitur.

16. *Contra legem Agrariam tres Orationes habuit.*

17. *C. Rabirium perduellionis reum defendit.*

18. *Adversus Serg. Catilinam ejusque conjuratos orationibus quatuor pugnavit, illum urbe ejecit, ex his aliquot interfecit, Patriam liberavit, ideoque Patriæ Pater dictus est.*

19. *Muranam ambitus reum tuitus est.*

20. P.Corn.Syllam conjurationis accusatum propugnavit. Adversus Clodii improbitatem, testis stetit.

21. Archiam Poetam urbi vindicavit.

22. Clodius ut Trib.p.esse posset, ex Patriciis ad plebejos transiit, Cicero ruri versatus est.

23. Pro L.Valerio Flacco dixit.

24. Cæsari decreta Gallia à consulatu est per quinquennium, in qua legationem frustra Ciceroni obtulit, quem lege offendit agraria.

1. Consul unà cum C. Antonio electus omnium suffragiis Cicero, anno ætatis suæ 44. Urbis Cond. 690. summa dicendi autoritate populum Senatumque pro arbitrio moderatus est, quanquã eo tempore fascibus Consularibus potitus est, quo nihil adversi esset, quod non probi metuerent, & improbi exspectarent, cum sortitus collegam Tullius esset Antonium voluntate ac moribus dissimilem, Catilinæ amicum, Agrariæ legis fautorem, possessionibus per Italiam unà cum Tribunisp. dividendis intentum. Hunc igitur Cicero multa in Rep. molientem, patientiâ atque obsequio suo mitigavit. Provinciam Galliæ Senatus autoritate, exercitu pecuniaque optimè instructam, reclamante licet pro concione populo, Antonio cessit. Nihil verò prius habuit, quam ut inito consulatu Senatum & bonos omnes legis Agrariæ maximarumque largitionum metu liberaret. Quare *primam in Senatu contra legem agrariam & Servil.Rullum* suasionem instituit, cujus initium, de creandis decemviris, intercidit; cæteris ostendit, neque aliorum agrorum venditionem Reip. utilem; neque aliorum emptionem justam necessariamque; neque deductionem Coloniarum in agrum Campanum Rom. populo suadendam. Omnia Rullum ad privatæ cupiditatis avaritiam, & metuendam Romanis potestatem referre. Quâ oratione ita legislatores conterritos asserunt; ut nihil contra aut dixerint, aut moliti sint.

Cicero igitur Senatum sequi jubet, progressusque *ad populum oratione altera* tantum potuit, ut rem ad vulgi licet emolumenta, ejusque favorem excogitatam, lege agrariâ rursum antiquatâ, dissuaserit. Nam & decemvirorum potentiam, & Coloniarum deductionem, & venditionem emptionemque agrorum docuit spectare ad tyrannidem,

quod omnia decemviris cum summo permittantur imperio. Cum verò deinde Rullus Ciceronem criminaretur: ut si Syllanæ tantùm factionis hominibus adhæresceret, ne attributi eis agri eriperentur. *Tertiam ad populum orationem* habuit, defensionem sui, & retorsionem criminis in adversarium continentem. Altera, quam Cicero pro Roscio ad populum in æde Bellonæ convocatum dixit, Oratio non extat. Sibilis illum in theatro populus, equestris ordo è diverso plausibus excipiebat, ob legem Theatralem latam, quàm sibi, ob inducta sedium discrimina, populus adversari credebat. Verum Cicero in theatrum progressus populum ad ædem Bellonæ convocatum, tantâ autoritate, compescuit; ut reversus eidem Roscio cum Equitibus plauserit. Tanta eloquentiæ vis est, ad effrenatos animorum impetus facili tranquillitate componendos, præsertim cum ad verborum pondus dignitas Oratoris accesserit.

17. Quarta Oratio Consularis *pro C. Rabirio* suo etiamnum argumento, quamvis mutilo, superest. Hic perduellionis reus è T. Labieno factus est, eo nomine, quod L. Apulejum Saturninũ ante annos 36. in civili motu occidisset. Nam cum Saturninus Tribunatu, per parricidium (favente C. Mario) adito, per vim legem tulisset Agrariam, simulque C. Memmii canditati cæde, Servil. Glauciam Consulem urbi voluisset obtrudere; Senatusconf. factum est, ut providerent Consules: *ne quid Resp. detrimenti caperet.* Quod erat extremum in malis remedium quærere. Igitur Saturninus & Glaucia, tanquam seditionis autores, statim sunt interfecti, cum quibus & Q. Labienus accubuit, Titi Labieni patruus. Hic igitur fretus hoc tempore C. Julio Cæsare fautore atque impulsore, Rabirium ut cædis autorem aggressus est. Resque ex voto primum cecidit, cum inter duumviros Judices in tali causa creari solitos, ipse C. Julius & L. Cæsar fuerit, ideoque tam cupidè ab his damnatus sit, ut Rabirio ad populum provocanti, nihil æquè ac Judicis acerbitas profuisse visa sit. Sed & vitium illud constitutioni horum Judicum intervenerat, quod duumviri illi non à populo, ut moris erat, sed à Prætore creati essent. Populo itaque appellato, comitia centuriata, quibus de perduellione judicari solebat, in campo Martio habita sunt, ubi Cicero in defensione C. Rabirii in omni genere amplificationis

tionis exarsit, docuitque innocentem Rabirium, tum quod Senatus imperio paruerit, tum quod Rempubl. tuitus, cum aliis bonis civibus, fuerit.

Una subinde alteraque Oratio per Ciceronem habita est, quas posteritas non vidit, nam & proscriptorum filios, lege Cornelia, à dignitatibus submovendos esse statuit; & Macedoniam sibi pro Gallia Cisalpina, Provinciæ nomine, relinquendam contendit, potiori honore ad collegam Antonium delato.

18. Gravior illi ac periculosior cum L. Serg Catilina pro Reipubl. salute dimicatio suscepta est. Hic insana consularis dignitatis ambitione inflammatus, nihil vel pecuniis, vel armis intentatum reliquit. Quare ut hominis temeritati legibus oportunis præstruerent, M. Tullio ad Senatum referente, placuit ad pœnam crimini ambitus decretam, annorum decem exilium, lege ad populum lata, addere. Catilina, qui suis Ciceronem conatibus ubique adversantem ferre ultra non posset, conductâ armatorum nefariâ manu, in publico Comitiorum campo, qui Martius dicitur, primo quidem Tullium interficere constituit: verùm, cum semel dilatis Comitiis, semel opposita armatorum cohorte, armatus ipse Tullius, scelerati hominis consilia turbasset, denique & submissos salutandi specie, & interficiendi Ciceronem voluntate, duos Rom. equites manè aditu domus suæ prohibuisset, Senatum in ædem Jovis Statoris convocavit, quò cum & Catilina singulari venisset audacia, ratus sua se præsentia consilia Ciceronis turbaturum, hic *oratione extemporanea*, ira atque indignatione vim eloquentiæ acuente, *Catilinam*, tanquam hostem Reipubl. cædem senatus, atque interitum molientem, urbe egredi jussit, ut à quo legibus tuti esse non possent, ab illo interjectis mœnibus defenderentur. Idque tanto verborum sententiarumque fulmine, ut perculsus Catilina intempesta nocte, trecentorum armatorum stipatus numero, lictoribus imperiique, ut Consul, fascibus unà adhibitis, in Manliana ex urbe castra concesserit.

Postridie Cicero *ad populi concionem* progressus, gratulatus omnibus est de hoste intestino Reipubl. submoto, docetque facilè cum Manlio & virorum effæminatorum exercitu deleri posse. Senatus verò Catilinam & Manlium hostes

hostes Romanorum declaravit, decrevitq; ut Cicero urbis præsidio relinqueretur, Antonius ductis copiis in hostem iret. Conjuratorum porrò in urbe reliquias per Q. Fabium Sangam deprehendit Cicero Is enim cum esset patronus civitatis Allobrogum, horum in urbe Legatos per P. Lentulum Suram sollicitatos, literisq; in Galliam revertentes instructos significavit. Igitur L. Valerius Flaccus,& C. Pomptinus Prætores à Cicerone ad pontẽ Milvium destinati, occupatos per insidias legatos in urbem reducunt. Hic principes conjurationis Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinus & Cæparius patefacti, T. Vulturcii & Allobrogum indiciis, ex Senatus Consulto in custodiam sunt traditi, quo die, qui erat tertius Nonarum Decembris Ciceroni conservatæ, Reipubl. (ut nemini antea) testimonium dedit,& singulari genere supplicationis Deorum templa patefecit, sub noctem progressus in concionem Cicero (quæ *tertia Catilinaria* habetur) & quid in Senatu actum esset proposuit,& supplicationem Diis solenni die instituendam suasit.

Cum verò Nonis Decembris Cicero intelligeret paratos esse, qui Lentulum & Cethegum perfracta custodia in libertatem vendicare constituissent, dispositis præsidiis,& Senatu convocato retulit; quid fieri de iis placeret, qui in vinculis conjurationis rei detinerentur. Primus futuri jam anni designatus Consul, C. Junius Silanus rogatus sententiam, extremo in illos supplicio animadvertendũ censuit, cui deinceps accessere multi, dum Tib. Nero. atq; haud multò post gravissimè Cæsar, id temporis Prætor, eos publicatis bonis, per municipia in vinculis attinendos censuit, donec cum Catilina esset debellatum. Surrexit deinde Cicero, atq; in utramq; partem, eâ oratione, quæ nunc *quarta Catilinaria* inscribitur, ita disseruit; ut non obscurè Silani justam severitatem probaret. Et quamvis deinde cæteri assentirentur Cæsari, tamen cum postremò M. Porcius Cato Tribunus pl. designatus, adhuc penè adolescens, tanta animi vi atq; orationis ardore in conjurationem hanc invectus esset, ut dissentientes prope de criminis societate suspectus redderet, supplicium ex hujus sententia in omnes decretum est, quo in carcere de conjuratis sumpto, paucorum cæde plurium capitibus consultum est. Tantoq; id urbis totius plausu factum, ut velut de erepta ex supplicio republ. reduci domum sub tenebras Ciceroni accensis passim facibus gratularentur servatoremq; ac condito-

ditorem alterum patriæ inclamarent. Neq; Senatus his defuit honoribus; siquidē, quod nulli factum antea Q. Lutatius Catulus princeps Senatus & auctor publici consilii frequentiss. consensu, *Patrem patriæ*, nuncupavit. Civicam verò illi coronam deberi L. Gellius in concione pronuntiavit. Et Cicero Nonas hasce decembres, tam sibi honorìficas & reipubl. felices, frequenti cōmemoratione recolebat. M. Crassus testari audit⁹ est, se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret Ciceroni acceptum referrè; quoties conjugem, domū patriamq; videret, toties ejus beneficium intueri. Et Cn. Pompejus cujus gratia Cicero, Mithridatico bello confecto, decem dierum supplicationē decreverat, frustra se tertium ab hoste triumphum deportaturum fuisse asseruit, nisi ejus in rempubl. beneficio, dignum ubi triumpharet, locum habuisset. Catilina in agro Pistoriēsi anno proximo à Q. Metello Celere, & Petrejo C. Antonii legato fortissimè cum suis pugnans cecidit, plerisq; eo loci ubi pugnatum erat occumbentibus, nullo, in prælio aut fugâ, intercepto. Verum L. Calphurnius Bestia, & Q. Metellus Nepos Tribpl. creati, Catilinæ fautores penè sopitū reip. incendium revocassent, quorum hic quidē Ciceronem consulatu abeuntem concionis habendæ potestate privavit, jurisjurandi solum facultate concessa. Quando, cùm Tullius intrepidè jurasset, sua operà patriam conservatam esse; populus ad immortalem ejus nominis gloriam, hoc jusjurandum juratus ipse, unâ voce consensuq; approbavit. Neq; hęc populi studia, frequentib⁹ Metellus invectivis, quod reos indicta causa trucidasset Cicero, potuit inclinare. Sed & Q. Lutat. Catulus jam armatâ rursū dissensione civium, lege lata de vi publica sanxit, & juxta hāc P. Autronio, Ser. Sylla L. Varguntejo, M. Porcio Læca, & C. Cornel. sublato, fumantes velut in busto conjurationis reliquias extinxit, quæ tamen post Consulatum Tullii D. Junio Silano & L. Licinio Muræna Coss. evenerunt.

19. *Murænam* tamen recens designatum Consulem, adhuc Consul *defendit Cicero*, cum ambitus à M. Portio Catone Cn. Posthumio & Serv. Sulpicio accusaretur. Quorum Sulpicius quidē competitor repulsæ dolore exarsit, Cato verò severi juvenis ingenii juraverat, se quēcunq; pecuniam dare populo cognovisset, hunc in judicio delaturū, sed & Cicero illū jure posthabitū Murenæ, hunc verò stoica nimiū severitate, spectacula conviviaq; populo à Muræna exhibita cēsuisse asserit. Hotten-

Hortensius ejusdem quoque Murænæ cum M. Crasso, defensor judicatus tunc fuit eloquentiæ laude Ciceronem vicisse, quòd hic oppressus curis vigiliisque, nullam sibi antecedentis noctis quietem indulsisset.

20. Anno sequente, qui est urbis C. 691. sub Silano & Muræna Coss. *pro Publ. Cornelio Sylla* dixit, quem L. Torquatus duplicis conjurationis reum arcessiverat, alterius jam olim sub L. Tullo & M Lepido Coss. in qua illum defendit Hortensius; alterius Catilinariæ, in quá illum merito se tueri contendit Cicero, ut innocentem & à conjuratorum societate remotum.

Sub idem tempus Publ. Clodius raræ atque insolentis audaciæ juvenis, Pompejæ C Cæsaris uxoris irretitus amoribus, ejusdem in ædes, cum sacris illic bonæ Deæ operarentur, fœmineo opertus habitu sese immisit, sed ab ancilla obvium, quò tenderet, sciscitante, ex voce agnitus, nec multò post de cubiculo ejectus est. Cæsar igitur anno proximè insecuto, Pompejam repudiavit, Clodium Lentulo accusatore stitit in judicio, qui cum se eo die Roma abfuisse contenderet, Cicero adversus illum testatus est, sibi id temporis Romæ in ædibus adfuisse, quo facto capitale in se ferocissimi juvenis odium concitavit, quòd, absoluto deinde Clodio, sensim inflammatum est, ut haud multò post intelligetur. Porrò Q. Tullius frater Cicer. hujus anni Urb. C. 692. Prætor Asiam provinciam sortitus est, eamque per triennium administravit, quo Cicero plures ad Atticum lib. 1. Epistolas dedit. Unam verò post biennium ad fratrem, in qua illi præclarissima rectæ administrationis præcepta exhibuit.

21. *A. Licinium Archiam Poetam*, Ciceronis olim Magistrum, cum Gracchus illi de jure civitatis obtento movisset controversiam, ita Tullius M. Puplio Pisone & M. Valer. Messala Coss. defendit, ut illum & civem esse Romanum ostenderit, & illa civitate ob poëtices artem inprimis dignum.

22. Insequens annus sub Coss. Q. Metello Celero & L. Afranio Ciceroni ad otium litterarium penè vacuus fuit, quo historiam consulatus sui commentario Græcè edito misit ad Atticum ut ex lib. 1. epist. 16. constat, eandemque versibus per tres libros complexus est. Quo tempore Clodius

dius rem inexſpectatam omnibus machinatus, cum eſſet patricius ordine & Metelli Conſulis propinquus, ut illa uteretur poteſtate tribunitiâ, quâ L. Flavius Tribpl. hoc anno fretus Metellum Conſulem carceri mancipavit; hoc primum contendit; ut, lege latâ, patriciis ejus quoq; Magiſtratus capiundi facultas fieret, quod cum non obtineret, in concionem progreſſus, patriciatu ejurato, ad plebem tranſiit. Hoc in campo Martio ſuffragante populo per C. Herennium Tribpl. cum eſſet peractum, fruſtra tamen Clodius Tribunatum petiit. Metello adverſante, quod negaret adoptionem more majorū ritè factam, qua plebejus, niſi lege curiatâ, fieri nemo poſſet. Sed nihil tam vile abjectumq; Clodio erat, quod odii ſui in Ciceronem explendi gratia, non prenſaret, igitur plebejo ſeſe homini P. Fontejo, & quidē natu minori, adoptandum tradidit; in qua adoptione Cæſar (qui in conſulatu cum M. Calphurnio Bibulo ſucceſſerat) legem curiatam tulit, Pompejus auſpiciis interfuit. Jam enim conjurata inter ſe amicitia coierant tres potētiſſimi civitatis Principes M. Craſſus, Pompejus & Cæſar. Interea Cicero, qui hanc in ſe cudi fabam cerneret, quamvis Pompejo amico uteretur, Antii in Pompejano, Formiano, & Arpinati à bonis ſtudiis ſolatium aliquod doloris mutuabatur, pluresq; ex lib. 2. à quarta ad 18. litteras miſit Attico, dum hic ſe in Epirum transferret. Nec multò poſt reverſus Romam Cicero, à publicis Conſiliis, quæ minus probabat, abſtinens, forenſibus ſe cauſſis multorum patrocinio impendit, in quibus A. Thermus bis defendente Cicerone eſt abſolutus.

23. Eſt & *L. Valerius Flaccus* Cæſare & Bibulo Coſſ. à D. Lælio repetundarum accuſatus. Hic ex prætura, quam Cicerone Conſule geſſerat, Aſiam Provinciam obtinuerat; in qua incorruptè verſatum, cum Q. Hortenſio adverſus plurium Aſiaticorum & Romanorum teſtimonium contendit, longâ teſtium refutatione, Cicero.

24. C. Julio Cæſari hoc anno P. Vatinius Tribl. obſecutus, legem tulit, dictam ab autore Vatiniam, qua Cæſari Gallia citerior cum Illyrico in quinquennium decreta fuit, unacum legionibus tribus, quibus Senatus quartam cum ulteriore Gallia dejecit. Quo imperio ſuam ſenſim Cæſar Monarchiam eſt auſpicatus. Jam tum enim imperandi cupidus multas in conſulatu leges ferebat, quæ ab illo Juliæ appella-

tæ sunt, quas contra auspicia latas Cicero non obscurè prædicabat. In his etiam Agraria fuit, quâ vigintiviri cum summa potestate dividendi agri Campani sunt constituti, in quibus tamen quinq; cæteris prælati videntur, inter quos Ciceroni frustra locus à Cæsare oblatus est, cum præesse illi officio detrectaret; quod Consul ipse damnasset in aliis. Devinciendi tamen sibi Ciceronis percupidus Cæsar, ne absens Romæ adversarium pateretur, qui & priores ejus leges everteret, & consiliis in futurum tempus destinatis obsisteret: non suasit solum, verùm & rogavit, ut legatus sibi, cum proxima scilicet potestate, in Galliis adesse ne recusaret. Sed adversus ab his Cicero, à se quoq; alieniorem deinde Cæsarem expertus est, atq; in illas se pedicas induit quas illi Clodius nexuit.

CAPUT IV.

Gravis ætas, ejusque studia.

Cicero 25. abit in exilium Clodii furoribus cedens.

26. Hospitali libertate peregrè excipitur fovetturque Clodii interminatione neglectâ, quin etiam altero post anno Lentulo Coss. & T. An. Milone Tribp. cum Pompejo potissimum faventibus reducitur.

27. Oratione post reditum ad Senatum populumque, tum pro domo sua habuit.

28. P. Sextium fautorem reductionis defendit, Vatinii improbitatem accusat.

29. Prodigia ob domum suam profanatam in urbe facta negat Oratione de Haruspicum responsis.

31. L. Cornelium Balbum & M. Cælium tuitus est, Pompejus consulatu cum Crasso adito Cæsaris in Gallia imperium prorogavit. Crassus in Syrico bello periit.

32. Cicero in Calph. Pisonem dixit.

33. Pro Cn. Plancio & C. Rabirio Posthumo causam egit.

34. Pompejo omnia moderante T. An. Milonem occiso Clodio frustra Cicero defendit.

35. Ciciliam cum laude administrat.

25. ANnus Urbis Cond. 645. Ciceronis 49. agebatur, L. Calphurnio Pisone Cæsonino & A. Gabinio Coss. quando Tribunatu plebis fretus Clodius, & opportunis ad suum in Ciceronem odium explendum Consulib⁹, omnia ad illius subversionem molitus est; favente his conatibus Cæsare;

Cæsare: ne, quem ad sua consilia amicum habere non posset, inimicum pertimesceret. Ut verò populum sibi Clodius devinctum teneret, leges tulit quatuor, populares quidem illas, sed perniciosas Reip. ut scilicet frumentum populo gratis hoc anno præberetur; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo fas agi, de cœlo servaret: tertiam de pristinis collegiis restituendis, atq; instituendis etiam novis, quartam, ne quem indemnatum, atq; indicta causâ, morte multarent, & si quis indemnatum sustulisset, ei aqua & igni interdiceretur. Qua lege cum peteretur Cicero, ut qui Lentulum, Cethegum aliosq; conjurationis socios, manifesto licet scelere, inauditâ tamen causâ, inter vincula interemisset.

Mutata igitur veste Cicero sordidatusq; populo supplicare cœpit, at illudere illi vicissim Clodius, & ubicunq; per se suosq; occurrens posset, verbis contumeliisq; injuriosè lacessere, exprobrare mutationem habitus, supplicationes impedire, ut hac saltem conceptū furorem ultione pasceret. Minus hic animorum in proprio discrimine, quam in aliorum periculis Cicero pro concione ostendebat. Ex juventute tamen adolescentū nobilissimorum viginti facilè millia mutata veste illius calamitatem lugebant & Equestris penè ordo universus, cū magna ex Italia multitudine pro Ciceronis salute in Capitolium confluxerant; frustraq; ad Senatum Gabinio illic Consule, molli atq; effeminato homine, præsidente supplices pro unius incolumitate viros destinabant, L. Mummio incredibili Ciceronē fide constantiaq; propugnante. Nā, ut non pauci bonorum & Senatus deniq; ipse, mutato habitu, Ciceronis exilio intercedendum putarent: tamen ea erat turbulentæ multitudinis atq; ex ima hominum fece per Clodianas conciones excitæ vis, ea Cæsaris cum exercitu ad portas urbis sedentis, furoremq; audacissimi hominis adjuvantis autoritas, ea gravissimorum hominum, ac Pompei quondā amicissimi, Pisonis etiā consulis, licet ex affinitate conjuncti aut dissimulatio, aut malevolentia; ut tantæ invidię odiis impar cedendum sibi potius Cicero, quàm urbem seditiosorum hominum, atq; ad arma spectantium furori objiciendam putaret. Itaq; domestico Minervæ signa ad Capitolium translato, subscripsit; *Minervæ custodi urbis*, seq; extremo circiter Martio Siciliam versus recepit, atq; Vibone ad Lucaniæ fretum substitit, unde ad Atticum Epist. 2. & 4. libri 3. data est;

ſed à Prætore in Siciliam venire prohibitus, verſo itinere Dyrrachium contendit, navigatione difficili, quâ ex alto rejectus, ubi denique appuliſſet, ſenſit terram ſubito motu contremiſcere, tanquam, ut haruſpices ominabantur, Ciceronem exulem ferre non poſſet. Ex hac via Thurii ſcripſit ad Atticum Epiſt.5.lib.3. Tarenti Epiſt 5. Brunduſii Epiſt.7. Et 4. lib.14. famil. Hinc Theſſalonicam delatus apud *C.Plancium* liberali hoſpitio ſeptem menſium fruitus eſt, quem poſtea accuſatum de ambitu Romæ defendit. Hinc plures ad Atticum dedit epiſtolas, quæ lib. 3. ab octava ad vigeſimam ſecundam leguntur, ad Quinctū fratrem verò dedit, tertiam libri 1. & ſequentem, ad uxorem Tertiam Epiſt.2.lib.14 famil.

26. Clodius ut primum Ciceronem urbe exceſſiſſe cognovit, lege cavit, ne quis Ciceronem intra 1369, ab urbe paſſus ſuſciperet, aqua illi atq; ingni interdictum hucusq; eſſet, qui ſecus faceret, impunè, hoſpes cum ipſo exule, occideretur. Quam tamen pœnam omnes, ſingulari illum benevolentia complexi, neglexerunt. Villas exulis Clodius per ſubmiſſos incendiarios inflammavit, magnificam quoq; in Palatio ejusdem domum, paucis ante annis comparatam, injecto igne conſumſit; ac ne quando ad ſuum rediret autorem, in area templum Libertatis erexit. Bona direpta ad Conſulum Piſonis & Gabinii ædes villasque transferebantur.

Mollius hanc aliquantò, quam virum philoſophum deceret, calamitatem tulit; dum mutatis, unà cum Clodii tribunatu, Conſulib⁹, ſummum urbis magiſtratum adiret P. Cornel. Lentulus Spinther, & Q. Cęcilius Metellus nepos, quorum ille nihil ſibi rerum humanarum prius in ſenatu agendum cenſuit, quā ut de Cicerone revocando ad Patres referret. Cumq; L. Cotta princeps Senatus aſſereret, nihil more majorū, atq; ex legibus cum Cicerone actum eſſe, ut iccirco ad eum revocandum lege opus non foret. Pompejus tamen ad Senatus autoritatem populi adjungenda eſſe ſuffragia ſtatuit. Quare cum à Kalend. Jan. ad 8. Kal. Feb. variis cunctationibus, altero Conſulum Metello antiquis à Cicerone inimicitiis divulſo, & Clodii machinationib⁹, res produceretur; contra ſenatui nihil ante impetratam Ciceronis ſalutem agere decretum eſſet: producta demum ad populū cauſa, gladiatores Clodius pro Marci propinqui funere conductos, in confertam populi concionem magna cæde immiſit, ubi Quinctus Cicer. frater

inter

inter cadavera occisorum delituit Cùm verò T. Annius Milo, id temporis Tribpl. Clodium de vi postularet, intercessit Metellus Consul, negans fas esse, Quæstoribus nondum, ut mos erat, per Comitia ædilitia creatis, ac Judicibus per illos sorte delectis, judicium ullum exerceri. Quare sublatis hac via judiciis, ut vim vi Milo repelleret, emptis ipse etiam Reipublicę causa gladiatoribus P. Clodii conatus audaciamque compescuit. Interea Senatus Quæstoribus Legatisq; per Italiam, Provinciasq; Romano imperio subjectas, Ciceronis salutem cõmendavit, quæ res ingentem populi multitudinem Romam accivit, utquasi signo dato convenisse unius capitis servandi causa, tota Italia videretur. Lentulus igitur Consul frequentissimum Senatum in Capitolium accivit, ubi & religione loci, & Senatus autoritatę ac deniq; P. Servilii incredibili gravitate dicendi Q. Metellus, obliteratis odiis suam gratiam absenti Ciceroni addixit. Cn. etiam Pompejus præcipu⁹ Ciceronis reducendi autor, atq; iccirco etiam per Clodii Sicarios in ipsa nuper curia appetitus, uni Ciceroni patriæ conservatæ gravissimum dedit testimonium, cujus sententiam Senatus universus uno Clodio dissentiente approbavit, Tulliumq; ab exilio revocandum statuit. Quod cum deinde in confertissima populi multitudine è theatro ludis Consularib⁹ nuntiatum esset, faustissima omnium acclamatione acceptum est, ac postridie pro concione per Lentulum Coss. Pompejum, P. Servilium, L. Gellium, disertissimis in laudem Ciceronis orationibus ad Quirites juxta & Patres celebratum; deniq; pridie Nonis Sextil. in campo Martio insolita Comitiorũ celebritate per Lentulum Coss. lege lata decretum, quo die Cicero, vulgata jam revocationis fama, cum Dyrrachio Brũdusium venisset, summa civium gratulatione exceptus, cognovit ante diem 6. Id. Sextil. literis Quincti fratris, quanto omnium ordinum consensu, lex de ejus reditu, comitiis centuriatis, lata esset. Brundusio igitur Neapolim, Capuam, Sinuessam, Formias, Terracinam, demum per Ariciã Romam pridie Nonas Sept. pervenit, tanta, quaqua iter faceret per oppida agrosq; effusione & gratulantium concursu, ut non immeritò dixerit, Italiæ sese humeris fuisse deportatum. Roma verò, tanquam suis evulsa sedibus, à Capena porta ad Capitolium forumq; atq; ipsius Ciceronis domum, faustis acclamationibus implebat omnia, ut ad gloriam illi atq; immor-

 talita-

talitatem nominis, conſcelerata illa Clodii vis, non modò non propulſanda, ſed emenda etiam fuiſſe videatur.

27. Poſtridie in Senatu gratias egit illa *Oratione*, quæ *poſt reditum Senatui* inſcribitur, in qua cum exaggeratione beneficii in ſe collati Gabinii ſcelera & Piſonis inhumanitatẽ perſtringit. Egit & gratias *populo oratione alterâ*, quâ ejusdem beneficii magnitudinem prædicat. Sed cum eo tempore magnâ annonæ difficultate plebs infima premeretur, concepto in ludis publicis furore, ad capitolium, ubi Senatus collectus aderat, uno impetu convolant, cædemq; atq; incenſionem minantur, ut poſteris ſeſe diebus Conſulares à curia metu plebis ſubducerent, donec ex Ciceronis ſententia per Senatus Conſ. lex eſt promulgata, ut Pompejo per quinquennium toto orbe Romano omnis rei frumentariæ poteſtas traderetur.

Magna ſubinde contentio de Ciceronis domo, quam Clodius Libertati ſacraverat, eſt ſuſcepta. Nam illam quidem populus Comitiis centuriatis eodem jure eſſe juſſerat, quo fuiſſet. Verum ut de ejus religione ad Pontificium collegium referretur conſultius Senatui viſum eſt. Quocirca *apud Pontifices* diſertâ *Oratione* evicit, *domum ſuam* nulla religione teneri obnoxiam, quod nihil à Clodio contra leges adoptato, & multa indigna perpetranti juſtè pièq; actum fuerit. Pontifices igitur Patresq; conſcripti domum Ciceronis publica pecunia inſtaurandam cenſuerunt, æſtimataq; hæc domus eſt HS. vicies, Tuſculana villa HS. quingentis, Formianum HS. ducentis quinquaginta millibus; ſed Clodianæ factionis homines fabros ædibus reſtituendis inductos abegerunt, ſaxisq;, ferro atque ignibus vaſtitatem novam intulere. Quincti etiam fratris domum, lapidibus flammisq; ingeſtis, miſerè deformarunt, ut Epiſt. 3. lib. 4 ad Atticum Tullius. Quos Senatus decrevit lege de vi, tanquam Reip. oppugnatores, teneri.

Crevit tamen importuna Clodii audacia, poſtquam anno ſequenti, qui eſt Urbis C. 697. ædilitatem Cn. Corn. Lentulo Marcellino, & L. Marcio Philippo Coſſ. adiit: nam, ut Ciceronem agitaret, Miloni diem dixit, quod is Trib pl. gladiatoribus Remp. obſediſſet, cumq; pro ejus defenſione Pompejus ad populum Orationem inſtituiſſet, factioſorum hominum clamore convitiisq; jactatus eſt. Clodio pro ſuo arbitratu diem producente, ut ad fratrem Tullius ſcribit Epiſt. 3. lib. 2.

& Epiſt.

& Epist. 5. lib. 1. Famil. Tam fortunata erat hominis ad quidvis audendum temeritas, ut in fecem plebejorum immersus, summis insultaret potentissimæ Reip. principibus.

28. Fuit etiam P. Sextius alter Tribunorum pl. qui Ciceroni reducendo operã dederat, propter cædem in foro id temporis factam, cum de ejus reditu dimicaretur, à M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus, quem præter Hortensium Cicero fortissimè defendit, eo eventu, ut Sextius absolveretur, & P. Vatinio contra Sextium testanti nulla fides daretur. Qua de re *Oratio* extat gemina, *altera qua Sextium* Virum esse laudatum, quiq; salutem patriæ *propugnarit*, vim vi depulerit, egregiè declarat: *altera quâ Vatinii improbitatem*, & malè administrata Reip. officia mirificè *exagitat*. Tertia quã pro Bestia de ambitu foro medio maximoq; conventu apud Prætorem Cn. Domitium orationem eodem anno habuit, non vidit posteritas. Quo tempore etiam Tulliam filiam C. Pisone, cui ante suum Consulatum, illam Cicero desponderat, mortuo, Furio Crassipedi in matrimonium collocavit, cujus singularis in patrem exulantem pietas fuit, ut redituro Brundusium usque obviam processerit.

29. Porrò cum Miloni dies in Nonas Maji prodita esset, Cicero Româ ad villas discessit, ne præsens invidorum augeret contumaciam. Prodigia tunc Romam insolito terrore perculerunt: nam in Albano, monte sacellum Junonis, quod capite Orientem spectabat solẽ, ad septentriones versum est. Fax à meridie in cœlo ad aquilonem visa porrigi, terræ motus alios conterruit, alios fulmen de cœlo icit, strepitusq; cum fremitu sub agro Latiniensi insonuit. Lupus urbem frequentissimam, tanquam silvestrem aliquem lucum subiit. Quæ cum haruspices expiari vellent, iratos esse Deos responderunt, quod loca sacra & religiosa in usum profanum verterentur. Clodius hæc in rem suam esse ratus, concionẽ ædilis instituit, testatusq; est, consecratam Ciceronis domũ profanam haberi, tantamq; Deorũ indignationem conciliare urbi.

Postridie igitur cum de locis sacris religiosisq; Consules ad Senatum referrent, Cicero ad sui defensionem instructus adfuit, dixitq; *Oratione* illa quæ de *Haruspicũ responsis* inscribitur, quâ primo declarat domum suam ab omni religione vacuam, ideoq; illa Haruspicum censura notari negat. Deinde hâc ipsâ Clodium sacrorum violatorem maximè peti, multis argumentis gravissimè statuit. Sed

Sed & Cicero hac in causa adversus hostem triumphans, Capitolium ingressus, suffixas ignominosi sui exilii tabulas refixit, suamque in domum transtulit.

30. Subinde controversia Romæ in Senatu de quatuor *Provinciis Consularibus* agitata est, ut quibus illę vel relinquendæ vel conferendæ denuo essent. Erat in his Syria, quam pro Consule obtinebat Gabinius, & Macedonia, quam Piso, Gallia deinde citerior ulteriorq; , quam bello nondum confecto Cæsar multis Romanorum victoriis nobilitabat. Cicero igitur Oratione illa, quæ de Provinciis Coss. legitur, ita censuit, persuasitque: ut Gabinio ac Pisoni tanquam iniquis illarum Provinciarum administratoribus derogaretur: imperium, Cæsari fortiter omnia feliciterq; gerenti maneret. Egit præterea ut Penatus in magnis ærarii angustiis victorem exercitum stipendiis donaret, ac novo exemplo legatos decem Imperatori decerneret, quæ eum causa non mediocriter Cæsari devinxit, quanquam errorem suum, cum ambitiosi se hominis potentiam nimium firmasse in Reipubl. exitium cerneret, serius, quam par erat, deplorarit.

31. Eodem tempore pro *L. Cornelio Balbo* adversus ipsius inimicos contendit, quod jure civitatis à Cn. Pompejo legitimè ex majorum consuetudine donatus sit, etiamsi Gadibus ex Hispania Romanis fœderata proderit. Ejusdem Balbi causam M. Licinius Crassus atque ipse Pompejus tuiti fuerant.

Videtur & *M. Cælium* parricidii accusatum, cum M. Crasso hoc anno defendisse. Siquidem ille ab Atratino Herennio & Balbo delatus erat, primò quidem à Clodio Dionis Alexandrini occidendi gratia accepisse pecuniam, deinde ne reddere cogeretur Clodiæ, hanc etiam veneno appetiisse. Quare Cicero postquam flagitiosam hominis ad luxuriam inprimis projecti vitam utcunq; purgasset, deinde neq; à Clodia accepisse pecuniam; neq; ejus toxico interficiendi, aut causam, aut voluntatem habuisse declarat.

C. Julius Cæsar autem gestis iis, quæ lib. 3. comment complectitur, distributisq; per hiberna militibus, cùm à L. Domitio futuro Consule imperium sibi derogandum existimaret, Lucæ in Italia cum Cn Pompejo & M. Licinio Crasso peregit, ut hi sibi consulatum peterent. Qui cum intra legitimum tempus professi nō essent C. Catone Tribpl. favente, ejus anni comitia prorogata sunt, & Pompejus cum Crasso per interregnum

gnum consulatum adiit. Quâ violentiâ, cum M. Cato eversum iri Rempubl. presagiret, ideoq; omni se conatu objiceret in carcerem productus est, quo cum nobilissimi eum cives sequerentur, libertati est redditus. Cæterū Aul. Gabinius rebus in Syria feliciter bello gestis, Ptolemæum Ægypti Regem, Romanorum inprimis studiosum, at suis gravē, ideoq; regno pulsum, restituit. Sed cum Crassus in abeuntis Gabinii locum succederet, nec dirarū obnuntiatione, quib⁹ proficiscentē, ob infausta omnia, retinere Capito Tribp. conabatur, terreri posset, exercitu, cum ignominia & dedecore, trans Euphratem deleto, periit, cujus absentis causam Cicero, ut potuit, tuitus est, quanquam avaritiam & arrogantiam hominis nullus satis Orationis fucus obvelaret.

32. At *Calphurnius Piso* indignatione plenus, quòd autore Cicerone ex Macedoniæ Provincia esset, revocatus, cum iccircò hunc in Senatu perstrinxisset, Cicero gravissima illius vitam ***oratione notavit***, quâ & suam cum illius flagitiis innocentiam, honoresq; utriusq; atq; existimationem vulgi componit, & plurimorum reum scelerum, graviori adhuc judicio obnoxium manere contendit.

Pompejo libertus ejus Demetrius celeberrimum illud Rom. urbis amphitheatrum dedicavit, quod populo conciliando, magnis ludorum impensis frequentatum est. Cicero tamen quidquid otii nactus fuit, ad libros tres de Oratore conscribendos adhibuit.

Prorogato jam in quinquennium Cæsari per Gallias imperio, & Hispaniis per annos totidem Pompejo decretis, hic L. Domitio Ænobarbo & Ap. Claudio Pulchro locum cessit, an. Urbis Cond. 699. quando Aul. Gabinius ob reductum Ptolemæum majestatis læsæ reus factus est, sed à Pompejo Lentulo frustra ac Cicerone accusantibus, in libertatem vendicatus. Verum absente Pompejo, repetundarum postulatus, Cæsar in Pompei gratiam hominis quamvis inimici defensionem suscepit, eo tamen eventu, ut Gabinio damnato, non invitus causa ceciderit.

Sed & P. Vatinium, infestum suæ dignitati virum, publicis judiciis feliciori exitu in gratiam receptum defendit, ut is se deinde clientem Tullii haud ingratus profiteretur. Fuit etiam à Reatinis in eorum agrum eductus Cicero, ubi apud Clodium Coss. & Legatos Reatinorum contra Interamnates

causam egit. Quinctus frater hoc tempore Legatus ad Cæsarem missus, ex Britannia ad Tullium literas dedit, quo jam Cæsar instructa classe & domitis qui cis Rhenum erant populis, frustraq; Germanis trans Rhenum petitis, victorem exercitum transferebat.

33. Duas hoc eodem anno causas suo patrocinio complexus est Cicero; alteram pro *Cn. Plancio* suo quondam in exilio hospite, quem ambitus in ædilitate petenda accusatum, contra C. Flavium, M. Juventium, & L. Cassium propugnavit, & Juventio meritò prælatũ esse, ob vitæ morumq; innocentiam demonstravit: alteram pro *C. Rabirio Posthumo*, qui quod Regi Ptolomæo exuli magnam credidisset pecuniam, illum Alexandriam per Gabinium revocatum secutus Procuratorem aliquamdiu Regis egit, quodq; Gabinio Regis nomine multam pecuniam numerasse diceretur, lege Julia, tanquam corruptionis particeps, à C. Memmio repetundarũ est postulatus. Qua in causa ita illum defendit Cicero, ut negaret testibus illum tabulisq; civitatũ idoneis convinci, lege Julia, tanquam nova adstringi, pecuniarum à Gabinio acceptarum administrum fuisse, deniq; pecuniã sibi debitã à Rege obtinuisse.

34. Pompejus interea per se suosq; ita Romæ moderabatur omnia, ut anno seq. qui erat Urbis C. 700. suspensis aliquamdiu per Tribpl. comitiis Consularib⁹, deniq; post sex interregni menses, Dictaturam sibi oblatã, clam pensaret detrectaret propalam. Quare cum M. Cato obdetrectatum imperiũ publica illum Oratione collaudasset, suâ fraude captus, hoc egit, ut Cn. Domitius & M. Messala Consules pronunciarentur. Verum anno proximo per Servil. Sulpitium Interregem constitutum, solus Consul. Pompej⁹ novo exemplo delectus est, T. Antonio Milone cum sociis excluso. Verũ Julia Cæsaris filia jam defuncta, (qua cum amicitiæ pactũ & cœpit, & intercìdit) cum Q. Metelli Scipionis filiam Corneliam subrogasset in thorum, Patrem consulatus participem esse voluit. Leges aliquot novas tulit, duas ex S. C. unam de vi: quâ T. An. Milo haud obscurè petebatur, qui Clodiũ in via Appia per immissum famulitium vulneravit primò, deniq; in villa oppressit, ratus se facili⁹ de cede, quàm de vulnere Clodio superstite, absolutum iri. Corpus Clodii in curiã delatum, inflãmata à Clodianis curia, rogum luculentum habuit. Utrosq; lex Pompeja & pœna cõprehendit, altera de ambitu breviori judiciorũ

forma,

forma, intra diem absolvenda statuit, in qua accusatori horæ duæ, tres reo concessæ sunt. Aliis legibus aliud constitutum est, una quidem, ut nemo consulū, nisi post quinquennium, ad Provincias administrandas accederet, quod pleriq; hac spe consulatum ambitiosè pensarent: altera, ne absentiū ratio in petendo Magistratu haberetur, qua lege submoturum sese Cæsarem credidit, ne etiamnū armatus quicquam obtineret; sed utramq; Pompejus ipse inter primos violavit. Tantò leges imperare, quàm obtemperare legib⁹ facili⁹ est.

Post conditas leges Milo de vi, & de ambitu, & de sodalitiis postulatus fuit, Quæsitore L. Domitio Ænobarbo, Accusatoribus M. Antonio & P. Valerio Nepote. Uno Cicerone Milonis causam defendente, ut qui sui ab exilio revocandi gratia capitales hasce cum Clodio inimicitias suscepisset; sed in principio Orationis infestis Clodianorum, ore atque armis obstrepentium, clamoribus territus, à pristina dicendi vi constantiaque deflexit. Milo ad exilium damnatus excessit Massiliam. Quod cum vehementer doleret Cicero, ut qui tot alios in libertatem reos asseruisset, uni liberatori suo defuisse videretur; scripta deinde oratione (quam tamen Quintilianus Brutum scripsisse putat) quæ in manibus est, causam Milonis, magis quidem serio, sed nimis sero, dissertissimè tamen propugnavit. In qua, ut jure Clodium occisum demonstret, illum Miloni insidiatum esse contendit: neq; favere adversariis, quidquid Senatus ac Pompejus adversus hanc cædem decrevit. Adjuncta hujus facti, tum deinde vitam Clodii ac Milonis inter se compositam satis hujus innocentiam & illius flagitium prodere.

Fructum tamen aliquem eloquentiæ Cicero percipere sibi hoc anno visus est, quod M. Saufejum tuitus, Sext. Clodium prostravit. T. quoque Munatium Plancum curiæ, ad Milonis invidiam, per ingestos ignes subversorem, quantumvis Pompejo defensore usus esset, omniū sententiis maximoq; populi plausu condemnavit; ut hoc saltem Miloni solatium miseriarum impenderet; ne deessent in calamitate, ex ipsis adversariis socii. Siquidem dulce in ruinam inclinato vindictæ genus est, posse ipsum secū hostem devolvere præcipitē. Dissertatio illa de finibus bonorum & malorum hoc anno fingitur instituta, quam postea Cicero scripto est complexus. Quæ verò *de legibus* pluribus est libris prosecutus, quorum ad nos tres pervenere, hæc sub Clodii cædem auspicatus ex libro 2. agnoscitur.

44. Subinde Provincia Ciceroni decreta est Cilicia, quod lege Pompeja consulibus, nisi post quinquennium, adire non liceret. Hic An. U. C. 702. & 703. summa integritatis & fortitudinis laude versatus, exercitum à Cassio acceptum millium quindecim, qua peditum, quâ equitum in hostem duxit, & Parthos Cappadociæ imminentes, acie instructa, collatis ereptisque signis, ac castris ad Amanum montem occupatis profligavit, quorum cum deinde urbes munitionesque Victor invasisset, Imperator ab exercitu est proclamatus, ut qui gladio non minus polleret, quam eloquentia. Pindenissum dehinc oppidum suis fretum muris propugnaculisque, vallo ipse fossaque, castellis sex, castrisque maximis circumdatum, aggere, vineis, turribus tormentisque oppugnare aggressus, non minori felicitate, quàm labore, sumptu sociorum nullo, septimo & quinquagesimo die tenuit, incolis in arbitrium victoris concedentibus. Rara in hoc rerum successu eluxit Ciceronis continentia. Nam cum cæteri, qui vel Prætores, vel Proprætores, Consules aut Proconsules sumptibus rapinisque exhaurirent Provincias, resque suas locupletarent: ut iccirco tantâ contentione hæc officia ambirentur: ille tamen, quod in aliis sæpius accusaverat dedecus, in se reformidans, ne teruncium, neque in se, neque in legatorum quenquam de alieno insumpsit. Fœnum, quod lege Julia concessum erat, nec postulabat quidem. Unde M. Cælio ex Pantherarum venatione quasdam Postulanti facetè respondit. Earum miram illic esse paucitatem; & si quæ essent, valde queri, nihil cuiquam, neque insidiarum, neque injuriæ sua in provincia fieri, præterquam sibi. Famam liberalitatis avidius, quàm cæteri opes captabat. Omnem itaque ab ostio janitorem removit, ne quis prohiberetur accessu, mensa hospitalis erat, non tam condita cibis, quam doctis sermonibus. A prima illum luce in multam noctem nemo in lecto recubantem offendit. Neque verbis, neque verberibus in quenquam severè animadvertere, abstinere contumelia, moderari iræ, comiter officioséque affari omnes solitus. Qua cum suos moderatione contineret, exercitu imbellico contra magni belli metum firmissima præsidia habuit, æquitatem & continentiam; illa alios, hac se ipsum moderari solitus, tanto quidem nobiliori

impe-

imperio, quanto pauciores reperti sunt, qui suas cupiditates, quàm qui hostium copias frangerent. Quocirca & Ariobarzanem Regem præsentibus cinctum insidiis, ac de regno vitaque periclitantem, illa felicitate erexit, ut ipsi saluti, insidiatoribus etiam admirationi fuerit, quòd his sese incorruptum; illi fidum amicumque præstaret, utrosque sua autoritate componeret. Verbo, ita brevi tempore, parvoque milite rem belli pacisque in Provincia administravit, ut Ciceroni præter supplicationem, Senatus, populo approbante, triumphum decreverit, quem civiles postea turbæ intercepere. Sed dignior ille triumphus est, qui cum virtute negligitur, quàm qui sine virtute possidetur.

CAPUT V.

Senilis ætas, ejusque studia ac finis.

36. Cicero bello inter Pompejum & Cæsarem orto, illius partes malo exitu secutus, à Cæsare tamen Victore in gratiam receptus est. Terentiam uxorem repudiat. Tulliam filiam magno dolore amittit.

37. Partitiones Orat. & ad Brutum de claris Orat. scribit, Marcellum, Ligariumque, & Regem Dejotarum Cæsari dicendo conciliat.

38. Iul. Cæsaris interfectoribus non obscurè favet, ac denique variis opusculis ruri scriptis mores instruit.

39. Antonio Romæ tyrannidem molienti resistit.

40. Orationes contra illum, illiusque fautores & conatus, quatuordecim Philippicarum nomine, tanquam fulmen, vibrat.

41. Deniqu ab Octaviano Cæsare desertus per Antonium interficitur.

36. Cicero ad urbem se recepit Anno ætatis 58. Urbis conditæ 704 Cajo Claudio Marcello, & L. Corn. Lentulo Coss. Quo tempore cum Kal. Jan. in. Q. Metelli Scipionis sententiam Senatus consul. fieret, ut ante certum diem Cæsar exercitum dimitteret, & huic decreto intercederet M. Antonius, & Q. Cassius Tribpl. Senatus Consulibus, Prætoribus, ac cæteris qui cum iis erant Tribpl. negotium dedit, quod in extremis periculis adhiberi consueverat;

rat; ut curarent, ne quid respubl. detrimenti caperet. Ergo M. Antonius, Q. Cassius & M. Scribonius Curio ad Cæsarem profugiunt. Cicero nequicquam pacis consilia jam redux in urbe suppeditans, sese denique belli impetu ad partes Pompei impelli passus est, Capuamque, Formias, Apuliam, Brundusiumque vagâ militiâ circumlatus, donec Cæsar victori passim exercitu pervaderet omnia, & juratum sibi militem adversus Pompei exspectationem, præter deficientem Labienum, teneret. Viâ illâ, quæ Brundusio Romã ducit, Cæsar invitatum ad suas partes Ciceronem, longo etiam sermone præsentem tenuit, atque ut de pace cum Pompejo, suo arbitratu ageret, detulit; secum verò ut ad urbem pergeret, inprimis contendit. At Cicero se ejus causam probare in Senatu posse negavit. Multa esse quæ Cæsar audire nolit, ipse nequeat tacere. Absenti igitur magis suum silentium profuturum, quam orationem præsenti. Itaque dejectum Italia Pompejum in Græciam sequi maluit, quam Cæsaris victoris opibus potentiâque defendi, ratus amicitiæ se plus debere, quam fortunæ. Sed M. Cato licet ipse Pompejum secutus, hoc Ciceronis consilium reprehendit, quod ubi sese partium adversus alteram addixerit, patriæque desertor, quàm amici esse maluerit, in tantum sese discrimen citra necessitatem conjecerit. Et verò Ciceronem ipsum haud multò post facti pœnituit, non tam inquit, ipse Epist. 3. lib. 7. propter periculum, quàm quod vitia in hoc bello multa defenderit. Cæsar postquam Romam nullo repugnante subiret, Domitius Gallicæ Provinciæ adversus Pompejum designatus, sibi metuens venenum à Medico postulavit, qui cum somniferam potionem præbuisset, Domitius pari deinde quâ cæteri in urbe veniâ gratiaque potitus est. Qua Cæsar clementia summos Procerum sibi devinxit, cum Pompejus immiti omnes decreto hostes pronuntiasset, quotquot, hostes Cæsaris, junctis secum opibus, esse noluissent. Quæ res Catonem etiam in partes traxerat, consilio aliis dando, quam sibi usurpando promptiorem. Dictator jam in urbe creatus Cæsar, effractoque in usus militiæ ærario, M. Antonio commisit Italiam, ipse in Hispaniam adversus Afranium & Petrejum Duces Pompei contendit, Massiliamque in via resistentem classe per Dec. Brutum fregit; neque longo

bello

bello res acta est,cum pressus ipse fame videtur emergens subitò,desperationem in hostium capita vertit, ut circumsessi victoris sese arbitrio traderent; qui cum omnibus insperatam libertatem offerret, dignus victoria atque imperio visus est. Curionis in Africa deterior fortuna fuit, hic enim à Juba Rege Pompejanis favente victus oppressusque cum suis periit. Cæsar porrò translato in Epirum bello, adjunctoque contra Pompejum sibi Antonio, non levi apud Dyrrachium accepta clade afflictus est; sed negavit Pompejum uti scire victoria, cum majoribus deinde auctus viribus, apud Pharsaliam memorabili illum ultrò invadentem clade prostraverit, celeritate maximâ usus, quâ & ipsa hostium castra obtinens in desperatam Pompejum fugam conjecit, qui in Syriam Ægyptumque delatus, cum à tergo Cæsarem insequentem traheret, priusquam egressus navi esset, Ptolomæi Regis adolescentis jussu, à Septimio quodam interemptus est. Capite Pompei cum annulo à Photino sibi delato Cæsar illachrymatus est, hominemq; cædis participem cæde multavit. Ptolomæus verò & ipsi Cæsari insidiatus, quod eum Sorori Cleopatræ favere nimium crederet, ideoque bello petitus, suam ipse classem, ne in hostium veniret potestatem, accendit, in qua nobilissima illa Ptolomæi Philadelphi bibliotheca consumpta est. Quare Ciceroni exercitum classemque, quam Dyrrachii instructam habebat Cato, tanquam potiori & lege & dignitate deferebat, quod cum ille imperium recusaret, propius factum est nihil, quàm ut occideretur; cum & Pompejus filius & amici eum proditorem appellarent, gladiosque stringerent; sed Cato obsistens, vix illum cædi submotum à castris ablegavit, qui sese in Italiam recepit,& Brundusio ad Terentiæ uxoris literas respondit Epist. 12. l. 14. famil.quo cum M. Antonius venisset,jussus nullos,nisi indulto Cæsaris admissos tolerare, Cicero per L. Lamiam significavit Antonio, se à Cæsare ad Italiam invitatum, ut ex P. Dolabellæ Generi sui literis docere posset. Nec multò post ab expeditione Asiatica Tarentum Cæsar appulit: cui Brundusium eunti Cicero processit obviam. Quem Cæsar, ut etiamnum procul ante alios conspexit, ex equo descendens salutavit, cumque illo solo per multa stadia familiare colloquium produ-

produxit. Interea dum Cæsar per annos aliquot, alternis ferè annis Consul. & Dictator socio Equitum Magistro, & belli.& domi rem administrat, Cicero ad studiorum sese quietem recipit,nunc in urbe,nunc in prædiis agens, prout annus animusque ferebat. Terentiam uxorem, cum res domesticas non minus,quam civiles turbatas, uti ait, reperisset,oblato repudii libello, jam senex dimisit, nobilemque atque opulentam virginem Publiliam substituit. Tulliam vero jam tertio Marito P. Dolabellæ traditam ex partu decedentem amisit. Cujus mortis dolorem non satis virili animo excepit. Medicus, qui alieni magis animi vulnera, quàm propria curare nosset, ut tam ad Atticum literæ libro 12. & 13. quàm ad familiares libro 9. testantur. M. Brutus Ser. Sulpitius atque ipse Cæsar ad illum consolatorias misêre literas, ut constat libro 12. Epistola 8. & libro 13. Epistola 19. ad Atticum. Ipse denique Cicero libro sibi integro consolationem scripsit. Publiliam verò quod morte Tulliæ lætatam fuisse intelligeret, novo à se divortio amandavit, raro amoris paterni erga prolem exemplo.

37. Ante hæc anno Urb. C. 707. quando Cæsar socio Consule M. Æmilio Lepido in urbe relicto, M Bruto in Cisalpinam Galliam ablegato, & Ser. Sulpitio Græciæ præfecto, ipse ad Africanum bellum est profectus, quod cum Juba Metellus Scipio, Pompei fautores instaurabant, Cicero *Partitiones Oratorias ad Brutum*, seu *de claris Oratoribus* scripsit, quod hæc ante mortem Catonis perfecta sint, si procemium anno serius additum exceperis. Cato enim jam Scipione & Juba bello victis, mortem Uticæ sua manu oppetiit, ne ad victoris arbitrium invitus,aut vivere, aut mori cogeretur. Cujus, hinc Uticensis dicti, mortem Cicero affectu magis, quàm veritate felicem prædicavit, integro etiam libello ejus vitæ mortisque laudes complexus, cui Cæsar, literaria velitatione cum Tullio congrediens, Anticatonem in illius vituperium reposuit. Oratorem quoque Cicero hoc tempore ad Brutum in Galliam destinavit.

Fuit & in Cæsaris gratiam restitutus M. Claudius Marcellus, qui ante quinquennium Consul Cæsari palam erat adversatus, & Pompei secutus partes, eo victo Mitylenas

nas ad bonarum artium studia recolenda concesserat, quem Cicero per literas libro 4. famil. Epist. 7. & seq. ad Cæsaris gratiam pertentandam invitaverat. Cui supplici, dum cunctaretur Cæsar, Senatus intercedentis deprecatio ad salutem profuit. *Cicero* igitur verbis pluribus *pro Marcello* gratias egit Cæsarì, Oratione illa, quæ etiamnum legitur, in cujus extrema conatur omnem insidiarum suspicionem removere à Cæsare, ut qui hostes ipsos incredibili sibi benevolentia devinciat.

Venit etiam in grave salutis discrimen *Q. Ligarius*, quem primum quidem exulem Cicero conciliavit Cæsari, ut libro 6. famil. Epistola 15. ostendit. Verùm propius vitæ periculum adiit, quando à Q. Ælio Tuberone accusatus est, quod se Cæsaris nomine venientem, ut Africam tueretur, excluserit. Quod illius facinus cum satis exploratum esset, Cicero ita defendit, ut necessitatis non voluntatis fuisse contenderet, atque omne perfidiæ crimen in Tuberonem amoliretur. Quæ tanta Orationis vi, tantaque animorum incitatione tractasse fertur, ut Cæsari neque unus in vultu color, neque in animo solita constantia perstiterit; sed tanquam vim passus toto corpore contremuerit, denique victus Ligario veniam criminis fecerit.

Eodem anno Urb. C. 707. Cæsar. fastos correxit, annumque ad solis cursum accommodavit, ut 365. dierum esset, & intercalario mense sublato, qui nimiam mutationem induceret, unus dies quarto quolibet anno intercalaretur. Utque temporum ratio imposterum congrueret aptius, inter Novembrem & Decembrem anni hujus duos alios menses interposuit, ideoque hic unus annus quindecim fuit mensium. Anno verò sequente Dictator ipse & Consul M. Æmilium Lepidum Mag. Equitum. quando in Hispania T. Quinctius Scapula cum Sexto & Cn. Pompejo, Magni filiis, bellum plerisque incolis faventibus, adversus Cæsarem movit, quo Cæsar intra dies 26. profectus, venit, vidit, vicitque, ac Cneo interfecto, Sexto profugo, rebus universè pace compositis, Romam reversus est, Q. Fabio Maximo in consulatum adlecto socio, cumque Fabius pridie ante Kalend. Jan. mortuus esset; in unum illum diem suffectus est C. Caninius Rebilus.

lus. In quem propterea Cicero facetè lusit, & mirificæ eum vigilantiæ prædicavit Consulem, qui in toto suo consulatu somnum non vidisset. Epist. 30. lib. 7. famil.

Post reditum Cæsaris ex Hispania Cicero apud eum dixit *pro Armenia* & Gallo Græciæ Rege *Dejotaro*, quem Cæsar Pompei partes secutum; post devictum in Asia Pharnacem, parte tetarchiæ multaverat; sed rursum supplici spem fecerat restitutionis: At Castor nepos ex Dejotari Regis filia, suo illud damno futurum ratus, Medicum Regis servum præmiis adduxit, ut Dejotarum de intentata Cæsari nece Romæ accusaret. A quo illum scelere, luculenta Oratione vendicavit Cicero; quâ neque venenum exhibuisse, cum posset, neque arma post Pompei cladem adversus Cæsarem, sat comparata ad tantum facinus, habuisse, neque denique adversarii, & quidem nequam hominis servi, accusationem veritate niti, contendit.

38. Cæsar suorum toto orbe hostium triumphator, tantus bello princeps visus est, quantus vix quisquam alius, nisi causa belli turpis, tot tamque illustres corrupisset victorias; & ambitio bellantis res in sago togaque cum laude administratas, fœdo exitu terminasset. Voluit revertens Cæsar P. Cornelium Dolabellam sibi in consulatu subrogare, honesto, utilique consilio, nisi M. Antonio sibi turpi adulatione resistenti fuisset obsecutus, qui capiti Cæsaris Lupercalium, ex sella aurea, lusus in Rostris spectantis (ipse inter Lupercos velatus Antonius) diadema imposuit, quod hic cum plausu spectantis populi ad Capitolinum Jovem, tanquam summum Romanorum Regem transmisit. Honores tamen illi divini fuerunt decreti, postquam diebus quatuor, de totidem orbis partibus triumphasset, & in templo Quirini imago ejus constituta est, cum subscriptione, *Dei invicti.* Unumque ipsi cum Clementia templum dedicatum est, in quo utriusque simulacra dexteras jungerent. Patriæ Pater, Sacrosanctus, Liberator orbis, & Dictator perpetuus creatus est, Imperatorisque concessum nomen etiam ad posteros derivandum, & ne memoria illius annorum lapsu intercideret, mensis Quinctilis nomen ab ipso Julio sumpsit. Cui adulationi cum denique nimium faveret, atque ad se venientibus Patribus nullum assurgens honorem rependeret, Tarquinio huic novo Bru-

tum

tum novum non pauci deposcebant, atque ad M. Brutum tanquam illo ortum patriæ liberatoris genere, haud obscurè consilia hortationesque vertebant. Hic igitur, Cassio, Marcello aliisque fretus sociis, Cæsarem jam Regiæ minus dissimulanter coronæ avidum, ad curiam, eâ spe ductum, interfecit, qui juxta statuam Pompeii suo etiam cruore irrigatam concidit, utque Brutum inter suos percussores conspexit: *Et tu fili mi, Brute?* inquit, simulque obvolutum toga caput dimisit. An Urb. cond. 709. Cicero quamvis hanc cædem probaverit, & M. Brutus, quo familiarissimè semper usus est, cruento pugione elato Ciceronis nomen inclamaverit, libertatem illi restitutam gratulatus, tamen ejus conscius facinoris non creditur fuisse. Populus, ad tumultum inclinatus, autoritate Senatorum sese continuit, quòd urbem à tyrannide assertam dicerent, ipse Brutus apud Lepidum, Cassius apud Antonium cœnavit, quos ambitio propria de amici Cæsaris interitu facilè solabatur. Itamque non obscurè Antonius primum in republ. locum prensabat, quem cum cæteri adirent Consulares, atque ad rempubl. tuendam hortarentur, Cicero id officii negligens offendit. Ad concordiam tamen unà cum Antonio cives enixè est cohortatus. Ubi verò in funere, Cæsar, ita laniato cadavere propositus, atque ab Antonio laudatus esset, veste etiam cruenta ad triste spectaculum explicata, sæpius ingeminante, talem tantumque virum clarissimum urbis Rom. civem, interfectum, testamentoque lecto, præter hæredem Octavium ex sorore nepotem, ipse Brutus bonorum particeps designaretur, plebs, miserationis atque indignationis plena, faces pro rogo comparatas, in ædes M. Bruti aliorumque vertit, ut idcirco ipse sese Brutus & Cassius ex urbe Lanuvium transtulerint. Cicero etiam ruri vivere, quam in seditiosa urbe maluit, ut solitis animum studiis laxaret, atque à turbata Reipubl. tranquillitate, velut æstuante oceano, in portum sese aliquem reciperet. Elaboravit igitur *Academicarum quæstionum libros*, in quibus de vetere ac nova Academia, variis Philosophorum opinionibus disserit. *Libris* quoque *de finibus* summum hujus vitæ bonum ac beatitudinem inquirit, *Tusculanis Quæstionibus de* mortis dolorisque contemptu, animique perturbationibus componendis,

tanquam rebus ad beatè vivendum necessariis, virtutis denique unius felicitate præclara nobis documenta reliquit: Quin postremò etiam de rerum futurarum *divinatione* in utramque partem duobus libris multa commemorat. *De senectute* minimè homini mala aut formidanda, librum *Catonem Majorem* inscripsit, uti & alterum *de* sincera *amicitia* maximè expetenda *Lælium*.

39. Cum tam utilem posteritati sapientiæ messem sua ex rusticatione Cicero colligeret, Octavius Nepos Cæsaris, Apolloniâ, ubi in studiis versatus erat, revertens, ruri à Cicerone perquam amicè & honorificè, contraque ab Antonio Romæ, asperè superbèque exceptus est: Conatus tamen hunc sibi, ut posset, demereri, invidiosam Cæsaris hæreditatem adiit, cumque deinde ejusdem nomen assumeret, ac C. Julius Cæsar Octavianus diceretur eòque Cæsaris sibi militem fautoresque conciliaret, M. Antonii ac P. Corn. Dolabellæ Cons. (quem sibi Cæsar subrogatum voluerat) in apertum furor erupit; nam sestertium septies millies, depositum C. Cæsaris ad ædem Opis, ab illis est occupatum. Interea Cicero cum Aul. Hirtio sequentis anni Consule *de Fato* sermonem instituit. Scripsit etiam nobilissimos *de Officiis* libros, ubi de virtutum præcipuis & triplici bonorum genere utili atque honesto sapientissimè disputat, & Marcum filium in Philosophiæ studiis versantem instruit. Cum verò jus legationis liberæ haberet, iter in Græciam instituit, *ac Topica* ad Trebatium, in navigationis otio, congessit. Sed ex Sicilia ad Leocopetram rejectus, mutato repentè consilio, Romam, quò iter Hirtio Consule redire non decreverat; iccirco iter vertit, quod illustres quidam nuntiarent, Antonium cedere, resque ad pacem Romæ spectare, ac magnopere illic Ciceronem desiderari. Ergo consilio profectionis relicto, cum velis remisque in patriam festinatò contendisset, magna populi occurrentis gratulatione dies penè consumptus est. Postridie Kalend. Septemb. Senatum Antonius de supplicationibus Cæsari decernendis instituit, misitque qui Ciceronem advocarent in Curiam. Is cum vel insidiarum metu, vel causæ displicentia subterfugeret, languidi ex via corporis excusatione usus est; sed Antonius acerbiori denuntiatione significat, ni veniat, fabros se missurum, qui

qui distributa domo, vel invitum Dominum exigant, vimque expertus omnino esset milite jam atque igne admoto, nisi amicorum intercessione, is dies ad quietem Ciceroni indultus esset.

40. Altera die in Senatu adfuit, atque, in magna reliquorum servitute; liberius quàm pericula minæque postulabant, dixit, Oratione illa, quam *Philippicam primam* inscripsit, quòd Demosthenem; adversus Philippum Macedonem, Reipubl. Atheniensis libertatem propugnantem imitatus sit. In hac primum quidem abitus reditusque sui caussas exposuit. Deinde de Antonii injuria Cæsarisque actis disputat, ad extremum Antonium & Dolabellam Consules ad Rempubl. moderatè administrandam cohortatur. Antonius hac Ciceronis libertate in tantam exarsit indignationem, ut palàm illi denuntiarit inimicitias, ac instructore Rhetore, ut paratus compareret in publico, contra Ciceronem in Tiburtina Scipionis villa declamitarit, denique 13. Kalend. quadrato agmine ædem Concordiæ ingressus, discordiarum & furoris plenam orationem evomere magis bonis omnibus, quam dicere visus sit. Quo die advocatus in Senatum Cicero, per amicos accedere prohibitus est, quod Antonius ab illo cædis initium facturus putaretur. *Philippica* itaque *secunda*, quam divinam Juvenalis appellat, non coram Antonio in Senatu dicta est, ut quibusdam placuit, sed tantum scripto adversus impurissimum hominem relicta. In hac primum sese objectis per Antonium criminibus purgavit, deinde sceleratam hominis vitam ab ipsa pueritia exosus aptis coloribus expressit. Interea Octavianus 18. annorum adolescens, cui unà cum opibus Cæsaris animus indolesque ad res magnas idonea relicta videbatur, collectis ex veteranis à Calatia & Casilino militibus sensim metuendus, excivit urbe Antonium, qui alios ære ac promissis, alios ferro minisque obsequium sibi comparabat. Sed ut nunquam metus diuturni obsequii est custos, ita Martia & Quarta Legione ad Octavianum transeunte, ad citeriorem Galliam Provinciam sibi à populo concessam festinavit, quò cum venisset D. Brutum illi præfectum Provinciæ obtinentem habuit; qui edixit sese Provinciam in Senatus populique Romani potestate retenturum. De quo edicto, cum ad Se-

Q 2 natum

natum referrent Tribpl. ante diem 13. Kalend. Jan. Cicero illam pronuntiat sententiam, quam *Philippica tertia* complexus est, primumque censuit designatis in annum seq. Coss. Hirtio & Pansæ decernendum esse præsidium, deinde quæ Octavius Cæsar egisset, publicâ autoritate confirmanda, militesque, qui ab Antonio ad Cæsarem defecissent, præmiis donandos, postremo D. Bruto cæterisque retinendas suas esse Provincias, dum ex Senatus Cons. successores decernantur. Nec dubitavit Senatus in hanc sententiam S.C. facere. Quare progressus in populi Concionem Cicero exposuit, quid visum Patribus decretumque fuisset, quod *Philippica quarta* continetur.

Anno denique Urbis Cond. 710. Ciceronis 64. & ultimo, C. Vibio Pansa, & Aul. Hirtio Coss. M. Antonius Mutinæ D. Brutum arcta obsidione præmebat. Ad quem cum plerique Senatorum Legatos pro concilianda dissensione mittendos censerent, obnixus in Senatu Cicero *Philippica quinta*, Antonium tanquam Reipubl. hostem bello petendum statuit, decernendosque honores illis, qui Rempubl. adversus Antonium tueantur. Obtinuissetque locum hæc sententia, nisi Salvii Tribpl. intercessione, Legatio denique mandata esset, Ciceronis tamen consilio accedente, ut cujus unius eloquentiæ tum Romæ omnia parebant. Itaque Senatus Cons. decreta hæc legatio est Ser. Sulpitio, L. Pisoni, & L. Philippo, quam rem Cicero in Concione *Philippica 6.* complectitur. Interea cum multa Antonii familiares responsa tanquam ab ipso profecta confingerent; Cicero, ne in gratiam reciperetur formidans, *Philippicam 7.* in Senatu habuit, quâ pacem cum Antonio tribus de causis improbat, primum quod turpis ea sit Romanis, deinde quod periculosa, denique certa ac diuturna esse non possit.

Porrò cum Legati intoleranda quædam Antonii postulata ad Senatum inferrent: hic bellum adhuc indicere veritus, decrevit tumultum, quòd Cicero *Philippica octava* reprehendit, graviter in Q. Fusium Calenum: Antonii studiosum, invectus. *Nona Philippica* Cicero Ser. Servilium in legatione ista vitâ functum, statuâ pedestri æneâ pro rostris collocandâ, ornandum suasit. Inter hæc M. Brutus Cæsaris percussor, adjuncta sibi Athenis nobili-

nobilium adolescentum ex Romanis manu, in quibus facilè princeps Marcus filius Ciceronis, arma sumsit: & is quidem in Macedonia, excluso C. Antonio Marci Antonii fratre, à Q. Hortensio, provincia hac decendente, accepit militem, cui L. Pisonis legio accessit, quæ se M. Ciceroni tradidit,& Syriacus exercitus,qui à Cinna ad Cn.Domitium adolescentem transiit. Quo cognitio P. Vatinius Dyrrachium Bruto aperuit, exercitumque concessit, & fugatus C. Antonius se Apolloniam recepit. Qua de re, cum Brutus dedisset Romam literas, C. Pansa Consul, Senatu coacto, Brutum sua oratione laudavit: quem cum Q. Fusius, rogatus sententiam, oppugnasset, Cicero adversus Fusium *Philippicam decimam* intorsit. Cum M. denique Cicerone C. Antonius ad Billidem commisso prælio victus, captusque in Bruti potestatem venit, qui cum illum honorificè, relictis etiam Magistratus insignibus, haberet, non unis literis Cicero hanc ejus indulgentiam accusavit. Dum hæc aguntur: P. Dolabella Smyrnæ C. Trebonium quæstione de publicis pecuniis institutâ verberibus tormentisque interfecit, quam ob causam cum Reip. hostis à Senatu declaratus esset, ac de mittendo adversus eum belli imperatore disceptaretur; aliis L. Cæsarem, aliis P. Servilium designantibus: Cicero sententiam suam *Philippica undecima* declaravit, in qua, post expositum Trebonii casum, exaggeratamque Dolabellæ & Antonii crudelitatem, C. Cassium præficiendum statuit. Qua in re C. Pansam obnitentem offendit.

Decrevit hoc tempore Senatus, ut Ciceronis Minerva urbis custos, quæ anno superiori vi turbinis impacti præceps, capite brachiisque mutila, infausto Ciceroni omine, jacuit, rursum erigeretur: Pacis verò consilium à nonnullis susceptum Senatum induxit, ut M. Ciceronem, & P. Servilium legationi ad Antonium præficerent. Sed obnixus Cicero *Philippica* 12. est, seque ad hanc legationem minus idoneum demonstravit. Quanquam Pansa jam & Hirtio ad bellum contra Antonium præfectis, M. Æmilius Lepidus ex transalpina Gallia hortatoriis rursum ad pacem literis Romanos parum alienos sollicitaret, ut iccirco *Philippica* 13. Cicero eam gravissimè sit detestatus, rationibusque adversariorum confutatis & Antonii

tonii literis ad Hirtium & Octavianum productis ostenderit, pacem esse cum hoc homine Romanis nullam posse. Quod idem literis ad Lepidum (ut est lib. 10. Epist. 27. famil.) missis egit. Verum cum res Mutinæ adversus D. Brutum & Coss. desperatæ viderentur, pluresq; Romæ turpem fugam, aut mortem cogitarent, præsertim ubi Ventidius ab Antonio ad urbem properare nunciaretur, de summa rerum brevi ita dimicatum est, ut Pansa castris Hirtii & Octaviani se adjuncturus in via cæsus sit; hi tamen atrocissimo conflictu castris occupatis, Antonium Mutina dejecerint. Victoria ipsis victoribus cruenta; quòd Hirtio cadente, uterq; Coss. occubuerit; imperio penes D.Brutum & Octavianum relicto. Romanis metu dejectis tam insperatam effusamque hic nuntius lætitiam attulit (quem supra fidem naturamque intra horas tres in urbe adfuisse memorant) ut ad Ciceronem urbs tota confluerct, miro applausu extolleret, supplicabunda in Capitolium deduceret, atque hinc ad rostra ipsum audiendi cupida impelleret. Ubi is *Philippicam* habuit *decimam quartam*, in qua supplicationem dierum 50. trium imperatorum Pansæ, Hirtii, & Cæsaris, ob Antonium hostem superatum, decernit, atque ad extremum eos qui in prælio ceciderant, dignis laudibus ornat, eorumque propinquos solatur.

41. Malè Octavianum habuit, quod suo unius imperio bellum administrare non posset, quâ ambitione turgidus adolescens ante 20. ætatis annum consulatum postulat, Cicerone, ut ferunt, in societatem adducto, quem se domi ad urbis custodiam sui studiosum relicturum sperabat, quæ res, quòd successu careret, atque haud multò post Antonius cum equitatu ad M. Æmil. Lepidum profugus, in fidem receptus esset, inclinationem fortunæ suæ Octavianus veritus, literis cum Antonio Lepidoque communicare, pacemque ac fœderis triumviralis societatem inire cœpit. Utque ad hæc promptum militem inflecteret, jurejurando sancire omnes voluit, cum nullo exercitu, qui C. Cæsaris fuisset, bellum se gesturos. Quo impetrato, quadringentos sub Cornelio Centurione milites Romam ad consulatum pro Cæsare petendum misit. At Senatu ad juvenis arrogantiam nihil inflexo, Cornelius legationis Princeps, percusso gladii capulo; nisi

nisi vos, inquit, *Cæsarem feceritis Consulem, hic factus est.* Nec diu cunctatus Octavianus, Antonio Lepidoque in Italiam accersito, Romam armatus petit, quæ variis consiliis fluctuans, aliis arma, aliis fugam spectantibus, venienti patuit; cumque obviam se ferret Cicero, ultimum hunc amicorum sibi occurrere Octavianus dixit, admisitque in gratiam. Creatus in sextili Consul (quem mensem *Augustum* postea dici voluit) cum Q. Pedio annos nondum viginti natus adolescens. Comitiis curiatis in Cæsaris familiam insertus, lege Pedia, collega ferente, decrevit: ut omnibus Cæsaris interfectoribus aqua & igne interdictum esset, qua re & Brutis hostilitatem denuntiavit; & Ciceroni necis fautori visus est obnuntiare amicitiam.

Animadvertit igitur suum Cicero errorem, quod ambitioso inconstantique nimium tribuisset adolescenti. Lenire illum singularibus nequicquam prærogativis Senatus conabatur, decernens honorem, quo cæteris imposterum Coss. anteiret potior, scriberet, quem vellet, militem, contra Antonium Imperator esset. Sed is triumviratu cum Antonio & Lepido instituto, ac translato in Ventidium consulatu, Remp. Romanam cum his ita partitus est; ut Italia & Occidente sibi retento, Græcia & Oriens Antonio cederet, Africa cum Hispania Lepido obveniret, & ne Sextum Pompejum ingenti classe fretum, haberent adversarium, Sicilia illi relicta est, ita brevi hostes Julii Cæsaris oppressi sunt, D. Bruto caput à Camillo hospite Equilejæ resectum, M. Brutus & Cassius rebus bello desperatis, manus sibimet violentas admoverunt, ex urbe verò centum & triginta Senatores proscripti sunt, in quibus ea lege census est Cicero, ut cum hunc amicissimum sibi virum Octavianus Antonio concederet, L. Cæsar Antonii avunculus, & L. Paulus Lepidi frater vicissim inter damnatos censerentur. Cum adeò turpi confœderatione fidei legum, amicitiæ sanguinisque jura prodita essent, fugæ, cædes, mutuaque in urbe incendia coorta sunt, quod ingentia percussoribus essent præmia constituta. Hoc nuntio perculsus Cicero, cum Quincto fratre in repentinam se fugam conjicit, sed quod ad M. Brutum in Macedoniam fugiendum esse statuissent, & Quinctus

rerum omnium, pro tanto itinere, nudus urbe cessisset, dum pro sarcina aliqua colligenda revertitur, à propriis servis spe mercedis detectus, unà cum filio periit, orta, ut ferunt inter natum patremque, concertatione, uter prior mortem oppeteret. Cicero verò servorum suorum custodiæ sat fidæ creditus, atque à Tusculano, ubi à fratre divulsus fuerat, ad Formianum lectica delatus Cajeta solvit; sed adversa tempestate rejectus, infaustisque corvorum clangoribus petitus, cum in villam se recepisset, corvus indicem horologii excussit, ultimam ipsi vitæ horam denuntiare visus. Nec mora, nuntius adest, qui milites adventare significat, cumque servi Dominum rursus ad mare auferrent, superveniunt, atque in his cum Herennio centurione C. Popillius Lænas, quem parricidii quondam reum Cicero defenderat: qui ad hoc ministerium ultro se obtulisse fertur, ac præfectum de cervicibus sui defensoris caput dextramque Antonio præbuisse, ut non uno tantum facinus crimine exaggeraret. Præmium sceleris, Tribunatus militaris homicidæ delatus; & decies HS. fuêre. Viso capite in comitiis, quæ tum fortè habebat Antonius, exundantem ab expleta vindictæ cupiditate lætitiam non continens, exclamavit: Proscriptionem jam omnem peractam esse. Caput verò ipsum, postquam probris convitiisque ad sanitatem conscidisset, Fulvia etiam uxor, fœmininea impotentia & rabie, verbis atrocibus laniasset, fœdasset sputo, linguamque eductam acubus confodisset, in rostris una cum dextera, tyranni jussu, eo loci affixum est, ubi admirabili eloquentiâ pro reorum defensione & flagitiosorum hominum detestatione, cum summâ Antonii ignominia, sæpius peroraverat. Triste bonis omnibus spectaculum, in quo manifestum tyrannidis & oppressæ cum Cicerone Reipubl. exemplum intuerentur. Verum, ut posteritas omnis Antonii in Ciceronem exercitam crudelitatem, ita Ciceronis in Antonium exertam eloquentiæ vim admirabitur, & quod suæ Antonius gloriæ, Tullianæ verò ignominiæ esse voluit; hoc æternum Tullianæ gloriæ, atque ignominiæ Antonianæ futurum est monumentum.

Verè atque eleganter Cornelius Severus:

Abstulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ.
Vnica sollicitis quondam tutela, salusque.
Egregium semper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque, togæque,
Publica vox sævis æternum obmutuit armis.
Informes vultus sparsamque cruore nefando
Canitiem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus civis projecta superbis
Proculcavit ovans: nec lubrica fata, Deosque
Respexit: nullo luet hoc Antonius ævo.

APPENDIX.

HÆc de vita Ciceronis præmittere visum est, ut sine qua vix earum, quæ in illo tractantur, rerum argumenta penetrâri queant. Cæterum perbrevem traditionem historiæ, quæ in Tullianam ætatem incidit, ipsiusque scripta illustrat, ex Vellejo Paterculo, in Palæstra styli libro ult. subjeci. Singularum verò Orationum cum argumentum, tum artificium constructionemque, in principium libri tertii retuli. Quæ mutua sese ope fulcient, & vim facundiamque Ciceronis aperient: ut & facilius à Lectore intelligi, & ab imitatore, si non paribus, certè propinquis lineamentis exprimi possit.

Aphthonius ex Græcis Sophista vetus, hoc est ex illa Rhetorum palæstra, quæ habilem in utramque partem disserendi facultatem se tradere profitebatur, progymnasmatum genera, legesque certas scripto consignavit, cum quibus optimè nostræ illæ de inveniendi ratione præceptiones conveniunt. Aliud enim omnino non agit, quam ut unum aliquod, seu ex propriis, seu ex locis communibus repertum argumentum ex locis diducat cæteris, illo tantum præcipiendi discrimine, quod non ubique omnes, sed certas argumentorum sedes adeat. Quæ tamen res ingenio judicioque Oratoris magis, quam præscriptis legibus potest definiri. Paucis igitur præceptiones ipsius complectimur, ut si quem ex his fructum adferat, decerpi à studioso lectore possit,

Maximum deinde Tyrium in suis adhibere dissertationibus placuit, ut quæ longè majori eloquentiæ laude, quam illæ Aphthonianæ exaratæ sunt, propiusque lineamenta ac genium Oratoris exprimant.

CAPUT VI.

Instructio pro schola Humanitatis Magistris discipulisq; perutilis de exercitiorum ad eloquentiam varietate & progymnasmatis recte instituendis.

NUnc denique ad diversa exercitationum genera propius accedendum est, partimque inveniendis, ad probandum argumentis, partim eleganti sermone exponendis, navanda est opera. Qua in re, quid de exemplis optimorum scriptorum ac Ciceronis inprimis imitaturo præfigendis sentiam, jam nemo, qui me quidem in superioribus audierit, poterit ignorare. Quid porrò Eloquentiæ studioso faciendum, jam nunc intelliget. Ordiar verò ab illis, quæ scholæ Humanitatis propria, tam earum litterarum Magistris, quàm Discipulis erunt observanda; ne vel nimio, quod multi sectantur compendio; vel inutili ducti circuitu, ab eloquentiæ comprehensione procul arceantur. Ipsis hæc etiam artis Professoribus, nisi indiligentes fuerint illarum, quas præscribam, legum sectatores, ad copiam facultatemque augendam profutura sunt, docendoque aliquid sese didicisse deprehendunt.

I.

Progymnasmata rudiorum.

Principio faciliores Orationis partes, ut sunt diversarum rerum, modò fabularum, modò historiarum narrationes, vernacula ipsis lingua adolescentibus propositas Latio sermone vertendas Magister dabit, cum præcipua horum cura ad stylum etiamnum impendenda sit, remoto, quod retardare solet, inventionis studio. Quo exercitio cum per duas tresve hebdomadas ad illos distinuerit; tum Apologum

gum ipse, vel historiam solo perceptam auditu, non exceptam calamo, jubebit stylo decenti exarare, denique extemporali quandoque exercitio promere. Sex ejusmodi laboribus hebdomades dederim, ita ut quandoque hic labor misceatur, & nunc proprio natent cortice, nunc ductu alieno; à facilioribus tamen ad difficiliora narrationum exempla sit transitus.

Tantundem postea temporis descriptionibus rerum, eadem lege viaque dederim, ut nunc vernacula has lingua Præceptor dictet, idque principio maximè; nunc viva expositas voce, jubeat scribendo reddere. Sunt autem in descriptionibus illæ plerumque faciliores, ideoque primum adhibendæ, quæ vel naturalium sunt rerum, ut e. g. hominis, aut equi: vel artificialium, ut domus, castrorum, pugnæ, loci amœni, horridi carceris: difficiliores verò quæ mores affectusque viventium, e. g. equi exultantis, aut hominis irati depingunt, ab illis igitur ad has transeundum est.

Denique semestris parte reliqua, in locis communibus, vel thesibus generalibus versari poterit, in quibus & in vernacula rursum lingua præeundum, & à magis obviis ducendum erit principium. Loci communes hic dicuntur, qui ad augendum amplificandumque argumentum plerumque adhibentur, theses quæ universè ad explicandum probandumque, talesque ob generalem sunt materiam, quæ pluribus queant rebus adhiberi. Ut de prospera adversaque fortuna æquo animo ferenda, de vita rectè instituenda, vitiis devitandis, liberalibus artibus ingenuo adolescenti addiscendis. Sic quæ adversus furem, latronem, pro Philosopho, Religioso, pro, & contra testes, quæstiones, rumores dicuntur, locis accensentur communibus, si tractentur prout bona quædam, vel mala ejus insunt; thesibus verò annumerantur, si ad suadendum vel dissuadendum adhibeantur, quod discrimen ad tractandi rationem non magnopere facit, ideoq; hic etiam conjungimus.

II.

Progymnasmata proficientium.

Altero semestri, si adhuc rudiores fuerint, mense uno alterove iisdem immorari exercitationibus poterunt. Deinde ve-

de verò, postquam aliquam de locis inventionum propriis, & communibus instructionem acceperint, doceantur in generali quapiam materia (de qua jam egimus) quemcunque locum proprium per reliquos communes inventionum locos, ex fontibus à me propositis, exornare simul atque amplificare, quam exercitationem pleriq; Chriæ nomine complectuntur, quæ vel factum aliquod, vel dictum sapientis, vel utrúmque etiam comprehendit, primam verbalem, alteram activam, tertiam appellant mixtam. Activæ exemplúm est, quod Æschylus Poëta bene potus carmina scripserit: Verbalis, quod ait Virgilius in distichis:

Arcanum demens detegit ebrietas.

Mixtæ, quod miles Pyrrhi Epirotarum Regis accusatus de calumniosis inter pocula apud Regem verbis, ait, *longè deteriora eramus dicturi, nisi nos lagena defecisset.* Sed horum exemplorum locus proprius est tantum ex fonte secundo de effectis, nam feliciter carmina fundere, arcana detegere, calumniari omnes, sunt effectus diversi ebrietatis. Suadendum igitur, ut si his Chriis diutius immorentur adolescentes, exempla sumantur, vel factorum, vel dictorum, ex diversis locis propriis manantium, ut e. g. ex fonte primo, quod Tiberius Nero, ob ebrietatis vitium, Biberius Mero probrosè si appellatus, aut quod vinum ebrio venenum sit, quorum illud ex etymo, hoc etiam ex natura sumptum, ex fonte tertio, quod de ebrio Propheta ait, *repletus est ignominia, pro gloria.* Hab. 2. ex fonte 4. causarum, quod Democritus, seu Anacharsis dixit, tres in vite uvas nasci, *voluptatis, ebrietatis, & injuriæ, seu insaniæ*, ex fonte 5. adjunctorum illud Nasonis est.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent,

Eruntque de his locis propriis discipuli admonendi, ita enim intelligent quò hæc exornatio per locos communes inventionum, hoc est, contrarium, exempla, similia, testimonia legesve spectent, & sibi in quolibet loco argumentorum proprio hanc tractandi facultatem offerri. Ex quibus facilè intelliges, quemadmodum hos locos communes inventionum, ab illis locis communibus materiæ, de quibus antè disserui, separem, cum illi singulari materiæ, hi propriis argumentorum locis opponantur. e. g. Si generalem vini vel ebrietatis naturam, causas, affectusque, descripsero, ut

bona,

bona, malaque quæ in se continet atque operatur, locus erit communis materiæ, quæ in pluribus mihi singularibus, ut vino Hispanico, Mosellano, adusto, vel in rustico, aut nobili ebrio servire poterit. Si verò à contrariis, exemplis, & comparationibus eadem; seu generatim, seu particulatim dicta illustravero, locis illud faciam communibus inventionis.

Hoc exercitio, cum per menses IV, vernaculâ primum linguâ, deinde maximè latina, argumento locisque inventionum compendio traditis, discipulos Magister distinuerit, mox ad præcipuas illius Chriæ partes artificiosè tractandas ducet, in quibus contrariorum, ac deinde comparationum vis, ingeniumque, tanquam præcipuum Orationis universæ decus, inprimis observandum excolendumque est. Quæ exercitatio quantum ad eloquentiæ perfectionem, expeditamque illius apprehensionem faciat, paucorum hactenus, vel observatione notatum; vel sat idoneis progymnasmatum exemplis demonstratum est; ut plusculum mihi hac re industriæ ponendum esse duxerim. Ordine igitur dictas exercitationes aggrediar, postquam ante de ipsa scribendi forma, studioque ad elocutionem impendendo pauca monuero; tum deinde videro, quid ad hæc progymnasmata Aphthonius, vetus inter Græcos Sophista, vel emolumenti, vel compendii adferat.

CAPUT VII.

Quænam observanda sint, ut cultum expolitumque dicendi genus, in usu harum exercitationum, quivis facilè assequatur.

ADolescenti ad cultioris Styli usum, atque aliquam eloquendi facultatem aspiranti, quæ famam occupet, trivioque submota, illam veteris eloquentiæ nobilitatem consectetur; ante omnia, primum illud fastidiosi laboris tædium digerendum est, quod in solerti investigatione optimorum verborum sententiarumque est positum, de quibus part. 1. libro 2. per aliquot capita disseruimus. Amat hæc elegantia curam, nec à desidioso facilè animo possidetur.

I. *Stu-*

I.

Studiosa investigatione primò stylus formandus est.

Videndum principio, non quàm multum, sed quàm bene. Respuendum quidquid usu vulgati sermonis protritum, statim ex memoria in calamum affluit; & licet Ciceroni notis usitatum, si tamen pervulgatum, transi, atq; aliam quercum excute. Huc inde ad eloquentiam semper emolumenti adferes, ut quantumvis nihil repereris melius, aliquid tibi minus obvium reperturus sis, quod hac investigatione usuque tibi reddas familiare. Nunquam non studiosis eloquentiæ investigandum est. Proderit semper mora, vel ad elegantiam, vel ad copiam, vel certè ad facilitatem. Scribere, aut loqui, quæcunque in calamum, & labra cadunt, non est proficientium; sed jam parta fruentium eruditione, quibus satis est ille pedem figere, quò pervenerunt. Vidi ego adolescentem ingenio felicem, stylo promptum, scribendoque profusum, qui anno primo, primum inter Rhetores locum assecutus, alterum tertiumq; annum (ut ætate, & statura parvus erat) iisdem scholæ vestigiis inhæsit, sed non magno ad profectum emolumento, quod de prolixa magis, quam ornata oratione sollicitus, in magnitudine collocaret victoriam. Solitus ea profundere, quæ jam pleraque mente comprehenderat, dum interea aliorum cura nondum acquisita sese extenderet, quò factum, ut primo anno victor, vinceretur altero, palmamque literariam meliori se concederet, quem non quidem major, sed dispar labor, eò provexerat. Tanti refert, hunc scribendi usum, qui jam cognita respuit, ignotisque incumbit, adolescentes in ipse eloquentiæ aditu studiosè consectari. Robustioris jam eruditionis virorum est partis acquiescere, atque ex cultæ scriptionis facilitate, honestæ voluptatis sensu perfundi. Juvenibus prius industriè laborandum, quàm hic fructus jucunditatis decerpendus est.

II.

Nil supra vires principio tentandum.

Verùm tamen cavendum, ne dum hanc vitas neglectæ orationis profusionem, impingas ad alteram fastidiosæ nimi-

um diligentiæ ſcopulum, cui nihil ad palatum facit, univerſa reſpuit, & tanquam meliora ſemper, vel animus poſſideret, vel libri ſuggererent, laborantis fruſtra memoriæ induſtriæque conatum elidit, ac deſperatione nonnunquam opprimit. Metiamur vires, ac ſufficiat denique quod illis commenſum eſt. *Qui nunquam malè, nunquam bene.* Et craſtino ſuus etiam diei profectus relinquendus eſt. Romanum unus annus imperium non conſtituit, quæ magna ſunt, à parvis ſuccreſcunt initiis, tantò plerumque diuturniora, quantò provenerunt tardius.

Julius Secundus, ut Quintilianus æqualis ejus memorat, aliquando è Gymnaſio reviſebat domum, eo vultu, qui dejecti prorſus animi ſignificationem præ ſe ferret, erat illi patruus Julius Florus ejus facilè ætatis eloquentiſſimus, qui ut pueri mœrorem ex oculis collegit; *ecquid tandem eſt, mi Juli*, inquit, *quod te cruciat? quidni crucier*, excipit, *qui in diem jam tertium, conſumptis fruſtra laboribus, unum ſcribendi argumentum ſtylo proſequor, non aſſequor.* Tum ſenex vultu ſubridente, *an tu igitur contendis, ut, quàm potes, dicas elegantius?* Quo dicto, incredibile eſt, quantum animum adoleſcentis erexerit, jam propemodum deſperatione proſtratum. Viator, qui aliquando offenderit, defatigatoque ſuam corpori quietem indulgere cogitur, non iccirco de itinere abſolvendo deſperat. Laborem antea deſertum repetit, & lapſum, ſi quis erat, ſurgendo inſtaurat, donec optato fine ac loco potiatur. Non ſtatim, ut eloquentiæ ſtadium ingreſſus fueris, te in meta jam ſtare autumes, currendum ante ſudandumque, nulli gratis bravium defertur. Creſcet unà annis atque exercitatione, & ingenium, & facilitas, alia melius, alia etiam celerius ſcripturus es, non ſimul obvenient omnia.

III.

Materies, priusquam ſcribas, aptè diſtribuenda.

Quorundam tamen vitio hæc ſcribendi ſterilitas naſcitur, qui cœco quodam impetu calamum rapiunt; animumque ad ſcriptionem applicant, priusquam orationis argumentum ſuo fine partibusque expenderint, qui mihi velle navigare videntur, priusquam ubi remus, ubi vela, ubi commeatus ſint, diſpexerint; nec quo portu, aut littore conſiſtendum

dum sit, cogitaverint. Primùm igitur est materiam scribendi suum ad finem comparare; ut quid docendum probandumvè sit, intelligat, animoque, velut oculo in hunc scopum defixo, semper contempletur, ne quid extra hanc metam cadat, alterum ut expendat, quibus illud rationibus queat obtineri, quibus singulæ rationes ornamentis illustrari, &c. si quando opus, amplificationibus extolli possint. Plerosque enim adolescentum ipsa moratur inconsultæ scriptionis temeritas, qui cum illam, tanquam crudos, incoctosque etiamnum cibos aggrediuntur, neque digerere scribendi argumentum possunt, neque concoquere, aut in succum sanguinemque solidæ eloquentiæ transmittere. Impensa igitur huic cogitationi mora, omni festinatione est melior, nec dispendium laboris, sed compendium est.

IV.

Quemadmodum indulgendum plus minusve scriptioni sit.

Erit verò etiam, cum faventibus impulsa ventis phaselus secundo impetu feretur; quando plenis captandam velis auram suaserim, atque ingenio, quantum valet, indulgendum, non enim semper idem Favonius adspirabit. Duo tamen & in pleno hoc Orationis cursu erunt providenda: alterum ne ob leviculas quasdam hærentis styli difficultates, oratio velut in scopulos impacta hæreat, cum quandoque verbum sententiaque idonea cogitanti non subvenit, totumque animi conatum absordet, atque à felici cursu suspendit, quæ si in aliud magis vacuum rejecta tempus, tranquillum scriptionis lapsum non interpellasset, optatum sese in portum intulisset oratio; Negligenda igitur hujusmodi offensio, & hiatus potius aliquis tolerandus, quam neglecto profluentis dictionis cursu, infractoque impetu, hærendum. Post cætera felici exitu absoluta, vacabit magis, per otium soluti à gravioribus curis animi, neglecta instaurare, opportunisque sententiis instruere. Alterum est, ut ne præcipiti temet æstu patiaris abripi, qui consulta juxta atq; inconsulta temere misceat, eo consilio, ut postea ad limam correctionemque revocentur. Difficilis enim res est, multa inconcinnè; aut numeris, aut verbis hærentia, justum deinde in ordinem cogere, verbis fulcire idoneis, sententiis exornare,

nare,

nare, utut demùm versaveris omnia, sæpè rebus pondus, cultus orationi defuturus est. Monstrosum dictionis partum, haud facilè lambendo fingendoque ita formaveris, ut grato venustatis cultu placere possit. Quocirca principio crudum nihil indigestumque profundas; hoc enim non est parere, sed abortire. Non ita copiæ facilitatique scribendi favendum est, ut mox teipsum tuumque laborem aversceris, atque ædifices brevi destruenda. Tam laborem, quàm otium in studioso eloquentiæ damnamus, si utrumque inutile fuerit.

V.

Quid in Doctorum imitatione potissimùm hoc tempore spectandum sit.

Semper autem magnus aliquis dicendi Magister; aut suis tibi in scriptis est proponendus, aut certè si exemplum illius aliquod in pari materia defuerit, cogitatione, in eodem tecum studio, ita est defigendus, ut identidem animo volvas; fueritne hoc pacto dicturus Cicero, Salustiusve, Quintilianus, aut Demosthenes? quonam hæc illi verborum delectu, sententiarumque pondere, quo figurarum cultu, qua dicendi copiâ instructuri? Juvat hæc meditatio, quæ tantorum nos virorum personâ induit, nec imparia jam conceptæ de illis opinioni jubet molliri. Et ad tropos quidem figurasque, quod attinet, pari arte facilitateque exprimendas, res tanti moliminis nequaquam est, quantam sibi nonnulli imaginantur. Troporum enim ornatus, ex una ferè translatione petendus est; translatio scitè usurpata, ex appositæ similitudinis inventione dependet, quæ tam difficilis non est, ut mediocrium etiam ingeniorum aciem subterfugiat, cum inter rusticos etiam homines aptissima usurpatione non rarò vigeat. Figurarum introductio, non tam ingenii, quam attentæ observationis esse videtur, prætequam, si planè apud te Oratio vulgaris non fuerit, figurarum usu sine cura splendescet.

Nihil magis eloquentiæ studioso arduum est, quàm extra figuratum sermonem, in trita licet re, trita non loqui. Figuræ suo numero, & (quæ sublimiores sunt) parvo satis, definiuntur; sermo illustrior, atque à vulgo submotus, nulla potest finitione circumscribi. In hoc igitur multa, cùm

lectione, tum ſcribendi imitatione firmandus primo ſtylus eſt, quàm ad illos figurarum ductus accedat, ne in his ſolum Oratoris decus collocatum putet. Non pauca, qui hodiedum florenti ſatis ſtylo adumbrantur, hunc apparatum reſpuunt, affectationi proximum, niſi opportunè uſurpetur. Forenſe nunc illud orationis genus, quod Ciceronis ætate dominabatur in judiciis, regnabat in animis, è curia cauſiſque, haud injuriâ, eliminatum eſt; cum æquitas non tam ex dicendi facultate, quam veritatis nudæ æſtimatione ponderanda ſit.

Quare ſicubi nunc flos ille orationis figuratæ ſpectetur, vel in panegyricis, vel in ſuaſionibus. aut reprehenſionibus; vel certè ſacris concionibus eſt, quæ omnes parciùs, magnoque cum delectu has Oratorum delicias conſectantur; ne dicendi magis florem, quàm veritatem amplecti videantur. Quæ cauſa, cur in ſuis orationibus Cicero, illo quo dicit verborum figurarumque apparatu, noſcendus hoc tempore ſæpe magis, quàm exprimendus ſit: niſi magna ſimul rerum varietate inter doctos condiatur oratio, aut inter rudes eadem veritas magna dicendi vi ſit inculcanda; quod Tullio plerumque tantum expreſſit orationis flumen.

Paradoxa Ciceronis, Tuſculanæ atque Academicæ quæſtiones, quæque idem de officiis, de amicitia, de contemnenda morte ſcripſit, uſitatis horum temporum diſſertationibus non diſſimile exhibent, cùm exemplum, tum argumentum. ideoque humanitatis diſcipuli, in ſuis exercitationibus horum potiſſimum imitatione erunt informandi, locis ad hanc rem illuſtrioribus cum delectu propoſitis, quorum nonnulla inferius producemus. Quanquam & faciliores, quæque communibus locis inſtructæ ſunt, orationes, ut pro Archia, Marcello, lege Manilia aliæque paucæ ad ſcriptionis exemplum ſint producendæ.

CAPUT VIII.

Progymnaſmatum natura, ratio, & varietas ex Aphthonio propoſita, ejuſdemque autoris cenſura & uſus.

CUm progymnaſmata quædam eloquentiæ non ignobilis olim inter Græcos Sophiſta, ſeu diſſerendi in

in utramque partem Magister, Aphthonius tradiderit, quorum præceptiones usumque non pauci eloquentiæ studiosi amplectuntur, ejus mihi hoc loco institutum negligendum esse non censui. Ut quantum illud nobis conducere, ad facilem compendiosamque hujus oratoriæ facultatis apprehensionem possit, hoc præceptore audito, collatisque cum ipso rationibus, statuere liceat.

Per diversa quatuordecim exercitamenta, tanquam aliqua hujus Palæstræ progymnasmata (sic enim appellare lubuit) studiosum eloquentiæ deducit, ut sunt Fabula, Narratio, Chria, Sententia, Confutatio, Confirmatio, Locus communis, Laudatio, Vituperatio, Comparatio, Ethopœja, Descriptio, Thesis, Legislatio.

Et primò quidem suis Aphthonium verbis in Romanum sermonem translatis audiemus. Deinde brevissimè obscuriora illustrabimus: nonnunquam paucis, diverso tamen charactere ad expositionem interjectis.

PROGYMNASMA I.

Fabula.

Aphthonius. ὁ Μῦθος ποιητῶν, *&c.*

A Poëtis quidem nata est fabula, sed Rhetoribus etiam in adhortationibus usitata. Est autem fabula, *sermo falsus sub imagine veritatem exprimens.* Nunc Sybaritica, nunc Cilissa, nunc Cypria à suis inventoribus appellatur: Vicit tamen consuetudo, quâ Æsopicæ ab Æsopo fabulatorum principe nuncupantur.

Fabularum genus unum Logicum, alterum Ethicum, tertium Mixtum est. Logicum seu rationale dicitur, cum homo quippiam agere fingitur: Ethicum seu morale, cum rationis expertibus mores tribuimus, Mixtum, in quo utrumque, hoc est ratione utens carensque fabula sociatur.

Sententia, cujus exprimendæ gratia fabula excogitata est, in principio posita προμύθιον, in fine ἐπιμύθιον dicetur.

COMMENTATIO *AUTORIS.*

Nihil hic obscurum est. Callidas alii fabulas *Cilissas* dicunt; molles Cyprias, vel Sybariticas; quod Cilices

dolosi & fraudulenti, Cyprii & Sybaritæ luxoriosi sint, ita jocosæ Milesiæ, qui reconditæ nihil sapientiæ possident, quales pleræque aniles ad colum natæ sunt. Æscopicæ verò seriæ ac sapientes, ob reconditam morum disciplinam, appellantur.

Ad genera quod attinet, in Rationalibus nonnunquam persona fingitur, ut Pamphilus amans; nonnunquam res, ut Hercules hydræ capita secans; nonnunquam utrumq;, ut Cupido sagitta amantis cor feriens. In moralibus, vel brutis personas actionesque tribuimus, ut muribus & ranis; vel inanimis etiam, ut Soli ac Vento, &c. In mixtis bruta vel res inanimas, unà cum hominibus, ut lupus cum pastoribus, de canibus à grege amandandis, paciscentes, inducimus.

PROGYMNASMA II.

Narratio.

Aphthonius.

Narratio est *expositio rei gestæ, aut quasi gestæ*, differtque à narrato, ut à poësi poëma, siquidem universa Homeri Ilias poësis, fabricatio verò armorum Achillis poëma.

Narrationum verò aliæ dramaticæ sunt, aliæ historicæ, politicæ aliæ. Dramaticæ rerum fictarum, Historicæ olim gestarum. Politicæ in concertationibus Rhetorum usitatæ sunt.

Sex autem veluti partes Narrationem comitantur. *Persona, res gesta, tempus circa quod, & locus in quo, & modus quo, & causa propter quam gesta sit.*

Virtutes Narrationis quatuor sunt, perspicuitas, brevitas, probabilitas & vocum proprietas.

COMMENTATIO.

Distinctio illa Narrationis & narrati, tum poësis & poëmatis parum apta est, rectius Scaliger lib. 1. poët. c. 2. poësin ad formam, poëma ad materiam refert; ita & narrationem nos formæ exponendi, narratum rebus expositis tribuamus, sive pars, sive totum intelligendum sit, cum & Aristoteles 3. Rhet. c. 13. διήγησιν parti significandæ adhibuerit.

Dra-

Dramaticas narrationes vocat, quales Poëtæ in theatris exponunt, ut in Tragicis Seneca, in Comicis Terentius produxit: Homerus etiam ac Virgilius secuti sunt, quas veri specie ornari sufficiet.

Historicæ narrationes quæ sint, minimè est ambiguum. Politicas, suo jure, illas vocat, quas in rebus controversis Rhetores, seu Oratores in civilium causarum tractatione producuut.

Partes Narrationis vulgato hoc carmine comprehendas. *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*

Virtutes illæ ad Narrationem requisitæ, quæ qualesque sint, in Palæstra styli, de Epistolis & Historia tradidimus: hic etiam *lib. 1. de elocut.* universè signamus.

PROGYMNASMA III.

Chria.

Aphthonius.

Chria est *res brevis memorabilisque personæ alicui autori aptè tributa.* Sic dicta, quod χρειώδης, hoc est, utilis sit.

Chriarum verò aliæ verbales, aliæ activæ, aliæ mixtæ sunt. Et verbalis quidem verbis rem utilem demonstrat, ut illa Platonis. Virtutis ramos sudore ac laboribus procreari. Activa verò actionem designat, ut Pythagoras quanta esset hominum vita, interrogatus, nonnihil comparens, repentè se abdidit, vitæ mensuram hoc spectaculo designaturus. Mixta utrumque, orationem & actionem complectitur, ut Diogenes adolescentulum deprehendens improbum, Pædagogo inflixit verbera; & *tu,* subjecit, *sic istum instruis?* Et hæc quidem Chriæ divisio est.

Capita autem quibus tractari Chria poterit, sunt encomium (*sive laus personæ*) paraphrasis (*sive expositio dicti factive*) causa (*sive ratio illius*) contrarium, simile, exemplum, testimonium veterum, brevisque epilogus.

PROGYMNASMA IV.

Gnome vel Sententia.

Aphthonius.

Gnome est dictio summatim ad quippiam cohortans, vel dehortans. Est enim sententiarum alia hortativa,

dehortativa alia, denique & enuntiativa, rursum alia simplex, composita alia; demum alia verisimilis, alia vera, alia est hyperbolica.

Hortativa est. *Venientem oportet amplecti hospitem, abire volentem dimittere,*

Dehortans illa. *Qui regit, hunc totam vitiosum est stertere noctem,*

Enuntians vero. *Pecuniis opus est, sine quibus nihil necessariorum recte expediveris.*

Simplex. *Optimum id auspicium patriam defendere terram,*

Composita. *Multos esse malum Reges, Rex unicus esto.*

Verisimilis. *Quales amicos quisque habet, talem scias.*

Vera. *Expers malorum vita nulli contigit.*

Hyperbolica. *Nil homine infirmum magis est, quod nutriat orbis.*

Tractatio sententiæ eisdem, quibus Chira, capitibus constat: ut encomio, expositione, ratione, contrario, simili, exemplo, testimonio, epilogo.

Differt Gnome, *vel sententia,* à Chria, quod hæc aliquando in actione, illa semper in dictione consistat. Deinde quod Chria semper cum autoris persona; Gnome sine persona efferatur.

COMMENTATIO.

Magna ratio hæc progymnasmata seorsum tractandi nulla suppetit, cum discrimen illud Chriæ & Gnomes, quod Aphthonius statuit, nihil ad diversam scribendi dicendique methodum faciat, nisi quod in Chria laudetur dicti factive autor in exordio, in Gnome sapientia utilitasque sententiæ. Causam tamen hujus divisionis eam habuisse videtur, quod sæpe contingat in sententia nullum inesse pondus, nisi gravis aliquis autor factumvè accedat. Ut si dicas, μέτρον ἄριστον, *mensura optimum*, nisi enim hoc dictum Cleobuli unius Græciæ Sapientum esse dixeris, magnum hujus effati pondus futurum non est; cum multos contradictores habere possit. At si illud protuleris: *consilium malum, consultori pessimum*, licet nullius autoritas accesserit, fidem existimationemque habiturum est. Hæc igitur causa est, cur illic à laude autoris; hic ab ipsius sententiæ varietate dicendi capiatur exordium.

Capita

Capita verò, quibus tam Gnome, quàm Chria tractatur, hoc versu comprehendi possunt.

Laus, dictum, ratio, contra, par, actio; testis.

Per dictum intelligo expositionem dicti aut facti, cætera facilè patebunt.

PROGYMNASMA V.

Confutatio.

Aphthonius.

Confutatio est *præposita cujusque rei eversio.* Illa verò confutanda erunt, quæ nec evidentia nimium, nec planè impossibilia, sed mediæ conditionis sunt. Oportet autem confutaturos primò reprehensionem in autores stringere; Deinde expositionem rei subjicere: Denique his capitibus subvertere, ab *obscuro*, *non verisimili*, *impossibili*, *non cohærente*, *indecoro*; ac demum *inutili*. Hoc progymnasma omnem prope ætatis hujus vim comprehendit.

PROGYMNASMA VI.

Confirmatio.

Aphthonius.

Confirmatio, est *proposita cujusque rei probatio*. Confirmanda verò sunt, quæ nec manifesta nimium, nec planè impossibilia, sed medii ordinis videntur. Confirmaturi autem capitibus Refutationi utentur contrariis. Primò enim autorem laudabunt; expositionem deinde rei adjungent; denique oppositis probationis locis utentur; *perspicuo* pro obscuro, *verisimili* pro non verisimili, *possibili* pro impossibili, *cohærente* pro non cohærente, *decoro* pro indecoro, *utili* demum pro inutili. Et hæc exercitatio omnem artis vim complectitur.

COMMENTATIO.

Nec satis apparet cur inter singularia progymnasmata Confirmatio & confutatio ab Aphthonio in tam arctis inventionis terminis constringatur; cum omnis oratio, quæ vel suam probat sententiam, vel adversariorum rejicit, ad hanc classem pertineat. Quare hæc exercitatio Rhetorum præcipua est, & quidquid argumentorum ex fontibus primo libro à nobis demonstratis redundat, ad hanc jure derivatur.

Si quis tamen his Aphthonii locis inhærere decreverit, versu isto uti poterit.

Clarum, credibile est, non implicat, atque cohæret,
Et decet, & prodest. Contraria quaque refutant.

Adversus propria tamen autor præcepta peccat, cum *Daphnen in laurum conversum esse ab Apolline*, pro Confirmationis exemplo adducit.

Neque enim illud aut clarum, aut verisimile, aut utile. Refutationi magis idoneum est, cum opposita magis esse veritati consentanea videantur. Aliud, quod de Arione Citharœdo Commentatores ex Herod. libro primo longè est aptius: cùm similem penè referat historiam Plinius Secundus in suis Epist. ut iccirco in partem utramque probabilibus argumentis certari possit.

PROGYMNASMA VII.

Locus communis.

Aphthonius.

Locus communis est *oratio extollens illa, quæ rei cuique insunt: bona aut mala,* dictus communis, quod omnibus ejusdem generis rebus conveniat, ut oratio in proditorem, universis proditionis reis aptari potest. Est verò generali argumentorum repetitioni, seu conclusioni similis, ideoque exordio destituitur.

Exercitiorum tamen, & juventutis causa, exordium præmittimus, cui hæc capita subjicies, primum à contrario; cui expositionem, non docendi, sed incitandi autoris causa addes. Deinde comparationem institues: quâ rem, de qua agitur, ex collatione extollas. Postea collocabis sententiam, vel mentem agentis, ad ipsum reprehendendum inducta. Denique conjecturis quibusdam ad ante actam vitam perstringendam digredimur, cum misericordiæ exclusione. Tandem in fine progymnasmatis usitati loci adhibentur: Legitimum, justum, utile, possibile, honestum, consequens.

COMMENTATIO.

Pugnare in his præceptis secum autor videtur; ut idcirco & ipsi cum illo interpretes in tenebris luctentur. Nam cum definitione, quæ satis idonea est, non conveniunt illa, quæ de ipsa exercitatione suis partibus explicata subjicit; cùm

cùm hæc sola extollant illa, quæ cuique rei insunt mala, nam ex producta explicataque agentis sententia, illum vult reprehendi, vult perstringi anteactam vitam, vult excludi misericordiam. Cui exemplum de Tyrannidis affectatione respondet, quod interpretes secuti paria de sceleribus subjiciunt, ut si virtutum ac laudabilium rerum nullus possit esse in loco communi usus, quod certè absurdum est. Quare ut insistant Definitioni, bona non minus, quàm mala admittent. Et loco communi non minus omnes inveniendi fontes (si adjuncta quæ ferè singularium sunt, demus) quam singularibus indulgebunt. Quæ de expositione, sententia, vita anteacta, misericordiæque excusione adducit, non tam ad utilitatem profectumque, quàm ingeniorum tormentum, & desperationem hujus facultatis ab adolescentibus obtinendæ spectant. Cætera, si velis, hoc versu colliges.

Legitimum, justum, volupe est, decet, utile, promptum.

PROGYMNASMA VIII.

Laudatio.

Aphthonius.

Laudatio est *oratio exponens cujusque rei bona.* Encomium à Græcis dictum, quod olim *in pagis* (ἐνκώμαις) laus decantaretur. Differt autem ab hymno & prædicatione, quod hymnus Deos extollat, encomium mortalibus tribuatur, prædicatio (ἔπαινος) laus brevis, Encomium quoque ex arte concinnatum sit.

Laudari verò solent personæ, res, tempora, loca, animalia bruta ac demum stirpes. Personæ ut Thucydides, vel Demosthenes: Res, ut justitia, vel temperantia: Tempora, ut ver, æstas: Loca, ut portus vel horti. Bruta animantia, ut equus, aut bos: Plantæ ut vitis aut oliva.

Laudamus autem & universè & singulatim. Universè quidem ut omnes Athenienses; singulatim unum Atheniensium. Et hæc quidem encomii divisio est.

Tractabis verò per hæc capita.

1. Exordium sumatur rei, quam sumes, accommodatum.

2. Genus ſubjicies, quod dividitur in gentem, patriam, majores, parentes.

3. Subjungetur educatio, quæ continetur inſtitutione, arte, & legibus.

4. Conſiderandæ ſunt res geſtæ tanquam laudationis caput, quas diſtribues ſecundum animum, corpus, & fortunas: animi eſt fortitudo & prudentia; corporis pulchritudo, velocitas, robur: fortunæ, potentia, divitiæ, amici.

5. Comparationem inſtitues, ut ex collatione alterius extollatur.

6. Epilogo, ſeu magis voto, concludes.

PROGYMNASMA IX.

Vituperatio.

Aphthonius.

Vituperatio eſt *oratio exponens cujuſque rei mala*, differt à Loco communi, quod hic pœnas expoſcat, vituperatio tantùm reprehendat.

Diſtribuitur eiſdem capitibus, quibus encomium, cum eadem, quæ laudantur rerum genera, vituperari queant, Perſonæ & res, tempus & locus, bruta animantia & plantæ, Idque tam universè, quàm ſingulatim.

Poſt exordium, genus proſequeris, eâdem, quâ in encomio, ratione. Addes educationem & res geſtas, comparationem atque epilogum inſtitues: quemadmodum in laudationibus præceptum eſt.

COMMENTATIO.

Hæc plana ſunt, & cum Ariſtotele, Cicerone aliorumque Rhetorum præceptionibus conveniunt; ſi illa quæ eſt loci communis, & vituperationis diſtinctio Aphthonio propria, ut par eſt, negligatur.

Illud verò etiam obſervandum, non niſi *perſonæ* laudandæ repræhendendæq; capita ab illo præſcribi, idque & parcè ſatis, & obſcurè, cum dona *corporis & fortunæ* hic ſpectanda ſint, prout quiſque malè aut bene his uſus eſt. Nos copioſiorem laudis materiem libro 1. cap. ſexto & ſeq. ſuppeditavimus.

PRO-

PROGYMNASMA X.

Comparatio.

Aphthonius.

Comparatio est oratio ex collatione rerum compararum, aliquid vel majus, vel æquale declarans. Oportet verò in comparatione vel bona bonis. vel mala malis, vel mala bonis, aut parva majoribus conferre. Et prorsus comparatio, vel geminam laudationem, vel certè laude permistam continet. Ex comparatione autem accrescit orationis vehementia; præsertim si minora majoribus conferantur. Eædem verò res comparationem admittunt, quæ laudis & vituperii capaces sunt, ut personæ, res, tempora, loca, bruta, & plantæ.

Non convenit autem comparantem totas res conferre totis; hoc enim supinum atque inefficax, sed pars parti opponenda est, quod inprimis est acre. Porrò tractari suis partibus, ut laus quædam, solet, estque hoc gymnasma in sola collatione positum.

COMMENTATIO.

Obscurior hic Aphthonius in fine est, qua adstringere rationem comparandi, aut tractandæ comparationis, ad encomii tractationem videtur. Sed latius omnino patet comparatio, perque omnes dicendi formas extenditur, sive laudes, sive repræhendas, sive doceas, sive moveas comparationi ubique locus est, potissimum tamen in genere exornativo versatur, ut ipsa definitio divisioque hic ab Aphthonio producta abundè testatur.

PROGYMNASMA XI.

Ethopœja.

Aphthonius.

Ethopœja est *imitatio morum personæ propositæ.* Tres illius sunt species Idolopœja, Prosopopœja, Ethopœja.

Et quidem Ethopœja notam inducit personam, cujus mores solum effingit, unde ἠθοποιία morum fictio nominatur,

minatur, ut cum fingis quibus verbis Eurystheo imperanti occurrerit Hercules, ubi liquet quis sit Hercules: mores verò dicentis fingimus.

Idolopœja verò notum quidem, sed jam defunctum, & loqui impotentem inducit hominem, ut Eupolis in Comœdia ἐν δήμοις, Aristides ἐν τῷ ὑπὲρ τῶν τεσσάρων, unde εἰδωλοποιία simulacri fictio dicitur.

Prosopopœja omnia fingit & mores, & personam, quale argumentum Menander finxit, in quo res quidem, non tamen persona ejusque mores veri sunt: Unde προσωποποιία fictio personæ dicta est, quod præter mores persona fingatur. Et hactenus quidem de illa divisione.

Jam verò Ethopœjæ aliæ sunt patheticæ, aliæ ethicæ, mixtæ aliæ. Patheticæ affectus & commotiones animi continent, ut si Hecubam Troja eversa loquentem inducas; ethicæ solos mores exprimunt, ut si ruri educatum ad primum maris conspectum sua sensa promentem audias. Mixtæ effectus moresque conjungunt, ut si occiso jam Patroclo Achillem de bello deliberare facias: in deliberatione mores, in amici obitu deplorando, affectus eminebunt.

Tractabis verò Ethopœjam genere dictionis perspicuo, brevi, florido, soluto, atque à dicendi circuitu figurisque remoto. Capita divisionis tribus temporibus, præsenti, præterito, & futuro absolves.

COMMENTATIO.

Hoc progymnasma à Rhetoribus inter figuras numeratur, estque nihil aliud, quàm descriptio morum, sive veræ illi sint, sive personæ fictæ.

Rhetores multi sub prosopopœja etiam idolopœjam comprehendunt, quos, compendii in præceptionibus sectandi gratia, secuti sumus. Cætera obscuritatem non habent, nisi quod ethopœjam semel universè, prout etiam personæ fictionem comprehendit, iterum verò strictius, prout solos spectat mores, accipiat. Illud fortè etiam non satis assequaris, quomodo præterito ac futuro, in hac descriptione morum, tempore utendum sit. Ubi observandum hoc in affectibus exprimendis potissimum valere

valere, cum tempus alterum cum altero collatum ad majorem energiam facit, ut si Hercules in *præsenti* infelicem statum suum, dura heri imperia, labores & discrimina conquerens, illa quæ *præterita* sunt, Junonis iram, immissos serpentes, objectos tyrannos, partam aliis quietem in memoriam revocet, de *futuro* verò inquirat, quis denique modus finisque exspectandus sit, annon flectendi aliquando Superi, an ab ipsa morte quærendus exitús? quæ Seneca in suo Hercule disertè est prosecutus.

PROGYMNASMA XII.

Descriptio.

Aphthonius.

Descriptio est *oratio deducta, oculis rem explicatè subjiciens*

Describuntur autem personæ, res, tempora, loca, bruta ac plantæ.

Persona, ut Homerus in Odyssea ad Eurybaten.

Ora niger, curvusque humeros, crispusque capillos.

Res, ut navales pedestresque pugnæ, historico usitata.

Tempora, ut veris æstatisque amœnitas, tanquam pictis in oratione floribus adumbrata.

Loca, ut Thucydides portum Thesportarum Chimerium descripsit.

Describentibus *personas* à primis ad última, à capite ad pedes procedendum est. *Res* ab antecedentibus, iisque quæ insunt, quæque ab illis proveniunt; *loca & tempora* ab iis, quæ complectuntur, describenda sunt.

Descriptionum aliæ simplices, aliæ compositæ sunt. Simplices erunt; ut si pedestres navalesque pugnas explicent. Compositæ; ut si res temporaque conjungant, quod Thucydides fecit, cum nocturnum in Sicilia prælium describit, simul & pugnæ & noctis imaginem complexus.

Oportet verò describentes tenuem adhibere characterem, varietate tamen figurarum cultum, universèque res, quas describunt, imitari.

COM-

COMMENTATIO.

Progymnaſma hoc obſcurum non eſt, perquam verò ad eloquentiam utile. Convenitque cum hypotypoſi, quam inter figuras Rhetores collocant, niſi quod latius aliquantò patere videatur: cum hæc potiſſimum moribus geſtisque hominum; illa rebus etiam temporibuſque, ut vidimus, aptetur, nihil enim eſt, quod deſcribi non poſſit. Sed alibi de hac diſertius

PROGYMNASMA XIII.

Theſis.

Aphthonius.

Theſis *eſt rei alicujus in deliberationem adducta diſquiſitio*, aliæ autem theſium civiles ſunt, contemplativæ aliæ: civiles de actione ad vitam politicam ſpectante habentur, ut ſitne ducenda uxor, navigandum, urbs munienda? hæc enim omnia vitam civilem ſpectant. Contemplativæ ſunt, quæ ſola contemplatione mentis abſolvuntur, ut, cœlumne rotundum ſit? an plures mundi? hæc enim non ad opus hominum, ſed contemplationem ſpectant.

Differt autem theſis ab hypotheſi, quod hypotheſis ſuis circumſtantiis definita eſt, theſis abſoluta. Ad circumſtantiam perſona, negotium, cauſa, &c. ſpectant, ut, ſintne mœnia extruenda; diſquiſitio eſt ſine perſona; an verò Lacedemoniis adverſus impetum Perſarum, Sparta muro cingenda ſit? hypotheſis eſt, perſonam habens deliberantium Lacedæmoniorum, & ſingulare negotium muniendæ Spartæ, cauſam verò invaſionem Perſarum.

Eſt autem theſis progymnaſma primum, quod in diſſertatione objectionem ſolutionemque admittit.

Ita verò diſtribuitur, ut principio introitus, id eſt, exordium ſit, deinde uteris capitibus uſitatis, legitimo, juſto, utili, poſſibili.

COMMENTATIO.

Exercitatio in Theſi utilis eſt juventuti, quia majorem illa univerſalium, quam ſingularium cognitionem aſſequitur, cum hæc ab experientia pendeat.

Eſt verò inter Theſin & locum communem magna affinitas;

nitas; quod uterque res à suis abstractas circumstantiis universè consideret, quæ deinde pluribus singulatim, iisdem, quibus tractantur, argumentis applicari possunt. De utriusque verò natura & differentia suo inferius loco agemus pluribus.

PROGYMNASMA XIV.

Legislatio.

Aphthonius.

Legislationem quoque nonnulli inter progymnasmata retulerunt. Est enim ferè quædam hypothesis. quamvis non omnes leges hypothesis. Introducitur quidem persona, sed non omnibus nota, ideoque thesi quam hypothesi est proprior. Prout enim personæ rationem habet, thesin transgreditur, at ut manifestè circumstantiam non exprimit, ab hypothesi discedit.

Legis verò inductio duplici exercitatione fiet. Confirmatione legis latæ, vel illius confutatione. Est autem lex inventio & donum Deorum, ad constitutionem civitatis, & correctionem hinc & inde erratorum. Et hæc legis inducendæ distributio est.

Tractabis illam capitibus iisdem quibus thesin, legitimo, justo, utili possibili. Exordium pones, & postea contrarium, deinde prædictis uteris capitibus, ut hac in parte à thesi differat.

COMMENTATIO.

Legislatio personam vel autoris, qui tulit, vel hominum quibus fertur, involvit, ideoque adstrictior est, quàm thesis. Si hæc ultima tamen persona spectetur, cum vaga sit, minus adstricta, quàm hypothesis est, ut Julius Cæsar de adulteris occidendis legem tulit, ubi adulter persona vaga pluribusque conveniens est. Cùm verò lex talis est, de qua in utramque partem agitari potest; ut rogandàne sit, an abroganda? tum hujus progymnasmatis locus est. Talis illa est, quod adulter deprehensus statim occidi possit: Et lex Oppia, quæ mulieribus rhedas prohibuit, & Volumnia, quâ cautum, ne qua mulier hæres institueretur. Sed cur legislatio in exercitationibus hisce ab hypothesibus separetur, non magna est oratio, planè etiam difficilior est, quam ut inter progymnasmata numerari mereatur.

OB-

OBSERVATIO ET CENSURA *AVTORIS.*

Brevi perspicuaque, quantum mihi ex Græcis licuit, expositione Aphthonium dedi. Exemplis quæ plerisque locis adjecit præteritis, quod his longè absolutiora, magisque ad profectum usumque studiosorum accommodata ex Maximo, Cicerone aliisque daturus essem. Multum verò huic post alios Rhetores autori in progymnasmatum instructione debemus, quod, de his præcepta nemò meliora reliquerit.

Quæ potissimum causa fuit, cur hæc ipsius etiam autoris sententia tradere placuerit. Quæ tamen universè ea moderatione accipienda censeo, qua ad Aristotelis Ciceronisque, atque illas, quas libro 1. tradidimus præceptiones accedunt. Nam ut in plerisque Aphthonii disciplinam amplector; ita probare non possum, quod in multis eam tractandi rationem instituat, quæ apud Oratores Scriptoresque alios usitata non est. Quis enim ea lege, qua ipse præscribit fabulis utitur? Confirmationes, confutationes & locos communes aut tractat, aut circumscribit?

Verum hæc aliaque in ipso decursu breviter censui, ut qua arte sequendus maximè, quàque etiam negligendus sit, candidatus eloquentiæ intelligat.

Nimia enim onerari præceptorum mole, quæque apud diversos diversa sit, nihil tamen commodi singularis oportet, hoc confusionem denique fastidiumque generat. Nobis iisdem, quos principio libri 1. excitavimus fontibus ubique, in hac etiam varietate insistere decretum est, cum quibus nihil magis ex Aphthonio quam Chriæ sententiæque tractatio conspirat.

CAPUT X.

De exercitationibus primi generis, quæ in fabularum aut historiarum expositione consistunt.

PRimi generis exercitationes, tanquam eloquentiæ quædam præludia aggrediamur. In fabularum illa atque historiarum narrationibus consistunt. Quarum expo-

sitio vel simplex brevisque, quâ summam quandam rei complectimur; vel prolixior & descripta per adjuncta rerum, institui poterit. Ab illa ab hanc transeundum videtur. Quare utriusque exempla pauca dabimus, ubi primùm de usu atque utilitate fabularum nonnulla præmisero.

§. 1.

De fabularum tractatione.

Fabulæ historiarum in modum exponuntur, etiam illæ quæ manifestam præ se fictionem mentis ferunt; ut sunt Ethicæ de brutis; Mixtæque, quæ hominibus simul inductis, ad aliquam sententiam animi declarandam usurpantur. Ita Homerus Batrachomyomachiam, hoc est, Ranarum Muriumque pugnam, tanquam hominum inter se bello congredientium, lepidissimo poëmate descripsit. Ut igitur eadem historia, & compendio sine adjunctorum expositione, & prolixius cum eadem; sic & fabula narrari potest.

Causæ cur fabulæ manifestæ, velut historiæ, exponantur; una quidem est, quod aptâ quadam fictio hæc nitatur similitudine, quæ ad persuadendum idonea sit, ac sæpe rem oculis, clarissima quadam in luce, & tanquam vivo adumbratam colore objiciat; ut & altissimè veritatem sub hoc velo reconditam insigat animis, & sine difficultate assensum impellat. Cujus generis quædam postea exempla daturus sum. Altera causa est, quod cum voluptate quadam audientium illabatur animis præsertim vulgi atque adolescentum, qui novitate illa capti detinentur, quamque dormitantibus erant animis veritatem, sine hoc fuco, accepturi; hanc illo melle illitam cupidè hauriant.

Quare & nonnunquam ex apta rerum naturalium similitudine, aut etiam disparitate, vel convenientia simul & pugna, hæ fabulæ ab Oratore recens concinnandæ sunt, ut inexspectata novitate captos teneat. Quod non omnino difficile futurum est, si quemadmodum ex aptis illas similibus Æsopus, Gabrias, Phædrus aliique collegerint, observetur. Ex quibus plura exempla in *Speculo figurat. imaginum*, lib. cap. 9. & 10. collegimus.

His enim rebus, unde convenientia aut disparitas sumitur, si vitam personamque humanam (modò eis careant,)

leges, facta hominibus similia tribueris, compones fabulam. Qua in re illud maximè jucundum esse solet, quod & maximè congruit, & minus solet esse exspectatum, ut enim hæc in symbolis alibi maximè delectare ostendi, ita & in fabulis, quæ symbolica imagine inprimis animantur. Quod deinde in comœdiis gratissimum est, ut varia implicatione ductæ suspensum auditoris animum, inopinato denique eventu feriant, hoc in illa quoque fabularum constructione, quæ affinitatem quandam habet, solet evenire: ut avida totum mente auditor hauriat, dum optatam denique conclusionem excipiat.

Utrumque Homerus in sua Batrachomyomachia egregiè præstitit. Nam & personas Muribus Ranisque aptissimas, per ficta scitè nomina, tribuit, & consilia & arma, locumque pugnæ convenientem, & ingressum belli novum atque insolentem, & progressum ancipitem, exitumque magis etiam, per interventum cancrorum, inspectatum. Age strictim primò, mox eandem etiam fabulam cum Homero fusius exponamus.

§. 2.

Brevis fabulæ Homericæ de Bratrachomymachia propositio.

Mus felis sibi insidiantis ungues devitans ad Ranam pervenit, quæ illum, salutis & hospitii gratia, invitans, dorso excepit, ad medium lacus deferendum, verùm ubi progressi aliquantulum sunt, hydrus exerto super aquas collo utrisque metuendus imminebat. Quo conspecto, exterita Rana, Mure inter discrimen in summis aquis destituto, ad interiora sese lacus recipit. Quo casu Mus, frustra aliquamdiu cum aquis luctatus, denique mersus est. Unde hostile odium bellumquem inter Mures reliquos & Ranas exarsit, quod cum utriusque partis clade gestum, per Cancros denique in Ranarum opem adventantium, his victoribus, est absolutum. *Quod docemur, quam inconsulta inter homines bella, non nisi utriusque partis clade finienda, suscipiantur.*

§. 3.

De ratione hujus fabulæ prolixius exponendæ.

Ut prolixius hæc fabula exponatur. *Personæ, res gestæ, tempus*

tempus, locus, modus & causa expenditur, quæ vulgato continentur versu.

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Non quo ubique singula (ut nec Homerus in proposito fecit exemplo) sed præcipua & maximè opportuna, ad rei illustrationem consideranda sint.

Hæc verò quemadmodum expendenda sint, libro 1. cap. 3. de fontibus inventionis tradidimus, præsertim in fonte 1. & 5. Homerus id fecit poëticè, nos oratoriè; sed paucis rudique Minerva præstemus.

Longior ejusdem fabulæ Oratorum expositio.

A laude brevi autoris vel sapientis inventi exordieris, cum epimythio, seu fabulæ brevi expositione.

Summus ille Poetarum Phœnix Homerus, ut multa sapienter, quæ ad principum virorum institutionem spectarent, gemino in opere, Iliade & Odyssea, posteritati reliquit; ita minimè contemnendum poema vulgavit, quo sub fabulosa Murium & Ranarum inductione docuit, quàm temere nos mortales in bella ruere, quantoque utrarumq; partium exitio ea gerere soleamus, non absque Superum, de cœlo hanc nostram insaniam spectantium, ludibrio.

Descriptio per adjuncta.

Quis? Mures principio levi de causa in Ranas concitatos memorat. Nonnemo Murium Psicharpax à micarum raptu nuncupatus, fugâ felis insidias declinans, ad lacus ripam accesserat, juxtaque sitim ac fatigationem, hauftâ aquâ, levaturus constiterat; quem ubi Physignatus (a) Rana conspicata esset, genusque non ignobile, tum verò discrimen vitæ didicisset, hospitium illi aquarum, dorsumq;, quo veheret, amicè obtulit.

Quid? Nec detractavit Mus obsequium, excipitur mollibus Ranæ humeris, ferturque primò insolita natatione lætus. Verùm ubi spargi aqua vento, Ranaque nonnunquam subsidere natatu altius, postremò etiam postquam hydrus ipsi infestus apparuisset, prorsus Rana sese ad tutiorem lacus recessum cœpit subducere; tum fera nequic-

(a) *Inflans buccas.*

quicquam facti pœnitentia, opem inclamare, obluctari, mergi aquis, rursumque victor emergere: donec madido gravanteque pilo, ac viribus sensim fractis, undisque vincentibus, hausta aqua animam interciperet.

Cur? Erat Lichopinax *(a)* Murium alter in ripa spectator cladis, qui ad partem Toxarten (*b*) reliquosque sui generis mortui Psicharpagis nuntium detulit, quæ res Mures universos, Toxarta Duce, ad arma concitavit, jactantes: hanc nequaquam fraudem perfidiamque Ranas impunè laturas; esse sibi vires animosque, quibus tantum fas sit injuriam vindicare: indignum esse, ut siquidem in fidem domumque receperis, hunc deinde hospitii jure violato, turpiter destituas, atque in extremam perniciem præcipites: exemplum esse paris in cetos perfidiæ liberius usurpandæ, nisi pœnis debitis occurratur. Tangebat illos Toxartæ infelix orbitas, qui filiorum alterum, in venatione Cattorum, alterum lignea in decipula incautè deprehensum amiserat.

Quomodo? Ergo miles conscribitur, & sua quisque arma ad certamen cum Ranis ineundem comparat. Et primò quidem ne quod tibiis imbecillis immineret discrimen, fabarum, quas exederant, corticibus, muniebant crura, eveneratque fortuna, ut felis excoriatæ pellem deprehenderent, quam scissam primoribus dentium sibi in thoraces aptabant, pro clypeis deinde lucernæ medius umbelicus, pro hastis acus erant, denique capita testæ nucum pro galeis cingebant. Quæ, ut latere non poterant, ita Ranas quoque impar belli armorumque consilium pertraxêre, nec defuit à Muribus Tyroglyphi (*c*) filius submissus nuntius, qui ad certamen provocaverit. Turbavit ea res principio Ranas, seque etiam palam Physignatus innoxium in crimen perfidiæ vocari testatus est, non enim sibi hanc cladem, sed fortunæ imputandam. Verum, agite, inquit, commilitones, Dii bonæ causæ favebunt, vim vi opponamus, comparemus arma, campus nobis ad bellandum optatissimus contigit, facilè infestum illud nobis Murium agmen in ruinam impellèmus. Consilium in promptu est. Stabimus juxta ripas in ordinem aciemque distributæ, suis quique accinctæ armis, operie-mur

(*a*) *Lambes paropsides.* (*b*) *Vorator panis.* (*c*) *Excavans caseum.*

mur hostis impetum, cominusque quam primum congressæ, implicatæ illorum armis, nobiscum per lubricas declivesque ripas in lacum præcipites devolvemus. Plana nobis res, neque expeditu difficilis, modò arma animique non defuerint. Placuit, lætæque Ranarum turmæ ad arma provolabant. Malvarum foliis circumopertæ sunt tibiæ; virides in thoracas, brassicarum folia in clypeos versa sunt; acutus pro lancea juncus fuit, capitaque subtilioribus inserta sunt cochleis: ut utrumque hoc armatorum agmen ipsi de cœlo Dii intuentes risum non tenerent.

Ita postremò ad mutuum venêre conspectum, & velitatione levi inter nonnullos excursores prævia, plenis denique castris est concertatum. Quæ hic datæ acceptæque clades, quot generosæ bellantium animæ, aut ferro inflicto exturbatæ, aut aquis haustæ, aut tenaci immersæ limo, non facilè percensendo assequaris. Artophagus (a) ac Tyroglyphus murium principes cecidere cum plurimis suorum.

Quibus auxiliis? Verum ubi desperata eorum res visa est, Meridarpax (b) subsidiaria sociorum cohorte adfuit, labantemque exercitum restituit, omnibus Ranarum copiis metuendus, fuissetque eo die, præcisa jam ad lacum via, de Ranis conclamatum, nisi Jove miserante excitum à rivo vicino horribile, militum genus, dura tergus incude armatum, oblongis recurvisque munitum falcibus, quas Persarum esse acinaces crederes, ferrugineâ accinctum casside, ac loricata cauda, qui latis fulgentes per humeros armis, octonis ingressi pedibus, nova arte Parthorum, retrocedendo pugnarent. Cancros, una voce antiquitas appellavit. Hi natura ad pugnam prædamque nati, nec tutò quidem apprehendi ab hoste possunt; ita etiam dum stringuntur, fortiter stringunt. Illi igitur immixti in acie bellantium, dum cedendo Mures in congressum trahant, pedes caudasque illorum falcato ore, brachiisque præputabant, ut ad pugnam inutiles conciderent, ac plerique ruentium clade territi, de fuga ac salute soliciti, victoriam Ranis ultimam relinquerent.

(a) *Vorans panem.* (b) *Rapiens particulas.*

Quando? Etenim sole sub occasum vergente, cum jam major etiam quaqua versum afflueret Ranarum copia, magnóque clamore conterritis jam Muris insultarent: hi metu ac desperatione victi, culicumque magnis tubis insonantium strepitu, ac Jove etiam de cœlo intonante consternati; aut oppressi metu armisque hostilibus concidêre, aut turpi effugio morti subducti sunt. Ranis inter hæc læto plausu victoriam concinentibus, quem hodiedum sub crepusculum vespertinum æstate, quâ hæc peracta sunt, etiamnum, magno coaxantium gaudentiumque sonitu frequentant.

Epimythii,

Seu expositionis in fabula latior diductio.

En, ut vir ingeniosissimus sub hujus involucro fabulæ, stultam mortalium ad bellandum libidinem, infelicesque plerumque atque insperatos bellorum exitus complectitur. Caussa præliorum sæpe nulla, aut certè vana, facilique partium, nisi mutuò inviderent, compositione vitanda. Sed cum alienæ inhiamus fortunæ, cum nostris minimè regnis acquiescimus, cum mari juxta terraque dominatum prensamus, plusque etiam quàm æquo imperio administrari possit, infinita cupididate ambimus, quælibet nobis causa ad aliorum oppressionem sufficit; arma rapimus, socios ad bella concitamus, fas nefasque ad nostram ambitionem fovendam confundimus: propria relinquimus, ut aliena occupemus; sed sæpe & propriis excidimus, & aliena non tenemus: opes nostras profundimus, ut vicinas invadamus, utrisque non rarò privandi. Denique cum possessiones vitamque inimicorum petimus, multa hominum millia nobiscum sæpe pessessione omni vitaque excidunt. Spoliamus & spoliamur, vulnera damus, & accipimus, vitam (hæc omnium bellantium sors est) cum nonnullis hostium extorsimus, nostram plerumque morte aliqua infelici terminamus. Quotuscunque militantium adeò felix extitit, ut quæ periculosis votis prensavit, quæ tot laboribus, per mille discrimina, secutus est, hæc denique tranquilla possessione sit assecutus? Et quid demum in

Supe-

Superûm conſpectu, hanc noſtram de cœlo amentiam, non ſine riſu ſpectantium, eſſe videmur? Quod nobis Mures Ranæque pugnantes, hoc nos illis; quod ridicula illorum arma, hoc noſtræ illis machinæ; quod mutuæ illorum inſidiæ, quod vires, quod copiæ, quod prælia, uno Jovis fulmine diſturbanda, hoc noſtræ artes, vis, audacia, ferocia; ridenda atque explodenda uno Divorum Deique immortalis nutu. Et, ut quisquam ſit, qui cum virtute, cum gloria, cum felicitate prælietur, qui faventibus etiam ſuperis, de obtenta plaudat victoria: ingratus tamen illo multis mortalibus, ipſeque Deo plauſus eſſe debet, qui ab hoſtilibus profectus odiis, qui tot impenſis miſerorum emptus, tanto multorum cruore irrigatus, tot pereuntium exitio comparatus eſt.

Concluſio. Hæreant intra ſuas Mures cavernas, neque aquarum dominatum inſana ambitione affectent, Ranæ ſuis ſeſe aquis contineant, nec terra velint dominari; alter nonnunquam alterum ad mutuam excurrere opem, ſine noxa, hinc ad terras, inde ad aquas patiatur. Non quærantur tam inanes diſſenſionum cauſæ, non tam perverſæ ad mutuum exitium machinationes, nemo exultet ſociorum interitu, & nulli ſuperûm vel riſum, vel indignationem movebunt. Similis ad nos ſapientum oratio eſt. Stent intra tributas ſibi à Deo poſſeſſiones quieti mortales. Sua quemque naſcendi conditio, ratioque vitæ, certis juſſit hæreditatis terminis conſiſtere, quod ſors, quod natura, quod ſuperi largiti ſunt, hæc æqua mente amplectatur. Satis eſt, quidquid neceſſitati eſt ſatis; cupiditatem, inſatiabilem belluam, nunquam explebit, arctis magis gaudebit in pace rebus, quàm in bello ampliſſimis. Aliena nemo impunè appetit, plerique cupitis excidunt, & vivendi ante, quàm cupiendi finem ſtatuunt. Bella raro ſine ſcelere ſuſcepta ſunt, rarius etiam terminata. Rectè Terentius.

Omnia prius experiri, quam armis ſapientem docet.

APPENDIX.

Hæc fabulas diducendi ratio præ reliquis amplectenda eſt, quas nonnulli in Apthonium Commentatores ſecuti ſunt. Nihil enim hic præterquam ſimilitudo cum

voluptate audientium exposita, tum verò facta ad mores applicatio spectanda est. Per cæteros verò communes locos effundi, fabulas alias historiasque in comparationem arcessere, non est huic instituto proprium, cum fabula historiæ tantùmmodo tractanda sit, ad cujus imaginem est efformata. Quare cum studiosi inprimis adolescentes hoc genere tractationum capiantur, quas facilius suis etiam adjunctis (quòd ex rebus obviis fabulæ desumantur) expendunt, nonnullas compendio recensitas adjiciam; ut has suo deinde marte latius prosequantur.

CAPUT X.

Fabulæ aliquot compendio exhibitæ.

I.

Menenius Agrippa plebem Romanam, orta seditione ob potentiam & opes nobilitatis, ab urbe digressam, hac fabula revocavit. Liv. Dec. 1. lib. 2.

TEmpore, inquit, quo in homine, non ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sensus fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio omnia ventri quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira, dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra, totumque corpus, ad extremam tabem venisse. Inde apparuisset ventris quoque haud segne ministerium esse: ne magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemusque, divisum pariter in venas maturum, confecto cibo, sanguinem. *Comparando hinc, quam intestina corporis seditio adversus ventrem similis esse ira plebis in Patres,* flexit mentes hominum.

Hæc Livius.

Latior expositio hac ratione instituetur.

Laudabis 1. Menenii prudentiam atque facundiam, 2. ad quæstio-

quæstionem *quis?* Dices hominis membra post aureum pacis atque innocentiæ seculum, primò secum ipsamet dissentire cœpisse, invidiâ mutuâ primam concordiam turbante. Ubi pax antiqua membrorum cum præsenti discordia componetur.

Quid?) Membra igitur cætera, Duce rebellionis Capite, pedibus, manibusque in conjurationem adductis: hoc inter se mutuâ statuisse fide; nulli deinceps membrorum tribuendum quicquam opis nisi & ipsum laboris esset socium. Ubi consilia & deliberationes inducentur.

Cur?) Causam hujus fœderis habuisse illam, quod venter nihil ad opus commune omnium adferret commodi, solusque hoc maximè frueretur, quo loco interea ventris describi poterit.

Quomodo?) Abstinuisse igitur mutuâ ope, quam frustra ventre à Capite, àb ore, à Manibus Pedibusque blandis juxta verbis, minisque atrocibus postularit, implorando denique Deum hominumque fidem. Nec irritis votis, cum Macies ex orco erumpens gravissimè afflixerit, Morte jam imminente, nisi mutatis consiliis ad pristinum obsequium rediissent.

Applicatio deinde subjungetur.

Remp. corpori humano persimilem esse, in qua nobiles & opulenti, ventris instar, pleraque ad se reip. commoda derivent, otio sæpe ac voluptate fruantur, dum artifices tenuiorque plebs laboribus se cogitur impendere. Interea tamen, ut à ventre digesti cibi in sanguinem venasque transmittuntur, nervique illius virtute animantur, ita præcipuum reip. præsidium roburque in nobilitate procerum atque opibus ditiorum situm esse. Cum his igitur consentire plebem, æquum videri.

II.

Apologus in otiosos ludiones.

Culex hiberno tempore, famis imminentis metuens, frigorisque impatiens, à palustri loco ad vicinum agricolæ hortum concessit, repertoque illic Apum alveari, blando verborum strepitu admitti petiit, Apum lenioribus

pollicitus, illarum sese juventutem in arte musica gratuitò instructurum, modo hospitio communique pro laboribus mensa frui liceret. Cui nonnulla seniorum respondit. Malo aliam mea proles artem doceatur, qua se à famis frigorisque injuria tueri possit, ne alienis deinde hærere tecum ostiis stipemque emendicare cogatur. Optima ars est quæ suos cultores alit. Ita Musicus hic exclusus est.

Latius hac oratione diducetur.

1. Laudabis inventorem, quod is quicunque demum fuerit, ingeniosè quorundam vagorum hominum mores expresserit.

2. Ad quæstionem *Quis?* describes culicem otiosè in paludibus hærentem, & aliorum potissimum animalium gaudentem sanguine, invisum raptorem, futurorum minimè providum, *&c.*

3. *Quid?*) Hieme paludes relinquit, agricolæ hortum & alvearia Apum secutus, ubi, & hiemem, & hortum, alvearia, Apumque ordinem, & occupationes licebit describere. Tum culicem perorantem suamque jactantem artem inducere, contra Apem hæc aspernantem ac refutantem.

4. *Cur?*) egestatem & famem, ita efferatum Culicem mitigasse, atque ad has preces abjecisse dices, ubi quam multa doceat necessitas expones.

5. *Quomodo?*) Ostendes quomodo supplex rejectus, multorumque illi exprobatæ injuriæ, & crudelis ante hac vita. Ubi locus est docendi, illos qui in alios fuere immites, vix aliorum miserationem in calamitate mereri.

N. B. In hoc apologo *Applicatio misceri fere per singula membra poterit*, ut in 4. & 5. factum. Nam & primò illorum stultitiam licebit arguere, qui præsentibus cantum intenti, futuris minimè prospiciunt; Deinde quod inertem patris alieno labore frui iniquum sit. Deinde docere etiam, quod illi potissimum sit arti vacandum, quæ cum honestate nutriat.

III. *Apo-*

III.

Apologus Cyri Regis, quo pacem Jonibus, quam oblatam repudiaverant, serius postulatam negabat. Herod. lib. 1.

Tibicinem præter aquam commeantem aliquando substitisse memorant, utque suam piscibus testaretur benevolentiam, sibique atque illis commune gaudium pareret, jucundis ad saltum modulis tibiam inflasse; sed adversatos hanc gratiam pisces, ne se movisse quidem, ad tam festivum hospitis cantum lusumque, ejus verò rei causa indignatum Tibicinem, missa in præterfluentem sagena, brevi tempore non exiguum in hac piscium collegisse numerum, quos cum denique in ripam captos educeret, salientesque in reti passim intueretur. *Cum ante*, inquit, *ad tibiam saltare nolueritis, hic vobis nunc saltus parum profuturus est.* Quo Cyrus indicabat Jones serius de sua cogitare salute, & pacem optare, quam oblatam neglexissent.

Expositio ejusdem fusior.

1. A laude Cyri, non minus sapientis, quàm fortis Imperatoris: manu & consilio prompti.

2. Ad quæstionem *Quis?* Describit Tibicinem arte promptum, quem Arionis exemplo ductum, cui Delphini canenti adstiterant, idem voluisse experiri in minoribus dices piscibus.

3. *Vbi?* Locum amœnum, viridemque juxta fluvium piscosum ripam describes, licebitq; etiam philomelas mollius canenti applaudentes inducere, sed pisces his nihil blanditiis motos asseres.

4. *Quid?* Ut viridi reclinis in gramine tibicen modulos auspicatus sit, ut per omnem sonum variando duxerit, ut alias aliasque tentarit canendi artes, describes.

5. *Cur?* ut suam piscibus benevolentiam ostenderet, atq; illorum saltu mutuaque societate, ut Orpheus olim ferarum in sylvis frueretur.

6. *Quomodo?* ut denique indignatione orta, mutato consilio, injecta sagena invitos obluctantesque traxerit, ac serius denique

denique saltantes, cum aliis sociis ad spectaculum prædamque advocatis, riserit, &c.

Applicatio subjici gemina poterit.

Prima quidem Jonum stultè Cyri tot populorum victoris gratiam amicitiamque respuentium, cum viribus armisque longè essent impares. Præstitisse, insolentibus licet, & durioribus ipsius mandatis cum pace obsequi, quàm illius vim atque arma experiri, ac frustra libertate jam amissa, in servitute ipsius voluntati obsequi.

Altera esse generalior potest, prospiciendum omni in re, quid possit adversi evenire, ne serius denique mediis immersi malis, id frustra velimus aut agamus, quod si tempestivè actum esset, ad salutem prodesset. Ne illud in nos proverbium cadat, quod in Phryges & Jones, *serò sapiunt.*

IV.

Apologus, quo ostenditur, facilius esse consilium dare, quam exequi.

Mures aliquando graves Cattorum insidias, & tot suorum cladem pertæsi, indicta synodo, statuerunt ex communi sententia huic malo occurendum esse. Verùm diversis ultro citròque opinionibus re agitata, nihil consultius visum est, quàm ut nola ex collo felium appensa, insidiæ ad illius sonum, ubi ubi demum se movissent, paterent. Cumq; omnes in hanc convenissent sententiam Una denique ex senioribus assurgens, inquit; sed quis nostrum, ô fratres, nolam Catto appendet? Tum enim verò hæsere omnes, neque quisquam repertus est, qui hujus consilii exequendi discrimen adire vellet. Æqua igitur viribus consilia esse debent. Stultum enim est velle, quod exequi nemo possit.

Expositio ejus prolixior.

1. Ordieris ab ipso epimythio, sive illo quod per fabulam significatur. Ut quod prudentis viri non sit consilium, quod exequi nemo possit, agendi dare, aut capere, ut eleganti Murium fabula adumbratum esse asseres.

2. Quis?

2. *Quis?* Mures dices valde à Cattis insidiatoribus obsessos, multos suorum juniorum minus cautos amisisse, variis matrum querelis und quaque per antra exauditis.

Quando? hiberno id factum tempore, quando ruri omnia squalebant, factum memorabis.

Ubi? In cella penuaria, ubi se tutius conventuros speraverant, felibus inde seclusis.

Quid? Synodum habuisse asseres atque illic varias diversorum sententias esse auditas: ut rus migrandum esse, & abstinendum horreis, solariis: in penuariis tantum commorandum, quòd eò Catti rarò admittantur, &c. quæ ab aliis confutentur, ob sterilitatem ruris in hyeme, & penus angustias, Oeconomi vigilantiam, & dolosas muscipulas, &c. Tandem obtinuisse unius sententiam

Quomodo? De exequenda postremum sententia frustra deliberatum. Donec superveniens Oeconomus ex clavium strepitus agnitus consilium dissipavit.

Applicatio fabulæ ad mores.

Stultas sæpe vulgi querelas esse atque importuna consilia, quæ exitum sortiri non possint, quando adversus Magistratus & Principes suos quædam suis in officinis aut tabernis producunt consilia, quæ eventum expeditionemque, nisi periculosum, sortiri nequeant. Imbellium adversus potentes consilia plerumque vana sunt.

V.

Æsopus Apologorum ingeniosus artifex Samiis persuasit Præfectos veteres populi non facilè mutandos esse.

Vulpes in foveam inter paludes delapsa, cum è muscis obsessa teneretur, quæ cinxissent quaqua versum, haustoque jam sanguine, non tenuiter pastæ essent. Erinaceus vexatam misertus, suam arcendis tam importunis hospitibus operam Vulpi detulit, jamque explicatis aculeis lautè ex hac rapina pastas, aut ulturus, aut abacturus erat. Cum vulpes officium hoc deprecata. Sine, inquit, frater, satiatas atque

atque impinguatas abigere, ne aliæ impostæ & macilentæ succedant, quæ me totam denique exhauriant. Levius jam plenas sustinebo, quam exhaustas impletura sum. Ita Samios qui Præfectum suum peculatus damnaverant, mutatâ sententiâ, ad ipsius absolutionem convertit. Quod intelligerent, facilius se jam suis opibus ditatum sustinere deinceps posse, quam si alium ex tenuiori fortuna ad parem opulentiam adspirantem admitterent. Nimirum Muscæ esurientes alieno sanguine pascuntur avidius.

VI.

Apologus, quo suadetur non cujusvis familiaritatem & oblatam opem admittendam esse.

Lepus venaticorum timore canum in suo latebat hiberno tempore nido abditus. Erinaceus cui commodum minus eo tempore in propinquo diversorium obtigerat, id conspicatus, ad Leporem accedit, suam illi adversus canes opem defert, armatis sese spiculis infestos facilè hostes abacturum; sed Lepus principio detrectabat sui causatus niduli angustias. Tum verò Erinaceus exiguum sibi locum pro defensione sufficere, modò in extrema parte illum cesserit, nihil se præterea exacturum, acquievit demum Lepus, & accepit in angulo hospitem, qui primò quidem se continet, at sensim laxatis per corpus aculeatis setis, patientem leviora incommoda leporem, ad extremas nidi angustias coarctabat, idque se defensionis ac necessitatis gratia agere dictitabat. Sed Lepore fidem datam incusante, graviusque inter nimias angustias quiritante, quod in antiqua possessione ab ingrato hospite vim pateretur; Erinaceus denique respondit: Quod si illis suis angustiis minus acquiesceret, patere exitum: iret verò, ac de meliori sibi diversorio provideret, nihil se causæ habere cur ab opportuno loco discederet. Ita Lepus suam damnans levitatem, quod ignotæ fidei hospiti temerè salutem credidisset, documentum posteris reliquit, non facilè cujusvis opem societatemque admittendam esse; ne amicus plus ipsis denique hostibus noceat.

VII.

Apologus, quo Hymerensibus Stesichorus ostendit, inconsulte ab illis Phalaris potentioris Principis protectionem admissam esse.

Equus, ait, pristina adhuc in pratis libertate fruens, nullique jugo, aut habenæ obnoxius, dolebat infesta suis pascuis cervorum agminia imminere, & optimos quosque bolos præcerpere. Quare submovendi hujus consortii avidus hominem adit, oratque adversus cervos, ut sibi præstet suppetias. Non detrectat homo. Itur in consilium; quâ hoc optimè ratione impetretur, ut ne tam impunè in pascua irrumpant cervorum agmina? ac denique placuit, ut armatum suis hominem telis equus indorsum acciperet, atque habenas ore admitteret, quo consultam ab homine viam, directus ipse à prudentiore magistro capesceret. Ita adversus servos felici expeditione processum est, partim fuga, partim in prædam abstractis feris. Sed equo deinde pristinam libertatem roganti, negavit homo id sibi fas videri: æquum enim esse, ut quí tam utilem ipsi homo navasset operam, rursum eadem ad suum commodum fruatur. Unde sub admissis semel inconsultè habenis equo imposterum serviendum fuit. Exemplum posteritati fuit, non facilè potentioris Domini opem, nisi circumspectè admodum, esse admittendam.

VIII.

Apologus, quo Demosthenes Atheniensibus suasit, ne Oratores suos Regi Philippo obsides traderent, quo facto ipse pacem offerebat.

Postquam ait, Lupi infestis sæpe invasionibus ovium gregem lacerassent, pacem denique offerebant, modò canes, quorum latratibus offensi jure essent, sibi dedissent obsides. Oves dolum huic postulationi nullum subesse ratæ, canibus ad illorum voluntatem oblatis, cum excubiis adversus insi-

dias,

dias, præsidioque necessario destitutæ essent, appetitæ per infidos quaquaversum lupos, brevi omnes in prædam cessere. Par vobis, ô viri Athenienses, Oratoribus à vestra abductis custodia, ac Philippo traditis, metuendum est. Urbs nulla diu sine prudenti Procerum consilio tuta stetit.

FABULA POETICA.

Hæ similesque fabulæ eo facilè modo, quo superiores per sua adjuncta diducentur, cui ego labori brevitatis causa supersedeo.

Tantum moneo non in Apologis solum verum & reliquis hanc tractandi rationem locum invenire. Proderitque talem aliquam, quales plerasque in Palæstra. Eloq. ligat. part. 1. compendio exhibui atque in sua etiam Metamorphosi plures Ovidius doctè est prosecutus. Magistrum in scholis suis verbis narrando decurrere, quam exercitii primùm extemporalis loco breviter nervosèque discipuli reddant, fusiori deinde expositione per majus domi otium diducendam. Uno exemplo ad hanc rem præeamus.

IX.

Arion Delphino vectus, Deum innocentium defensionem suscipere ostendit.

Arion citharœdus ludendi inprimis peritus, ex Italia quæsitas opes in Græciam conducto navigio transportare statuit. Nautas ad hanc rem Corinthios delegerat, qui postquam Arionem suis cum opibus nave excepissent, jamque in altum provecti medium tenerent Oceanum, pecuniarum avidi, necem innocenti præparabant. Quem cum jamjam in mare præcipitem daturi essent, hoc unicum sibi extrema in morte solatium impendi rogavit, ut fidibus suo sese præludere funeri carmen aliquod liceret, ratus, ut opinor, barbarorum sese hominum conceptum in se furorem mitigare posse. Indulta illi quidem aliqua fidium modulatio, sed quam immites denique nautæ præcipitato in Oceanum *A*rione abrumperent. *A*t non perinde immites Marinæ belluæ. Siquidem Delphinus cantu illectus

ad

adfuit dorſumque nataturo præbuit *A*rioni, atque in Tænarum eundem cum ſceleratis Nautis portum deportavit. Ubi re cognita atque ad Regem Periandrum delata, eundem & improborum vindicem & ſuarum opum habuit reſtitutorem. Quàm verè Horatius:

Raro antecedentem ſceleſtum,
Deſeruit pede pœna claudo, Lib. 3.

Hanc facilè ad ſuperiorum imitationem amplificabis.

1. *A* providentia Dei omnia in mundo ita adminiſtrantis, ut nec improbis ſuæ deſint pœnæ, nec probis ſua defenſio. uti in Arionis fabula patere dices.

2. *Quis?* Deſcribetur Arion à patria Græcorumque felici ad omnes artes ingenio, tum verò ipſius ludendi peritia, quâ ingentes ſibi in Italia opes paraverit, honeſto vitæ inſtituto, ut iccirco gratus Superis fuerit.

3. *Quid?* Exponatur quemadmodum cum Nautis liberali ſtipendio laboris oblato convenerit, & Corinthiis tanquam popularibus fiſus ſit.

Quomodo? & quibus auxiliis? Qua deinde ratione lætus in navem exceptus, provectusque ventis faventibus, interludente quandoque Arione Phocis juxta natantibus, Nautiſque applaudentibus. Ut deinde collatis inter ſe capitibus de pernicie *A*rionis conſultare cœperint, iſque fatali jam horâ properante, ſuaviſſimum ad deliniendos animos carmen, cithara interſtrepente, lacrymiſque nonnunquam intercidentibus modulatus ſit. Quemadmodum poſtremo nonnullis inflexis, aliis ad ſcelus obfirmatis præcipitatus ſit. Ut Delphinus eundem cum cithara cadentem exceperit, celerrimoque impetu à conſpectu ſuſtulerit, *A*rione rurſum ad citharæ præſidium, & blanditias ſuo cantu belluæ faciendas converſo. Adeo ut ipſæ etiam in mari Sirenes ſuæ modulationis oblitæ hujus melodiam ſecutæ ſint.

5. *Ubi?* Inter medios Oceani fluctus & monſtra infeſti maris, *A*rionem bonæ cauſæ, ſuaque fretum cithara incolumen ad portum Tænari deductum eſſe, hominibus undequaque ad tam inſolens ſpectaculum affluentibus, ut Arion Deus potius Marinus, quàm homo ſit habitus.

6. *Cur?* *A*d Regem accerſitum, cauſamque hujus profectionis tam inſolitæ rogatum expoſuiſſe Arionem &

Nautarum scelus, & Delphini miserationem. Ibi de illorum avaritia atque inhumanitate disserendi locus est.

7. Concludet in ope & præsidio Regis adversus improbos postulando, quod Rex pollicitus, mittet qui captivos adducant.

Applicatio fabulæ ad mores.

Hac 1. docebis quemadmodum avaritia omnem in orbe fidem evertat, ut nec amicus ab amico, nec frater à fratre tutus sit. 2. Quandam Superi curam hominum innocentium suscipiant, & quod demum bona causa in lucem emergat & triumphet. 3. quod illud Senecæ verissimum sit.

Quod quisque fecit, patitur, autorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.

CAPUT XI.

De idonea fingendi ratione ad formandas in scholis exercitationes & declamationes Humanistis ac Rhetoribus utiles.

SErviet oratori futuro etiam ad varium dicendi genus opportuna fabularum per fictionem aliquam introductio, qua tam exercitationum, quàm declamationum etiam Scholasticarum ornari perficique disciplina poterit.

I.

Ita fingatur Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, de excellentia sua inter se, apud Annum patrem, vel Hominem contendere; & quælibet pars sibi honorem principatus deposcat. Sua certatim producant munera, Deorum etiam favore patrocinioque nitatur ver Apollinis, Floræ, Dryadum, Musarum & Æstas Cereris, Autumnus Bacchi, verùm Hyemi suo patrono destitutæ Vulcanus se denique offerat. Quæ res ad multas exercitationes, & rerum variarum descriptiones (de quarum usu agemus inferius) servire poterit, suaque simul varietate delectare. Pari ratione, vel Dies inter se, ut festivi cum Ferialibus, aut Esuriales cum Epulatibus, aut Nox cum Luce in dignitatis,

sive

sive utilitatis, aut pacis & quietis disceptationem venire potest, suosque pars quæque Patronos arcessere.

II.

Sic & Elementa coram cœlo Judice in certamen venire possunt, & quodvis suam in orbe necessitatem, commodaque, quibus & universum & ipsum hominem sustineant conserventque in contentionem pro excellentia adducere. Denique sua quæque animantia, ut Aër volucres, Aqua pisces, Terra præcipui quæque generis inducere. Igne etiam lucis suæ vim, qua cœli ac sidera in hæc inferiora influant, deprædicante. Jupiter denique pro igne, Juno pro Aëre, Pan pro terra, Neptunus pro Aqua decertet.

III.

Planetæ ac cœlestia sidera, vel præcipua, ut sol & luna, vel quæ in cœlum à terris esse translata finguntur, ut Perseus, Hercules, Ganymedes, sive Aquarius: aut animalia, ut Aquila, & Cygnus, Pegasus, Aries, Taurus, Leo in concertationem litterariam procedant, *&c.* Hæc certare de sua dignitate aptis rerum naturæ & effectuum descriptionibus poterunt.

IV.

Diversæ certent animantes, hoc est, vel inter se volucres, & feræ, vel, contra, alterius generis animantia: Fingamus de regno inter illos concertatum, Pavonemque Aquilam & Noctuam reliquis prælatas, quarum prima Junonis, altera Jovis, tertia Minervæ præsidio freta, illa in terris jussa sit præesse; unde aulas Principum occupet: Aquila in cœlo, Noctua tempore nocturno summum tenere imperium, quæ causa cur illa in altissimis nidificet rupibus, hæc die jam occumbente primùm se efferat.

V.

Bestiæ domesticæ, ut Equus, Bos, Canis, Asinus, Porcus: vel certè Anser, Columba, Anas, Gallina: vel Gallorum diversæ species, ut Gallus excubitor & Capo, & Gal-

lus Indicus, de primatu in domo obtinendo contendant, ſuas ſingulæ utilitates, quibus Hero ſerviant, quam maximè extollant, feriasque aliquas à laboribus poſtulent, & alimentorum majorem lautitiam, quam dum Bovi, Porco, Anſeri, Galloque concedit Herus, ac denique impinguatos mactat, aliæ ſe priſtina ſua ſorte contentas eſſe ſignificent, neque hujusmodi ſui Domini favores ſibi impenſos velle. Satius fore in demiſſione impoſterum ſervire, quam ejusmodi honoribus præferri reliquis.

VI.

Fluvii inter ſe, vel Regiones diverſæ, ut Rhenus cum Moſa, Danubio, aut *Amiſi*, Terra Julia plana & cerealis, cum terra Montium inæquali & piſcoſa, fructuum, atq; animalium feraci. Italia cum Gallia, Germania cum Hiſpania, Maritima regia Batavorum, cum Palatinatu à mari ſecluſo conferri, & ſuis quæq; emolumentis ſibi arrogare poſſunt victoriam.

VII.

Scientias, aut *Artes*, ſuis ornatas deſcriptasque inſignibus & armis, ad laudem reprehenſionemque mutuam, induces. Grammatica cum Rhetorica, hæc cum Philoſophia, Jurisprudentia cum Medicina, Ethica cum Matheſi, Politica cum Monaſtica certabunt. Liberales contra Illiberales Artes producentur, Pictoria cum Muſica, Agricultura cum Mercatoria, &c. in diſceptationem venient, ſuos quæque Patronos adducent, artificia probabunt, &c. ac pro dignitate, cum utilitate potiore contentionem inſtituent.

VIII.

Virtutes pulchro certamine pro hominis dignitate extollenda in ſcenam adduces. Juſtitia quantum ad humanum genus ornandum conferat, idem & Prudentia & Temperantia, & Fortitudo contendet. Singula ſuos heroas immortali per ſe donatos nomine exhibebunt. Ita ad Juriſperitum aliquem dignè ornandum aptæ eidem Virtu-

tes

tes & Artes confluent, suum tribuet decus Discretio, Integritas, Studiositas, Æquitas, Vigilantia,&c. proscriptis vitiis huic officio adversantibus præsertim corruptela munerum, Inertia, &c. Themidis in tribunali accusatis. Sic & Medicum, & Ecclesiæ Doctorem, & Virum Senatorem atque etiam Adolescentem Disciplinæ virtutes dignæ, & hunc quidem Modestia, Diligentia, Pudor, Obsequendi promptitudo, & Reverentia majorum ornabunt, oppositis Vitiis ad Phœbi, aut Eloquentiæ, vel etiam Sophiæ judicium damnatis, proscriptisque.

IX.

Ipsæ etiam Naturæ dotes, aut Fortunæ, suis personis indui partibusque differendi instrui possunt. Veniant sensus quinque, Oculusque sit pictor, Auditus citharœdus, Odoratus Pharmacopæus, Gustus Coquus, Tactus Leno & adulator suamque quisque operam præ cæteris utilem homini deferat, postuletque, ut sibi potissimum benevolentiam studiumque omne impendat, cæteraque subesse ac servire tanquam digniori cogantur. Sic & Ratio voluntasque adversus Phantasiam & Appetitum irrationalem: aut etiam Anima cum suis facultatibus adversus Corpus ejusque potentias non inepta concertatione inducetur. Jam verò de Fortuna Opibusque ac Honoribus in scenam inducendis, nulla est Palæstra litteraria, quæ nesciat.

X.

Quin & Plantæ ipsæ, Fruges ac Fructus suis donari personas atque oratione in mutua aliqua disceptatione queunt. Sic Joathan *Iudic.* 9. patria exul, fratribusque per Abimelechum interfectis, cum hunc parricidam Sichimitæ in Regem delegissent, hac fabula illorum stultitiam arguit. Convenisse Ligna ut Regem eligerent, oblatumque imperium Olivæ, at hanc suam noluisse deserere pinguedinem, & steriles honores sectari, oblatum & Ficui vitique, sed utramque pari responso detrectasse, denique & Rhamno oblatum, quæ suam protinus umbram ad quietem obtulerit, acceptoque honore, execrata sit omnes Cedri Libanos quotquot

adversarentur. Quo figmento cæterorum omnium ineptissimum Abimelechum regnum stultè atque improbè affectare ostendit.

OBSERVATIO.

Hujusmodi fictiones venustè, tam ad encomistica & honoraria quædam scripta, viris principibus aliisque proceribus offerri solita, quam etiam ad theatrales gratulationes, sapientesque morum instructiones adhiberi possunt. Juveritque ex re præsenti inprimis deponere. Illud verò quod in Apologis potissimum delectat, ut in exspectata conclusione aliqua fabula absolvatur, hoc & in cæteris plerisque fictionibus locum habet. Tantò enim altius animo illabitur, insidetque firmius, quantò magis præter opinionem eventus cadit.

Nos aliqua harum exercitationum exempla in *Exercit. Oratoriis* dedimus, quo studiosum lectorem remittimus. Nunc aliena, quàm nostra dare maluimus, quamvis ejus generis fabularum pauca suppetant. *Ex Maximo Tyrio*, auctore longè suavissimo unam alteramve fabulam adjiciam, quam ex lege superius præscripta latius exornare studiosæ juventuti licebit.

CAPUT XII.

Fabula descripta & applicata.

Sapientem hominem solere amicos adulatoribus præferre, Tyrius diss. 4.

1. FAbula de bivio Herculis, quod hinc virtus, illinc voluptas tenebat.

2. Sic vitam nostram hinc Amicus, inde Adulator sollicitat.

3. Hunc plures, illum pauci, cum Hercule, sequuntur.

Prodicus in fabula Herculem jam puberem virilesque gerentem animos, duplici in via statuit; utrique huic viæ Virtutem Voluptatemque tanquam Duces præficit. Quarum altera arrogans procaxque; altera formoso vultu, mode-

modesto incessu, venustâ voce, aspectu mansueto, veste solutiori ab eo inducitur. Altera rursus lasciva, fucatâ, veste florida, vultu impudentissimo, incomposito gradu, voce inconcinnâ. Hæc animadvertit ipse etiam Hercules, ut qui & Jovis esset filius, & indolis præclaræ. Quare voluptati res suas sibi habere jubet, ducemque sequitur Virtutem.

2. Hoc exemplo & nos fabulam fingamus, viamque itidem statuamus duplicem, & una virum bonum. Hujus viæ duces, pro virtute amicum, pro voluptate adulatorem ponamus. Sed & hi habitu, vultu, veste item, voce atque incessu differant. Ut alter quàm jucundissimus appareat; alter nihil præter id, quod est, præ se ferat. Alter renidens dexterâ protensa, crebris laudibus, blanditiis, precibus, obsecrationibusque ad se invitet hominem, mirasque, ad quas se duce perventurus sit, voluptates describat. Locum videlicet, ubi prata floribus rideant, labantur fluvii, volucres canant, auræ spirent leniter, arbores plurimis amictæ foliis terram vestiant, planæ semitæ, latissima sint curricula. Sed & horti floridissimi, ubi pyra pyris (ut apud Homerum est) mala malis, uvæ subnascantur uvis. Alter contra dux pauca dicat, sed vera. Maximam nimirum viæ partem esse salebrosam, minimam, facilem: esse itaque necesse, ut vir bonus qui committere se illi postulet, ita se comparet, ut cum opus sit, laborem ferre possit: si quid planum expeditumque occurrat, id in lucro reponat. Hæc uterque si dicat, utri credet, utram viam inibit?

3. Respondeamus fabulæ autori, si quidem homo ille aliquis ex corrupto Assyriorum grege futurus est aut Phœnicius, Strato, Cocles, aut qualis fuit Sybarita ille, alterum è ductoribus pessimè etiam oderit, nec aliud quàm agrestem, austerum, atque invenustum putabit esse: alterum contra elegantem, suavem, mireque humanum judicabit. Demus ergò à præclaro illo, si diis placet, ductore deduci hunc hominem; dubium non est, quin in ignem cum Assyrio, aut in paupertatem cum Phœnice, aut in vincula cum Cyprio, eum deducturus sit: aut in aliud denique verum malum, ad quod falsa perducere voluptas solet. Sin aliquis similis Herculi futurus est, verùm certè ductorem, id est, amicum, præferet, sicut Hercules virtutem.

IMITATIO.

Opponatur pari ratione Amor divinus Amori humano, sive Eros & Anteros, via, habitu, arte ac legibus diversis, quibus utrimque sui sectatores non desint.

§. 1.

Fabula Æsopi moribus humanis applicata.

Quosdam voluptatem aversari, sed re ipsa sectari, quæ tamen in licitis non sit reprehendenda, Tyr. dissert. 33.

Æsopus, Phryx ille, fabellas conscripsit quasdam, in quibus mutua inter se consuetudine bruta utuntur animalia. Interdum verò, & arbores introducuntur, & pisces; aliud cum alio, vel unâ cum homine. Moralem autem sensum hæ fabulæ complectuntur, reconditamque occultant veritatem. Illa in reliquis celebratur, quâ cervam Leo insectatur: & suæ illa saluti fugiendo consulens, denso quodam in nemore occultatur. Leo verò qui quantum robore cervam vincit, tantùm velocitate à cerva vincitur, nemus subit, quæritque ex pastore; sicubi latitantem vidisset cervam? Negat pastor, simulque manu protensâ locum ostendit. Atque ita cervam miserrimam invadit Leo. Vulpecula autem, (hanc enim callidam ubique Æsopus facit) næ tu, inquit Pastori, imbellis simul improbusque es: coram Leone quidem imbellis, improbus verò in cervam. Videtur mihi hac hominis Phrygii fabula, adversus eos qui voluptatem accusant, uti posse Epicurus: qui voce tenus fortes videntur, animum verò, ut ille digitum, ibi habent. Quis enim tam sibi inimicus est, ut rem, quę omnium natura sua maximè nos allicit, sponte suâ aspernetur? Reliqua enim quæ sequuntur homines, aut experientia intelligenda nobis dedit, aut artis approbavit industria, aut de iis fidem nobis fecit ratio, aut longi indicium temporis ea conciliavit nobis. Voluptas nec ratione eget, & arte est antiquior, & experientiam prævenit, nec tempus exspectat. Ut ineffabilis quidam ejus amor, unà cum corporibus nobis innatus sit, qui quasi fundamentum aliquod animalium subjicitur saluti,

ti, quod si quis tollat, statim id quod natum est evanescere sit necesse. Scientiam enim rationemque, & id, quod ab omnibus intellectus dicitur, progressu temporis, paulatim congredientibus cum rebus ipsis sensibus, longa experientia colligit homo, conservatque. Voluptatem autem sponte statim à natura ipsa, haurit atque accipit. Hanc amplectitur, oditque quidquid dolorem affert, ab hac servatur, ab illo corrumpitur. Quod si vituperanda esset voluptas, neque nobiscum ea nasceretur, neque omnium, quibus conservationem debemus nostram, esset antiquissima. Quæ autem vulgo à Sophistis objiciuntur voluptati, Sardanapali luxus. Medicæ deliciæ, mollities Jonica, mensæ Siculæ, Sybaritica tripudia, Corinthiæ meretriculæ, hæc omnia, & si plura etiam his adferre velis, non voluptatis, sed artis rationisque sunt effectus: longo namque post tempore, accedente plurimarum lenocinio artium, voluptatem violarent homines. Sicut autem rationem, rem natura sua honestam, nemo negat esse, quamvis ea in re, minimè natura honesta, quis utatur: ita neque de voluptate secus loquendum est, sed qui voluptate abutuntur.

CAPUT XIII.

De Narratione Historica.

QUod de fabulis tradidimus, Historiarum illas in modum exponi, hoc ad faciliorem brevioremque de Historia tractationem quoque est profuturum. Nam & duplici ratione illa pertractari, vel compendiò, vel prolixius consuevit. Quod postremùm, ut inter Oratores inusitatum non est, ita iisdem, de quibus in fabula amplificanda actum est, adjunctis solet fieri. Hoc solum admonendus scriptor vel Orator est, ne quid adversus veritatem peccet. Ubi enim omnes Historiarum circumstantiæ exploratæ sunt; alias non licebit surrogare; ubi verò plures occultantur, verisimiles nonnunquam accersendæ erunt, ne res sua dignitate, quam postulat, destituatur. Quod tamen parcius circumspectiusque in sacra, quàm profana Historia erit usurpandum, cum in ista quidquid divinum non est, solita autoritate careat.

Illud præterea lectorem advertere cupiam, non hic agere me de Historia quemadmodum integris illa voluminibus ad posteritatis memoriam concinnanda sit; hoc enim separato tractatu in Palæstra styli à me peractum est. Nunc solum qualemcunque ipsius usum in alio scribendi, aut dicendi genere consideramus, ut, sive pressius, sive diffusius eam libeat usurpare, ratio atque exemplum aliquod scribendi studiosis eloquentiæ suppeditetur. Ejus verò amplificandæ rationem infra, in propriis Oratorum exercitiis dabimus.

§. 1.

Historica narratio compendio tradita.

De Staleni Romani Iudicis auro corrupti vafra improbitate.

Erat Romæ Oppianicus Cluentio privigno capitali odio infestus, ideoque per Scamandrum libertum venenum eidem instruxerat, cumque flagitii Scamander compertus, reusque in judicio factus ab omnibus, à Pæto tamen Staleno absolutus esset, Oppianicus denique autor citaretur ad judicium. Speravit hic Staleni, qui Scamandro faverat, operâ se posse evadere. Adit igitur hominem, oblatisque sestertiis sexcentis quadraginta millibus, quibus & aliorum Judicum suffragia emeret, Stalenum sibi, ut putat, addit. Hic verò de pecunia universè retinenda magis (quod & aliàs in causa Safinii ex voto cesserat) quam Oppianici juvandi solicitus, hoc damnato sperat se facilius auro potiturum. Quam telam hac arte cœpit texere. Bulbum Guttamque, ex judicibus quoque futuros, convenit, facit quadragintorum millium cuique spem, si Oppianicum absolvant, jubetque alios secum, eadem facti gratia, ad idem propositum inducere. Verùm ubi deinde ante judicium postulatæ sunt pecuniæ: contractis Stalenus humeris, se ab Oppianico delusum queritur, additque, sua illum sententia condemnatum iri, itaque reliquos indignatione atque exemplo concitatos in eandem mentem pertraxit. Suboluerat Canutio, aliisque, pecuniam in judicio, ad Staleni inprimis manibus, versari, actum igitur forte atque industria, ut Bulbus, Stalenus, &

& Gutta primi in dicendis essent sententiis. Qui cum adversus Oppianicum præter exspectationem pronuntiarent, injecta cæteri dubitatione hæserunt, neque statuere secum, quidnam actum esset, potuerunt. Damnatus igitur Oppianicus sententiis plerorumque, ex judicibus triginta & duobus. Quæ res L. Quinctio tribp. populari homini, qui de pecunia inaudierat, de judicio contra Oppianicum lato cognoverat, occasionem præbuit, gravissimis plebem adversus improbitatem Judicum declamationibus inflammandi, ut qui innocentem Oppianicum corrupti auro condemnassent. Oppianico verò etiam profuit ad pecuniam rursum è Staleni manibus extorquendam. Ita suo demum & Oppianicus, & Stalenus laqueo captus est; cùm illi oblata pecunia ad damnationem, huic accepta ad solam infamiam profuit.

Cicero eandem Historiam per adjuncta sua magis diducit. Pro Aulo Cluentio Avito post principium.

Numero 1. ad quæstionem *Quis?* personam Staleni, ejusque & vafrum & corruptum ingenium, acta pristina cupiditatemque ejusdem describit.

2. Adjunctum *quid?* expendit, quid videlicet Oppianicus egerit, obtuleritque; quid & ipse Stalenus hac in re consilii ceperit.

3. *Quibus auxiliis*; ut quod Stalenus Bulbo & Gutta per se adductis delusisque rem ad votum suum confecerit.

4. *Quomodo?* ut qua ratione sententiæ contra Oppianicum, delusis unius Staleni fraude omnibus, latæ sint. Ipse tamen denique Stalenus sua arte captus sit.

CICERO.

Ut primum Oppianicus ex eo quod Scamander reus erat factus, quid sibi impenderet, cœpit suspicari. Statim se ad hominis egentis, audacis, & in judiciis corrumpendis exercitati, tum autem judicis, Staleni familiaritatem applicavit. Ac primum Scamandro reo, tantum donis datis, muneribusque perfecerat, ut eo autore uteretur cupidiore, quàm fides judicis postulabat. Post autem, cum esset Scamander unius Staleni sententia absolutus, patro-

patronus autem Scamandri ne sua quidem sententia liberatus: acrioribus saluti suæ remediis subveniendum putavit. Tum à Staleno, sicut ab homine ad excogitandum acutissimo, ad audendum impudentissimo, ad efficiendum acerrimo (hæc enim ille & aliqua ex parte habebat, & majore ex parte se habere simulabat) auxilium capiti, & fortunis suis petere cœpit. Jam hoc non ignoratis, judices, ut etiam bestiæ, fame dominante, plerumque ad eum locum, ubi pastæ aliquando sint, revertantur. Stalenus illa biennio ante, cum causam bonorum Safinii Atellæ recepisset, sexcentis millibus nummûm se judicium corrupturum esse dixerat, quæ cum accepisset à pupillo, suppressit: judicioque facto, nec Safinio, nec bonorum emptoribus reddidit. Quam cùm pecuniam profudisset, & sibi nihil non modò ad cupiditates suas, sed ne ad necessitatem quidem reliquisset: statuit ad easdem sibi prædas, ac suppressiones judiciales revertendum. Itaque cùm Oppianicum jam perditum, & duobus jugulatum præjudiciis videret: promissis eum suis excitavit abjectum, & simul saluti desperare vetuit.

3. Oppianicus orare hominem cœpit, ut sibi rationem ostenderet judicii corrumpendi. Ille autem (quemadmodum ex ipso Oppianico postea est auditum) negavit, quemquam esse in civitate, præter se, qui id efficere possit. Sed primò gravari cœpit, quòd ædilitatem se petere cum hominibus nobilissimis, & invidiam, atque offensionem timere dicebat, post exoratus, initio permagnam pecuniam poposcit: deinde ad id pervenit, quod confici potuit, & sestertia sexcenta quadraginta millia deferri ad se domum jussit. Quæ pecunia simulatque ad eum delata est, homo impurissimus statim cœpit in ejusmodi mente, & cogitatione versari: nihil esse suis rationibus utilius, quam Oppianicum condemnari: illo absoluto, pecuniam illam, aut judicibus dispertiundam, aut ipsi esse reddendam: damnato, repetiturum esse neminem. Itaque rem cogitat singularem. Atque hæc judices, quæ verè dicuntur à nobis: facilius credetis, si cum animis vestris longo intervallo recordari Staleni vitam & naturam volueris. Nam perinde ut opinio est decujusque moribus, ita, quid

quid ab eo factum, & non factum sit, existimari potest. Cum esset egens sumptuosus, audax, callidus, perfidiosus, & cum domi suæ, miserrimus & inanissimus, tantum nummorum positum videret: ad omnem malitiam, & fraudem versare mentem suam; hæc secum cogitans, cœpit: Demnè judicibus? mihi igitur ipsi, præter periculum, & infamiam, quid quæretur? nihil excogitem, quamobrem Oppianico damnari necesse sit; quî tandem? nihil enim est, quod fieri non possit. Si quis eum fortè casus, ex periculo eripuerit, nonnè reddendum est? præcipitantem igitur impellamus, inquit, & perditum prosternamus. Capit hoc consilium, ut pecuniam, quibusdam judicibus levissimis polliceatur: deinde eam postea supprimat: ut, quoniam graves homines sua spontè severe judicaturos putabat: hos, qui leviores erant, destitutione iratos Oppianico redderet.

Itaque, ut erat semper præposterus, atque perversus, initium facit à Bulbo: & eum, quod jam diu nihil quæsierat, tristem, atque oscitantem, leviter impellit. Quid tu, inquit? ecquid me adjuvas Bulbe, ne gratis reipublicæ serviamus? ille verò, simul atque hoc audivit, *ne gratis*, quò voles, inquit, sequar. Sed quid affers? Tum ei quadraginta millia, si esset absolutus Oppianicus, pollicetur: & eum, ut cæteros appellet, quibuscum loqui consuesset, rogat: atque etiam ipse conditor totius negotii, Guttam aspergit huic Bulbo. Itaque minimè amarus is visus est, qui aliquid ex ejus sermone speculæ (*a*) degustarat. Unus, & alter dies intercesserat, cùm res parum certa videbatur: Sequester, & confirmator pecuniæ desiderabatur. Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandissimè potest: Quid tu, inquit Pæte? (hoc enim sibi Stalenus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegegerat, ne, si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quàm generis uti cognomine videretur) qua de re mecum locutus es, quærunt à me; ubi sit pecunia? Hic ille planus improbissimus, quæstu judiciario pastus, qui illi pecuniæ, quam condiderat, spe jam, atq; animo incubaret: contrahit frontem (recordamini faciem, atq; illos ejus fictos, simulatosque vultus) queritur se ab Oppianico desti-

(*a*) *spei parva.*

destitutum: & qui esset totus ex fraude, & mendacio factus, quique ea vitia, quæ a natura habebat, etiam studio, atque artificio quodam malitiæ condivisset, pulchrè asseverat, se ab Oppianico destitutum: atque hoc addit testimonii, sua illum sententia, quam palam omnes laturi essent, condemnatum iri. Manarat sermo in consilio, pecuniæ quandam mentionem inter judices esse versatam, res neque tam fuerat occulta, quàm erat occultanda: neque tam erat aperta, quàm reipublicæ causa aperienda.

In ea obscuritate, ac dubitatione omnium, Canutio, perito homini, qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, neque dum rem perfectam arbitraretur, placuit repentè judices pronuntiare. Judices se id velle dixerunt. Hic tum Oppianicus non magnopere pertimuit. Rem à Staleno perfectam esse arbitrabatur. In consilium erant ituri judices triginta, & duo, sententiis decem & sex absolutio confici poterat. H.S. quadraginta millia nummûm in singulos judices distributa, eum numerum sententiarum conficere debebant, ut ad cumulum, spe majorum præmiorum, ipsius Staleni sententia septimadecima accederet. Ecce tibi ejusmodi sortitio, ut in primis Bulbo, & Staleno, & Guttæ esset judicandum. Summa omnium exspectatio quidam sententiæ ferrent leves, ac nummarii judices. Atque illi omnes sine ullâ dubitatione condemnant. Hic tum injectus est hominibus scrupulus, & quædam dubitatio, quidnam esset actum. Deinde homines sapientes, ex vetere illa disciplina judiciorum, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque eum de quo esset orta suspicio, pecunia oppugnatum, re illa incognita, primò condemnare vellent: non liquere dixerunt. Nonnulli autem severi homines, hoc statuerunt, quo quisque animo quid faceret, spectari oportere: &, si alii pecunia accepta verum judicabant, tamen nihilo minus se superioribus suis judiciis constare putabant oportere. Itaque damnarunt. Quinque omnino fuerunt, qui illum vestrum Oppianicum sive imprudentia, sive misericordia, sive aliqua suspicione, sive ambitione adducta, absolverunt. Condemnato Oppianico, statim Lucius Quinctius homo maximè popularis, qui omnes rumorum, & concionum ventos colligere consuevisset, oblatam sibi facul-

facultatem putavit, ut ex invidia senatoria posset crescere; quòd ejus ordinis judicia minus jam probari populo arbitrabatur. Hebetur una atque altera concio vehemens, & gravis: accepisse pecuniam judices, ut innocentem reum condemnarent, tribunusplebis clamitabat: agi fortunas omnium dicebat: nulla esse judicia: qui pecuniosum inimicum haberet, incolumem esse neminem posse. Homines totius ignari negotii, qui Oppianicum nunquam vidissent, virum optimum, & hominem prudentissimum, pecunia oppressum arbitrarentur: incensi suspicione, rem in medium vocare cœperunt, & causam illam totam deposcere. Atque illo ipso tempore in ædes Titi Annii, hominis honestissimi, necessarii, & amici, noctu Stalenus, accersitus ab Oppianico, venit. Jam cætera nota sunt omnibus: ut cum illo Oppianicus egerit de pecunia: ut ille se redditurum esse dixerit: ut eorum sermonem omnem audierint viri boni, qui tum consultò propè in occulto stetissent: ut res patefacta, atque in forum prolata, & pecunia omnis à Staleno extorta, atque erepta sit. Hujus Staleni persona populo jam nota ac perfecta, ab nulla turpi suspicione abhorrebat: suppressam ab eo pecuniam, qui erant in concione non intelligebant, neque enim docebantur. Versatam in judicio mentionem pecuniæ sentiebant. Innocentem reum condemnatum esse audiebant: Staleni sententia condemnatum esse videbant: non gratis hoc ab eo factum, qui hominem norant, judicabant. Similis in Bulbo, in Gutta aliisque nonnullis suspicio consistebat.

IMITATIO.

Antipater Herodis filius, qui sublatis per dolum & corruptionem hominum judiciorumque fratribus, etiam Herodi patri exitium machinabatur, cum Oppianico aliorum corruptore poterit comparari, ac denique ostendi, quomodo à suo procuratore per aurum corrupto, inductoque, ut Herodem occideret, ipse proditus atque ab Herode sublatus sit.

§. 2.

Ratio applicandæ Historiæ ad mores hominum formandos.

Non solum Historia narratione inter Oratores aliosque

que scriptores nuda perstringitur; sed etiam ad mores formandos, velut per propositam quandam boni malive imaginem, ad quam vitam nostram componamus, rectè sapienterque proponitur. Quod plerumque explicata breviter rei veritate, nonnunquam etiam laxatis scribendi dicendique habenis, præsertim in theatris, & scriptis dramaticis fieri assolet. Nos utriusque generis plura exempla dedimus: illius quidem in speculo Imaginum, hujus in Poesi Dramatica *part. 3. Palæst. ligat.* Hic quæ hujus potissimum loci sunt, brevium Historiarum ad mores instruendos usum aliquem, ex Maximo Tyrio ostendemus. Et in primo quidem exemplo post unius Historiæ introductionem sequetur applicatio; in altero instructio morum præcedet, quæ deinde exemplis subjectis confirmetur. Utraque enim scriptoribus familiaris est, quanquam & media quædam sit; cum interposita Historiæ ad mores expositione, amœna quadam varietate miscentur; aut etiam ad unius rei declarationem, strictim plura exempla acervantur. Quorum omnium aliqua reperies lineamenta, in ultima hac Tyrii dissertatione quam honestæ voluptatis studio reliquit.

Historia descripta & ad mores per similitudinem applicata. Ex Max. Tyrio Dissertatione 31.

Voluptatis sectatores naufragantibus similes denique intereunt.

1. *Rex Aetæ navi maxima instructissimaque naufragium passus est.*

2 *Ita voluptatum sectator jactatur fluctibus donec opprimatur.*

3. *Exemplis variorum id breviter stabilitur.*

Epicuri Philosophiam cum Æetæ Regis navi conferam. Neque fabulam amplectar, sed quod non ita evenit diu, cum Rex quidam ex Ægypto Trojam versus navigaret, homo barbarus, è numero eorum, qui supra Phœnices colunt.

Nec

——— Nec norunt æquora ponti,
Nec Iovis Ægiochi reveretur nomina ———
Nec Divos alios,

Hic impius marisque imperitus Rex, maximam sibi latissimamque strui navem jusserat: in qua quascunque vellet secum voluptates veheret. Et intus quidam regiam sibi quam pulcherrimam fabricarat, thalamos, lecticas, curricula.

Extra aulam magnus fuit hortus, limina juxta.

In eo arbores crescebant diversæ, punicæ, pyri, mali vitesque. Alibi lavacrum suum habebat & gymnasium, alibi locis destinatum, alibi meretricum cubilia, alibi triclinium, alibi aliud, in quo non secus, quàm in urbe voluptatibus fracta oblectaret genium. Accedebant & colores, qui navem commendarent varii, visu jucundissimi: neque auri deerat aut argenti copia. Denique similis erat homini imbelli, qui arma gestaret aurea. Mirabantur hoc spectaculum Ægyptii, felicemque uno omnes ore judicabant Dominum, neque deerat, qui gubernatoris munus inviolaret animo, & qui vehi ea vehementer optaret. Cum autem jam solvendi tempus esset, exire cœpit magna hæc atque opulenta navis, multum jactata vix egressa est portum. Non aliter quàm insula, quæ in aqua natat. Egressæ sunt & naves aliæ vulgares, succinctæ ad navigationem atque expeditæ. Tantisper ergò dum à ventis esset in mari tranquillitas, longè voluptatibus suis superior erat navis regia, plenaque omnia nitore erant. Tum

Tibiaque fremitusque hominum & stridebat arundo.

Simul ac autem è malatia illa subita aërem turbavit tempestas, multoque ventus in mare fremitu descendit, tum demum quis voluptatis esset usus, quis artis, cœpit intelligi. Aliæ namque vela legere naves, paria cum fluctibus facere, venti sustinere impetum, mali vim expugnare. Sola verò misera illa navis, non secus, quàm magni corpus hominis, quod gravedine, aut ebrietate vertitur, huc illuc impelli. Adeo ut gubernator artis explorare opem, nec effœminata illa turba posset, ut qui omnes hic, illic, metu attoniti, jacerent. Interim præclara omnia tempestas dissipavit.

Plurimaque evertit radicitus ardua ligna.

Ibi ergò dissipari regia, thalami, lavacra; eratque mira

res visu, ut non navis unius, sed totius urbis naufragia fluctus terræ appulisse videbantur.

Ast olli fulicum similes hinc inde carinam
Fluctibus in mediis cingebant.

Hunc finem stolidissimus, navisque inutilis importunus vector habuit.

2. His cum fluxibus refluxibusque turbetur animus, quænam spes, ut doloris aliquando expers agat, relinquitur? præsertim cum iis, quibus aliquando carendum est, fruatur bonis. Ego nec mari credo, quamvis venti sileant, quamvis sit tranquillum. Suspectum est enim hoc silentium. Quippe se serenitati me velis confidere, in aliquod. quod mutationem non recipit mare, me deducas necesse est.

Quod neque tempestas insana, nec humidus unquam
—— Imber agit —— ——
Semperque in nubilus æther
Cingit, & hinc illinc lux circum candida currit.

Eadem est animi nostri ratio, eodem jactatur modo. Si enim gubernator absit, absitque ars, licet serenitatem videat, tempestatem metuit rursus. In tempestate si versetur, serenitatem expetit. Vita enim hominis voluptati dediti, mobilis, meticulosa, infida. omnique salo est incertior. Nonne porcos vides quantis se oblectent voluptatibus, pingues capras ut comedant, molliculis hœdis se ut expleant, tibias audiant, vinum misceant, disco sese oblectent, tragulas emittant? Quis non hanc illis voluptatem invidisset? Adest tamen vates optimus futuri non ignarus, qui dicit illis.

O miseri, quæ vos cingunt mala! vestra tenebræ
-.--- Involvunt capita.

Instabat miseria eorum, aderat malum.

3. Sicut & Alexandro instabat, cum magnam illam è Peloponneso furtim advexisset voluptatem. Statim in eum Græcorum instructa classis venit: quæ sexcenta magno illi voluptatis amatori, sexcenta toti urbi advexit mala. Voluptates Assyrias omitto, quas statim cum ipso auro, cum ipsis meretricibus ignis invasit. Nec Ionicas Polycratis dico, quas ne honesta quidem mors secuta est. Plena voluptatibus Sybaris erat, sed cum cultoribus suis interierunt voluptates. Etiam apud Syracusanos fuerunt, sed calamitatibus admoniti, uti & Corinthii, ad frugem redierunt.

IMITA-

IMITATIO.

Idem exemplum, ad vitæ humanæ fragilitatem, & secundæ fortunæ inconstantiam, aut etiam ad adolescentis in ætate florenti, vel Principis ad summam felicitatem provecti mortem adhibere licebit.

§. 3.

Exempla illustri varietate introducta.

Ad egregia facta voluptas honesta impellit. Tyrius Dissert. 33.

1. Ratio cur ad honestè agendum impellamur, est voluptas, quæ ex pulchro nascitur; cum pulchrum ametur, amor sine voluptate non sit, quod exemplis probatur.
2. Exemplum Socratis per dialogismum.
3. Diogenis per comparationem, & oppositionem,
4. Aliorum per transitionem. Lycurgi per Apostrophen.
5. Atheniensium per interrogationem introducitur.

1. Nullum si voluptas absit, petitur honestum: Quippe qui laborem sponte, ex virtutibus subit præscripto, amore voluptatis, aut præsentis id facit, aut futuræ. Sicut enim in re quæstuaria nemo sciens talentum cum drachma permutat, nec cum argento aurum.

——— *Nisi cui mentem eripit omnem*
Iupiter,

Sed in permutatione quamvis æqualis sit, permutantis spectatur commodum, prout usus flagitat accipientis. Sic omnino in subeundis nemo laboribus laborum causa laborem subiit (infelicissimum enim hoc votum esset) præsentes verò labores cum pulcro, ut quidem ex agrestioribus diceret aliquis, ut verò illi, qui verius judicant, cum voluptate commutat. Pulcrum enim quamvis dicas, voluptatem nominas. Nisi fortè aliquid pulcrum sit, cui non adsit voluptas. Ego verò contrarium sequi ex his arbitror, omnibus nimirum voluptatem præferendam esse rebus, cujus causa morbum aliquis, & vulnera, & labores, & sexcenta subit alia: quamvis enim alias alii causas asscribas, ut

Achilli cum vindicandi causa Patrocli lubens moritur, amicitiam; Agamemnoni vigilanti ante reliquos ac deliberanti, curam regni; Hectori exercitum ducenti, primaque in acie pugnanti strenueque rem gerenti, patriæ salutem: nihil adhuc aliud, quàm voluptatis attulisti nomina. Quippe quemadmodum in corporum morbis secari non recusat æger aut uri, sitim etiam præferre famémque, & quidquid naturâ ingratum est; ut pro his postea somno sui frui possit: quod si spem futuri tollas boni, etiam præsentium tollas malorum patientiam. Ita in actionibus nostris laborum cum voluptatibus vicissitudo intercedit, & permutatio. Quam tu quidem virtutem dicis: ego verò, ut virtutem non tollo, ita unum hoc ex te quæram. Utrum sine amore ullo virtutem persequatur animus? Hunc si das amorem, voluptatem dedisti. Licet enim nomen permutes, nec voluptatem voces, sed gaudium, diversa admitto nomina, rem tamen ipsam video. Voluptatem agnosco. Quæ sola efficit, ut qui tot tantísque sese obtulit laboribus Hercules, tot quotidie mala sustinuit; qui cum belluis certavit, tyrannos invasit, feras aggressus est, cum violentis totius terræ congressus imperatoribus, terramque securam vacuamque monstris reddidit, & quasi purgavit, qui Oetam petiit, ignem accessit, non alio manuductore, quam magnis divinisque quibusdam usus voluptatibus, quarum aliæ comitabantur labores, sequebantur aliæ, sponte sua subierit hæc omnia. Atqui solos quos subit labores intueris, voluptates verò, quibus pascitur, non vides. His ipsis, dum ageret, delectabatur Hercules, ac propterea agebat: nec egisset, nisi delectatus fuisset. Nam de Bacchi quid opus est dicere voluptatibus, quæ sacrorum vicem sunt? Nocturni illi discursus, thyasi, choreæ, tibiæque ac cantus. Quæ omnia nihil aliud sunt, quàm diversæ voluptates Bacchicæ, quæ repræsentantur in mysteriis.

2. Quid de Baccho loquor, aut de Hercule? fabulosa sunt hæc, aut heroica. Adducamus Socratem. Alcibiadem amas, ô noster Socrates, post hunc Phœdrum Charnidem. Amas ô Socrates, nec ulla te latere potest pulchritudo Attica. Age, fatere causam, nec ignominiam time. Castus enim cum voluptate potest esse amor, sicut cum dolore impudicus. Quod si absque voluptate ulla solum animum non etiam corpus amas, Theætetum ama. Atqui hunc non amas,

simus quippe erat. Ama ergo Chærophontem Sed ne hunc quidem amas, pallebat enim. Aristodemum ergo ama. Atqui nec Aristodemum amas, deformis enim erat. Quem ergò amas? Si quis delicatè comam alit, si quis formosus, aut venustus, aut pulcher est. Et de virtute quidem tua dubitare non possum, quin impudicè non ames: nec diffido tamen animo, quin voluptatis causa id facias. Non enim corpori diffido, quin ab igne calere, nec oculis quin ab eo illustrari, nec auribus, quin tibiæ modis affici possunt. Sicut nec Hesiodo diffido, qui à Musis docetur, nec Homero, qui Musicæ suæ suavitatem Calliopæ, nec Platoni, qui orationis suæ sublimitatem Homero debet. Omnia enim hæc oculi, aures, corpora, sermo, à voluptate trahuntur.

3. Etiam Diogenem illum in dolium suum voluptas deduxit. Quod si virtus comitetur quoque, cur exclusum propterea ibis voluptatem? Delectabatur dolio suo Diogenes, ut Babylone suâ Xerxes. Delectabatur sicco pane, sicut condimento suo Smyndirides. Delectabatur omnibus fontibus, ut Choaspe solo Cambyses. Delectabatur sole, sicut purpuris suis Sardanapalus. Delectabatur baculo suo, sicut hasta sua Alexander. Delectabatur pera sua, sicut omnibus thesauris Crœsus. Quòd si voluptatem alteram confers cum altera, vincit Diogenis. Plena quidem voluptatum sunt illorum omnia, sed quæ molestiam secum trahant. Prælio devictus lamentatur Xerxes, vulneratus gemit Cambyses, exustus Sardanapalus, rejectus dolet Smyndirides, captivus lacrymatur Crœsus, pugna prohibitus luget Alexander. At voluptates Diogenis sine ulla lamentatione, aut gemitu, sine lacrymis sunt, aut mœrore. Tu interim labores eas vocas. Quia enim ex natura tua illius Hercule metiris ingenium, mensura medius fidius iniqua. Tibi namque labor erit eadem si agas, Diogeni voluptas. Ausim ego amplius dicere, nullum unquam veriorem fuisse voluptatis amatorem Diogene: Domum, quam administraret, non habuit: molesta est domesticæ rei administratio: Rempublicam non attigit: res enim est gravissima. Uxorem non duxit: de Xantippe audiverat. Liberos non duxit: pericula ante oculos habebat. Sic omnis immunis mali, liber securusque, sine metu aut mœrore ullo, solus mortalium, tanquam domum unam, totam colebat terram. Voluptatibus apertis fruebatur, incustoditis, affluentibus.

 4. Ad

4. Ad Legislatores transeamus à Diogene ipsasque inspiciamus Respubl. noli de Sybaritarum arbitrari me dicturum esse. Aut de Syracusanorum, quorum deliciæ, aut Corinthiorum, quorum voluptates, aut Chiorum, quorum opulentia, aut Lesbiorum, quorum vina; aut Milesiorum, quorum vestimenta celebrantur. Ad principes ipse accedo, ad Athenienses venio: Lacedæmonios lubet intueri. Hic flagella sunt, plagæque Laconicæ, hic venationes cursusque; tum cœnæ parcissimæ, stragulaque vilissima. Etiam in his tamen voluptates video. Macte Lycurge: qui pro minimis laboribus voluptates introducis magnas. Parva das, magna accipis. Labores instituis brevissimos, voluptates pro iis accipis perpetuas. Quæ sunt voluptates, inquies, Spartanæ? Urbs sine muris, sine metu, intacta ab igne: quæ nec hostem unquam, nec peregrinum vidit clypeum, quæ luctum nullum, nullas unquam minas vidit. Quid autem metu tristius aut servitute durius, aut necessitate est molestius? quibus si semel urbem liberaris, multas pro illis reddis voluptates. Illius voluptatis alumnus erat Leonides, illius Othryades, illius Callicratides. Atqui hi fuêre cæsi. Ita, sed honestè. Quarum autem voluptatum caussa? non aliter, quàm in corpore fieri solet, in quo partes amputantur, ut servetur totum. Pars reipubl. Spartanæ erat Leonides, sed pro tota Spartanorum occidit Republicâ Pars erat & Othryades, pars & Callicratides Ergo parvis hisce in bello interfectis partibus, domi vigebant cives, voluptate fruebantur integra,

5. De Atheniensium verò rebus quid necesse est dicere? Omnia ibi festorum plena, hilaritatis omnia. Ut ipsa anni tempora divisisse inter se voluptates videbantur. Vere Dionysia celebrantur, autumno mysteria. Et ita deinceps singulas anni partes aliquis sibi vendicat Deus. Panathenæa, Scirrophoria, Haloa Appaturia. Alii navali prælio certant, alii domi festa agunt. Alii terrestrem ineunt pugnam, alii Dionysia cum risu celebrant. Sed nec ipsa bella, quæ res omnium est severissima, carent voluptatibus: sed & his tuba Tyrrhenica, tibia triremica, cantus militaris interjungitur. Vides voluptatum copiam.

IMITA-

IMITATIO.

Imitaberis, si doceas sanctos hujus vitæ Christianæ homines plurima, & egisse, & tulisse gravissima, vel pro Dei gloria, vel pro salute æterna, cujus spe proposita, inter adversa etiam, liquidis visi sint voluptatibus effluere. Exemplorum plena est omnis historia.

§. 4.

OBSERVATIO.

Quemadmodum historiæ ad scholasticas exercitationes traducendæ sint.

Plura de hoc genere historiæ, aut separata narratione, aut in dissertatione aliqua usurpandæ, nec tradere lubet; nec operæ pretium esse duxerim. cum omnes passim libri hoc scriptionis modo abundent. alibi etiam ad eundum redituri campum sumus. Nam & in Chriis historiæ ad mores applicandæ usus est, & in illis exercitiis, quæ sunt Rhetorum propria, historiis amplificandis nonnihil immorabimur. Hic illud præcipuè candidato eloquentiæ agendum erit, ut per adjuncta rem gestam, propè intra historicorum limites, sese continendo, ornatè norit diducere. quemddmodum à Cicerone pro Cluentio factum est; tum verò ut eandem patheticè descriptam, ad mores opportunè discat traducere, ut Tyrium Dissert 31. fecisse vidimus.

Cæterum ut historiarum tractatio ad exercitationem scholasticam, declamationesque usitatas traducatur, facillimæ cùm operæ tum inventionis res est. Duplicis potissimum generis historia est, naturalis & moralis; illa naturam rerum, hæc mores, ac gesta hominum, seu bello, idque in profana non minus, quam sacra vita exponit, perque omnes artes & disciplinas effunditur. Ergo quacunque in re libuerit, illic thema generale aliquod destinatæ exercitationis constitue. Majolum in diebus suis Canicularibus (sic librum inscribit) fecisse comperies. Illi tamen præcipue historiæ inhærendum suaserim, cujus adjuncta magis in sensum juventutis incurrunt, quæ rerum naturalium secreta minus assequitur. De civili igitur, vel agresti vita, de ludentium

& compotantium insania, de militum insolentia, de Judæorum perfidia, de Astrologorum erroribus, de artificum industria & operibus, de recta adolescentum institutione ac disciplina, de luxuriantium infelici exitu, de bellantium ac duellantium casibus, de furum, blasphemorum, aliorumve scelestorum hominum pœnis, opportunè narrationem institues, ut cum de moribus disseritur, mores simul juventutis formentur. Nos in *Exercitationibus Oratoriis*, quas seorsum damus, exempla relinquimus.

CAPUT XIV.

Variæ variarum rerum Descriptiones exponuntur, suisque exemplis declarantur.

AB illa, quam diximus fabularum ac historiarum tractatione ad Descriptionem transeundum erit, quarum naturam varietatemque supra Cap. 8. §. 9. breviter ex Aphthonio dedimus, quanquam ille ad posteriores progymnasmatum classes sedemque minus idoneam has rejecerit. Verùm ut neque historia, neque oratio alia profectior, sine Descriptionibus absolvi potest, à quibus & copiam & ornatum potissimum mutuatur; ita necesse est ad describendi aliquam facultatem sibi parandam candidatum eloquentiæ comprimis incumbere; hoc est rei, de qua disserit partes explicare singulas: ut oratio, velut pictura singulis membris per adhibitos colores expressa, sensibus animoque subjiciatur. Hoc enim agit Descriptio, ut earum nihil rerum, quæ in sermonem veniunt, nisi præcipuis explicatum partibus, proponatur, idque per omnia cùm rerum tum argumentorum genera. Sic res physicas, sic gesta & mores, sic personas, tempora, loca, & quidquid universè in dissertationem cadit, ab historicis etiam absolutioribus adumbratur; ut sine Descriptionibus munere illi suo fungi nequaquam possint. Sed nec Rhetor alium habet figurarum affectuumque campum, materiemque opportunam magis, quàm quæ ab iisdem suppeditatur. Ut hoc studium ad eloquentiam adspiranti planè inter præcipua esse debeat.

Hæc autem Descriptio per omnia, ut dixi, argumentorum genera, quæ propria dicuntur, effunditur. Definitionem suis exponit partibus; causas effectusque cum iis, quæ antecedunt,

quæque

quæque consequuntur, enumerat; attributa, adjunctaque pleraque recenset. In locorum igitur propriorum investigatione diligens est. quod studium quidam est ad ipsam eloquentiam ingressus cùm ab his locis, omne ad solidè disserendum petatur fundamentum

Nonnunquam tamen ad illustrandam descriptionem similitudines, exemplaque inducta serviunt; cùm in illis tanquam imagine res appareant, lucemque accipiant. Quare & ejusmodi Descriptiones aliquot, ex optimis subjicere autoribus placuit. Quanquam hoc loco illud præcipuè agendum sit, ut propriorum locorum clara expositione; suum reb* colorem noverit ante omnia canditatus eloquentiæ tribuere.

In personis igitur describendis consideranda atque enumeranda erunt, quæcunque inter bona illius interna repereris, ut in homine, quidquid in anima, tam ad dotes defectusque naturales, quam etiam ad virtutes vitiaque spectaverit; quidquid corporis præterea partes, formam, vires, aut eorum contraria, à capite ad pedes usque complectentur. Est enim descriptor pictoris instar, qui hoc calamo & oratione, quod hic penicillo & colore meditatur; ut scilicet res quælibet lineamentis omnibus in oculos animosque aliorum incurrat. quod quò quisque propius, hoc absolutius assequitur. Differt igitur hoc scribendi genus à Demonstrativo; quòd in exornatione res alienis etiam coloribus supra communem existimationem non raro extollatur: Descriptio in propriis verisque hæreat illa oratio metaphoris figurisque luceat hæc nativo simplicique cultu splendescat, & quasi viam quandam ad illam copiosius luxuriantem sternat. Unde hæc familiaris Historicis, illa Oratoribus est. Mutuo tamen auxilio fulciuntur. Juverit igitur ad Descriptiones illa etiam videre, quæ de laude & vituperio diversarum rerum lib. 1. c. 6. & seq. tradidi, nam ex iisdem utraque principiis ducuntur.

Præter Descriptionem personarum etiam rerum quarumcunque, sive substantiæ illæ sunt, sive attributa, seu adjuncta, seu tempora, seu loca, rectè describes. Igitur animalia, artes, scientiæ, regiones, populi, fluvii, agri, fructus, plantæ, flores, metalla, elementa, cœlum, sidera Descriptioni patent. latiusque illa quàm pictoris ingenium effertur, quòd ad dotes occultas rerum non extenditur. In his autem describendis maximè per rerum partes & adjuncta

florescit. Nihil denique aliud quàm inutile morosumque fit, ac difficile animæ hospitium. Quod nec imbres fert amplius, nec ventos, nec solem: de omnibus denique cœli tempestatibus conqueritur, & cum ipso Jove in certamen venit. Si hyems adveniat, veste multa tegitur: si æstas, refrigerari petit. Si cibis se repleverit, evacuare se optat: si evacuaverit, rursus se replet. Denique ut Euripus aliquis, aut maris refluxus, nunquam consistit, nunquam quiescit. Insatiabile est, contumax est, vorax est. Vestibus eget, eget calceis, unctionibus eget, eget medicamentis, eget lavacris. Cumque mille equos equiso unus, infinitas oves pastor unus, infinitas boves unus regat bubulcus, uni corpori manus plurimæ, plurimæ inserviunt artes. Quin ne hæc quidem sufficiunt omnia. quam enim hactenus artem invenire potuerunt homines, quâ, aut pestem avertere, aut cœlo cadentem vim pluviæ cohibere, aut terræ motum sistere, aut ignem è terra surgentem possent extinguere? vides malorum seriem successionemque mutuam vides continuationem periculorum.

Nil nutrit tellus homine infelicius uno.

Quod si ad animam venias, videbis & hic morborum agmen, quibus obsidetur ea. Si mœrorem absterseris, metus succedit. Si metus recesserit, ira excitatur. si ira desinit, invidia accedit. Ad manum est calamitas, in vicinia mala sunt. Nec ulla unquam certa quies contingit.

3. Quid quæso ad ista aut Jupiter, aut Apollo respondet, aut alius fatidicus Deus? Audiamus quid eorum interpres dicat:

Asscribunt Superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna creârint.

Quæ est ergo improbitatis hujus causa? cum cœlum & terra, duæ diversissimæ sint sedes: alteram omnis mali immunem, alteram ex utraque mixtam esse sciendum est. Ita ut bona quidem, è cœlo veniant: mala vero ex innata illi improbitate oriantur.

IMITATIO.

Hæc ab ethnico homine Christianè propemodum scripta, facilè ad similes humanæ originis & calamitatis descriptiones aptari poterunt.

§.3. Nunc

§. 3.

Nunc videamus quemadmodum non tantum affirmando ea, quæ rebus insunt, sed negando etiam quæ desunt, res suo modo describi possint. Quæ ratio describendi, licet in Deo rebusque incognitis præcipuè usurpetur, tamen & in notis quandoque locum reperiet.

Descriptio humani corporis ex negatione & affirmatione: Tyr. Diss. 38.

Non improbandum eorum esse consilium videtur, qui humanam Deorum imaginibus affinxere formam. Siquidem Deo vicina, Deo simillima est anima hominum. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum: sed quod animam facillimè circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium, quæ in terra sunt, corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, aptè compositum. Non tam magnum ut terrere quemquam; nec tam hirsutum, ut formidabile cuiquam esse possit; nec tam grave, ut non moveri; nec tam leve, ut stare nequeat: non tam durum, ut tactum repellat; non tam frigidum, ut humi serpere; nec tam calidum, ut in altum se efferre; nec tam laxum, ut natare cogatur: non tam postremò immane, ut crudas carnes; nec tam infirmum, ut solas è terra herbas voret. Sed ea corporis totius compositione, quæ verè est concinna, singulisque ejus operibus quàm maximè respondet: quæ & metum timidis, & amorem conciliet probis: natura quidem incedat, ratione tamen volet, arte natet, terram colat, fruges edat, fructus mandat; colore nitido, membris firmissimis, vultu pulchro, barba quæ deceat. Tali corporis formâ repræsentare Deos, eosque colere consueverunt Græci.

florescit. Nihil denique aliud quàm inutile morosumque fit, ac difficile animæ hospitium. Quod nec imbres fert amplius, nec ventos, nec solem: de omnibus denique cœli tempestatibus conqueritur, & cum ipso Jove in certamen venit. Si hyems adveniat, veste multa tegitur: si æstas, refrigerari petit. Si cibis se repleverit, evacuare se optat: si evacuaverit, rursus se replet. Denique ut Euripus aliquis, aut maris refluxus, nunquam consistit, nunquam quiescit. Insatiabile est, contumax est, vorax est. Vestibus eget, eget calceis, unctionibus eget, eget medicamentis, eget lavacris. Cumque mille equos equiso unus, infinitas oves pastor unus, infinitas boves unus regat bubulcus, uni corpori manus plurimæ, plurimæ inserviunt artes. Quin ne hæc quidem sufficiunt omnia. quam enim hactenus artem invenire potuerunt homines, quâ, aut pestem avertere, aut cœlo cadentem vim pluviæ cohibere, aut terræ motum sistere, aut ignem è terra surgentem possent extinguere? vides malorum seriem successionemque mutuam vides continuationem periculorum.

Nil nutrit tellus homine infelicius uno.

Quod si ad animam venias, videbis & hic morborum agmen, quibus obsidetur ea. Si mœrorem absterseris, metus succedit. Si metus recesserit, ira excitatur. si ira desinit, invidia accedit. Ad manum est calamitas, in vicinia mala sunt. Nec ulla unquam certa quies contingit.

3. Quid quæso ad ista aut Jupiter, aut Apollo respondet, aut alius fatidicus Deus? Audiamus quid eorum interpres dicat:

Asscribunt Superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna creârint.

Quæ est ergo improbitatis hujus causa? cum cœlum & terra, duæ diversissimæ sint sedes: alteram omnis mali immunem, alteram ex utraque mixtam esse sciendum est. Ita ut bona quidem, è cœlo veniant: mala vero ex innata illi improbitate oriantur.

IMITATIO.

Hæc ab ethnico homine Christianè propemodum scripta, facilè ad similes humanæ originis & calamitatis descriptiones aptari poterunt.

§.3. Nunc

§. 3.

Nunc videamus quemadmodum non tantum affirmando ea, quæ rebus insunt, sed negando etiam quæ desunt, res suo modo describi possint. Quæ ratio describendi, licet in Deo rebusque incognitis præcipuè usurpetur, tamen & in notis quandoque locum reperiet.

Descriptio humani corporis ex negatione & affirmatione: Tyr. Diss. 38.

Non improbandum eorum esse consilium videtur, qui humanam Deorum imaginibus affinxere formam. Siquidem Deo vicina, Deo simillima est anima hominum. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum: sed quod animam facillimè circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium, quæ in terra sunt, corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, aptè compositum. Non tam magnum ut terrere quemquam; nec tam hirsutum, ut formidabile cuiquam esse possit; nec tam grave, ut non moveri; nec tam leve, ut stare nequeat: non tam durum, ut tactum repellat; non tam frigidum, ut humi serpere; nec tam calidum, ut in altum se efferre; nec tam laxum, ut natare cogatur: non tam postremò immane, ut crudas carnes; nec tam infirmum, ut solas è terra herbas voret. Sed ea corporis totius compositione, quæ verè est concinna, singulisque ejus operibus quàm maximè respondet: quæ & metum timidis, & amorem conciliet probis: natura quidem incedat, ratione tamen volet, arte natet, terram colat, fruges edat, fructus mandat; colore nitido, membris firmissimis, vultu pulchro, barba quæ deceat. Tali corporis formâ repræsentare Deos, eosque colere consueverunt Græci.

florescit. Nihil denique aliud quàm inutile morosumque fit, ac difficile animæ hospitium. Quod nec imbres fert amplius, nec ventos, nec solem: de omnibus denique cœli tempestatibus conqueritur, & cum ipso Jove in certamen venit. Si hyems adveniat, veste multa tegitur: si æstas, refrigerari petit. Si cibis se repleverit, evacuare se optat: si evacuaverit, rursus se replet. Denique ut Euripus aliquis, aut maris refluxus, nunquam consistit, nunquam quiescit. Insatiabile est, contumax est, vorax est. Vestibus eget, eget calceis, unctionibus eget, eget medicamentis, eget lavacris. Cumque mille equos equiso unus, infinitas oves pastor unus, infinitas boves unus regat bubulcus, uni corpori manus plurimæ, plurimæ inserviunt artes. Quin ne hæc quidem sufficiunt omnia. quam enim hactenus artem invenire potuerunt homines, quâ, aut pestem avertere, aut cœlo cadentem vim pluviæ cohibere, aut terræ motum sistere, aut ignem è terra surgentem possent extinguere? vides malorum seriem successionemque mutuam vides continuationem periculorum.

Nil nutrit tellus homine infelicius uno.

Quod si ad animam venias, videbis & hic morborum agmen, quibus obsidetur ea. Si mœrorem absterseris, metus succedit. Si metus recesserit, ira excitatur. si ira desinit, invidia accedit. Ad manum est calamitas, in vicinia mala sunt. Nec ulla unquam certa quies contingit.

3. Quid quæso ad ista aut Jupiter, aut Apollo respondet, aut alius fatidicus Deus? Audiamus quid eorum interpres dicat:

Asscribunt Superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna creârint.

Quæ est ergo improbitatis hujus causa? cum cœlum & terra, duæ diversissimæ sint sedes: alteram omnis mali immunem, alteram ex utraque mixtam esse sciendum est. Ita ut bona quidem, è cœlo veniant: mala vero ex innata illi improbitate oriantur.

IMITATIO.

Hæc ab ethnico homine Christianè propemodum scripta, facilè ad similes humanæ originis & calamitatis descriptiones aptari poterunt.

§.3. Nunc

§. 3.

Nunc videamus quemadmodum non tantum affirmando ea, quæ rebus insunt, sed negando etiam quæ desunt, res suo modo describi possint. Quæ ratio describendi, licet in Deo rebusque incognitis præcipuè usurpetur, tamen & in notis quandoque locum reperiet.

Descriptio humani corporis ex negatione & affirmatione: Tyr. Diss. 38.

Non improbandum eorum esse consilium videtur, qui humanam Deorum imaginibus affinxere formam. Siquidem Deo vicina, Deo simillima est anima hominum. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum: sed quod animam facillimè circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium, quæ in terra sunt, corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, aptè compositum. Non tam magnum ut terrere quemquam; nec tam hirsutum, ut formidabile cuiquam esse possit; nec tam grave, ut non moveri; nec tam leve, ut stare nequeat: non tam durum, ut tactum repellat; non tam frigidum, ut humi serpere; nec tam calidum, ut in altum se efferre; nec tam laxum, ut natare cogatur: non tam postremò immane, ut crudas carnes; nec tam infirmum, ut solas è terra herbas voret. Sed ea corporis totius compositione, quæ verè est concinna, singulisque ejus operibus quàm maximè respondet: quæ & metum timidis, & amorem conciliet probis: natura quidem incedat, ratione tamen volet, arte natet, terram colat, fruges edat, fructus mandat; colore nitido, membris firmissimis, vultu pulchro, barba quæ deceat. Tali corporis formâ repræsentare Deos, eosque colere consueverunt Græci.

florescit. Nihil denique aliud quàm inutile morosumque fit, ac difficile animæ hospitium. Quod nec imbres fert amplius, nec ventos, nec solem: de omnibus denique cœli tempestatibus conqueritur, & cum ipso Jove in certamen venit. Si hyems adveniat, veste multa tegitur: si æstas, refrigerari petit. Si cibis se repleverit, evacuare se optat: si evacuaverit, rursus se replet. Denique ut Euripus aliquis, aut maris refluxus, nunquam consistit, nunquam quiescit. Insatiabile est, contumax est, vorax est: Vestibus eget, eget calceis, unctionibus eget, eget medicamentis, eget lavacris. Cumque mille equos equiso unus, infinitas oves pastor unus, infinitas boves unus regat bubulcus, uni corpori manus plurimæ, plurimæ inserviunt artes. Quin ne hæc quidem sufficiunt omnia. quam enim hactenus artem invenire potuerunt homines, quâ, aut pestem avertere, aut cœlo cadentem vim pluviæ cohibere, aut terræ motum sistere, aut ignem è terra surgentem possent extinguere? vides malorum seriem successionemque mutuam vides continuationem periculorum.

Nil nutrit tellus homine infelicius uno.

Quod si ad animam venias, videbis & hic morborum agmen, quibus obsidetur ea. Si mœrorem absterseris, metus succedit. Si metus recesserit, ira excitatur. si ira desinit, invidia accedit. Ad manum est calamitas, in vicinia mala sunt, Nec ulla unquam certa quies contingit.

3. Quid quæso ad ista aut Jupiter, aut Apollo respondet, aut alius fatidicus Deus? Audiamus quid eorum interpres dicat:

Asscribunt Superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna creârint.

Quæ est ergo improbitatis hujus causa? cum cœlum & terra, duæ diversissimæ sint sedes: alteram omnis mali immunem, alteram ex utraque mixtam esse sciendum est. Ita ut bona quidem, è cœlo veniant: mala vero ex innata illi improbitate oriantur.

IMITATIO.

Hæc ab ethnico homine Christianè propemodum scripta, facilè ad similes humanæ originis & calamitatis descriptiones aptari poterunt.

§.3. Nunc

§. 3.

Nunc videamus quemadmodum non tantum affirmando ea, quæ rebus insunt, sed negando etiam quæ desunt, res suo modo describi possint. Quæ ratio describendi, licet in Deo rebusque incognitis præcipuè usurpetur, tamen & in notis quandoque locum reperiet.

Descriptio humani corporis ex negatione & affirmatione: Tyr. Diss. 38.

Non improbandum eorum esse consilium videtur, qui humanam Deorum imaginibus affinxere formam. Siquidem Deo vicina, Deo simillima est anima hominum. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum: sed quod animam facillimè circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium, quæ in terra sunt, corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, aptè compositum. Non tam magnum ut terrere quemquam; nec tam hirsutum, ut formidabile cuiquam esse possit; nec tam grave, ut non moveri; nec tam leve, ut stare nequeat: non tam durum, ut tactum repellat; non tam frigidum, ut humi serpere; nec tam calidum, ut in altum se efferre; nec tam laxum, ut natare cogatur: non tam postremò immane, ut crudas carnes; nec tam infirmum, ut solas è terra herbas voret. Sed ea corporis totius compositione, quæ verè est concinna, singulisque ejus operibus quàm maximè respondet: quæ & metum timidis, & amorem conciliet probis: natura quidem incedat, ratione tamen volet, arte natet, terram colat, fruges edat, fructus mandat; colore nitido, membris firmissimis, vultu pulchro, barba quæ deceat. Tali corporis formâ repræsentare Deos, eosque colere consueverunt Græci.

& compotantium inſania, de militum inſolentia, de Judæorum perfidia, de Aſtrologorum erroribus, de artificum induſtria & operibus, de recta adoleſcentum inſtitutione ac diſciplina, de luxuriantium infelici exitu, de bellantium ac duellantium caſibus, de furum, blaſphemorum, aliorumve ſceleſtorum hominum pœnis, opportunè narrationem inſtitues, ut cum de moribus diſſeritur, mores ſimul juventutis formentur. Nos in *Exercitationibus Oratoriis*, quas ſeorſum damus, exempla relinquimus.

CAPUT XIV.

Variæ variarum rerum Deſcriptiones exponuntur, ſuiſque exemplis declarantur.

AB illa, quam diximus fabularum ac hiſtoriarum tractatione ad Deſcriptionem tranſeundum erit, quarum naturam varietatemque ſupra Cap. 8. §. 9. breviter ex Aphthonio dedimus, quanquam ille ad poſteriores progymnaſmatum claſſes ſedemque minus idoneam has rejecerit. Verùm ut neque hiſtoria, neque oratio alia profectior, ſine Deſcriptionibus abſolvi poteſt, à quibus & copiam & ornatum potiſſimum mutuatur; ita neceſſe eſt ad deſcribendi aliquam facultatem ſibi parandam candidatum eloquentiæ comprimis incumbere; hoc eſt rei, de qua diſſerit partes explicare ſingulas: ut oratio, velut pictura ſingulis membris per adhibitos colores expreſſa, ſenſibus animoque ſubjiciatur. Hoc enim agit Deſcriptio, ut earum nihil rerum, quæ in ſermonem veniunt, niſi præcipuis explicatum partibus, proponatur, idque per omnia cùm rerum tum argumentorum genera. Sic res phyſicas, ſic geſta & mores, ſic perſonas, tempora, loca, & quidquid universè in diſſertationem cadit, ab hiſtoricis etiam abſolutioribus adumbratur; ut ſine Deſcriptionibus munere illi ſuo fungi nequaquam poſſint. Sed nec Rhetor alium habet figurarum affectuumque campum, materiemque opportunam magis, quàm quæ ab iiſdem ſuppeditatur. Ut hoc ſtudium ad eloquentiam adſpiranti planè inter præcipua eſſe debeat.

Hæc autem Deſcriptio per omnia, ut dixi, argumentorum genera, quæ propria dicuntur, effunditur. Definitionem ſuis exponit partibus; cauſas effectuſque cum iis, quæ antecedunt,

quæque

quæque consequuntur, enumerat; attributa, adjunctaque pleraque recenset. In locorum igitur propriorum investigatione diligens est. quod studium quidam est ad ipsam eloquentiam ingressus cùm ab his locis, omne ad solidè disserendum petatur fundamentum

Nonnunquam tamen ad illustrandam descriptionem similitudines, exemplaque inducta serviunt; cùm in illis tanquam imagine res appareant, lucemque accipiant. Quare & ejusmodi Descriptiones aliquot, ex optimis subjicere autoribus placuit. Quanquam hoc loco illud præcipuè agendum sit, ut propriorum locorum clara expositione; suum reb⁹ colorem noverit ante omnia candidatus eloquentiæ tribuere.

In personis igitur describendis consideranda atque enumeranda erunt, quæcunque inter bona illius interna repereris, ut in homine, quidquid in anima, tam ad dotes defectusque naturales, quam etiam ad virtutes vitiaque spectaverit; quidquid corporis præterea partes, formam, vires, aut eorum contraria, à capite ad pedes usque complectentur. Est enim descriptor pictoris instar, qui hoc calamo & oratione, quod hic penicillo & colore meditatur; ut scilicet res quælibet lineamentis omnibus in oculos animosque aliorum incurrat. quod quò quisque propius, hoc absolutius assequitur. Differt igitur hoc scribendi genus à Demonstrativo; quòd in exornatione res alienis etiam coloribus supra communem existimationem non rarò extollatur: Descriptio in propriis verisque hæreat illa oratio metaphoris figurisque luceat hæc nativo simplicique cultu splendescat, & quasi viam quandam ad illam copiosius luxuriantem sternat. Unde hæc familiaris Historicis, illa Oratoribus est. Mutuo tamen auxilio fulciuntur. Juverit igitur ad Descriptiones illa etiam videre, quæ de laude & vituperio diversarum rerum lib. 1. c. 6. & seq. tradidi, nam ex iisdem utraque principiis ducuntur.

Præter Descriptionem personarum etiam rerum quarumcunque, sive substantiæ illæ sunt, sive attributa, seu adjuncta, seu tempora, seu loca, rectè describes. Igitur animalia, artes, scientiæ, regiones, populi, fluvii, agri, fructus, plantæ, flores, metalla, elementa, cœlum, sidera Descriptioni patent. latiusque illa quàm pictoris ingenium effertur, quòd ad dotes occultas rerum non extenditur. In his autem describendis maximè per rerum partes & adjuncta

incedendum est; quòd causæ & attributa magis occulta sint, effecta verò sæpe extra rem illam quam effingimus. In Descriptionibus autem & notiora, & interiora plerumque rerum tangenda sunt, ut quibus maximè omnium oculis subjiciantur. Hæc universe monuisse sufficiant. Nunc ad diversa bonorum autorum exempla vertamur. Quæ licet ejusmodi non sint, ut ex professo ad rei totius, quam tangunt, lineamenta exprimenda usurpentur; sed prout à quolibet ad argumenti, quod tractabat, institutum pertinere visa sunt, tamen ad ideam Descriptionum exhibendam sufficere non omnino rudi poterunt, atque ex ungue, quod ajunt, Leonem demonstrare, simul etiam modum rationemque aperire, quemadmodum reliquo orationis corpori opportunè sint inferendæ, Exemplis enim aptissimè ducimur.

§. 2.

Descriptio Dei creatoris, & hominis miseri ab illo creati, ab effectibus, & adjunctis. Tyr. Differt. 25.

1. *Deum omnium esse opificem & gubernatorem manifestum est.*

2. *Mirum igitur meritò videatur, unde tot, quæ hic breviter describuntur, mala in homines exundent.*

3. *Improbitas malorum causa est.*

1. Legatos illos imitemur, qui communi gentis alicujus nomine ad oraculum mittuntur, atque ex Jove hoc quæramus: Quis hominibus bonorum pater est, & autor? quæ principia, qui fontes, unde huc deferantur? Nisi de his fortè similibusque rebus, non obtundendus est Deus, cum præsertim ipsæ appareant causæ, cum oculis occurrat origo eorum, & ipse se nobis fons offerat, cum patrem horum omnium opificemque videamus. Illum dico, qui cœli disposuit ordinem, qui solem lunamque aurigatur, siderum circuitus certosque lapsus & choreas cursusque, voce sua motuque, tanquam præcentor aliquis in choro, moderatur: qui anni distinguit tempora, ventos gubernat, mare formavit, fabricavit terram, fluvios emittit, fructus educat, animalia gignit? qui Natalitius

tius, Pluvius, Fructifer, Patrius, Progenitor à nobis dicitur. Cujus mens solida, & incorrupta, nusquam dividitur, sed incredibili velocitate, tanquam unico oculi intuitu, quodcunque tangit, ornat, atque illustrat. Non secus quam radii solares in terram, ubi inciderunt, quamcunque ejus invasêre partem, eam illustrant. Quomodo autem id fiat, mihi non est promptum dicere, Homerus tamen occultè innuit, cum inquit:

Dixerat hæc, nigrisque oculis Saturnia proles
Annuit,

Una cum nutu Jovis terra constitit, & quicquid terra educat; mare constitit, & quidquid mare producit: aër constitit, & quidquid aër fert: Cœlum constitit, & quidquid in cœlo movetur. Omnia hæc opera Jovis nutus perfecit. Hactenus nullum oraculum requiro, Homero fidem habeo, Platoni credo, Epicuri me miseret.

2. Quod si vicissim ad mala me converto, & de iis cogito, non possum quin quæram; unde tandem pervenerint? Qui fontes eorum, quæ origo prima? An ex Æthiopia, cum Peste, aut Babylone cum Xerxe, aut ex Macedonia cum Philippo? non enim è cœlo, me Hercules, non è cœlo. Exultat enim illic invidia. Hic certè, hic oraculo opus habeo. Consulamus ergo Deos, Jupiter & Apollo, aut si quis præterea Deus fatidicus es, qui humani generis curam geris, hanc nobis quæstionem explicate. Unde malorum est initium? quæ causa? quo pacto vitare ea, aut èffugere possumus,

Nulla etenim invidia est longè mala cuncta fugare.

Quis enim non videt, quàm multa passim circa terram versentur, quàm multis luctibus suspiriisque terram impleant: Quæ omnia tanquam fato quodam vitam humanam comitantur? Deplorat morbos suos, à quibus obsidetur hoc corpusculum, deplorat incertam valetudinis conditionem, & ambiguitatem vitæ. Quæ namque ætas, aut tempus est, quæ non à malo oppugnatur aliquo? nonne simul ac natum est, humidisque matris è locis recens evulsum, luto sordibusque diffluit, vagitu omnia complet, ac lachrymis? Postea si ad ætatis florem adolescat, fervore quodam, & intemperie agitur. Si perveniat ad pubertatem, præ ardore animi, & vehementia, nullis consiliis in officio contineri potest, nullis monitis. Si ad senectutem, paulatim moritur, & deflorescit,

florescit. Nihil denique aliud quàm inutile morosumque fit, ac difficile animæ hospitium. Quod nec imbres fert amplius, nec ventos, nec solem: de omnibus denique cœli tempestatibus conqueritur, & cum ipso Jove in certamen venit. Si hyems adveniat, veste multa tegitur: si æstas, refrigerari petit. Si cibis se repleverit, evacuare se optat: si evacuaverit, rursus se replet. Denique ut Euripus aliquis, aut maris refluxus, nunquam consistit, nunquam quiescit. Insatiabile est, contumax est, vorax est. Vestibus eget, eget calceis, unctionibus eget, eget medicamentis, eget lavacris. Cumque mille equos equiso unus, infinitas oves pastor unus, infinitas boves unus regat bubulcus, uni corpori manus plurimæ, plurimæ inserviunt artes. Quin ne hæc quidem sufficiunt omnia. quam enim hactenus artem invenire potuerunt homines, quâ, aut pestem avertere, aut cœlo cadentem vim pluviæ cohibere, aut terræ motum sistere, aut ignem è terra surgentem possent extinguere? vides malorum seriem successionemque mutuam vides continuationem periculorum.

Nil nutrit tellus homine infelicius uno.

Quod si ad animam venias, videbis & hic morborum agmen, quibus obsidetur ea. Si mœrorem absterseris, metus succedit. Si metus recesserit, ira excitatur. si ira desinit, invidia accedit. Ad manum est calamitas, in vicinia mala sunt. Nec ulla unquam certa quies contingit.

3. Quid quæso ad ista aut Jupiter, aut Apollo respondet, aut alius fatidicus Deus? Audiamus quid eorum interpres dicat:

Ascribunt Superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna creârint.

Quæ est ergo improbitatis hujus causa? cum cœlum & terra, duæ diversissimæ sint sedes: alteram omnis mali immunem, alteram ex utraque mixtam esse sciendum est. Ita ut bona quidem, è cœlo veniant: mala vero ex innata illi improbitate oriantur.

IMITATIO.

Hæc ab ethnico homine Christianè propemodum scripta, facilè ad similes humanæ originis & calamitatis descriptiones aptari poterunt.

§.3. Nunc

§. 3.

Nunc videamus quemadmodum non tantum affirmando ea, quæ rebus insunt, sed negando etiam quæ desunt, res suo modo describi possint. Quæ ratio describendi, licet in Deo rebusque incognitis præcipuè usurpetur, tamen & in notis quandoque locum reperiet.

Descriptio humani corporis ex negatione & affirmatione: Tyr. Diss. 38.

Non improbandum eorum esse consilium videtur, qui humanam Deorum imaginibus affinxere formam. Siquidem Deo vicina, Deo simillima est anima hominum. Nec æquum videtur rem sui simillimam deformi includere corpori voluisse Deum: sed quod animam facillimè circumferret immortalem, leve, motui aptum, quodque solum omnium, quæ in terra sunt, corporum caput in cœlum attolleret, venustum, alacre, aptè compositum. Non tam magnum ut terrere quemquam; nec tam hirsutum, ut formidabile cuiquam esse possit; nec tam grave, ut non moveri; nec tam leve, ut stare nequeat: non tam durum, ut tactum repellat; non tam frigidum, ut humi serpere; nec tam calidum, ut in altum se efferre; nec tam laxum, ut natare cogatur: non tam postremò immane, ut crudas carnes; nec tam infirmum, ut solas è terra herbas voret. Sed ea corporis totius compositione, quæ verè est concinna, singulisque ejus operibus quàm maximè respondet: quæ & metum timidis, & amorem conciliet probis: natura quidem incedat, ratione tamen volet, arte natet, terram colat, fruges edat, fructus mandat; colore nitido, membris firmissimis, vultu pulchro, barba quæ deceat. Tali corporis formâ repræsentare Deos, eosque colere consueverunt Græci.

§. 4.

Descriptio Cœlorum terræque & vanitatis humanæ gloriæ, à partibus & adjunctis. Cic. in som. Scipionis.

1. *Principio Scipionem in cœlo statuit, orbesque cœlestes primum, deinde & terram, orasque in illa habitatas proponit.*

2. *Ostendit, quàm vanum sit, aliquam hominis memoriam, gloriamque, in tam angusto temporum, locorum, hominumque spatio captare.*

3. *Concludit ad cœlestia igitur, spretis cæteris, animum transferendum esse.*

1. Quousque humi defixa mens eris, cum cœlos intueris? Nonne aspicis, ut novem orbibus vel potius globis connexa sunt omnia, quorum unus est cœlestis extimus, qui reliquos omnes complectitur (summus ipse Deus arcens, & continens cæteros) in quo infixi sunt illi, qui volvuntur stellarum cursus sempiterni: cui subjecti sunt orbes septem, qui versantur retro contrario motu, atque cœlum. Et quidem unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosperus & salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis. tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicitis. Deinde subter mediam ferè regionem sol obtinet, dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio, tanta magnitudine ut cuncta sua luce lustret, & compleat. Hunc ut comites consequuntur, alter Veneris, alter Mercurii cursus, in infimoque orbe luna, radiis solis accensa convertitur. infra autem jam nihil est, nisi mortale, & caducum, præter animos generi hominum munere Deorum datos. Supra lunam sunt omnia æterna. Nam ea, quæ est media & nona, tellus, neque movetur, & infima est, & in eam feruntur omnia nutu suo pondera.

Contra verò dulcis quidam ac cœlestis sonus impulsu & motu ipsorum orbium efficitur, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt, & natura

ςura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acutè sonent. quam ob causam summus ille quidem stelliferi cœli cursus, cujus conversio est concitatior, acuto & exercitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris atque infimus. nam terra nova, immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos intervalli sonos; qui numerus rerum omnium fere nodus est. Quod docti homines nervis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum; sicut alii, qui præstantibus ingeniis, in vita humana, divina studia coluerunt.

2. Hæc cœlestia semper spectato, illa humana in parvis terræ spatiis; contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes Vides habitari raris, & angustis in terra locis, & in ipsis, quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas, hominesque qui, incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare posset, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis: à quibus gloriam exspectare nullam certè potestis. Cernis autem terram eandem quasi quibusdam redimitam & circumdatam cingulis: è quibus duos maximè inter se diversos, & cœli verticibus ipsis, ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum, & maximum solis ardore torreri. duo sunt habitabiles: quorum Australis ille, in quo qui insident, adversa nobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus: hic autem alter subjectus Aquiloni, quam incolitis, cerne quam vos tenui parte contingat. Omnis terra, quæ colitur vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quam sit parvus, vides.

Ex his ipsis cultis notisque terris, num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen, vel Caucasum hunc, quem cernis transcendere potuit, vel illum Gangem transnare; quis in reliquis Orientis, aut obeuntis solis ultimis, aut Aquilonis Austrive partibus, tuum nomen audiet, quibus amputatis, cernis profectò quantis in angustiis vestra gloria se dilatare velit. Ipsi

autem

autem, qui de nobis loquentur, quam diu loquentur? quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum à patribus acceptas, posteris prodere, tamen propter eluviones, exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. qu d autem interest, ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de se, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint: qui nec paucio-res, & certè meliores fuerunt viri? cum præsertim apud eos ipsos, à quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius anni memoriam consequi posset. Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est, unius astri reditu metiuntur. cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem longis intervallis retulerint: cum ille vere vertens annus appellari potest: in quo, vix d cere audeo, quam multa secula hominum teneantur. Namque, ut olim deficere sol hominibus, extinguique visus est, cum Romuli animus ipsa hæc in templa penetravit; quando eadem parte soli, eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium, st ll.sque revocatis, expletum annum habeto. Hujus quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conversam. Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris; in quo omnia sunt magnis & præstantibus viris: quanti tandem est ista hominum gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam posset.

Igitur, altè spectare si voles, atque ad hanc sedem, & æternam domum intueri: neque sermonibus vulgi dederis te; nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris, oportet, ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant. sed loquentur tamen; sermo autem omnis ille & angustiis cingitur iis regionum, quas vides; nec unquam de illo perennis fuit; & obruitur hominum interitu; & oblivione posteritatis exstinguitur.

IMITATIO.

Servit hic locus ad mundi honorisque vanitatem, in sanctis hominibus, ut D Bernardo, Francisco, Ignatio, aliisque illam considerantibus, despicientibusq; explodendam; tum vero etiam cœli cœlestiumque æstimationem animis subjiciendam.

§.5.Ba-

§. 5.

Babylonis urbis descriptio à partium præcipuarum ennumeratione, Curtius lib. 5. Hist. cap. 4.

Pulchritudo urbis ac vetustas non Regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud immeritò convertit. Semiramis eam condiderat, vel ut plerique credidere Belus, cujus regia ostenditur. *Murus* laterculo coctili, bitumine interlitus spatium triginta & duorum pedum latitudine amplectitur, quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur: altitudo murorum 50. cubitorum eminet spatio, *Turres* denis pedibus quàm murus altiores sunt. Totius operis ambitus 368. Stadia complectitur. Singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. *Ædificia* non sunt admota muris, sed fere spatium jugeri unius absunt, ac ne totam quidem urbem tectis occuparunt: per stadia octoginta habitatur, nec omnia continua sunt, credo quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cętera serunt coluntq; , ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrent. *Euphrates* interfluit magnæque molis crepidinibus coercitus. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernæ ingentes in altitudinem pressæ ad excipiendum impetum fluminis. quod ubi appositæ crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque qui exciperent. coctili laterculo structi sunt. totum opus bitumine adstringitur. *Pons* lapideus flumini impositus jungit urbem. Hic quoque inter mirabilia orientis opera numeratus est. quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto, vix fulciendo operi firmum reperiunt solum. Arenæ autem subinde cumulatæ, & saxis, quibus pons sustinetur annexæ, morantur amnem, qui retentus, acrius, quam si libero cursu mearet, illiditur. *Arcem* quoque ambitu viginti stadia complexam habet, triginta pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt, ad septuaginta summum munimenti fastigium pervenit. Super arcem vulgatum Græcorum fabulis miraculum, *pensiles horti* sunt, summam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum umbra & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum opus sustinent, instructæ sunt. Super

pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terram, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant, adeoque validas arborum sustinent moles, ut stipites earum octo cubitorum spatium crassitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æquè sint, ac si terra sua alerentur. Et cum vetustas non opera solum manufacta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat; hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere ornata est, inviolata durat. quippe viginti lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes; ut procul visentibus silvæ montibus suis imminere videantur. Syriæ Regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore conjugis victum, quæ desiderio nemorum sylvarumque in campestribus locis virum compulit naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.

§. 6.

Descriptio propugnatæ & expugnatæ urbis Saguntinæ in Hispania à gestorum enumeratione & adjunctis, Livius lib. 21. Histor.

Locus & situs urbis.

Saguntum summa vi ab *Hannibale* oppugnabatur. Civitas ea longè opulentissima ultra Iberum fuit, sita passus mille ferme à mari. oriundi à Zacyntho insula dicuntur, missique etiam ab Adrea Rutulorum quidam generis, cæterum in tantas brevi creverant opes, seu maritimis seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinæ, quâ fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. Hannibal infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris urbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat, in planiorem patentioremque, quam cætera circa, vallem vergens. adversus eum vineas agere instituit, per quas aries mœnibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit: ita haud quaquam prosperè, postquam ad effectum operis ventum est, cœptis succedebat: &

turris

turris ingens imminebat: & murus, ut in suspecto loco, supra cæteræ modum altitudinis, emunitus erat.

Propugnandi & oppugnandi ratio.

Juventus delecta, ubi plurimum periculi ac laboris ostendebatur, ibi vi majore obsistebant, ac primo missilibus summovere hostem: nec quicquam satis tutum munientibus pati. Deinde jam non pro mœnibus modò atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat. Quibus tumultuariis certaminibus haud fere plures Saguntini cadebant quàm Pœni. Ut verò Hannibal ipse, dum murum incautius subiit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit: tanta circa fuga atque trepidatio fuit, ut non multum abesset, quin opera ac vineæ desererentur. Obsidio deinde per paucos dies magis, quàm oppugnatio fuit, dum vulnus Ducis curaretur. per quod tempus ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Itaque acrius de integro obortum est bellum, pluribusque partibus, vix accipient.b⁹ quibusdam opera locis, vineæ cœptæ agi, admovetique aries. Abundat multitudine hominum Pœnus. ad centum enim quinquaginta millia habuisse in armis creditur. Oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multimoda arte distineri cœpti sunt: & non sufficiebant, jam enim feriebantur arietibus muri: quassatæ quoque multæ partes erant. Una continentibus ruinis nudaverat urbem. tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant, captumque oppidum ruina crediderant Pœni, quâ velut si pariter utrosque murus texisset, ita utrimque in pugnam procursum est. Nihil tumultuariæ pugnæ simile erat, quales in oppugnantibus urbium per occasionem partis alterius conseri solent: sed justæ acies, veluti patenti campo, inter ruinas muri tectaque urbis modico distantia intervallo constiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat. Pœno cepisse se urbem, si paululum adnitantur, credente: Saguntinis pro nudata mœnibus patria corpora opponentibus: nec ullo pedem referente, nec relicto à se loco hostem immitteret. Itaque quo acrius & confertim magis utrimque pugnabatur, eò plures vulnerabantur, nullo inter arma

corporaque vano intercidente telo. Falarica erat Saguntinis, missile telum hastili oblongo, & cætera tereti, præterquam, ad extremum, unde ferrum exstabat. Id sicut in pilo quadratum, stupa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Sed id maximè, etiamsi hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat; quod cum accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multò majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat. Cum ergo diu anceps fuisset certamen, & Saguntinis, quia præter spem resisterent, crevissent animi: Pœnus quia non vicisset, pro victo esset: clamorem repentè oppidani tollunt, hostemque in ruinas muri expellunt: inde impeditum trepidantemque exturbant: postremò fusum fugatumque in castra redigunt.

Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Hannibal quia fessum militem præliis operibusque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit, stationibus ad custodiam vinearum aliorumque operum dispositis interim animos eorum, nunc ira in hostes stimulando, nunc spe præmiorum accendit. Ut verò pro concione prædam captæ urbis edixit militum fore, adeò accensi omnes sunt, ut si extemplo signum datũ esset, nulla vi resisti videretur posse. Saguntini, ut à prǽliis quietẽ habuerãt, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies: ita non nocte, non die unquam cessaverant ab opere, ut novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Inde oppugnatio eos aliquantò atrocior, quàm antè, adorta est: nec qua primùm aut potissimùm parte ferrent opem, cum omnia variis clamoribus streperent, satis scire poterant. Ipse Hannibal, qua turris mobilis omnia munimenta urbis superans altitudine agebatur, hortator aderat, quæ cum admota catapultis ballistisque per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudasset, tum Hannibal occasionem ratus, quingentos fermè Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit: Nec erat difficile opus, quod cœmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. Itaque antequam cæderetur, ruebat: perque patentia ruinis, agmina armatorum in urbem vadebant. locum quoque editum capiunt: collocatisque eo catapultis ballistisque, ut castellum in ipsa urbe velut arcem imminen-

minentem haberent, muro circumdant. Et Saguntini murum interiorem ab nondum capta urbis parte ducunt. Utrimque summa vi & muniunt & pugnant, sed interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt. Simul crescit inopia omnium longâ obsidione, & minuitur exspectatio internæ opis, cum tam procul Romani, unica spes, circa omnia hostium essent. Paulisper tamen affectos animos recreavit repentina profectio Hannibalis in Oretanos Carpetanosque, qui duo populi delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, metum defectionis cum præbuissent, oppressi, celeritate Hannibalis, omiserunt mota arma. Nec Sagunti oppugnatio segnior erat, Mabarbale Himilconis filio, quem præfecerat Hannibal, ita impigrè rem agente, ut ducem abesse, nec cives nec hostes sentirent. Is & prælia aliquot secunda fecit, & tribus arietibus aliquantum muri discussit: strataque omnia recentibus ruinis advenienti Hannibali ostendit. Itaque ad ipsam arcem extemplo ductus exercitus, atroxque prælium cum multorum utriusque cæde initum, & pars arcis capta est.

Pace frustra tentata urbs intercipitur.

Tentata deinde per duos exigua pacis spes, Alconem Saguntinum, & Alorcum Hispanum. Alcon insciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, cum ad Hannibalem noctu transisset, postquam nihil lacrymæ movebant, conditionesque tristes, ut ab irato victore ferebantur, transfuga ex oratore factus, apud hostem mansit, moriturum affirmans qui sub conditionibus his de pace ageret. Postulabatur autem, redderent res Turdetanis: traditoque omni auro atque argento, egressi urbe cum singulis vestimentis, ibi habitarent, ubi Pœnus jussisset. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus vinci animos, ubi alia vincantur, affirmans, se pacis ejus interpretem fore pollicetur. Ad hæc audienda cum circumfusa paulatim multitudine, permistum senatui esset populi concilium: repentè, Primores secessione facta, priusquam responsum daretur, argentum aurumque omne ex publico privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum conjicientes, eodem plerique semetipsos præcipitaverunt. Cum ex eo

pavor ac trepidatio totam urbem pervasisset, alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat: perque ruinam ejus cohors Pænorum impetu facto, cum signum Imperatori dedisset, nudatam stationibus custodiisque solitis hostium esse urbem, non cunctandum in tali occasione ratus Hannibal, totis viribus aggressus urbem, momento cepit: signo dato, ut omnes puberes interficerentur. quod imperium crudele, cæterum prope necessarium cognitum in ipso eventu est, cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum conjugibus ac liberis, domos super seipsos concremaverunt? aut armati nullum ante finem pugnæ, quam morientes fecerunt? Captum oppidum est cum ingenti præda, quamquam pleraque ab dominis de industria corrupta erant, & in cædibus vix ullum discrimen ætatis ira fecerat, & captivi militum præda fuerant; tamen ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniæ redactum esse constat, & multam pretiosam supellectilem, vestemque missam Carthaginem.

§ 7.

Descriptio pugnæ ad lacum Thrasimenum in Italia, ubi Romani ab Hannibale cæsi sunt, à loci exercitusque & gestorum expositione,
Livius lib. 22.

Locus pugnæ aut tempus.

Jam Hannibal pervenerat ad loca insidiis nata; ubi maximè Cortonenses Thrasimenus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad ipsum de industria relicto spatio: deinde paulò latior patescit campus, inde colles assurgunt. Ibi castra in aperto locat, ubi ipse cum Afris modò Hispanisque consideret Baleares, cæteramq; levem armaturam post montes circumducit: equites ad ipsas fauces saltus, tumulis aptè tegentibus locat: ut ubi intrassent Romani, objecto equitatu, clausa omnia lacu ac montibus essent. Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato postero die, vix dum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit: id tantum hostium, quod ex adverso erat, aspexit: à tergo ac super caput decerpere insidiæ.

Con-

Congressus pugnantium.

Pœnus ubi id quod petierat, clausum lacu montibusque, & circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat invadendi. Qui ubi qua cuique proximum fuit, decurrêre: eò magis Romanis subita atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula, campo quàm montibus densior sederat: agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis conspecta, eoque magis pariter decurrerunt. Romanus clamore prius undique orto, quàm satis cerneret, se circumventum esse sensit: & ante in frontem lateraque pugnari cœptum est, quàm satis instrueretur acies, aut expediri arma, stringique gladii possent. Consul perculsis omnibus, ipse satis, ut in trepida re, impavidus, turbatos ordines, vertentesque se quoque ad dissonos clamores instruit, ut tempus locusque patitur; & quacunque potest, adhortatur, ac stare & pugnare jubet. Nec enim inde votis, aut imploratione Deûm, sed vi ac virtute evadendum esse, per medias acies ferro viam fieri, & quo timoris minus sit, eò minus ferè periculi esse. Cæterum præ strepitu ac tumultu, nec consilium, nec imperium accipi poterat: tantumque aberat, ut sua signa atq; ordinem & locum nosceret miles, ut vix ad arma capienda aptandaque pugnæ competeret animus; opprimerenturq; quidam onerati magis his, quàm tecti. & erat in tanta caligine major usus aurium, quàm oculorum. ad gemitus vulnerum, ictusque corporum, aut animorum, & mistos strepentium paventiumque clamores circumferebant ora, oculosque. Alii fugientes pugnantium globo illati hærebant, alios redeuntes in pugnam avertebat fugientiũ agmen. Deinde ubi in omnes partes nequidquam impetus facti, & ab lateribus montes ac lacus, à fronte & à tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextra ferroque salutis spem esse: tum sibi unusquisque dux adhortatorque ad rem gerendam, & nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios; nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies: nec ut in sua legione miles aut cohorte, aut manipulo esset, fors conglobabat, & animus suus cuique antè aut post pugnandi ordinem dabat: tantusque fuit ardor animorum, adeò intentus pugnæ animus, ut eum terræ motum, qui multarum urbium Italiæ

magnas partes prostravit, avertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit. Tres fermè horas pugnatum erat, & ubique atrociter; Circa Consulem tamen acrior infestiorque pugna est, cum & robora virorum sequebantur: & ipse quacunque in parte premi ac laborare senserat suos, impigrè ferebat opem: insignisque armis, & hostem summâ vi petebat, & & turbatur suos cives, donec Insuber equum (Ducario nomen erat) faciemque noscitans: Consul, inquit, hic est, popularibus suis, qui legiones nostras cecidit, agrosque & urbem est depopulatus Jam ego hanc victimam manibus peremptorum fœdè civium dabo. Subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit: obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam objecerat, Consulem lanceâ transfixit. Spoliare cupientem, triarii objectis clypeis arcuere. Magnæ partis fuga inde primum cœpit: & jam nec lacus nec montes obstabant pavori. Per omnia arcta præ uptaque veluti cœci evadunt: armaque & viri super alium alii præcipitantur. pars magna ubi locus fugæ deest. per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque extare possunt, sese immergunt. Fuere quos inconsultos pavor nando etiam capessere fugam impulerit. Quæ ubi immensa ac sine spe erat. aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut ubi nequidquam festinaverant, retrò ægerrimè terram repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia fermè primi agminis per adversos hostes eruptione impigrè factâ, ignari omnium, quæ post se agerentur, ex saltu evasêre, & cum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quæ fortuna pugnæ esset, neque scire, nec perspicere præ caligine poterant. Inclinata ad iniqua re, cum calescente sole depulsa nebula aperuisset diem, tum liquida jam luce montes campique perditas res, stratamque ostendere fœdè Romanam aciem, itaque ne in conspectos procul immitteretur eques; sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine, sese abripuerunt. Postero die cum super cætera extrema fames etiam instaret, fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum. Quæ Punica religione servata fides ab Hannibale est, atque in vincula omnes conjecti,

Eventus pugnæ.

Hæc est nobilis ad Thrasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt: decem millia sparsa, fuga per omnem Hetruriam diversis itineribus Romam petiére. Mille & quingenti hostium in acie, multi postea utrimque ex vulneribus periêre. Postero, ac deinceps aliquot diebus ad portas major prope mulierum quam virorum multitudo stetit, ac suorum aliquem, aut nuncios, de his operiens: circumfundebanturque obviis sciscitantes: neque avelli utique à notis, priusquam ordine omnia inquisissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nunciis cerneres, ut cuique aut læta aut tristia nunciabantur: gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Fœminarum præcipuè & gaudia insignia erant, & luctus. Unam in ipsa porta sospite filio repentè oblato in conspectu ejus exspirasse ferunt: alteram, cui mors filii falsò nunciata erat, mœstam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.

§. 8.

Descriptio Historiæ à materia, quam complectitur.

Historia quidem delectat, sed magis prodest Philosophia. Tyr. Disser. 12.

Nihil est jucundius, quàm in Historia versari, quàm sine labore ullo passim divagari, omnes simul locos intueri: omnibus bellis sine periculo interesse, infinitum temporis spatium contrahere, infinitas res gestas simul cognoscere, quæ ab Assyriis, quæ ab Ægyptiis, quæ à Persis, quæ à Medis, quæ à Græcis facta sunt. Bello nunc terrestri, nunc concionis mediæ videri interesse consiliis. Cum Themistocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Agesilao trajicere, cum Xenophonte incolumem redire: amare cum Pantheo, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari quod si sapiens ea de causa Ulysses dicitur, quod vafer esset, &

Multorumque hominum mores lustrasset, & urbes
Dum sibi, dum sociis reditum, pariterque salutem
Apparat?

Multò sapientior est, qui extra periculum, Historiæ lectione sese explet. Charybdin videbit, sed sine naufragio; Sirenas audiet, sed sine vinculis; cum Cyclope aget, sed miti, & pacato. Et si eo nomine felix fuisse Perseus judicatur, quod passim alarum vageretur beneficio, totam terræ naturam, omnia intueretur loca, multò & levior certè, & sublimior, his Persei alis habenda est historia, quæ passim animum circumfert nostrum, nec nudas ei simplicesq; res ostendit, sed & hominum, & fluviorum origines. Sola harum rerum narratio est, quæ genus mortale, quo nihil æquè caducum est, nihil quod pereat, quod deficiat citius, memoriæ beneficio æternitati æquat: quod virtutes ejus conservat, immortali gloria actiones ejus compensat. Hoc est, cur Leonides non à Lacedæmoniis illius ævi tantum celebretur, nec tantùm ab Atheniensibus, quos ætas illa tulit, Themistocles laudetur. Manet etiam nunc Periclis imperium, manet justitia Aristidis, Critias adhuc pœnas luit, Alcibiades adhuc in exilium abit. Et ut verbo absolvam, narratio historica, & eos, qui primò legunt, mirifica voluptate oblectat, & eos, qui jam legerunt, jucundissima cogitatione reficit. Quæ igitur è sermone ullo peti voluptas possit magis grata animo? Certè quamvis difficilè sit multis præclarisque se opponere historicis, dicendum tamen est. Equidem licet pulcherrima sit, & quàm maximè ad Poëtarum jucunditatem, ô Historici, orationis vestræ accedat compositio, alia est tamen, quàm quæ à vobis peti possit, animi honesti voluptas. Quid enim præteritorum malorum juvat recordatio, nisi prius, quo pacto vitanda ea sint, cognoscas? aut quid commodi Athenienses ex Attica, aut ex Ionica Halicarnassenses hauserunt historia? quæ felicitas ex historia Chiis accessit? si enim honesta possent ab improbis distinguere, aut præmittere hæc, illa describere, non minus fortasse rerum gestarum animum juvaret imitatio, quam oculos juvat imitatio pictoris. Nunc promiscuè in historiam insarciuntur omnia, major pars in deterioribus moratur, vincunt turpia. Ubique ferè in historia rapaces, tyrannos, injustos hostes, temere partas felicitates,

citates, facinora scelesta, calamitates indignas, tragicos casus invenies. Quorum imitatio periculosa, memoria damnosa, æterna est miseria. Ego ut plenam voluptatem consequar, sanis pasci volo sermonibus, sanum requiro cibum, quali Socrates, aut Plato, aut Xenophon, aut Æschines in curanda valetudine sunt usi. Lubidine, metu, mœrore, invidia, variisque aliis ac diversis anima humana torquetur affectibus.

IMITATIO.

Licebit hæc ad particularem aliquam Historiam Indorum, e. g. aut Chinensium applicare, & ostendere quemadmodum hujus beneficio, sine discrimine ad alium orbem animo demigremus, spectemus illic omnia, ac sine impensis peregrinemur. Quin & pari ratione, Astrologiam, aut Geographiam aliasque scientias eleganter describas.

§. 9.

Descriptio commodorum, à definitione & natura juris.

Cicero pro *A. Cæcinna circa finem.*

1. *Ius civile ejusque interpretes nisi observentur, omnium rerum possessio incerta est.*

2. *Posteri minus commodi ab hæreditate parentum, quam jure conservati exspectant, cum illa per hoc defendenda sit.*

1. Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit, non modò judiciorum, sed etiam utilitatis, vitæque communis. Qui autem interpretes juris vituperat, si imperitos juris esse dicit, de hominibus, non de jure civili detrahit: sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines lædit, sed leges, ac jura labefactat. Quod vobis venire in mentem profectò necesse est: nihil enim in civitate tam diligenter, quam jus civile, retinendum: etenim hoc sublato, nihil est; quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit: nihil est, quod æquabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit, itaque in cæteris controversiis atque judiciis,

diciis, cùm quæritur aliquid factum, nec ne sit? verum an falsum proferatur? & fictus testis subornari solet, & interponi falsæ tabulæ; nonnunquam honesto ac probabili nomine bono viro judici error objici, improbo facultas dari, ut, cùm sciens perperam judicarit, testimonium aut tabulas secutus esse videatur. In jure nihil est ejusmodi, Recuperatores, non tabulæ falsæ, non testis improbus. denique nimia ista, quæ dominatur in civitate, potentia in hoc solo genere quiescit: quid agat, quo modo aggrediatur judicem, qua denique digitum proferat, non habet. ô rem præclaram, vobisque ob hoc retinendam, Recuperatores. Quod enim est jus civile? quod neque inflecti gratiā, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia possit. Quòd si non modò oppressum, sed etiam desertum, ad negligentius adservatum erit, nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut aperte accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. Quid enim refert cædes, aut fundum rel ctum à patre, aut aliquâ ratione habere bene partum, si incertum sit, quæ tua communi jure mancipii sint, ea possisne retinere? Si parum sit communitum jus; si civili ac publica lege contra alicujus gratiam teneri non potest; quid inquam, prodest fundum habere, si, quæ decentissimè descripta à majoribus jura finium, possessionum, aquarum itinerumque sunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutarique possunt.

2. Mihi credite, major hæreditas venit unicuique nostrûm in iisdem bonis à jure & à legibus, quàm ab iis, à quibus illa ipsa bona relicta sunt. Nam, ut perveniat ad me fundus, testamento alicujus fieri potest: ut retineam quod meum factum sit, sine jure civili non potest. Fundus à patre relinqui potest: at usucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis, ac periculi litium, non à patre relinquitur; sed à legibus. Aquæductus, haustus, iter, actus, à patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium à jure civili sumitur. Quapropter non minus diligenter ea, quæ à majoribus accepistis, publica patrimonia juris, quam privatæ rei vestræ retinere debetis: non solum, quòd hæc jure civili septa sunt: sed etiam, quòd patrimonium unius incommodo dimittitur, jus amitti non potest, sine magno incommodo civitatis. In hac ipsa causa, Recuperatores, si hoc nos non obtinebimus, vi armatis hominibus dejectum esse eum, quem vi armatis hominibus pulsum, fugatumque

tumque esse constet: Cæcinna rem non amittet, quam ipsam animo forti, si tempus ita ferret, amitteret: in possessionem, in præsentia, non restituetur, nihil amplius: populi Romani causa, civitatis jus, bona fortunæ, possessionesque in dubium, incertumque revocabuntur: vestrâ autoritate hoc constituetur, hoc præscribetur: quî cum tu posthac de possessione contendes, eum, si ingressum modò dejeceris, in prædium restituas oportebit: Sin autem ingredienti, cum armata multitudine obvius fueris, & ita venientem repuleris, fugaris, averteris, non restitues.

IMITATIO.

Poterit servire ad veræ religionis laudem & propugnationem, ex qua defensa & florente, civilis etiam vita, proscripta injuria, facilius transigitur.

§. 10.

Descriptio Agriculturæ & agrestis vitæ jucundissimæ à causis, effectibus, & adjunctis. Cicero in Catone Maj.

Principio describit agriculturam, & frugum ortum progressumque.

2. *Culturam propagationemque vitis.*

3. *A cultura agri deflectit ad hortorum & pomariorum curam.*

4. *Exemplis variorum Rom. Reipubl. principum declarat, quantum honestæ voluptatis hi posuerint in vita rustica, ut Man. Curii & Q. Cincinnati.*

Concludit 5. denique hanc esse voluptatem senibus dignam.

Cato Major ad Scipionem & Lælium.

1. Voluptatibus agricolarum incredibiliter delector, quæ nec ulla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proximè videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accipit, sed aliàs minore, plerumque majore cum fœnore. quanquam me quidem non fructus modò, sed etiam ipsius terræ vis, ac natura delectant. quæ cum gremio

gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit, primum id occatum cohibet; ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata: deinde tepefactum vapore, & complexu suo, diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur: è quibus cum emersit, fundit frugem spicæ ordine structam, & contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum.

2. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? satiari delectatione non possum; ut meæ senectutis requiem, oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur è terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum, ac stirpium minutissimis seminibus, tantos truncos ramosque procreat: malleoli, plantæ, sarmenta, vivi traduces, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quæ natura caduca est, nisi fulta est, fertur ad terram, eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus quicquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu, & erratico, ferro, amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere, in iis, quæ relicta sunt, existit, tanquam ad articulos sarmentorum ea, quæ gemma dicitur: à qua oriens uva se ostendit: quæ & succo terræ, & calore solis augescens, primò est peracerba gustatu; deinde matura dulcescit; vestitaque pampinis nec modico tempore caret, & nimio sole defendit arbores; qua quid potest esse, cum fructu lætius, tum aspectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed & cultura, & natura ipsa delectat, adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio, & propagatio virium, sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio.

3. Quid ego irrigationes, quid agri fossiones, repastinationesque proferam, quibus fit multò terra fœcundior? quid de utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante seculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit. nec verò segetibus solum, & pratis

& vineis, & arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed hortis etiam, atque pomariis, tum pecudum pastu, apum examinibus, florum omnium varietate. nec consitiones, modò delectant, sed etiam insitiones; quibus nihil invenit agricultura solertius. possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum, sed ea ipsa, quæ dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem; nam & studio rerum rusticarum provectus sum; & senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare.

4. Ergo in hac vita Man. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrro triumphasset, consumpsit extremũ tempus ætatis. Cujus ego villam contemplans (abest enim non longè à mea) admirari satis non possum, vel hominis continentiam, vel temporum disciplinam. Curio ad focum magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. *non enim aurum habere, præclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.* poteratne tantus animus non efficere jucundam senectutem? sed venio ad agricolas, ne à meipso recedam. In agris erant tunc senatores, id est, senes; siquidem L. Quinctio Cincinnato in agro aranti nunciatum est, eum Dictatorem esse dictum. cujus Dictatoris jussu, magister Equitum C. Servilius Abala Sp. Melium regnum appetentem, occupatum interemit. A villa in Senatum accersebantur, & Curius, & cæteri senes: ex quo, qui eos accersebant, viatores nominati sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agricolatione oblectabant? mea quidem sententia, haud scio, an ulla possit esse beatior vita, neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris; sed & delectatione quam dixi, & saturitate, copiaque rerum omnium, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam Deorum pertinent.

5. Et quoniam hæc quidam desiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni, assiduique Domini referta cella vinaria, olearia, & penuaria est; villaque tota locuples abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caseo, malle. jam, hortum ipsi agricolæ succidiám alteram appellant. conditiora facit hæc supervacaneis operis aucupium, atque venatio. quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumve specie dicam? brevi præcidam, agro bene culto nihil potest esse, nec usu uberius,

uberius, nec specie ornatius: ad quem fovendum non modò non retardat, verum etiam invitat, atque allectat senectus, ubi enim potest illa ætas, aut calescere vel apricatione melius, vel igni; aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius.

IMITATIO.

Usui hæc futura descriptio est, si vel rusticorum vitam cum civili ac forensi componas, vel etiam veterum Patriarcharum, ut Abrahami, Isaaci, Iacobi felicitatem in pastoritia & agresti vita positam.

CAPUT XV.

Descriptiones morum, quæ ferè similibus exemplisque illustrantur.

SEquuntur nunc aliquæ Descriptiones, quæ similibus aut etiam exemplis quibusdam illustrantur, quas superioribus subjicere placuit; ut omnes intelligant, has etiam bonis scriptoribus esse usurpatas. In quibus aliæ Descriptiones naturæ, aliæ morum sunt, quæ in una alteraque Descriptione postrema etiam inter se varietate aliqua miscentur.

§. 1.

Descriptio hominis à partibus & affectibus.

Per illustrem similitudinem exposita.

Homo à ratione, & affectibus, ut Respubl. à Principe & populo administraretur. Tyrius Dissert. 15.

Bifariam anima hominis dividitur. altera pars ratio, altera affectus dicitur. Quarum utraque si aut malè habeat, aut inordinatè moveatur, uno simul nomine fœdissimo improbitas

probitas dicitur, fontes autem primaque mali hujus causa ex illuvie, & quasi exundatione, existit: quotiescunque ille affectuum fervor animum accendit: quoties pullulantem quasi, & efflorescentem rationis vim confundit. Non aliter quam hyberni torrentes solent, qui si legitimum suum semel excesserint alveum, sataque ac plantas agricolarum invadunt, penitus inundant eos, ac destruunt. Eodem modo immodicis turbata affectibus anima, rationis præscriptum excedit, falsæque in ea improbæque opiniones, & quæ cum natura ejus pugnant, efferre se incipiunt. Planè hoc ipsum, quod ebriis evenire solet: nimia enim illa crapula morbos, qui intus latent, educit, non secus, quàm è latibulis suis proserpentes educuntur bestiæ: atque ita mentem confundit, eamque voces non suas, sed ejusmodi belluarum cogit proferre. Quod si manifestiori etiam res illustranda est exemplo; lubet cum populari imperio improbitatem conferre animi. Quotiescunq; nimirum eò urbis res rediit, ut optimi quique in servitutem redacti, parere cogantur: demens verò multorumque capitum populus, cui nimios addidit spiritus licentia, habenas sibi vendicat, necesse est eam varias in voces, plurimas in partes, in affectos diversissimos, in cupiditates innumerabiles divisam esse. Intemperantem in voluptatibus, in iracundia præcipitem, in gerendis ambiendisque honoribus immodicam: in secunda fortuna sine modo, in adversa sine spe esse. Cum Pericles abeat, Aristides exulet, moriatur Socrates, in expeditionem cogatur ire Niceas, Sphacteriam ambire Cleo, Siciliam Alcibiades, aliamque alius terram, aut mare: Eorumque cupiditatibus plebs otiosa, incomposita, mercenaria, & quę facile quovis impellitur, subscribat. Hic eas cupiditates necesse est servitutem, calamitates inducere, & tyrannidem, & si quæ magis absurda sunt istis. Eodem modo & in animo multi seditiosi sunt tribuni, populusque intemperans: multi *Al*cibiadæ, multi Cleones, qui nec quiescere, nec rationi suæ aut legi parere miserrimam sinunt animam. *At* verò virtus, cujus causa tam multa verba cedimus, contra se habet. Planè id Lacedęmoniorum resp. probat, in qua tali sub imperio vivit populus, minima pars, eaque optima imperat. Altera conservat, conservatur altera, altera jubet, paret altera; quodque utramque sequitur, libertas est. Eget altera

pars altera: tam quæ imperat eâ, quæ paret; quàm quæ paret, conservatione ejus & tutela, quæ imperat. In anima bene constituta eodem agitur modo. Ratio est, quæ conservat, & tuetur; qui conservantur, & præsidio egent, sunt affectus. Moderatior ratio, moderatione egent affectus: ex utroque libertas procedit.

§. 2.

Descriptio amoris ab effectibus per exempla doctè illustratis. Amor potens omnia perrumpit. Tyr. diss. 10.

1. *Exorditur ab exemplo duorum, amoris gratia, diversa dona offerentium. Emi tamen nisi donis liberalibus amorem posse negat, quod liber sit, & omnia vincula perrumpat.*

2. *Voluptas tamen facile amoris hunc affectum induit & corrumpit. Vbi exemplis docetur Paridis & Xerxis, ad quam stulta consilia hic amor impellat.*

Smerdies natione Thrax, formæ elegantissimæ planeque regiæ puer, dono à Græcis quibusdam Regi Jonico Polycrati Samio, donatus est. Quo munere in tantum Rex delectatus est, ut puerum vehementer amaret: in quo rivalem habuit poëtam Tejum Anacreontem. Et à Polycrate quidem aurum argentumq; dono accepit Smerdies, aliaque ejusmodi quæ puerum formosum à Rege amatore accipere æquum est. Ab Anacreonte contra carmina ac laudes, & quæcunque ab amatore Poëta convenit. Si quis jam utrumque amorem, regium dico poëticumque inter se componere velit, utrum eorum divinum magis cælestemq; utrumq; magis homine dignum, magisq; sanctum visum iri existimas? ego illum magis arbitror, quem Musæ Gratiæque temperant, quàm quem necessitas & metus. Alter enim homini captivo aut infelici similis est mercenario, alter libero & Græco. Quam esse causam arbitror, cur vix apud Barbaros amor inveniri soleat. Ubi enim populus servit, rex imperat; ibi totum illud medium, quod autoritate, quod dignitate, ac societatis lege inter se par est, penitus sublatum est. Nihil autem amori magis inimicum est, quam metus & necessitas. Est enim generosum quid amor, ac ingenuum, ipsaque Sparta magis liberum. Solus enim omnium, quæ hominibus adesse solent, cui purè ac sine labe ulla hæserit, nec opes admiratur, nec reges metuit,

nec

nec regiam stupet, nec judicium horret, aut mortem vitat. Non bellua ulla, non ignis, non præceps locus, non mare, non ensis, non laqueus, illi metum incutit. Sed & invia penetrat, & periculosa superat, & quæ alii metuunt, facilè contemnit, & quæ aliis difficilia videntur, facilè efficit. Fluvios facilè tranat, tempestate facilè navigat, in montibus facilè currit. Ubique præsenti est animo, omnia despicit, omnia in potestate habet. Res minimè contemnenda est amor, quoties talis est. Ut arbitrer, optaturum esse sapientem virum, ne unquam ab eo amor recedat; si quidem unà cum illo libertatem, securitatem, animique firmitatem consecutus sit.

2. Vereor tamen ne in omnibus talis sit, sed potius res fœda, quæ pulcherrimæ habitum sibi vendicet, solaq; similitudine se efferat: ut ipsam quidem consequatur imaginem, multum tamen absit à fine. Sicut Agyrta imitatur medicum, Sycophanta oratorem, Sophista Philosophum. Ita ubique invenies malum bono adhærere, & ob similitudinem quam habet, cum eo coalescere. Cum tamen, vel proposito distinctum sit, ut orator à Sycophanta, vel fine, ut medicus ab agyrta; vel virtute, ut philosophus à Sophista. Pauci enim, vel propositum, vel finem, vel virtutem intelligunt.

IMITATIO.

Rectè D. Paulum Apostolum post conversionem longè ardentius amore Christi, quàm antè zelo legis suæ flagrantem, introduces; qui omnibus periculis spretis, superatis difficultatibus, ad mortem usque depugnavit pro lege Christi. Idem de Francisco Xaverio, Indiarum Apostolo, jure statues.

§. 3.

Descriptio irati ab adjunctis in vultu atque ore potissimum. Seneca lib. 3. de Ira.

Nulli affectui, quàm iræ, pejor est vultus, quem descripsimus asperum & acrem, & nunc subito retrorsum sanguine fugato pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exilientibus, nunc in uno obtutu

defixo & hærentibus. Adjice dentium inter se arietatorum & aliquem esse *ac devorare* cupientium, non aliorum sonum, quàm est apris, tela sua (*hoc est dentes*) attritu acuentibus. Adjice articulorum crepitum, cum se ipsæ manus frangunt, & pulsatum sæpius pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque compressa, & dirum quid exsibilantia.

Ferarum, mehercules, sive illas fames exagitat, sive infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam cum venatorem suum semianimes morsu ultimo petunt, quàm hominis ira flagrantis. Age si exaudire voces & minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt. Nonne revocare se quisque ab ira volet; cum intellexerit illam à suo primum malo incipere.

Non vis ergo admoneam eos, qui iram in summa potentia exercent, & argumentum virium existimant, & in magnis fortunæ bonis ponunt paratam ultionem; cùm non sit potens, imò nec liber dici possit, ira captus? Non vis admoneam, quò diligentior quisque sit; ut ipse se circumspiciat, alia animi mala ad pessimos quosque pertinere, iracundiam etiam eruditis hominibus, & ad alia sanis obrepere.

§. 4.

Descriptio Aurei & ferrei seculi, vitaque utriusque per contrariorum comparationem oppositio.
Tyrius Dissert. 20.

1. *Orditur à fabula formati à Prometheo hominis, & Saturni seculo aureo, cui opponit seculi ferrei mores perversos, descriptione illustri, per contraria.*

2. *Proponit, inter utriusque vitæ commoda, meritò prioris amplectenda esse.*

3. *Similem hanc esse luxuriantibus in carcere, illam liberè, sed moderatè viventibus esse tradit.*

4. *Etiam in ferrea ætate aureis moribus repertum esse Philosophum Diogenem, qui liberè priori ista vita viveret, nullius fortunæ metuens.*

5. Cæteros ferè mortalium, etiam dum bona sectantur infelices esse, quod sæpe eventus fallat, ut exemplis constat.

1. Statui tibi Lydi illius sapientis exemplo concinnare fabulam, cujus interlocutores erunt, non leo, aut aquila, nec (à qua minus vocem exspectes) quercus aliqua; sed hoc modo procedet. Jupiter olim solus erat, & cum Jove cœlum & terra. Et cœli quidem cives Dii erant: alumni verò terræ nondum nati erant, homines.

Vocat igitur Promethea Jupiter, jubetque novam in terras coloniam deducat. Animal simplex, cui ingenium Diis proximum, corpus tenue, erectum aptèque temperatum, vultum mitem, manus promptas, gressum firmum tribueret. Morem gerit Jovi Prometheus, homines fabricat, eosque in terra locat. Qui ubi nati essent, facillimè vivebant, cum cibum illis abundè terra suppeditaret. Aderant prata pulchrè vestita, montes comantes, fructuum copia, & quæcunque, quamvis nondum infestaretur ab agricolis, ferre tellus solet. Jam purissimos Nymphæ fontes, & fluvios illimes, aliarumque scaturigines lympharum plenas suppeditabant & uberes. Accedebat tepor solis, qui modicè circumvolitans restaurabat corpora: tum è fluviis æstivo tempore respirantes membra illis refrigerabant auræ. Ad hæc omnia accessus erat liberrimus, in uberrima spontaneæ felicitatis viventibus copia. Videntur mihi ad hanc fabulam nostram quàm proximè accessisse & poëtæ. Qui sub Saturno Deorum rege, vitam fuisse ejusmodi innuunt, sine præliis, aut ferro, sine custodia ulla paci deditam, sine ulla simultate salubrem, nullius immunem. Nec aliud esse arbitror, quod aureum ab Homero vocatur sæculum, qui ad nostrum hoc alludit. Porrò, ut fabulæ facescant, & in serium sermonem transeat oratio: vitam cum vita conferamus, priorem cum secunda, sive ea ferrea, sive quocunque alio sit dicenda nomine. Cum dividere inter se terram cœpere homines, alius aliam secare partem, quam limitibus ac muris distinguerent. corpora involvere fasciis, pedes pellibus munire; aurum alii collo, alii capiti, alii digitis aptare; honestas speciosasque compedes: ædes struere, claves excogitare, fores & vestibula qualiacunque attollere. Ut omittam quod terræ negotium facessant, dum eam auri argentique studio rimantur, ligonibus in-

vadunt, ac fodiunt. Quod nec à mari abstineant, sed in ejus quasi pœnam naves modò bellicas, modo vectorias, & mercenarias fabricent. Quod nec ab aëre, sed & hunc spolient: dum visco linoque greges avium (& quâ non arte) præveniunt. Quod nec à cicuribus animalibus, virium defectu, nec à feris metu abstineant: sed cæde, sed sanguine, sed cruore quolibet ventrem impleant. Novam semper voluptatem excogitent, veterem contemnant: & dum jucunditatem sectantur, in miseriam incidant. Divitias semper appetant: ita tamen ut minora judicent, quæ habent, quam queis carent: & quod possident, eo quod exspectant, egestatem semper timeant, expleri nunquam possit, mortem metuant, vitam negligant, morbos vitent, nec à morbidis abstineant. Alios suspectos habeant, aliis ipsi insidias struant. Feroces cum inermibus, cum armatis timidi. Tyrannidem odio habeant, & affectent. Turpia vituperent, nec tamen fugiant. Felicitatem mirentur, nec mirentur virtutes. Miserentur infortunia, nec tamen fugiant improba. In secundis audaculi, in adversis immoderati. Beatos prædicent mortuos, vitam tamen expetant. Bella adversentur, pacem agant insolenter. In servitute abjecti, in libertate confidentes. In populari Rep. dissoluti, in tyrannide timidi. Liberos petant, natos verò negligant. Deos invocent, tanquam dare possint, negligant tanquam punire nesciant. Deos timeant, atque perjuria vindicent; pejerent autem quasi non sint. Tantus igitur cum tumultus & discordia secundam hanc vitam invaserit, utri palmam dabimus? utram simplicem, successusq; & libertatis compotem dicemus esse? utram contra minimè talem, sed coactam, miserandam, infortuniorum plenam?

2. Agedum ex utraque hominem sumamus, quem coram arbitro sistamus: qui utrumque examinet. Ac prius quidem priorem illum, qui nudus sine lare, sine arce quasi terræ totius civis, & colonus, obambulat. Quærat autem proposita vitæ illius secundæ ratione, utram malit? in priori ne persistere victu & libertate; an verò voluptates alterius unà cum incommodis sequi? Accedat deinde & alter, cui judex prioris vitæ illius rationem proponat, & libertatem: quæratque utrum malit, suâne servare, an mutare locum sedemque, & in tranquillam illam liberamque, metus simul doloris-

dolorisque immunem transferri? uter transfuga fieri, uter coloniam mutare, uter lubenti animo vitam commutare volet? Quis ita demens, malique cupidus, tam Diis iratis natus, qui minimarum caducarumque voluptatum, dubiorum bonorum, ſpeique incertæ & ambiguæ felicitatis cauſa caſtra mutare & transferre ſe in certiſſimam felicitatem nolit? Cum præſertim non ignoret, quam multis carere malis poſſit, quæ cum ſecundæ huic vitæ adhæreant, omnibus modis, incertam, miſeramque vivendi conditionem, & calamitoſam efficiunt.

3. Ita ut ego vitam utramque conferre ſoleam: & primò, hanc ſi Diis placet, egregiam variamque, dum miſerorum hominum moleſtiſſimo carcere, qui cum in obſcuro aliquo detineantur angulo: ubi multo ferro crura, collum numellis, graviſſimo manus vinculo premantur, atque ita in ſordibus, in cruciatu, luctuque vitam exigant, proceſſu tamen temporis paulatim & conſuetudinis, ſecuritatem ſibi quandam in ipſo carcere, tranquillitatemque machinantur animi; nam & inebriantur interdum & canunt, ventremque cibo diſtendunt, aut Veneri indulgent: neque tamen ſecùrè his omnibus explere poſſunt, quin metuant, quin felicitati ſuæ diffidant, quin de præſentibus malis cogitent, ita ut in ſingulis carceribus ululatum cum cantu, gemitum cum pæane audias. Alteram contra vitam homini confero, qui in luce verſatur puriſſima, qui manus pedesque vinculi immunes habet, collum liberè, quo vult inflectit, oculos directè in ſolum intendit, ſidera intuetur, noctem à die diſtinguit, ſingulas anni tempeſtates exſpectat, ventos ſentit, aërемque purum ac liberum trahit: ita tamen, ut ſimul voluptatibus carceris illius careat: non inebrietur, non helluetur, non gemat, ſed moduletur, non canat, ſed nec lamentetur, neque cibis ſe ingurgitet; ſed quantum naturæ lex patitur, ventre ſit ſobrio & caſtigato. Quæro utram vitam beatam, utram miſeratione dignam judices? utram eligendam cenſeas? Illamne, quæ in carcere agit, mixtam ambiguamque, miſerrimis deceptus voluptatibus?

Hic ubi mille homines ſimul exultantque gemuntque.

quorum in voluptate alii, alii in mœrore verſantur.

4. Abſit verò à te miſerrima anima: quin potius ſimilitudines has cum fabulis relinque, rectaque virum adi,

qui non Saturni regis tempore, sed in medio ferrei hujus seculi vixit, quem Dii duo, Jupiter & Apollo liberali manu asseruerunt. Quamvis nec Atticus esset, nec Doricus, neque Solonis alumnus, nec è Lycurgi disciplina (non enim virtutem suffragio suo, aut locus ullus creat, aut lex) sed Sinopensis Ponticus. Qui adhibito in consilium Apolline, omnem à se vitæ necessitatem abjecit, omnibus se expedivit vinculis, totamque terram liber & suus, non secus, quàm avis ratione prædita circumivit. Ut nec Tyrannum ullum metueret, nec à lege ulla cogeretur, nec Reipublicæ otium suum transscriberet: nec educatione liberorum districtus, nec nuptialibus vinculis obstrictus, nec agriculturæ intentus, nec militaribus turbatus curis, nec rei augendæ studio discurrens. Sed hoc omnes cum curis suis non aliter ridebat, quàm nos puerulos, quos talis suis seriò intentos, ferire ac feriri, spoliare & spoliari ab illis videmus. Ipse verò regis securi liberique vitam ducebat: non ut hyeme Babylone viveret, æstate Medos fatigaret; sed ex Attica Isthmum, rursus relicta Isthmo Atticam una cum anni tempestate petebat. Regiæ illius templa erant, gymnasia, & loci sacri! Divitiæ maximæ, certissimæque, nec ullis obnoxiæ insidiis, universa cum fructibus suis terra: tum fontes terræ filii, omni Lesbio Chioq; largiores nectare. Amicus præterea & familiaris erat aëri, sicut Leonum corpora. Neque Jovis se subducere tempestatibus solebat, nec cum eo luctabatur: neque calorem hyeme, frigus æstate moliebatur. Sed ita toti naturæ assueverat, ut hoc vivendi genere, & sanitatem sibi & robur pararet, vitamque quam longissimè extenderet: nec interim aut remediis egeret medicorum, aut ferro; aut igne, Chirone, aut Asclepio, aut Asclepiadis haberet opus. Non vatum oraculis, non lustratione sacerdotum, non præstigiatorum carmine. Jam cum gravissimo bello arderet Græcia, sibique omnes insultarent mutuò.

Consueti inter se miserando cernere Marte.

Solus inducias agebat: inter armatos inermis, inter bellantes, fœderatus omnium. Manum ab eo abstinebant improbi omnes, & Tyranni & Sycophantæ. Et tamen scelestos arguebat, non verborum captiunculis, quod reprehendendi genus molestissimum est, ut plurimum; sed re ipsa, ipsaque vita vitam eorum perstringebat; quæ reprehensio & effi-

& efficacissima solet esse, minimèque aspera. Propterea neque Melitus ullus, nec Aristophanes, aut Anytus, nec Lycon Diogenem invasit. Quid ergo obstaret, quo minus reliquis omnibus præferenda hæc vita esset Diogenis, quam sponte sua elegerat, quam Apollo dederat, commendarat Jupiter, quam omnes sapientes mirantur

5. An aliud putamus esse fortunæ incommodum, quam usum actionis eventumque non satis arbitrio autoris respondentem? Quære ex eo, qui uxorem duxit, cur id fecerit? respondebit, liberorum causa. Ex eo qui liberos educat, cur eos genuerit? successionis causa dicet. Ex eo, qui militat: amplioris dicet fortunæ. Ex rustico, fructuum causa. Ex negotiatore, facultatum. Ex eo, qui Rempublicam tractat: honoris. Omnes hæ causæ, ut plurimum, evanescunt, & in contrarium abeunt, nec artis aut sapientiæ, sed voti est felicitas. Quare singuli qui hæc sibi proponunt, difficultatem quandam experiuntur vitæ, miseriamque sustinent, non voluntariam, neque ex ignoratione bonorum, quæ per se petenda sunt promanantem. Quem jam ex hoc numero judicabis liberum? Reine publicæ præfectum? servum dicis, non unius Domini. Patronumne: servum dicis asperorum judicum. Tyrannumne: servum dicis effrenatissimarum voluptatum. Ducemne? servum dicis incertæ fortunæ. Nautamne? servum indefinitæ artis. Philosophumne? de quo loqueris? Socratem quidem laude, sed dicentem audio: volens carcerem peto, volens cicutam bibo. Videsne quid dicas, mi Socrates? volensne, an verò ingratæ occurris fortunæ fortiter, ut legi pareas? At cui legi? si Jovis, legislatorem laudo? sin Solonis, qua in re Socrati præferendus est Solon? Respondeat mihi & pro Philosophia Plato, an nemo eum turbaverit? non exilium Dionis, non minæ Dionysii, nec Sicula aut Jonica maria, qui toties coactus est navigare? Quod si & ad Xenophontem abeam, vitam erroris plenissimam video: ambiguam fortunam, expeditionem coactam, & exilium speciosum. Horum omnium casuum immunem hanc vitam dico: quamobrem & supra Lycurgum & Solonem, & Artaxerxen & Alexandrum constitutus fuit Diogenes. Libertate verò Socratem antecessit: nec delatus in judicio, nec in carcere detentus, neque laudem consecutus è miseria.

IMITATIO.

1. Adamæ & Evæ creatio, atque eorum in Paradiso describatur felicitas.

2. Infelix ac perturbata mortalium è Paradiso ejectorum vita cum illa comparetur.

3. Adami libertas cum hinnulo in partis soluto, aliorum hominum, cum equo sub jugum ducto componatur.

4. In ferrea tamen ætate nostra homines alios Diogene, aut Socrate meliores, ut Abrahamum, Iosephum, Iobum, Davidem aut similes repertos asserat, describatque, &c.

5. Cæteros mundo potius ejusque vanitati quam Deo fisos omnes esse opinione delusos, ut in Absolone & Salomone, docebit.

§. 5.

Descriptio studiorum inter mortales diversorum, à partium enumeratione.

Omnes diversis studiis unam sectantur beatitudinem. Tyr. Dissert. 19.

Diversorum labor diversus, ut beati esse possint.

2. In bello alii, re quamvis odiosa, beatitudinem quærunt.

3. Plebs in variis occupatur artibus ac sæpe ridiculis, quod

4. Simili illustratur.

5. De frivolis rebus solliciti homines, Philosophiam Ducem optimam negligunt; quamvis & hæc, in suas sparsa sectas, unum verumque bonum occultet.

Crotoniata oleastrum amat olympicam, navali prælio Atheniensis delectatur, Spartiata pedestri, Venatione Cres, Sybarita luxu: Thebanus tibiis afficitur, Jonicus choris; Mercator aurum, Vinosus vinum, elegantiores homines amores, qui cantu delectatur, cantum, dicendi studium orator sequitur. Scire igitur velim, an & hoc animal, quod philosophum dicunt homines, nulla prorsus re delectetur? Lapidis mihi vitam narras; ne dum, ut animal, cui videre, cui vivere, cui sapere contigit; quod appetitu, sensu, cupiditatibus impellitur, hoc deceat. Dices fortasse, aliquid esse, quo delectetur, quod uno tamen dici vix possit nomine. Beati-

Beatitudinem nimirum. Equidem simplicitatem licet admirari tuam, si aliquem ex omnibus, quos jam commemoravimus, in suis quas persequitur voluptatibus, cessurum tibi esse existimes: ac non responsuros esse pro se singulos, hunc quod certet, hunc quod laborem subeat, hunc quod negotietur, hunc quod agriculturæ, hunc quod militiæ nomen dederit, alium quod amet, alium quod dicat, solius causa beatitudinis facere, nisi forte illum ipsum Sardanapalum existimes, cum effœminato isto corpore, cum oculis patrantibus, cum implexa cæsarie: qui in purpura defossus, in regia sua conclusus, in media pellicum turba versatur, aliud quid proposuisse sibi præter beatitudinem? Nec enim voto suo infelix fuit. Quid illi, qui Oceano conviciatur, qui Apim mactat, aliud cum hæc faceret, quam beatitudinem sectatus est? Ego quidē Xerxen, vel cum ipso Jove de beatitudine audacter certaturū fuisse non dubito. Tam vide licet sibi felix vel propterea videbatur, quod aliquot navibus, tanquam ponte aquam stravisset. Europam Asiamque brevi, & mox perituro, conjunxisset vinculo. Et enim vero, cum ejusdem apud Homerum dignitatis sit Neptunus cum Jove: ab hoc (quæ hominis est insania) vapulat, in vincula conjicitur, Quid reges commemoro barbaros? Nonne Pisistratum vides, qui & Græcus, & Atheniensis est, quo studio in arcem quotidie curræt: non aliter quam si beatitudinem ibi cum antiquâ Minervæ oleâ defossam putaret. Licet enim voto frustretur, non tamen propterea desinit. Quid? quod Polycratem ne regis quidem Ægyptiorum monita in officio continere potuerunt, quo minus se efferret, magnificeque de felicitate sentire suâ, quod Ionicum mare, & in eo plurimas triremes haberet, quod gemmam annuli pretiosam, quod in amicis Anacreontem, in deliciis haberet Smerdiam. Sed fortasse venia danda est principibus, quod à luxu, & voluptate, speciosis decepti videantur malis. At verò non audis, quibus laudibus Homerus prosequatur Æacidas, quos dicit,

Non secus aut epulis, gaudere horrentibus armis.

2. Jam quid bello minus est amabile: & tamen res tam odiosa, tam invisa, non postremæ sortis amatores habuit. Qualis postea Philippus fuit, qui cum in Macedonia ma-

nere,

nere, in Amyntæ bonis, in Perdiccæ felicitate vitam potuisset agere, alibi eam per ambages plurimas, tanquam in tota Macedonia non esset, quærere maluit. Hujus videlicet causâ cum Triballis pugnavit, Illyrios invasit, Byzantium obsedit, Olynthum evertit, Athenienses fefellit; cum Thessalis se conjunxit, cum Thebanis fœdus iniit: Elateam occupat, Phocenses perdit, pejerat, mentitur, mutilatur. Nullum tam scelestum, aut dictum, aut factum erat, à quo abstinendum sibi Philippus putaret: ne dedecus quidem aut infamia. Quæramus ex Philippo, cujus rei gratiâ tantum subeat molestiæ, tot in rebus gerendis pericula, tot corporis vulnera? Infelicitatem tibi proponis? Ridicula est hæc quæstio. Quamvis enim quod quærebat, non inveniret, non aliud tamen eum, quam beatitudo impulit. Hujus causâ, & Alexander, Europam, tanquam bonorum omnium sterilem, relinquendam sibi putavit; in Asiamque transivit: quasi verò Sardibus inter auri ramenta, aut in Caria inter Mausoli thesauros, aut Babyloniorum muris, aut in Phœnicum portubus, aut Ægyptiorum littoribus, aut in Ammoniorum arenis defossa jaceret felicitas. Quid quod nihil illi satis esse potuerit, non Darii fuga, non Ægypti expugnatio, non Ammon pater, non Babylonis deditio, quo minus cum exercitu in Indiam excurreret. Quæramus hujus facti causam ex Alexandro. Quid petis? quid proponis tibi? quid tam studiosè sequeris? Aliudne dicturus est, præter beatitudinem?

3. Reges relinquamus & Principes. Nonne eadem in plebe vides? Nonne eodem omnes festinant undique? An alio fine hunc terra, illum mare occupatum tenet? Alius militare, alius litteris vacare mavult: hic uxorem ducit, illa liberos nutrit. Ut omittamus eos, qui ex rapto vivunt, qui contumeliis gaudent: qui munera captant, quos stupra delectant, qui mercede addicunt operam. Quorum plerique difficilem plenamque periculorum ingrediuntur viam: & ut verius dicam, per præcipitia & manifestas abyssos incedunt. Qui licet infelices judicentur ab iis, spontè hoc, & non ignari faciunt. Et tamen omnes, quos hactenus diximus, aliquid agere videntur. Quid jam de otiosis illis, qui sine certo vitæ scopo oberrant

passim,

passim, dicendum putas? An hos ipsos sine spe aliquâ boni consequendi vivere arbitraris? Non, ita me Deus amet. Frustra namque adulator tanto negotio alienæ serviret libidini, frustra suaviludius aliquis admirationes & risus tam diligenter excitare & movere tentaret: membra sua inflecteret, ac distorqueret circulator, ut artes suas venditaret, & miracula. Neque alius denique quisquam, qui magno labore nugas agit. Sic Babylonem ad Persarum Regem venisse dicitur quidam, natione Jonicus, qui mirificam quandam vellet ostentare artem. Offulas habebat parvas rotundasque, quas in hunc usum fecerat: eas tam certo ictu in mucronem acus ex distanti loco dirigebat, ut nunquam ab acie ejus aberraret. Neque minus magnificè de hac acu suâ, ejusque arte sentiebat, quam Achilles de hastâ suâ, quam ex Pelio monte Homerus illi fabricavit. Rursus in Libya quidam ejus regionis fuit Psaphon nomine, qui felicitatem ambiret, non parvam quandam, me hercules, aut quam vulgus hoc affectat, sed ut videri Deus posset. Plurimas itaque, quas canoras esse judicabat maximè, aves collegit: easque canere hæc verba docuit? *Magnus Deus Psaphon.* Atque ita edoctas rursus in priorem locum demittebat. Itaque tum ipsæ hæ, tum aliæ, vocem earum imitatæ, hoc canebant. Ibi Lybies qui divinum hoc augurium esse judicabant, Psaphoni continuò rem sacram facere: atque ita comitiis avium Libycus Deus designatus Psaphon est. Quamvis hac in parte nihil Regi Persarum debeat; quem non prius adorare Persæ voluerunt, quam Rex à libidinoso equo creatus est. Sic cùm nihil in rebus sit humanis, in quo non diversum aliquid ab alio invenias; in eo tamen conveniunt, quod, ut communi amore bonum omnes prosequuntur, in varia eò diversâque viâ tendant: nec ullus sit propemodum, qui vel idem agat, vel fortunam eandem sequatur.

4. Sic cum omnibus unus sit boni ipsius amor insitus, nec tamen hic magis quærit, quam ille consequitur. Sed ut qui noctu aurum aut argentum quærunt, neque tamen habent, quo illud, quod quæritur, dignoscant, sed ex pondere tantum & tactu conjecturam faciunt incertam: pugnis sæpe & dentibus inter se velitantur: dum nemo, quod in manu habet, vult dimittere, ne fortè habeat, neque

à quæ-

à quærendo abstinere, ne fortè non habeat. Hinc tumultus oritur & contentio, hinc clamores diversi, dum alii adhortantur, alii quærunt, alii insequuntur alios, alii lamentantur, alii rapiunt, eripiunt alii. Sæpe omnes clamant præ gaudio & exultant, tanquam bonum omnes repererint, cum tamen habeat nemo. Rursus tam incerti sunt omnes, ut singuli in verba inquirant singulorum. Hoc est illud, quod terram turbat & mare, hoc est, quod conciones convocat, judicia cogit, implet carceres, naves fabricat, triremes deducit, aciem instruit. Hoc est, quod equis suis equites, aurigas curribus, arcibus imponit Tyrannos. Hinc Imperatores, hinc milites.

Qui mactent homines: urbem depascitur ignis,
Abducunt pueros alii, comptasque maritas.

Infinita denique alia mala sunt, quæ propterea hominibus eveniunt, quod sperent bonum & ignorent. Expectationem namque boni tanquam scintillam aliquam mortalium animis insevit Deus: inventionem verò abscondidit.

Nigra illi radix, par flos albedine lactis.

Non enim me decipiet Homerus, quamvis alio utatur nomine. Scio quid sibi velit, illud *moly*: intelligo hoc, quod obscurius ab eo dicitur, nec me latet, quam difficilis inventu hæc res sit.

Mortali generi; superi namque omnia norunt.

5. Nunc hominibus de frivolo, nescio quo lebete, qui apud Lydos coquitur, oracula reddit Apollo. Nunc de muro ligneo, nunc de Isthmi angustiis, nunc de imminente bello, nunc de pestilentiæ adventu. Quæ verò his omnibus potiora sunt oracula, quo pacto vitari bellum possit, quo pacto muris ne opus quidem habeamus, quo pacto pestem ne timeamus quidem; sola hæc reticet. De his neque Delphis Apollo, neque Dodona Jupiter, neque aliæ è terrâ oracula mittit alius Deorum aliquis. Quæ de his respondet sola philosophia est. O pulchra oracula! ô divinationem multò utilissimam! Cui hac conditione credam, ut nullam in ea ambiguitatem deprehendam. Peto certum, peto sine repugnantiâ ullâ oraculum. Ego quod vitæ securè transigendæ rationem doceat, oraculum requiro. Responde, quo mittas mortale genus? qua via sit eundum? quem ad finem? sit modò unum, sit omnibus commune.

Nunc

Nunc multas video Philosophiæ colonias, aliumque mitti aliò. Sicut in Bœotiam Cadmus, Syracusas Archias, Tarentum Phalanthus, Miletum Nileus, Rhopum versus Tlepolemus. At verò terram diversis locis distingui, aliosque aliam ejus occupare partem, necesse est Ego verò bonum simplex, inseparabile, affluens, nullius rei indignum requiro: quodque omnibus, qui ratione menteque præditi sunt, abunde sufficiat. Sicut sol unus, unum est bonum omnibus qui vident, Musica una, bonum unum omnibus qui audiunt, una sanitas omnibus qui carne vestiti sunt. Jam & aliis animalibus, prout in greges suos divisa sunt genera, unum ad conversationem sui sufficit bonum. Æqualem vitam ducunt, eundem finem sequuntur omnia, quæ inter se sunt æqualia; cum singulis singula. Sive ea videas, quæ volant, sive quæ incedunt, sive, quæ repunt? tam ea, quæ in aquis degunt, quam quæ carnibus, aut herbis pascuntur: quæcunque gregatim vivant, quæcunque mansueta, quæcunque agrestia sunt; sive illis cornua addas, sive demas. Quod vitam eorum mutas, naturæ vim infers. At verò humanum gregem, qui maximè societate conservatur, omnium maximè mansuet' est, communitate gaudet, maximè ratione præ cæteris præditus est, non solum vulgares cupidines, & brutales appetitus, vanique amores disjungere possunt ac divellere: sed & illa, quæ omnium rerum stabilissima habetur, Philosophia, in plures populos studiosos sui secat, diversis eos legislatoribus tradit, totum gregem dissipat. Alium ablegat aliò. Pythagoram ad Musicam, ad Astronomiam Thalen, in solitudinem Heraclitum, ad amores Socratem, ad castitatem Carneadem, ad labores Diogenem, ad voluptates Epicurum. Videsne magnam ducum copiam, videsne diversas tesseras? Quo me vertam, cui me tradam, cui me dicto audientem dabo?

IMITATIO.

Serviet imitanti, si omnes in vita infelicitati diversis casibus objectos asseras. Vel, omnibus naturale aliquod futura & occulta cognoscendi desiderium inesse doceas. Vel, si de certo vitæ Statu maximè tranquillo felicique, per omnes errando, deliberationem instituas.

§. 6. OB-

§. 6.

OBSERVATIO.

Quemadmodum variæ Descriptiones ad scholarum usum traduci possint.

Hæc exempla descriptionum suffecerint, Exercitatione ad eloquentiam utilissima. In qua Pontanus noster volumen tertium, hoc est potissimam suorum Dialogorum seriem consumpsit. Curtius bonam partem historiæ implet. Magna vero conceptuum varietate harum rerum exercitatio in Scholas traduci poterit ut & labor sine fastidio sit, & de re quacunque promptior disserendi facultas suppeditetur, cum primum præcipuumque in eloquentia sit, suis rem quamque partibus habere exploratam.

Vis cœlum terramque & elementa describere? Inducantur vel diversæ Philosophorum sectæ, quorum alii aliud ex elementis pro Deo habuêre cæterisque rebus omnibus prætulere. Ut Sinæ cœlum, Persæ ignem, Anaximes cum suis asseclis aërem, cujus beneficio cuncti spirant. Empedocles qui elementa omnia aquam etiam terramque, quod ab hac homines prodeant alanturque atque in eandem redeant, ab illa ipsa etiam terra ad fruges reddendas fœcundetur Hic enim describendi naturam cujusque occasio futura est. Quod si de Sideribus disserere libeat, sunt qui lunam, solemque, Bosphorum ac Cynosuram, aliaque in cœlis nostra in Diis numerent. Sic ubi de floribus, arboribus, artibus, scientiis ipsisque humani corporis partibus descriptio instituenda sit, sunt inter Gentiles fabulososque Deos, qui aliud præ alio sibi vendicant, deprædicaturi.

Ipsas etiam Artes, Flores, Regiones, &c. committere inter se, non ingrato certamine, poterit, e. g. Artes certent, quænam earum præcipuum humanæ vitæ commodum præstet. Flores, quis eorum majus vel emolumentum homini, vel ornamentum, aut gratiam, hortis adferat, quis dignior ambire coronam, qua Deipara Virgo, aut consecranda Deo persona cingatur. Pisces aut feræ contendant, quænam suis præstet dotibus.

Aut si ficta hæc velut in theatrum producere non lubeat, aga-

agatur simplicius, & partes, e.g. anni quatuor ver, æstas, autumnus, hyems suis quæque coloribus describantur, ut à nobis factum in *Palæstra ligata eloq.* Ubi vero his naturalium rerum Descriptionibus non oscitanter te impenderis, tum ad moralium Descriptionem, hoc est, irati, dolentis, metuentis, amantis, hæsitantis, fortiter pugnantis, patientis, ostentantis, ebrii, otiosi, avari, superbi, &c. transire poteris, quorum nos plerorumque imagines heroica nostra poësi dedimus. Facient verò ad hujusmodi Descriptiones illa, quæ dedimus præcepta, de affectibus lib. 1. cap. 23. & seq. Qui plura Descriptionum exempla voluerit, *Exercitationes* nostras *Oratorias* consulat. ubi illas quadam simul dissertationum amœnitate exornavimus.

CAPUT XVI.

Loci communes vario scribendi argumento, & diversa tractandi ratione, ex optimis autoribus, propositi.

AD majora sensim enitimur, & vel à partibus quibusdam orationis ad genus transimus universum. Sed & hic quadam adhuc nobis divisione utendum est, & priusquam ad singularia descendamus, generalibus primùm insistendum est. Hæc enim via, ut ad omnem scientiam, ita ad eloquentiam quoque expeditissima. Consilium Aristotelis. Top. cap. 14. quod Philosophiæ studioso tradit, ut habeat locos communes signatos, de bono, malo, Deo, Intelligentiis, animatis, inanimatis, &c. ex quibus deinde velut fontibus disputationes irriget. Hoc & eloquentiæ studioso præstandum erit.

Sunt autem loci communes, vel rerum divinarum, ut quæ de providentia Dei, de sapientia, de pœnis, præmiisque ab eo præparitis, &c. instituuntur: vel naturalium, ut cum de cœlo, elementis, hominibus, brutis, plantis, metallis, &c. generalia quædam disseruntur: vel denique moralium, cùm de vitiis, virtutibus, artibus, sententiis, negotiationibus sermo est. Et in his ultimis præcipuè eloquentiæ candidato versandum est, quod uberior

hic ferè campus, magiſque & ab aliis ſcriptoribus tritus, & adoleſcentum ingenio pervius, & ad omnem diſſertationem tum copioſus, tum neceſſarius, ſe aperiat. Quam ad rem illa, quæ de ratione inveniendi lib. I. in genere demonſtrativo tradidi, imprimis ſervient.

In tractatione loci communis leges ab Aphthonio & anguſtæ nimium, & non ſatis explicatæ ſunt. Manifeſtum enim eſt omnes, cum proprios, tum communes inventionis fontes huc poſſe influere. Ut illud, quod nos *de ebrietate* per locos omnes diduximus, exemplum loci communis in lib. I. declarat. Quin & loci amplificationum, affectuumque eodem revocari poſſunt. Verùm tamen non in omni ſua amplitudine communis locus ſemper tractandus ſuſcipitur. Unde ex majori minorique ejuſdem adſtrictione, tum etiam argumenti ſuſcepti veritate, ipſius pertractandi pendet diverſitas. Exemplo rem oculis ſubjiciamus. Conſolaris aliquem in paupertate. Hic *ad paupertatis commendationem* & opulentiæ reprehenſionem eis uti argumentis licebit, quæ ab effectis & conſequentibus, tum attributis & adjunctis, illius bonis, & hujus malis petuntur, (nam paupertatis natura & cauſæ laudabiles non ſunt, ideoque contemptori potius ſerviunt) à locis verò extrinſecis nonnunquam extolli bonum paupertatis poterit, cum & contraria & exempla, & ſimilia, & teſtimonia idonea hic ſuppetant. Quod ſi verò hic locus communis de paupertate nonnihil adſtringatur; ut ſi dicas, *paupertatem ad multa reip. utilem eſſe*: Pauciora, quamvis ex iiſdem locis argumenta ſuppetent, cum ad ſolam utilitatem probandam hanc diſſertationem inſtituas, ut quod bonas artes diſciplinaſque per hominum indigentium conſervet induſtriam; in priori verò etiam de jucunditate, privatiſque hominum bonis diſſerere liceat. Denique quod ſi magis etiam ſtatum thematis inflectat, & doceas paupertatem nobili homini probroſam eſſe, à definitione, ut monui, cauſiſque paupertatis, tum etiam effectis quibuſdam parum laudatis adjunctiſque argumenta depromenda erunt. Vides igitur ex thematis varietate, inveniendi quoque rationes mutandas eſſe. Ut Aphthonii hic præceptionibus inſiſtere non liceat, ſed ad generales noſtros fontes recurrendum ſit, quodque ab altero negatur, petendum erit ab altero.

Neque verò hic, vel de ordine, vel de multitudine argumentorum laborandum est. Quamvis enim expediat investigando hanc, quam nos secuti sumus, tenere methodum, atque à natura & definitione excutienda ordiri, quod sic facilius penetremus universa; tamen ad scribendi dicendique rationem hic ordo non obligat; sed videndum, quod cuique argumentum loco maximè conveniat, de quo in Dispositione orat. regulas dedimus. Præterea si unius argumenti tam fœcunda vis sit, aut si angustioribus terminis dissertatio stringenda fuerit; ut iccirco pluribus uti non libeat; insiste paucis aliquantò diligentius, tanquam bonus pictor, qui in tabula quandoque partem corporis scitè expressam oculis mavult subjicere, quam totum confusis coloribus, membrisque ingerere. Cæterum locus communis argumentatione maximè à locis intrinsecis sumpta delectatur. Nam exempla, quæ potissimum inter locos extrinsecos dominantur, ut singularium sunt; ita communibus per se rebus minus erunt accommodata. Quia tamen nonnunquam adhibentur, nos hinc etiam non proscribemus.

Dabimus itaque exempla aliquot, prout illa ex Cicerone & Maximo dissertissimis in morum præcipuè disciplina viris, accepimus, subjuncta etiam breviter materia ad imitationem idonea, ut studiosa juventus, post lectionem, exercitationi quoque ad profectum necessariæ operam manumque possit utiliter commodare.

Et principio quidem locos communes dabimus ab argumentis intrinsecis, iisdemque paucioribus, desumtos: ut tantò expendi singula queant enucleatius, & quid nonnunquam universa in eandem collata materiam possint, intelligi. Deinde ubi plurium argumentorum usus sit adhibitus; ubi extrinsecè etiam petitis rationibus oratio illustrata, exemplis cognoscemus. Ut lectio atque imitatio non varietate minus, quam jucunditate excitetur.



§. 1.

Locus Communis, de vita honestè agenda.
Cicero l. 1. Offic.

Qui mores, quæque Officia cuique hominum generi, quique universim omnibus in communi vita, præsertim in sermone conveniant?

A descriptione rerum & enumeratione partium.

1. Tradit quædam esse juvenum propria, quædam senum; aliud esse civis, aliud peregrini Officium.

2. Quæ in factis dictisque, quæ in corporum nostrorum, morumque custodia deceant.

3. Quomodo forma, cultusque corporis accurandus.

4. Appetitum motusque animi rationi subdendos esse.

5. Quemadmodum sermo aptè, & quibus de rebus, quaque moderatione instituendus sit.

6. Objurgationes denique licet cum severitate, tamen sine ira esse debere. Concludit deformem esse sermonem cum laude propria conjunctum.

Cicero ad M. fil.

1. Quoniam officia non eadem imparibus ætatibus tribuuntur, aliaque sunt juvenum, alia seniorum, aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur *adolescentis* majores natu vereri, ex hisque eligere optimos & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inscitia senum constituenda & regenda prudentia est. Maximè autem hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendaque, & animi & corporis: ut eorum, & in bellicis & in civilibus Officiis vigeat industria. Atque etiam, cum relaxare animos & dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, si ejusmodi quoque rebus majores natu interesse velint. *Senibus* autem labores corporis sunt minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur, danda verò opera, ut amicos, & juventutem, & maxime Remp. consilio & prudentia quam plurimum

mùm adjuvent, nihil autem magis cavendum est senectuti: quàm ne languori desidiæque se dedat. Luxuria verò cum omni ætati turpis, tum senectuti maximè fœdissima est. Sin autem & libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est; quo & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum est de magistratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium munus *magistratus* intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, ea fidei suæ commissa meminisse. *Privatum* autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque submissum, & abjectum; neque se efferentem: tum in rep. ea velle, quæ tranquilla & honesta sint, talem enim solemus & sentire, & bonum civem dicere. *Peregrini* autem & incolæ officium est, nihil præter suum negotium agere, nihil de alio inquirere, minimèque in aliena esse Rep. curiosum. Ita ferre officia reperientur, cum quæretur quid deceat, & quid aptum sit personis, temporibus, ætatibus, nihil est autem quod tam deceat, quàm in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.

2. Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu, & statu cernitur, idque positum est in rebus tribus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto; (difficilius ad eloquendum, sed satis erit intelligi) in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur ab iis, cum quibus, & apud quos vivamus, his quoque de rebus pauca dicantur. Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quæ formam nostram, reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quæ autem partes corporis, ad naturæ necessitatem datæ, aspectum essent deformem habituræ, atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes qui sana mente sunt, removent ab oculis, ipsique necessitati dant operam, ut quam occultissimè pareant.

Nos autem naturam sequamur, & ab omni, quod ab-

horret, ipsa oculorum auriumque comprobatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo sunt maximè fugienda, ne quid effœminatum, aut ne quid durum, aut rusticum sit, ne verò histrionibus oratoribusque concedendum est, ut iis hæc apta sint, quæ nobis dissoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet à vetere disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo, verentur enim, ne si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, aspiciantur non decorè. Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris quidem generi non lavantur. Retinenda est igitur hujus generis verecundia: præsertim natura ipsa optima magistra & duce.

3. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergò & à forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, & huic simile vitium, in gestu motuque, caveatur, nam & Palæstrici motus sæpe sunt odiosiores, & histrionum nonnulli gestus ineptiis non vacant: & in utroque genere; quæ sunt recta & simplicia, laudantur. Formæ autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. Adhibenda est præterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis, tantùm quæ fugiat agrestem, & inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus, in quo sicut in plerisque rebus mediocritas optima est. Cavendum est autem, ne aut tarditatibus utamur ingressu mollioribus, ut similes Pomparum ferculis esse videamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur; ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam.

4. Sed multò etiam magis elaborandum est, ne animi motus à natura recedant. Quod assequemur, si caverimus, ne in perturbationes, atque examinationes incidamus, & si attentos animos ad decori conservationem tenebimus. Motus autem animorum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maximè versatur, appetitus impellit ad agendum. Curandum

dum est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum rationi obedientem præbeamus.

Et quoniam magna vis orationis est eademque duplex, altera contentionis, altera sermonis, contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum senatus, sermo in circulis, disputationibus, familiarum versetur, persequatur etiam convivia.

5. Sit igitur sermo, in quo Socratici excellunt, lenis minimèque pertinax, insit in eo lepos, nec verò, tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios; sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi vicissitudine nonnunquam utendum putet, ac videat imprimis quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem inprimis provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus, quod maximè tum solet evenire, cum studiosè de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut severe, maledicè, contumeliosèque dicitur. Habentur autem plerumque sermones, aut de domesticis negotiis, aut de rep. aut de artium studiis, & doctrina. Danda igitur opera est, ut etiam si aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio. Sed utcunque aderunt res: neque enim iisdem de rebus, nec in omni tempore, nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat, & ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. Sed quoniam in omni vita rectissime præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios rationi non obtemperantes, sic ejusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ita existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut quid tale appareat, maximeque curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferimus & vereri, & diligere videamur.

6. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortasse, & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id agendum etiam, ut ea facere non videamur irati, sed, ut ad urendum & secandum medici, sic nos ad hoc genus castigandi, rarò invitique veniamus, nec unquam nisi necessariò, si nulla reperietur alia medicina: sed tamen ita procul absit, cum qua nihil rectè fieri, nihil considerate potest.

Magna autem ex parte clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta; ut severitas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atqui etiam illud ipsum quod acerbitatis habeat objurgatio, significandum est, ipsius causa qui objurgetur, susceptum esse. Rectum est autem in illis contentionibus, qui cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea neque constanter fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, approbari.

IMITATIO.

Hic locus in singularibus personis, in simili morum cultu aut neglectu, vel laudandis, vel reprehendendis servire poterit. Ut si Iosephi patriarchæ, reverentiam in adolescente, erga patrem fratresque, verecundiam in juventute; moderationem in objurgatione fratrum, &c. describas.

§. 2.

LOCUS COMMUNIS.

De honestate morum, & sermonis, Cicer. 1. de Offic.

A descriptione rerum, & enumeratione partium.

1. *Exorditur à simili de corporis pulchritudine, cui illa morum in factis dictisque conveniat, differre verò illam à justitia, & cum verecundia magis consentire asserit.*

2. *Convenienter ad naturam cujusque formandos mores esse docet ex rationis tamen, non appetitus & temeritatis præscripto.*

3. *Appetitum rationi in omnibus subjectum esse debere, cum perturbet omnia, sine freno ipsa etiam corpora.*

4. *Iocis rarò, tanquam somno, utendum, & non nisi ingenuo, procul omni turpitudine.*

5. *Voluptatis studium magis bestias decere, quàm homines.*

Cico-

Cicero ad M. filium.

1. Ut pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine & constantia & moderatione dictorum omnium atque factorum. Adhibenda est igitur quædam reverentia adversus homines, & optimi cujusque, & reliquorum, nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omninò dissoluti. Est autem quod differat in omni ratione habenda, inter justitiam & verecundiam. Justitiæ partes sunt, non violare homines; verecundiæ non offendere: in quo maximè perspicitur vis decori. His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

2. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primam habet viam, quæ deducit ad convenientiam, conservationemque naturæ; quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus, sequemurque & id, quod ad hominum societatem accommodatum, & id, quod vehemens atque forte. Sed maxima vis decori in hac inest parte, de qua disputamus, neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multò etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim vis animorum atque naturæ, una pars in appetitu posita est; quæ est ὁρμὴ, Græcè; quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione; quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque sit: ita fit, ut ratio præsit, appetitus verò obtemperet. Omnis enim actio vacare debet temeritate & negligentia; nec verò agere quidquam, cujus non possis causam probabilem reddere. Hæc est enim ferè descriptio officii.

3. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigritiam aut ignaviam deserant; sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant, ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur, & tanquam exulantes, sive cupiendo, sive fugiendo, non satis à ratione retinentur, hi, sine dubio, finem & modum transeunt, relinquunt enim & abjiciunt obedientiam, nec ratio-

ni parent, cui sunt subjecti lege naturæ, à quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora, licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omnes contrahendos sedandosque, excitandamque esse animadversionem, & diligentiam, ut ne quid temere ac fortuitò, inconsideratè, negligenterque agamus.

4. Neque enim ita generati à natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur. Sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora, atque majora. Ludo autem & joco uti illis quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris; tum cum gravibus, seriisque rebus satisfecerimus, ipsumque genus jocandi profusum, nec immodestum, sed ingenuum, & facetum esse debet, ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omninò est jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum, quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri referti sunt: multaque multorum facetè dicta; ut ea, quæ à sene Catone sunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα, facilius igitur est distinctio ingenuii, & illiberalis joci, alter est, si tempore fit ac remisso animo, libero dignus: alter ne homine quidem; si rerum turpitudini adhibetur verborum obscænitas, ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem, & campus noster, & studia venandi honesta exempla ludendi.

5. Sed pertinet ad omnem officii quæstionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis antecedat, illæ enim nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: hominis autem mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid, aut inquirit, aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur, quin etiam, si quis est paulò ad voluptates propensior, ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines

non

non re sed nomine) sed si quis est paulò erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam, ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, eamque contemni, & rejici oportere. Sin sit quisquiam, qui aliud tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse modum ejus fruendæ. Itaque victus, cultusque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. atque etiam, si considerare volumus, quæ in sit naturæ excellentia & dignitas; intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, ac delicatè & molliter vivere; quamque honestum, parcè, continentur, severè, sobrièque.

IMITATIO.

In honestè beneque educati adolescentis moribus, e. g. B. Aloysii Gonzagæ, aut D. Thomæ Aquinatis, vel S. Bernardi moribus describendis, hic locus serviet, quin etiam in discoli Iuliani, aut alterius dissolutis moribus, acri oratione castigandis, adhiberi poterit, cui hanc rectæ institutionis disciplinam defuisse asseras.

§. 3.

Locus communis de veris amicis.

Lælii de Amicitia apud Cicer.

Quis verus amicus, & quomodo colendus sit.

A descriptione rerum, & enumeratione partium & Adjunctorum.

Exorditur à dicto Biantis, quod, tanquam amicitiæ bonæ injurium, rejicit.

2. Duo in amicitia requirit, ex parte amici bonos mores, & amantis communicationem in re omni cum amico. Periclitandos igitur inprimis amicorum mores, ut firmos, stabiles, constantes diligat.

3. Vt constantem diligat amicum, requiri in illo simplex fidumque ingenium, quique non facilè criminetur. Comitatem adhæc facilitatemque condire amicitias.

4. Novum

4. *Novas amicitias non facilè veteribus probatisque anteferendas.*

5. *Veram amicitiam paritatem conciliare, etiam inter dispares.*

6. *Dispari studio colendos veteres in ludis sodales, pædagogos, nutrices, &c. quàm amicos.*

7. *Cavendum, ne vel amicorum rebus intempestivo desiderio officias, vel eisdem ad vitia deflectentibus adhæreścas. Amicitias ejusmodi dissuadendas; sed cum minima inimicitia.*

8. *Amicum itaque non commodi, sed solius caritatis gratia, ut teipsum diligis, amandum.*

9. *Nihil ab amico, nisi honestum, postulandum, cum amicitia in scelere nulla esse possit.*

10. *Concludit, virtutem amicitiæ jungendam.*

Lælius ad Fannium.

1. Negabat Scipio ullam vocem inimicitiorem amicitiæ potuisse reperiri, quam ejus qui dixisset. *Ita amare oportere, ut aliquando esset osurus.* Nec verò se adduci posse, ut hoc quemadmodum putaretur, à Biante dictum esse crederet, qui habitus esset unus è septem Græciæ Sapientibus; sed impuri cujusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis, esse sententiam. Nam hoc quidem præceptum cujuscunque sit ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut *ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus*, quin etiam, si minus felices in eligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

2. His igitur finibus utendum arbitror, ut emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum & voluntatum sine ulla exceptione, communicatio; Sunt autem firmi, & stabiles, & constantes amici diligendi, cujus generis magna est penuria. Et judicare difficile est sanè, nisi expertum, experiendum autem in ipsa amicitia. Ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi facultatem. Est igitur prudentis sustinere, ut cursum, sic impetum benevolentiæ, quo utamur quasi aquis tentatis,

ſic amicitiis; aliqua parte periclitatis moribus amicorum, Veræ amicitiæ difficillimè reperiuntur in honoribus, inque republica verſantur, ubi enim invenias qui honorem amici anteponat ſuo? Quid? (hæc ut omittam) quàm graves, quàm difficiles plerisque videntur, calamitatum ſocietates, ad quas non facilè eſt inventus, qui deſcendat. Quanquam recte Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur.*

Tamen hæc duo levitatis & infirmitatis plerosque convincunt, aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut ſi in malis deſerunt.

3. Simplicem præterea & communem, & conſentientem, id eſt, qui rebus iisdem moveatur, eligi par eſt, quæ omnia pertinent ad fidelitatem; neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium & tortuoſum, neque verò qui non iisdem rebus movetur, & natura conſentit, aut fidus aut ſtabilis eſſe poteſt. Addendum eadem eſt, ut ne criminibus, aut inferendis delectetur amicus, aut credat illatis, quæ pertinent omnia ad eam, quam tracto, conſtantiam, ita ſit verùm illud, quod initio dixi; *amicitiam niſi inter bonos eſſe non poſſe.* Accedat huc ſuavitas quædam oportet ſermonum atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeveritas abſit. Habet illa quidem gravitatem; ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

4. Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis; num quando amici novi digni amicitia, veteribus ſint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere ſolemus? Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum eſſe debent, ſicut aliarum rerum ſatietates. Veterrimæ quæque (ut ea vina quæ venuſtatem ferunt) eſſe debent ſuaviſſimæ. Verumque illud quod vulgo dicitur; *multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit.* Novitates autem ſi ſpem afferunt, ut tanquam in herbis non fallacibus fructus, appareant; non ſunt illæ quidem repudiandæ; vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt: maxima eſt enim vis vetuſtatis & conſuetudinis: cum locis etiam ipſis montoſis delectemur & ſilveſtribus, in quibus diutius commorati ſumus.

5. Sed

5. Sed maximum est in amicitia superiorem parem esse inferiori. Sæpe enim excellentiæ quædam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege, nunquam se ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio antepofuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Quod faciendum imitandumque est omnibus, ut si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant etiam suis, communicentque cum proximis, ut si parentibus nati sunt humilibus, si propinquos habeant imbecilliores, vel animo, vel fortuna eorum augeant opes, eisque honori sint, & dignitati. Ut igitur ii, qui sunt amicitia conjunctionisque necessitudine superiores, exæquare se cum inferioribus debent sic, inferiores dolere non debent, se à suis amicis, aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari, quorum plerique aut quæruntur semper aliquid, aut etiam exprobant. Odiosum sanè genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Quamobrem, ut ii qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere.

6. Omnino amicitiæ corroboratis jam confirmatisque & ingeniis & ætatibus judicandæ sunt: nec siqui ineunte ætate venandi, aut pilæ studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices & pædagogi plurimum benevolentiæ postulabunt: qui negligendi quidem non sunt; sed alio quodam modo colendi, aliter enim amicitiæ stabiles permanere non possunt, dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.

7. Rectè etiam præcipi potest in amicitiis, ne quis intemperata quadam benevolentia, quod persæpe fit, impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim Trojam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lachrymis iter suum impedientem, audire voluisset. Et sæpe incidunt magnæ res, ut discedendum sit ab amicis, quas qui impedire vult, quod desiderium non facilè ferat, & infirmus est mollisque natura, &

ob

ob eam causam in amicitia parum justus. Atque in omni re considerandum est, & quid postules ab amico, & quid patiare à te impetrari. Est enim quasi quædam calamitas in amicitiis omittendis nonnunquam necessaria. Erumpunt sæpe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus elevandæ, & ut Catonem dicere audivi, dissuendæ magis, quàm discindendæ sunt: nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit. Ab amicitia Q. Pompei, meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio: propter dissensionem autem, quæ erat in Republ. alienatus est à collega nostro Metello. Utrumque egit graviter, autoritate, & offensione animi non acerbâ. Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant, sine tali aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ videantur. Cavendum verò est, ne in graves inimicitias convertant se amicitiæ, è quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt, & hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui injuriam patiatur.

8. Omnino omnium horum vitiorum una est cautio, atque una provisio, ut ne nimis citò diligere incipiamus, nevè indignos. Sed plerique, neque in rebus humanis, quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos: itaque pulcherrima illa & maximè naturali carent amicitia per se & propter se expetenda, nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam à se ipso mercedem exigat caritátis suæ, sed quod per se sibi carus est: quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Etenim amicus quidem, qui est tanquam alter idem. Sed plerique perversè, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt; quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant.

9. Par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere, in talibus ea, quam jam dudum tractamus, stabilitas amicitiæ confirmari potest, cum homi-

homines benevolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus cæteri serviunt, imperabunt; deinde æquitate justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quicquam unquam nisi honestum & rectum alter ab altero postulabit. Neque solum colent se inter se, ac diligent, sed etiam verebuntur, nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaq; in iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumq; omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum enim amicitia adjutrix natura data est, non vitiorum comes: ut quoniam solitaria non posset virtus, ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta & consociata cum altera perveniret. Quæ si quos inter societas, aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus. Hæc est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas; ut cum hæc adsunt, beata vita sit, & sine his esse non possit.

10. Quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea verò neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum denique se errasse sentient, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit,

IMITATIO.

In Davidis & Ionathæ, aliorumve fida amicitia, tum illa etiam quæ animæ nostræ cum Deo, appositè scribenda hîc locus usum inveniet.

§. 4.

Locus communis, de reo tuendo.

A causis.

Cicero pro Rabirio in exordio.

1. *Docet se, cùm aliis de causis, tum maximè ob bonum periculumque commune reip. ad defendendum Rabirium adduci.*

2. Ad

2. Ad Deos populumque convertitur, oratque ne æquæ causæ desint.

Etsi, Quirites, non est meæ consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam, propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi, tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur esse officii mei: propterea quòd; quæ justissima vobis ad absolvendum debet videri. Nam me cum amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humunitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, C. Rabirium defendendum est adhortata: tum verò, ut id studiosissimè facerem, salus reip. consulare officium, consulatus deniq; ipse, mihi una vobiscum cum salute reip. commēdatus, coëgit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia, vitæq; turpitudo, non deniq; veteres, justæ gravesque inimicitiæ civium, in discrimen capitis vocaverunt: sed ut illud summum auxilium majestatis, atque imperii, quod nobis à majoribus est traditum, de rep. tolleretur: ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare auxilium, nihil consensio bonorum contra pestem, ac perniciem civitatis valeret: idcircò in his rebus evertendis unius hominis senectus, infirmitas, solitudoque tentata est. Quamobrem si est boni consulis, cum cuncta auxilia reip. labefactari, convellique videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti, fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorum & fortium civium, quales vos omnibus reip. temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia reip. summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium, putare: ea qui secutus sit, laude potius, & honore, quàm pœna & supplició dignum judicare. Quamobrem labor in hoc defendendo, præcipuè meus est: studium verò conservandi hominis, commune mihi vobiscum esse debebit. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem ullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à Tribuno pleb. susceptam, neque à Consule defensam, neque ad populum Rom. esse delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, quam ut nullum sit posthac

in rep. publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem, & audaciam: extremis reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis.

2. Quæ cum ita sint, primùm, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumq; omnium fieri necesse est, ab Jove Optimo Max. cæterisque diis, deabusque immortalibus, quorum ope, & auxilio, multò magis hæc resp. quàm ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: precorque ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus salutem conservandam, & ad remp constituendam, illuxisse patiantur Deinde vos, Quirites, quorum potestas maximè ad Deorum immortalium numen accedit, oro, atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atq; innocentissimi, salus reip. vestris manibus, suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in reip. salute sapientiam, quam soletis.

IMITATIO.

Vtilis hic locus futurus est, ubi de publico civitatis bono cujuslibet privati emolumentis præferendo agetur, in quo præcipuum sit, ut autoritas sua Magistratui conservetur. Ita suaderi David poterit, injuriam Semei plectendam esse, ne ab aliis quoque Regis autoritas violetur.

§. 5.

Locus communis de cultu amicitiæ.

Amicitiam veram cum objurgatione amici posse consistere: cum adulatione non posse. Læl. de amicit.

A natura & attributis.

1. Principio tradit amicitiam homini ad beatè vivendum necessariam esse.

2. Objurgandos in re mala comiter amicos, non adulatoriè fovendos.

3. Adulationem amicitiæ pestem esse, quam in C. Papirio, & C. Licinio Crasso etiam plebs eorum oratione rejecta, quâ popularia

pularia suadebuntur, notavit. Gnathonum & parasitorum hoc esse, non amicorum, adulatori & amicis illudere.

Lælius ad Fannium.

Cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maximè in amicis, & diligendis, & colendis, præposteris enim utimur consiliis & *acta agimus*, quod vetamur veteri proverbio: nam implicati ultro & citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis repentè in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. Quocirca cum judicaveris, diligere oportet, non cum dilexeris judicare. Vituperanda est sanè rei maximè necessariæ tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt, serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitam amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem. Quin etiam si quis ea asperitate est, & immanitate naturæ, ut congressus societatemq; hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is non possit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maximè judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat abundantiam & copiam; hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam ferreus esset, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum igitur illud est, quod à Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi. Si quis cœlum ascendisset, naturamque mundi & pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem illi fore, quæ jucundissima fuisset; nisi aliquem cui narraret, habuisset. Sic natura nihil solitarium amat: semperque ad aliquod, tanquam adminiculum adnititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

Sed cum tot signis eadem natura declaret, quid velit, ac quærat, quid desideret: obsurdescimus tamen, nescio quo modo, nec ea, quę ab ea monemur, audimus, est enim varius & multiplex usus amicitiæ; multæque causæ suspicionum,

offensionumque dantur, quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur, nam & monendi amici sæpe sunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt, sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est, primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat, in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur; quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est, aliter enim cum Tyranno, aliter cum amico vivitur. Cujus autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico vera audire nequeant; hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur; illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atq; illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Peccasse enim se non anguntur; objurgari molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.

Ut igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter? sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem: blanditias, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest, nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: quî fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper; sed varius, commutabilis,

bilis, multiplex? quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alteri⁹ non modo sensum, ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, ajo, postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari.

Ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis est. Multi autem Gnathonum similes cum sint, loco, fortuna, fama superiores; horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internosci tam potest, adhibitâ diligentia, quàm omnia fucata & simulata à synceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem, & levem civem, & inter constantem, severum, & gravem. Quibus blanditiis *C.* Papirius consul. nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis pleb. reficiendis? dissuasimus nos, sed nihil de me: de Scipione dicam libentius, quanta illi, Dii immortales, fuit gravitas, quantà in oratione majestas? facilè ducem Pop. Rom. non comitem diceres, sed affuistis; & est in manibus oratio, itaque lex popularis, suffragiis populi repudiata est. *A*tque (ut ad me redeam) meministis Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino *C*oss. quam popularis lex de sacerdotiis *C*. Licini *C*assi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primum instituit, in forum versus, agere cum populo, tamē illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat, atque id actum est prætore me, quinquennio ante quam *C*onsul sum factus, itaque re magis quam auctoritate causa illa defensa est; quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum, & illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; ostendas; nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, ut amari possis: cum, id quàm verè fiat, ignores, quanquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest nisi ei, qui eā receptat, eaq; delectatur, ita fit, ut is pro assentatoribus patefaciat aures suas maximè, qui

4. *Novas amicitias non facilè veteribus probatisque anteferendas.*

5. *Veram amicitiam paritatem conciliare, etiam inter dispares.*

6. *Dispari studio colendos veteres in ludis sodales, pædagogos, nutrices, &c. quàm amicos.*

7. *Cavendum, ne vel amicorum rebus intempestivo desiderio officias, vel eisdem ad vitia deflectentibus adhærescas. Amicitias ejusmodi dissuadendas; sed cum minima inimicitia.*

8. *Amicum itaque non commodi, sed solius caritatis gratia, ut teipsum diligis, amandum.*

9. *Nihil ab amico, nisi honestum, postulandum, cum amicitia in scelere nulla esse possit.*

10. *Concludit, virtutem amicitiæ jungendam.*

Lælius ad Fannium.

1. Negabat Scipio ullam vocem inimicitiorem amicitiæ potuisse reperiri, quam ejus qui dixisset. *Ita amare oportere, ut aliquando esset osurus.* Nec verò se adduci posse, ut hoc quemadmodum putaretur, à Biante dictum esse crederet, qui habitus esset unus è septem Græciæ Sapientibus; sed impuri cujusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis, esse sententiam. Nam hoc quidem præceptum cujuscunque sit ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut *ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus*, quin etiam, si minus felices in eligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

2. His igitur finibus utendum arbitror, ut emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum & voluntatum sine ulla exceptione, communicatio; Sunt autem firmi, & stabiles, & constantes amici diligendi, cujus generis magna est penuria. Et judicare difficile est sanè, nisi expertum, experiendum autem in ipsa amicitia. Ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi facultatem. Est igitur prudentis sustinere, ut cursum, sic impetum benevolentiæ, quo utamur quasi aquis tentatis, sic

ſic amicitiis; aliqua parte periclitatis moribus amicorum, Veræ amicitiæ difficillimè reperiuntur in honoribus, inque republica verſantur, ubi enim invenias qui honorem amici anteponat ſuo? Quid? (hæc ut omittam) quàm graves, quàm difficiles pleriſque videntur, calamitatum ſocietates, ad quas non facilè eſt inventus, qui deſcendat. Quanquam rectè Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur.*

Tamen hæc duo levitatis & infirmitatis pleroſque convincunt, aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut ſi in malis deſerunt.

3. Simplicem præterea & communem, & conſentientem, id eſt, qui rebus iiſdem moveatur, eligi par eſt, quæ omnia pertinent ad fidelitatem; neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium & tortuoſum, neque verò qui non iiſdem rebus movetur, & natura conſentit, aut fidus aut ſtabilis eſſe poteſt. Addendum eadem eſt, ut ne criminibus, aut inferendis delectetur amicus, aut credat illatis, quæ pertinent omnia ad eam, quam tracto, conſtantiam, ita ſit verùm illud, quod initio dixi; *amicitiam niſi inter bonos eſſe non poſſe.* Accedat huc ſuavitas quædam oportet ſermonum atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeveritas abſit. Habet illa quidem gravitatem; ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

4. Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis; num quando amici novi digni amicitia, veteribus ſint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere ſolemus? Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum eſſe debent, ſicut aliarum rerum ſatietates. Veterrimæ quæque (ut ea vina quæ venuſtatem ferunt) eſſe debent ſuaviſſimæ. Verumque illud quod vulgo dicitur; *multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitia munus expletum ſit.* Novitates autem ſi ſpem afferunt, ut tanquam in herbis non fallacibus fructus, appareant; non ſunt illæ quidem repudiandæ; vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt: maxima eſt enim vis vetuſtatis & conſuetudinis: cum locis etiam ipſis montoſis delectemur & ſilveſtribus, in quibus diutius commorati ſumus.

5. Sed

5. Sed maximum est in amicitia superiorem parem esse inferiori. Sæpe enim excellentiæ quædam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege, nunquam se ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio antepofuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Quod faciendum imitandumque est omnibus, ut si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant etiam suis, communicentque cum proximis, ut si parentibus nati sunt humilibus, si propinquos habeant imbecilliores, vel animo, vel fortuna eorum augeant opes, eisque honori sint, & dignitati. Ut igitur ii, qui sunt amicitia conjunctionisque necessitudine superiores, exæquare se cum inferioribus debent sic, inferiores dolere non debent, se à suis amicis, aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari, quorum plerique aut quæruntur semper aliquid, aut etiam exprobant. Odiosum sanè genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Quamobrem, ut ii qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere.

6. Omnino amicitiæ corroboratis jam confirmatisque & ingeniis & ætatibus judicandæ sunt: nec siqui ineunte ætate venandi, aut pilæ studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices & pædagogi plurimum benevolentiæ postulabunt: qui negligendi quidem non sunt; sed alio quodam modo colendi, aliter enim amicitiæ stabiles permanere non possunt, dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.

7. Rectè etiam præcipi potest in amicitiis, ne quis intemperata quadam benevolentia, quod persæpe fit, impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim Trojam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lachrymis iter suum impedientem, audire voluisset. Et sæpe incidunt magnæ res, ut discedendum sit ab amicis, quas qui impedire vult, quod desiderium non facilè ferat, & infirmus est mollisque natura, & ob

ob eam causam in amicitia parum justus. Atque in omni re considerandum est, & quid postules ab amico, & quid patiare à te impetrari. Est enim quasi quædam calamitas in amicitiis omittendis nonnunquam necessaria. Erumpunt sæpe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus elevandæ, & ut Catonem dicere audivi, dissuendæ magis, quàm discindendæ sunt: nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit. Ab amicitia Q. Pompei, meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio: propter dissensionem autem, quæ erat in Republ. alienatus est à collega nostro Metello. Utrumque egit graviter, autoritate, & offensione animi non acerbâ. Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant, sine tali aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ videantur. Cavendum verò est, ne in graves inimicitias convertant se amicitiæ, è quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt, & hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui injuriam patiatur.

8. Omnino omnium horum vitiorum una est cautio, atque una provisio, ut ne nimis citò diligere incipiamus, nevè indignos. Sed plerique, neque in rebus humanis, quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos: itaque pulcherrima illa & maximè naturali carent amicitia per se & propter se expetenda, nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam à se ipso mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi carus est: quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Etenim amicus quidem, qui est tanquam alter idem. Sed plerique perversè, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt; quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant.

9. Par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere, in talibus ea, quam jam dudum tractamus, stabilitas amicitiæ confirmari potest, cum homi-

homines benevolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus cæteri serviunt, imperabunt; deinde æquitate justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quicquam unquam nisi honestum & rectum alter ab altero postulabit. Neque solum colent se inter se, ac diligent, sed etiam verebuntur, nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaq; in iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumq; omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum enim amicitia adjutrix natura data est, non vitiorum comes: ut quoniam solitaria non posset virtus, ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta & consociata cum altera perveniret. Quæ si quos inter societas, aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus. Hæc est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quę putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas; ut cum hæc adsunt, beata vita sit, & sine his esse non possit.

10. Quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea verò neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum denique se errasse sentient, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit,

IMITATIO.

In Davidis & Ionathæ, aliorumve fida amicitia, tum illa etiam quæ animæ nostræ cum Deo, appositè scribenda hic locus usum inveniet.

§. 4.

Locus communis, de reo tuendo.

A causis.

Cicero pro Rabirio in exordio.

1. *Docet se, cùm aliis de causis, tum maximè ob bonum periculumque commune reip. ad defendendum Rabirium adduci.*

2. Ad

2. *Ad Deos populumque convertitur, oratque ne æquæ causæ desint.*

Etsi, Quirites, non est meæ consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam, propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi, tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur esse officii mei: propterea quòd; quæ justissima vobis ad absolvendum debet videri. Nam me cum amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humunitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, C. Rabirium defendendum est adhortata: tum verò, ut id studiosissimè facerem, salus reip. consulare officium, consulatus deniq; ipse, mihi una vobiscum cum salute reip. commẽdatus, coëgit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia, vitæq; turpitudo, non deniq; veteres, justæ gravesque inimicitiæ civium, in discrimen capitis vocaverunt: sed ut illud summum auxilium majestatis, atque imperii, quod nobis à majoribus est traditum, de rep. tolleretur: ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare auxilium, nihil consensio bonorum contra pestem, ac perniciem civitatis valeret: idcircò in his rebus evertendis unius hominis senectus, infirmitas, solitudoque tentata est. Quamobrem si est boni consulis, cum cuncta auxilia reip. labefactari, convellique videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti, fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorum & fortium civium, quales vos omnibus reip. temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia reip. summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium, putare: ea qui secutus sit, laude potius, & honore, quàm pœna & supplicio dignum judicare. Quamobrem labor in hoc defendendo, præcipuè meus est: studium verò conservandi hominis, commune mihi vobiscum esse debebit. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem ullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à Tribuno pleb. susceptam, neque à Consule defensam, neque ad populum Rom. esse delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, quam ut nullum sit posthac

in rep. publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem, & audaciam: extremis reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis.

2. Quæ cum ita sint, primùm, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumq; omnium fieri necesse est, ab Jove Optimo Max. cæterisque diis, deabusque immortalibus, quorum ope, & auxilio, multò magis hæc resp. quàm ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: precorque ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus salutem conservandam, & ad remp constituendam, illuxisse patiantur Deinde vos, Quirites, quorum potestas maximè ad Deorum immortalium numen accedit, oro, atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atq; innocentissimi, salus reip. vestris manibus, suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in reip. salute sapientiam, quam soletis.

IMITATIO.

Utilis hic locus futurus est, ubi de publico civitatis bono cujuslibet privati emolumentis præferendo agetur, in quo præcipuum sit, ut autoritas sua Magistratui conservetur. Ita suaderi David poterit, injuriam Semei plectendam esse, ne ab aliis quoque Regis autoritas violetur.

§. 5.

Locus communis de cultu amicitiæ.

Amicitiam veram cum objurgatione amici posse consistere: cum adulatione non posse. Læl. de amicit.

A natura & attributis.

1. Principio tradit amicitiam homini ad beatè vivendum necessariam esse.

2. Objurgandos in re mala comiter amicos, non adulatoriè fovendos.

3. Adulationem amicitiæ pestem esse, quam in C. Papirio, & C. Licinio Crasso etiam plebs eorum oratione rejecta, quâ popularia

pularia suadebuntur, notavit. Gnathonum & parasitorum hoc esse, non amicorum, adulatori & amicis illudere.

Lælius ad Fannium.

Cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maximè in amicis, & diligendis, & colendis, præposteris enim utimur consiliis & *acta agimus*, quod vetamur veteri proverbio: nam implicati ultro & citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis repentè in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. Quocirca cum judicaveris, diligere oportet, non cum dilexeris judicare. Vituperanda est sanè rei maximè necessariæ tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt, serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitam amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem. Quin etiam si quis ea asperitate est, & immanitate naturæ, ut congressus societatemq; hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is non possit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maximè judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat abundantiam & copiam; hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam ferreus esset, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum igitur illud est, quod à Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi. Si quis cœlum ascendisset, naturamque mundi & pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem illi fore, quæ jucundissima fuisset; nisi aliquem cui narraret, habuisset. Sic natura nihil solitarium amat: semperque ad aliquod, tanquam adminiculum adnititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

Sed cum tot signis eadem natura declaret, quid velit, ac quærat, quid desideret: obsurdescimus tamen, nescio quo modo, nec ea, quę ab ea monemur, audimus, est enim varius & multiplex usus amicitiæ; multæque causæ suspicionum,

offensionumque dantur. quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur, nam & monendi amici sæpe sunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt, sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est, primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat, in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur; quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est, aliter enim cum Tyranno, aliter cùm amico vivitur. Cujus autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico vera audire nequeant; hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atq; illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Peccasse enim se non anguntur; objurgari molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.

Ut igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter? sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem: blanditias, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest, nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper; sed varius, commutabilis.

bilis, multiplex? quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alteri⁹ non modo ſenſum, ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, ajo, poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari.

Ut ait idem Terentius: ſed ille ſub Gnathonis perſona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cum ſint, loco, fortuna, fama ſuperiores; horum eſt aſſentatio moleſta, cum ad vanitatem acceſſit auctoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt, adhibitâ diligentia, quàm omnia fucata & ſimulata à ſynceris atque veris. Concio, quæ ex imperitiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem, & inter conſtantem, ſeverum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius conſul. nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis pleb. reficiendis? diſſuaſimus nos, ſed nihil de me: de Scipione dicam libentius, quanta illi, Dii immortales, fuit gravitas, quantâ in oratione majeſtas? facilè ducem Pop. Rom. non comitem diceres, ſed affuiſtis; & eſt in manibus oratio, itaque lex popularis, ſuffragiis populi repudiata eſt. Atque (ut ad me redeam) meminiſtis Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino Coſſ. quam popularis lex de ſacerdotiis C. Licini Caſſi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primum inſtituit, in forum verſus, agere cum populo, tamẽ illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat, atque id actum eſt prætore me, quinquennio ante quam Conſul ſum factus, itaque re magis quam auctoritate cauſa illa defenſa eſt; quod ſi in ſcena, id eſt, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet, ſi modo id patefactum, & illuſtratum eſt: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; oſtendas; nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, ut amari poſſis: cum, id quàm verè fiat, ignores, quanquam iſta aſſentatio, quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt niſi ei, qui eã receptat, eaq; delectatur, ita fit, ut is pro aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maximè, qui

offensionumque dantur. quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur, nam & monendi amici sæpe sunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt, sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est, primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat, in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur; quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est, aliter enim cum Tyranno, aliter cùm amico vivitur. Cujus autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico vera audire nequeant; hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atq; illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Peccasse enim se non anguntur; objurgari molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.

Ut igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter? sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem: blanditias, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest, nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: quî fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper; sed varius, commutabilis.

bilis, multiplex? quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alteri⁹ non modo ſenſum, ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, ajo, poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari.

Ut ait idem Terentius: ſed ille ſub Gnathonis perſona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cum ſint, loco, fortuna, fama ſuperiores; horum eſt aſſentatio moleſta, cum ad vanitatem acceſſit auctoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt, adhibitâ diligentia, quàm omnia fucata & ſimulata à ſynceris atque veris. Concio, quæ ex imperitiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem, & inter conſtantem, ſeverum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius conſul. nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis pleb. reficiendis? diſſuaſimus nos, ſed nihil de me: de Scipione dicam libentius, quanta illi, Dii immortales, fuit gravitas, quantà in oratione majeſtas? facilè ducem Pop. Rom. non comitem diceres, ſed affuiſtis; & eſt in manibus oratio, itaque lex popularis, ſuffragiis populi repudiata eſt. Atque (ut ad me redeam) meminiſtis Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino Coſſ. quam popularis lex de ſacerdotiis C. Licini Caſſi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primum inſtituit, in forum verſus, agere cum populo, tamē illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat, atque id actum eſt prætore me, quinquennio ante quam Conſul ſum factus, itaque re magis quam auctoritate cauſa illa defenſa eſt; quod ſi in ſcena, id eſt, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet, ſi modo id patefactum, & illuſtratum eſt: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; oſtendas; nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, ut amari poſſis: cum, id quàm verè fiat, ignores, quanquam iſta aſſentatio, quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt niſi ei, qui eā receptat, eaq; delectatur. ita fit, ut is pro aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maximè, qui

offensionumque dantur. quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur, nam & monendi amici sæpe sunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt, sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est, primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat, in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur; quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est, aliter enim cum Tyranno, aliter cum amico vivitur. Cujus autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico vera audire nequeant; hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atq; illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Peccasse enim se non anguntur; objurgari molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.

Ut igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter? sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem: blanditias, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest, nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper; sed varius, commutabilis,

bilis, multiplex? quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alteri⁹ non modo ſenſum, ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, ajo, poſtremo imperavi egomet mihi
Omnia aſſentari.

Ut ait idem Terentius: ſed ille ſub Gnathonis perſona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cum ſint, loco, fortuna, fama ſuperiores; horum eſt aſſentatio moleſta, cum ad vanitatem acceſſit auctoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt, adhibitâ diligentia, quàm omnia fucata & ſimulata à ſynceris atque veris. Concio, quæ ex imperitiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem, & inter conſtantem, ſeverum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius conſul. nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis pleb. reficiendis? diſſuaſimus nos, ſed nihil de me: de Scipione dicam libentius, quanta illi, Dii immortales, fuit gravitas, quantà in oratione majeſtas? facilè ducem Pop. Rom. non comitem diceres, ſed affuiſtis; & eſt in manibus oratio, itaque lex popularis, ſuffragiis populi repudiata eſt. Atque (ut ad me redeam) meminiſtis Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino Coſſ. quam popularis lex de ſacerdotiis C. Licini Caſſi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primum inſtituit, in forum verſus, agere cum populo, tamē illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat, atque id actum eſt prætore me, quinquennio ante quam Conſul ſum factus, itaque re magis quam auctoritate cauſa illa defenſa eſt; quod ſi in ſcena, id eſt, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet, ſi modo id patefactum, & illuſtratum eſt: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; oſtendas; nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, ut amari poſſis: cum, id quàm verè fiat, ignores, quanquam iſta aſſentatio, quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt niſi ei, qui eā receptat, eaq; delectatur, ita fit, ut is pro aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maximè, qui

offensionumque dantur. quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur, nam & monendi amici sæpe sunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt, sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est, primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat, in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur; quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est, aliter enim cum Tyranno, aliter cúm amico vivitur. Cujus autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico vera audire nequeant; hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atq; illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Peccasse enim se non anguntur; objurgari molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.

Ut igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter? sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem: blanditias, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest, nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: quî fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper; sed varius, commutabilis,

bilis, multiplex? quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alteri⁹ non modo sensum, ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, ajo, postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari.

Ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis est. Multi autem Gnathonum similes cum sint, loco, fortuna, fama superiores; horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internosci tam potest, adhibitâ diligentia, quàm omnia fucata & simulata à synceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem, & levem civem, & inter constantem, severum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius consul. nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis pleb. reficiendis? dissuasimus nos, sed nihil de me: de Scipione dicam libentius, quanta illi, Dii immortales, fuit gravitas, quantà in oratione majestas? facilè ducem Pop. Rom. non comitem diceres, sed affuistis; & est in manibus oratio, itaque lex popularis, suffragiis populi repudiata est. Atque (ut ad me redeam) meministis Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino Coss. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licini Cassi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primum instituit, in forum versus, agere cum populo, tamē illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat, atque id actum est prætore me, quinquennio ante quam Consul sum factus, itaque re magis quam auctoritate causa illa defensa est; quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum, & illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; ostendas; nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, ut amari possis: cum, id quàm verè fiat, ignores, quanquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest nisi ei, qui eā receptat, eaq; delectatur. ita fit, ut is pro assentatoribus patefaciat aures suas maximè, qui

in rep. publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem, & audaciam: extremis reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis.

2. Quæ cum ita sint, primùm, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumq; omnium fieri necesse est, ab Jove Optimo Max. cæterisque diis, deabusque immortalibus, quorum ope, & auxilio, multò magis hæc resp. quàm ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: precorque ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus salutem conservandam, & ad remp constituendam, illuxisse patiantur Deinde vos, Quirites, quorum potestas maximè ad Deorum immortalium numen accedit, oro, atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atq; innocentissimi, salus reip. vestris manibus, suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in reip. salute sapientiam, quam soletis.

IMITATIO.

Vtilis hic locus futurus est, ubi de publico civitatis bono cujuslibet privati emolumentis præferendo agetur, in quo præcipuum sit, ut autoritas sua Magistratui conservetur. Ita suaderi David poterit, injuriam Semei plectendam esse, ne ab aliis quoque Regis autoritas violetur.

§. 5.

Locus communis de cultu amicitiæ.

Amicitiam veram cum objurgatione amici posse consistere: cum adulatione non posse. Læl. de amicit.

A natura & attributis.

1. *Principio tradit amicitiam homini ad beatè vivendum necessariam esse.*

2. *Objurgandos in re mala comiter amicos, non adulatoriè fovendos.*

3. *Adulationem amicitiæ pestem esse, quam in C. Papirio, & C. Licinio Crasso etiam plebs eorum oratione rejecta, quâ popularia*

pularia suadebuntur, notavit. Gnathonum & parasitorum hoc esse, non amicorum, adulatori & amicis illudere.

Lælius ad Fannium.

Cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maximè in amicis, & diligendis, & colendis, præposteris enim utimur consiliis & *acta agimus*, quod vetamur veteri proverbio: nam implicati ultro & citro, vel usu diuturno, vel etiam officiis repentè in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. Quocirca cum judicaveris, diligere oportet, non cum dilexeris judicare. Vituperanda est sanè rei maximè necessariæ tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt, serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitam amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem. Quin etiam si quis ea asperitate est, & immanitate naturæ, ut congressus societatemq; hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is non possit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maximè judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat abundantiam & copiam; hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet: quis tam ferreus esset, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum igitur illud est, quod à Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi. Si quis cœlum ascendisset, naturamque mundi & pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem illi fore, quæ jucundissima fuisset; nisi aliquem cui narraret, habuisset. Sic natura nihil solitarium amat: semperque ad aliquod, tanquam adminiculum adnititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

Sed cum tot signis eadem natura declaret, quid velit, ac quærat, quid desideret: obsurdescimus tamen, nescio quo modo, nec ea, quę ab ea monemur, audimus, est enim varius & multiplex usus amicitiæ; multæque causæ suspicionum,

offensionumque dantur. quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur, nam & monendi amici sæpe sunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt, sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas est; siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui & veritatem aspernatur, & in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio & diligentia est, primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat, in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur; quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est, aliter enim cum Tyranno, aliter cum amico vivitur. Cujus autem aures clausæ veritati sunt, ut ab amico vera audire nequeant; hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atq; illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Peccasse enim se non anguntur; objurgari molestè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere.

Ut igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter? sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem: blanditias, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest, nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui fieri poterit, si nec in uno quidem unus animus erit idem semper; sed varius, commutabilis,

bilis, multiplex? quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alteri⁹ non modo sensum, ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, ajo, postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari.

Ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis est. Multi autem Gnathonum similes cum sint, loco, fortuna, fama superiores; horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus à vero, & internosci tam potest, adhibitâ diligentia, quàm omnia fucata & simulata à synceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem, & levem civem, & inter constantem, severum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius consul. nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis pleb. reficiendis? dissuasimus nos, sed nihil de me: de Scipione dicam libentius, quanta illi, Dii immortales, fuit gravitas, quantâ in oratione majestas? facilè ducem Pop. Rom. non comitem diceres, sed affuistis; & est in manibus oratio, itaque lex popularis, suffragiis populi repudiata est. Atque (ut ad me redeam) meministis Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino Coss. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licini Cassi videbatur, cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primum instituit, in forum versus, agere cum populo, tamē illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat, atque id actum est prætore me, quinquennio ante quam Consul sum factus, itaque re magis quam auctoritate causa illa defensa est; quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum, & illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; ostendas; nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem, ut amari possis: cum, id quàm verè fiat, ignores, quanquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest nisi ei, qui eā receptat, eaq; delectatur, ita fit, ut is pro assentatoribus patefaciat aures suas maximè, qui

ipsi sibi assentetur, & se ipse maximè delectet. Omnino est amans sui virtus; optimè enim se ipsa novit; quamque amabilis sit, intelligit, ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione, virtute enim ipsa non tam multi præditi esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio, his fictus ad eorum voluntatem sermo cum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur hæc amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est, nec Parasitorum in comœdiis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi;

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere magnas: *ingentes*, inquit semper auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Quamobrem, quanquam blanda ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam allectant & invitant; tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animadvertant, ne callida assentatione capiantur. Apertè enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors; callidus ille & occultus, ne se insinuet, studiosè cavendum est. Nec enim facillimè agnoscitur, quippe qui adversando sæpe assentetur, & litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique se patiatur, ut is, qui illusus sit, plus vicisse videatur, quid autem turpius, quam illud? quod ne accidat, magis cavendum est, ut in Epiclero,

Hodie me; ante omnes comicos stultos senes
Versaris, atque luseris lautissimè.

Hæc enim in fabulis stultissima persona est, improvidorum & credulorum senum.

IMITATIO.

Imitaberis in exponenda ficta falsaque Architophelis amicitiâ, quâ Absoloni adulatus eundem perdidit, vel etiam in vera, quâ Ruben fratres monuit, non esse interficiendum Iosephum, eosque à concepto scelere revocavit.

§. 6. Lo-

§. 6.

Locus communis de noxia voluptate.

Voluptas noxia, & à ſenibus, niſi in moderatis epulis, meritò ſpreta. Cic. in Cat. Maj.

Ab attributis, ſive proprietatibus rerum.

Principio dicit carere voluptatibus eſſe beneficium, non vitium ſenectutis, introducitque orationem Archytæ voluptates aſpernantis, ut noxias.

Probat 1. *Quia libido ad omne ſcelus audendum inflammat.*

2. *Mentem rationemque omnem libidinem opprimere. Concludit igitur magnam habendam ſenectuti gratiam, quæ voluptate liberet.*

Tradit 3. *Epulis ſenes non gaudere niſi moderatis, ut C. Duillius ſolebat.*

4. *Se convivalibus ſermonibus, more ſenum, maximè oblectatum refert.*

5. *Senibus non eſſe moleſtum voluptate carere, ut quam non deſiderent.*

Cato Maj. ad Scipionem & Lælium.

Auditur illa inter adoleſcentes homines vituperatio ſenectutis, quod eam carere dicant voluptatibus. Certè præclarum munus ætatis, ſiquidem id aufert à nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum.

Accipite enim, optimi adoleſcentes, veterem orationem Archytæ Tarentini, magni inprimis & præclari viri: quæ mihi tradita eſt, cum eſſem adoleſcens Tarenti, cum Q. Maximo, *nullam capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis, hominibus* dicebat, *à natura datam*: cujus voluptatis avidæ libidines, temerè & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerump. everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret: ſtupra verò & adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptatis. Cumque homini ſive natura, ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri ac dono, nihil eſſe tam inimicum, quam voluptatem: nec enim libidine dominante, temperantiæ locum

esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod, quo magis intelligi posset, fingere animo jubebat, tantâ incitatum aliquem voluptate corporis, quanta posset maxima. Nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset: quocirca nihil esse tam delectabile tamque pestiferum, quam voluptatem; si quidem ea, cum major esset atque longinquior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite patre ejus, à quo Caudino prælio Sp. Postumius, T. Veturius consules separati sunt, locutum Archysam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi R. permanserat, se à majoribus natu accepisse; cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis, quem Tarentum venisse L. Camillo, P. Claudio consulibus, reperio.

Quorsum hæc? ut intelligeretis, si voluptatem aspernari ratione & sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim consilium voluptas, rationis inimica, ac mentis (ut ita dicam) perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium.

Quare non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas maximè desiderat; caret epulis, exstructisque mensis, & frequentibus poculis; caret etiam vinolentia & cruditate, insomniis. Sed, si aliquid dandum est voluptatis, quoniam ejus blanditiis non facilè obsistimus: (divinus enim Plato, *escam malorum voluptatem appellat*; quod ea videlicet homines capiantur, ut pisces) quanquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen delectari potest. C. Duillium, M. Filium, qui Pœnos primus classe devicerat, redeuntem à cœna senem sæpe videbam puer, delectabatur cereo funali & tibicine: quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat, tantùm licentiæ dabat gloria.

Sed quid ego alios? ad me ipsum revertor. Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis, epulabar igitur cum sodalibus omnino modicè, sed erat quidem fervor ætatis; qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora, neque enim ipsorũ conviviorum delectationem voluptatibus

corpo-

corporis magis, quam cœtu amicorum, & sermonibus metiebar, bene enim majores accubationem epularem amicorum; quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant: ut, quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur, ego verò, propter sermonis delectationem, tempestivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci jam admodum restant, sed cum vestra etiam ætate, atque vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis & cibi sustulit. Quod si quem etiam ista delectant, ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cujus etiam fortasse quidam naturalis motus; non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis, carere sensu senectutem. Me verò & magisteria delectant, à majoribus instituta; & is sermo, qui more majorum, à summo magistro adhibetur in poculo: & pocula, sicut in simposio Xenophontis, minuta atque rorantia; & refrigeratio æstate, & vicissim, aut sol, aut ignis hibernus: quæ quidem etiam in Sabinis persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo; quod ad multam noctem, quam maximè possumus, vario sermone producimus.

IMITATIO.

In senum, qui castam Susannam nequicquam solicitarunt libidine exagitanda hic locus serviet, eò quod senes maximè continentia deceat. Contra Iosephi adolescentis verecundia, & senilis quædam temperantia, imitatione quadam loci hujus effingi poterit.

§. 6.

Locus communis, de amicitiæ violatione.

Quod amicitia nullo scelere colenda sit. Lælius de Amicit. apud Cic.

I. *In Exordio tradit, raras amicitias ad extremam ætatem produci, quæ non cupiditate aliqua propria dissolvantur, ut libidine, avaritia, ambitione.*

II. Docet, turpe esse amici causa scelus admittere, quod C. Blossi exemplo declarat, qui in gratiam Tib. Gracchi amici quodvis facinus ausus est.

III. Probat 1. A natura, quia virtute amicitia tantum conciliatur, & optimi quique nihil visi sunt mali amicorum gratiâ audere, ut alii Tib. Gracchi sodales. Prob. 2. Ab effectis, quia in exitium Reip. tales amicitiæ in scelere conflantur, ut in Tib. Graccho ejusque sociis constat Prob. 3. Ab attributis, quia pœna digni sunt improbi, ideoque prudentes viri Themistoclem & Coriolanum, licet injuria à Rep affectos, secuti non sunt, cum in patriam scelerate armarentur.

Lælius ad Fannium & Scævolam.

1. Audite viri optimi, quæ sæpissime inter me & Scipionem de amicitia disserebantur. Quanquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitæ diem permanere; nam, vel ut non idem expediret utrique, incidere sæpe; vel ut de republica non idem sentirent, mutari etiam mores hominum, sæpe dicebat, alias adversis rebus, alias ætate ingravescente, atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis ætatis: quod summi puerorum amores, sæpe una cum prætexta, sumpta toga, deponerentur: sin autem, ad adolescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum, vel luxuriæ contentione, vel commodi alicujus, quod idem adipisci uterque non posset, quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen sæpe labefactari, si in honoris contentionem incidissent, pestem enim nullam majorem esse in amicitiis, quam in plerisque pecuniæ cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen & gloriæ: ex quo inimicitias maximas, sæpe inter amicissimos extitisse: magna etiam dissidia, & plerumque justa nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur, ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam, quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, jus tamen amicitiæ deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent, illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri omnia se amici causa esse facturos: eorum querela inveterata non modo familiaritates extingui solere, sed etiam odia gigni maxi-

maxima, atq; sempiterna. Hæc ita multa, quasi fata, impendere amicitiis, ut omnia subterfugere, non modo sapientiæ, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

II. Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus habuit amicos, ferre contra partiam arma illi cum Coriolano debuere? num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Melium juvare debuerunt? Tiberium quidem Gracchum, remp. vexantem, à Q. Tuberone æqualibusque amici derelictum videbamus. At C. Blossius Cumanus, hospes familiæ vestræ, Scævola, cum ad me, qui aderam Lænati, & Rutilio consulibus in consilio, deprecatum venisset; hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti T. Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret, tum ego, etiam ne, inquam, si te in Capitolium faces ferre vellet? nunquam, inquit, voluisset id quidem: sed, si voluisset, paruissem. Videtis quam nefaria vox: & hercle ita fecit vel plus etiam, quàm dixit: non enim paruit ille T. Gracchi temeritati, sed præfuit; nec comitem se illius furoris, sed ducem præbuit. Itaque in hac amentia, quæstione nova perterritus, in Asiam profugit; ad hostes se contulit; pœnas reip. graves justasque persolvit.

III. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit; difficile est amicitiam manere, si à virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis quidquid velimus: perfectâ quidem sapientiâ sumus, si nihil habeat res vitii: sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, quos novit vita communis. Ex hoc numero ex nobis exempla sumenda sunt, & eorum quidem maximè, qui ad sapientiam proximè accedunt. Vidimus Paullum Æmilium C. Lucinio familiarem fuisse, (sic à patribus accepimus) bis unà consules, & collegas in censura. Tum etiam cum iis & inter se conjunctissimos fuisse M. Curium & T. Coruncanum, memoriæ traditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quenquam horum ab amico quippiam contendisse, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra remp. esset, nam hoc quidem in tali-

talibus viris quid ratione dicere? si contendissent, scio imperaturos non fuisse: cum illi sanctissimi viri fuerint: æquè autem nefas sit, tale aliquid, & facere rogatum, & rogare. At vero T. Gracchum sequebantur C Carbo, C. Cato, & minime tunc quidem Cajus frater; nunc idem acerrimus hostis.

2. Hæc igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati, turpis enim excusatio est, & minimè accipienda, cùm in cæteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni & Scævola, locati sumus, ut nos longè conspicere oporteat casus futuros reip. deflexit enim jam aliquantulum de spatio, curriculoque consuetudo majorum T. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Numquid simile populus R. audierat aut viderat: hunc etiam post mortem secuti amici, & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, sine lachrymis non queo dicere. Nam Carbonem quoque, quem modò posuimus, propter recentem pœnam T. Gracchi sustinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu, quid exspectem, non libet augurari. Serpit enim deinde res, quæ proclivis ad perniciem, cum semel cœpit, labitur. Videtis, in tabella jam ante, quantò sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post Cassia. Videre jam videor Pop. R. à senatu disjunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his resistatur.

3. Quorsum hæc? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis in magna re aliqua in remp. peccantibus non discedant. Improbis autem pœna statuenda est, nec minor verò iis, qui secuti erunt alterum, quàm iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle, quis potentior? qui, cum imperator bello Persico servitute Græciam liberasset, propterque invidiam in exilium pulsus esset, ingratæ patriæ injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adjutor contra patriam

triam inventus est nemo. Itaque mortem sibi conscivit uterque. Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda.

IMITATIO.

Ionathæ & Davidis amicitia ex his veræ amicitiæ regulis probari, fratrum Ioseph concordia in fratre divendendo improbari poterit, ostendique quemadmodum hæc omnibus & turpis & noxia fuerit. Paria se ex profana sacraque Historia exempta offerent.

§. 8.

Locus communis adversus voluptatem.

Dissertatio, Cicer. lib. 2. de fin. §. 13.

Voluptatem homini fugiendam esse, contra Epicureos.

Indignam homine voluptatem esse tradit, quam nec bestiæ quidem consectentur, & siquidem in illa summum nostrum bonum esset, bestiæ hominibus beatiores futuræ essent, ut quibus multa facilius ad voluptatem affluant.

Probat 1. Ex causis, ut labore impensisque hominum in exercitus integros, qui voluptatis privatæ studio comparantur. 2. Ex fine, quia ad majora nati sumus, si animum ejusque affectiones expendamus 3. Ex materia, quod in ipso etiam corpore alia bona voluptate præstantiora reperiantur. 4. Ab effectis. Artes hominum sunt variæ, quæ ad voluptatem non exercentur. 5. A comparatione, quia Dii ipsi hoc bono voluptatis beari non potuerunt, cum sint corporum expertes. 6. Rursum ab effectis. Nemo laudatorum hominum ex voluptatis studio laudem tulit. 7. Omne beneficium erga alios hac via tollitur. 8. A contrario, virtutis cura cum voluptate non potest consistere. Concludit ita; ut Torquatum ipsum de se suoque labore jubeat pronuntiare sententiam, an voluptatis causa aliis benefecerit.

Cice-

videbis,ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur, non elogia monumentorum id significant, velut hoc monumentum Calatini ad portam, uno ore cui plurimæ consentiunt gentes, populi, primarium fuisse virum. Idne censuisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse virum, quod præstantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus.

7. Ergò in iis adolescentibus bonam spem esse dicemus, & magnam indolem, quos suis commodis inservituros,& quidquid ipsis expediat,facturos arbitramur? nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur? quanta confusio: tollitur beneficium: tollitur gratia: sunt vincula concordiæ. Nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes,beneficium illud habendum est; sed fœneratio: nec gratiâ deberi videtur ei, qui suam ob causam commodaverit.

8. Maximas verò virtutes jacere omnes necesse est, Voluptate dominante, sunt etiam turpidines plurimæ. Quæ nisi honestas naturæ plurimum valeat, cur non cadant in sapientem,non est facilè defendere. Ac, ne plura complectar (sunt enim innumerabilia) benè laudata virtus, voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod jam à me exspectare noli,tute introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione perspectans percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens, in ea quam sæpè usurpabas, tranquillitate degere, omnem ætatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adjungere soletis? (sed fieri non potest, sine doloris metu) an, cum de omnibus gentibus optímè merêre, cum opem indigentibus, salutemque ferres, vel Herculis perpeti ærumnas (sic enim majores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas etiam à Deo nominaverunt.) Exigerem ex te, cogeremque ut responderes, nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quæ pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres.

IMITATIO.

Serviet in quocunque Voluptatis contemptore dignis laudibus

bus extollendo, adolescente præsertim, qui si continens sit, reliquam facilè vitam cum virtute traducet Rursum in voluptatis sectatore digna reprehensione perstringendo, hic locus idoneus imitanti futurus est; quòd contrariorum eadem sit disciplina.

§. 9.

Locus communis de justitia Principum, Cic. lib. 2. Offic.

Justitiæ studium, inter cæteras virtutes maximè ornare virum principem.

In exordio tradit, virtutis existimatione quemvis, maximè in vulgo admirabilem reddi, & inprimis justitiæ.

Rationem dat 1. Ab effectis, quia talis eas res non metuit, quas alii reformidant; & eas facile spernit, quas alii concupiscunt. 2. A comparatione, quod nec vita quidem privata agrestium, aut Mercatorum, vel etiam prædonum, inter sese absque justitiæ ratione queat subsistere, quantò magis ad Reip. administrationem requiretur. 3. A fine; quia Iustitiæ obtinendæ gratia & Reges primùm instituti sint, & leges conditæ. 4. A contrario; quod inani tantùm simulatione, atque ostentatione virtutis, nemo veram gloriam consecuturus sit.

Cicero ad M. fil.

Quemadmodum contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est: sic admiratione quadam afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cùm omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alii non facilè possunt obsistere. Nam & voluptates blandissimæ dominæ, sæpè majores partes animi à virtute detorquent: & dolorum cùm admoventur faces præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas omnes homines vehementissimè promovent. Quæ si qui in utramq; partem, excelso animo, magnoque despiciunt;

cumque aliqua his ampla & honesta res objecta est, totos ad se convertit, & rapit: quis tum non admiretur splendorem, pulchritudinemque virtutis? Ergo & hæc animi perspicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè justitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur.

1. Nec injuria, nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet: aut qui ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteponit, maximèque admirantur eum, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitrantur, itaque illa tria, quæ proposita sunt, ad gloriam, omnia justitia conficit, & benevolentiam, quod prodesse vult plurimis; & ob eandem causam fidem, & admirationem; quod eas res spernit & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

2. Ac mea quidem sententia omnis ratio, & institutio, vitæ adjumenta hominum desiderat, inprimisque ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiæ necessaria est, eoque etiam magis, quòd, si eam non habebunt, injusti habebuntur; & nullis præsidiis septi multis afficientur injuriis. Atque his etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerenda necessaria est, cujus tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui unà latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum, ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur, quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem & Bargulus Illyricus latro, de quo est apud Thepompum, magnas opes habuit; & multò majores Viriathus Lusitanus: cui quidem exercitus nostri, imperatoresque cesserunt: quem C. Cælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit, & comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut

ut facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis justitiæ sit, ut etiam latronum opes firmet atque augeat; quantam ejus vim, inter leges, & judicia, & instituta Reip. fore putamus?

3. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed apud etiam majores nostros, fruendæ justitiæ causa, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem; qui, cum prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari jure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quæ Regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile: neque enim aliter est jus. Id si ab uno justo, & bono viro consequebantur, eo erant contenti, cum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una atque eâdem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio, multitudinis adjuncto verò hoc, ut iidem etiam prudentes haberentur; nihil erat, quod homines his auctoribus, non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda & retinenda justitia est, tum ipsa propter sese (nam aliter justitia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriæ.

4. Sed ut pecuniæ quærendæ non solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios sed etiam liberales: sic gloria quærenda & collocanda ratione est, quanquam præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam, dicebat esse; si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt; nec simulatum potest quidquam esse diuturnum, testes sunt permulti in utramque partem: sed brevitatis causa, familiâ erimus contenti unâ. T. enim Gracchus, P. filius, tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probantur

cumque aliqua his ampla & honesta res objecta est, totos ad se convertit, & rapit: quis tum non admiretur splendorem, pulchritudinemque virtutis? Ergo & hæc animi perspicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè justitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur.

1. Nec injuria, nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet: aut qui ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteponit, maximèque admirantur eum, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitrantur, itaque illa tria, quæ proposita sunt, ad gloriam, omnia justitia conficit, & benevolentiam, quod prodesse vult plurimis; & ob eandem causam fidem, & admirationem; quod eas res spernit & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

2. Ac mea quidem sententia omnis ratio, & institutio, vitæ adjumenta hominum desiderat, inprimisque ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiæ necessaria est, eoque etiam magis, quòd, si eam non habebunt, injusti habebuntur; & nullis præsidiis septi multis afficientur injuriis. Atque his etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerenda necessaria est, cujus tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui unà latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum, ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur, quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem & Bargulus Illyricus latro, de quo est apud Thepompum, magnas opes habuit; & multò majores Viriathus Lusitanus: cui quidem exercitus nostri, imperatoresque cessetunt: quem C. Cælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit, & comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut

ut facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis justitiæ sit, ut etiam latronum opes firmet atque augeat; quantam ejus vim, inter leges, & judicia, & instituta Reip. fore putamus?

3. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed apud etiam majores nostros, fruendæ justitiæ causa, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem; qui, cum prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari jure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quæ Regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile: neque enim aliter est jus. Id si ab uno justo, & bono viro consequebantur, eo erant contenti; cum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una atque eâdem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio, multitudinis adjuncto verò hoc, ut iidem etiam prudentes haberentur; nihil erat, quod homines his auctoribus, non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda & retinenda justitia est, tum ipsa propter sese (nam aliter justitia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriæ.

4. Sed ut pecuniæ quærendæ non solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios sed etiam liberales: sic gloria quærenda & collocanda ratione est, quanquam præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam, dicebat esse; si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt; nec simulatum potest quidquam esse diuturnum, testes sunt permulti in utramque partem: sed brevitatis causa, familiâ erimus contenti unâ. T. enim Gracchus, P. filius, tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probantur

cumque aliqua his ampla & honesta res objecta est, totos ad se convertit,& rapit: quis tum non admiretur splendorem, pulchritudinemque virtutis? Ergo & hæc animi perspicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè justitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur.

1. Nec injuria,nemo enim justus esse potest,qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet: aut qui ea,quæ his sunt contraria, æquitati anteponit, maximèque admirantur eum, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitrantur, itaque illa tria, quæ proposita sunt, ad gloriam, omnia justitia conficit,& benevolentiam, quod prodesse vult plurimis; & ob eandem causam fidem, & admirationem; quod eas res spernit & negligit,ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

2. Ac mea quidem sententia omnis ratio, & institutio, vitæ adjumenta hominum desiderat, inprimisque ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile,nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiæ necessaria est, eoque etiam magis, quòd, si eam non habebunt, injusti habebuntur; & nullis præsidiis septi multis afficientur injuriis. Atque his etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerenda necessaria est, cujus tanta vis est,ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui unà latrocinantur,furatur aliquid, aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum, ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur, quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem & Bargulus Illyricus latro, de quo est apud Thepompum, magnas opes habuit; & multò majores Viriathus Lusitanus: cui quidem exercitus nostri, imperatoresque cesserunt: quem C. Cælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit, & comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut

ut facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis justitiæ sit, ut etiam latronum opes firmet atque augeat; quantam ejus vim, inter leges, & judicia, & instituta Reip. fore putamus?

3. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed apud etiam majores nostros, fruendæ justitiæ causa, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem; qui, cum prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari jure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quæ Regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile: neque enim aliter est jus. Id si ab uno justo, & bono viro consequebantur, eo erant contenti, cum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio, multitudinis adjuncto verò hoc, ut iidem etiam prudentes haberentur; nihil erat, quod homines his auctoribus, non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda & retinenda justitia est, tum ipsa propter sese (nam aliter justitia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriæ.

4. Sed ut pecuniæ quærendæ non solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios sed etiam liberales: sic gloria quærenda & collocanda ratione est, quanquam præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam, dicebat esse; si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt; nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem: sed brevitatis causa, familiâ erimus contenti unâ. T. enim Gracchus, P. filius, tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probantur

talibus viris quid ratione dicere? si contendissent, scio imperaturos non fuisse: cum illi sanctissimi viri fuerint: æquè autem nefas sit, tale aliquid, & facere rogatum, & rogare. At vero T. Gracchum sequebantur C Carbo, C. Cato, & minime tunc quidem Cajus frater; nunc idem acerrimus hostis.

2. Hæc igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati, turpis enim excusatio est, & minimè accipienda, cùm in cæteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni & Scævola, locati sumus, ut nos longè conspicere oporteat casus futuros reip. deflexit enim jam aliquantulum de spatio, curriculoque consuetudo majorum T. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Numquid simile populus R. audierat aut viderat: hunc etiam post mortem secuti amici, & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, sine lachrymis non queo dicere. Nam Carbonem quoque, quem modò posuimus, propter recentem pœnam T. Gracchi sustinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu, quid exspectem, non libet augurari. Serpit enim deinde res, quæ proclivis ad perniciem, cum semel cœpit, labitur. Videtis, in tabella jam ante, quantò sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post Cassia. Videre jam videor Pop. R. à senatu disjunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his resistatur.

3. Quorsum hæc? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis in magna re aliqua in remp. peccantibus non discedant. Improbis autem pœna statuenda est, nec minor verò iis, qui secuti erunt alterum, quàm iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle, quis potentior? qui, cum imperator bello Persico servitute Græciam liberasset, propterque invidiam in exilium pulsus esset, ingratæ patriæ injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adjutor contra patriam

triam inventus est nemo. Itaque mortem sibi conscivit uterque. Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda.

IMITATIO.

Ionathæ & Davidis amicitia ex his veræ amicitiæ regulis probari, fratrum Ioseph concordia in fratre divendendo improbari poterit, ostendique quemadmodum hæc omnibus & turpis & noxia fuerit. Paria se ex profana sacraque Historia exempla offerent.

§. 8.

Locus communis adversus voluptatem.

Dissertatio, Cicer. lib. 2. de fin. §. 13.

Voluptatem homini fugiendam esse, contra Epicureos.

Indignam homine voluptatem esse tradit, quam nec bestiæ quidem consectentur, & siquidem in illa summum nostrum bonum esset, bestiæ hominibus beatiores futuræ essent, ut quibus multa facilius ad voluptatem affluant.

Probat 1. Ex causis, ut labore impensisque hominum in exercitus integros, qui voluptatis privatæ studio comparantur. 2. Ex fine, quia ad majora nati sumus, si animum ejusque affectiones expendamus 3. Ex materia, quod in ipso etiam corpore alia bona voluptate præstantiora reperiantur. 4. Ab effectis. Artes hominum sunt variæ, quæ ad voluptatem non exercentur. 5. A comparatione, quia Dii ipsi hoc bono voluptatis beari non potuerunt, cum sint corporum expertes. 6. Rursum ab effectis. Nemo laudatorum hominum ex voluptatis studio laudem tulit. 7. Omne beneficium erga alios hac via tollitur. 8. A contrario, virtutis cura cum voluptate non potest consistere. Concludit ita; ut Torquatum ipsum de se suoque labore jubeat pronuntiare sententiam, an voluptatis causa aliis benefecerit.

Cicero ad Torquatum voluptatis Epicureæ Patronum.

Hominis, mi Torquate, ſummum bonum reperiendum eſt; voluptatem beſtiis concedamus, quibus vos de ſummo bono teſtibus uti ſoletis. Quid ſi etiam beſtiæ multa faciunt, duce ſua quæque natura, partim indulgenter, vel cum labore; ut in gignendo, in educando perfacile appareat, aliud quiddam iis propoſitum, quam voluptatem? turtures & curſu, & peregrinatione lætantur: congregatione alia cœtum quodammodo civitatis imitantur. Videmus in quodam volucrum genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam, in multis etiam diſciplinam. Ergo in beſtiis erunt ſecreta à voluptate humanarum quædam ſimulacra virtutum: in ipſis hominibus virtus, niſi voluptatis cauſa, nulla erit? & homini, qui cæteris animantibus plurimum præſtat, præcipui à natura nihil datum eſſe dicemus? Nos verò ſi quidem in voluptate ſunt omnia, longè, multumque ſuperamur à beſtiis: quibus ipſa terra fundit ex ſeſe paſtus varios: varieque abundantes nihil laborantibus: nobis autem, aut vix, aut ne vix quidem, ſuppetunt multo labore quærentibus, nec tamen ullo modo ſummum pecudis bonum, & hominis idem mihi videri poteſt.

1. Quid enim tanto opus eſt inſtrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concurſu honeſtiſſimorum ſtudiorum, tanto virtutum comitatu, ſi ea nullam ad aliam rem, niſi ad voluptatem conquiruntur? ut, ſi Xerxes, cum tantis claſſibus, tantiſque equeſtribus & pedeſtribus copiis, Helleſponto juncto, Athòve perfoſſo maria ambulaviſſet, terramquem navigaviſſet, ſi, cum tanto impetu in Græciam veniſſet, cauſam ejus, quis ex eo quæreret, tantarum copiarum, tantique belli metu ſe afferre ex Hymetto voluiſſe diceret, certè ſine cauſa videretur tanta conatus: ſic nos ſapientem, plurimis, & graviſſimis artibus atque virtutibus inſtructum, & ornatum, non, ut illum, maria pedibus peragrantem, claſſibus montes, ſed omne cœlum, totamque cum univerſo mari terram mente complexum, voluptatem petere ſic dicemus, mellis cauſa dicemus tanta molitum.

2. Ad altiora quædam & magnificentiora, mihi crede

Tor-

Torquate, nati sumus, nec id ex animi solùm partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, vitæ quidem infinita inest, conjectura consequentium, non multum a divinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem justitiæ fida custodia: Inest in perpetiendis laboribus, adeundisque periculis firma, & stabilis doloris mortisque contemptio. Ergò hæc in animis, tum autem etiam membra ipsa sensusque considero: qui tibi, ut reliquæ corporis partes, non comites solùm virtutum, sed ministri etiam videbuntur.

3. Quid, si in ipso corpore multa voluptati præponenda sunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo? quid tandem in animos censes; in quibus illi doctissimi veteres inesse quiddam cœleste & divinum putaverunt. Quòd si esset in voluptate, summum bonum (ut dicitis) optabile esset in voluptate maxima, nullo intervallo interjecto dies noctesque versari, cùm omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi moverentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in isto genere voluptatis? Cyrenaici quidem non recusant, vestri hæc verecundius: illi fortasse constantius.

4. Sed lustremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes à majoribus nominabantur. Sed quæro, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Pleidiam, Polycletum, Zeuxin, ad voluptates artes suas direxisse? Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum, quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? quæ autem est alia causa erroris tanti tam longè latèque diffusi, nisi quod is qui voluptatem summum bonum esse dixerit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio, atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte, deliberat?

5. Quæro enim de te, si sunt Dii, ut vos etiam putatis, quî possunt esse beati, cum voluptates corpore percipere non possint? aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?

6. Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai, non Aristidis, non Themistoclis, non Philippi, non Alexandri: lege nostrorum hominum, lege vestræ familiæ: neminem

vide-

videbis, ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur, non elogia monumentorum id significant, velut hoc monumentum Calatini ad portam, uno ore cui plurimæ consentiunt gentes, populi, primarium fuisse virum. Idne censuisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse virum, quod præstantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus.

7. Ergò in iis adolescentibus bonam spem esse dicemus, & magnam indolem, quos suis commodis inservituros, & quidquid ipsis expediat, facturos arbitramur? nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur? quanta confusio: tollitur beneficium: tollitur gratia: sunt vincula concordiæ. Nec enim, si tuam ob causam cuiquam commodes, beneficium illud habendum est; sed fœneratio: nec gratiâ deberi videtur ei, qui suam ob causam commodaverit.

8. Maximas verò virtutes jacere omnes necesse est, Voluptate dominante, sunt etiam turpidines plurimæ. Quæ nisi honestas naturæ plurimum valeat, cur non cadant in sapientem, non est facilè defendere. Ac, ne plura complectar (sunt enim innumerabilia) benè laudata virtus, voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod jam à me exspectare noli, tute introspice in mentem tuam ipse: eamque omni cogitatione perspectans percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens, in ea quam sæpè usurpabas, tranquillitate degere, omnem ætatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adjungere soletis? (sed fieri non potest, sine doloris metu) an, cum de omnibus gentibus optimè merêre, cum opem indigentibus, salutemque ferres, vel Herculis perpeti ærumnas (sic enim majores nostri labores non fugiendos, tristissimo tamen verbo ærumnas etiam à Deo nominaverunt.) Exigerem ex te, cogeremque ut responderes, nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quæ pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres.

IMITATIO.

Serviet in quocunque Voluptatis contemptore dignis laudibus

bris extollendo, adolescente præsertim, qui si continens sit, reliquam facilè vitam cum virtute traducet Rursum in voluptatis sectatore digna reprehensione perstringendo, hic locus idoneus imitanti futurus est; quòd contrariorum eadem sit disciplina.

§. 9.

Locus communis de justitia Principum, Cic. lib. 2. Offic.

Justitiæ studium, inter cæteras virtutes maximè ornare virum principem.

In exordio tradit, virtutis existimatione quemvis, maximè in vulgo admirabilem reddi, & inprimis justitiæ.

Rationem dat 1. Ab effectis, quia talis eas res non metuit, quas alii reformidant; & eas facilè spernit, quas alii concupiscunt. 2. A comparatione, quod nec vita quidem privata agrestium, aut Mercatorum, vel etiam prædonum, inter sese absque justitiæ ratione queat subsistere, quantò magis ad Reip. administrationem requiretur. 3. A fine; quia Iustitiæ obtinendæ gratia & Reges primùm instituti sint, & leges conditæ. 4. A contrario; quod inani tantùm simulatione, atque ostentatione virtutis, nemo veram gloriam consecuturus sit.

Cicero ad M. fil.

Quemadmodum contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est: sic admiratione quadam afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cùm omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alii non facilè possunt obsistere. Nam & voluptates blandissimæ dominæ, sæpè majores partes animi à virtute detorquent: & dolorum cùm admoventur faces præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas omnes homines vehementissimè promovent. Quæ si qui in utramq; partem, excelso animo, magnoque despiciunt;

cumque aliqua his ampla & honesta res objecta est, totos ad se convertit, & rapit: quis tum non admiretur splendorem, pulchritudinemque virtutis? Ergo & hæc animi perspicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè justitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur.

1. Nec injuria, nemo enim justus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet: aut qui ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteponit, maximèque admirantur eum, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitrantur, itaque illa tria, quæ proposita sunt, ad gloriam, omnia justitia conficit, & benevolentiam, quod prodesse vult plurimis; & ob eandem causam fidem, & admirationem; quod eas res spernit & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

2. Ac mea quidem sententia omnis ratio, & institutio, vitæ adjumenta hominum desiderat, inprimisque ut habeas, quibuscum possis familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiæ necessaria est, eoque etiam magis, quòd, si eam non habebunt, injusti habebuntur; & nullis præsidiis septi multis afficientur injuriis. Atque his etiam qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, justitia ad rem gerenda necessaria est, cujus tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui unà latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum, ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur, quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem & Bargulus Illyricus latro, de quo est apud Thepompum, magnas opes habuit; & multò majores Viriathus Lusitanus: cui quidem exercitus nostri, imperatoresque cesserunt: quem C. Cælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit, & comminuit; ferocitatemque ejus ita repressit, ut

ut facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis justitiæ sit, ut etiam latronum opes firmet atque augeat; quantam ejus vim, inter leges, & judicia, & instituta Reip. fore putamus?

3. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed apud etiam majores nostros, fruendæ justitiæ causa, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præstantem; qui, cum prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari jure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quæ Regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile: neque enim aliter est jus. Id si ab uno justo, & bono viro consequebantur, eo erant contenti, cum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio, multitudinis adjuncto verò hoc, ut iidem etiam prudentes haberentur; nihil erat, quod homines his auctoribus, non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda & retinenda justitia est, tum ipsa propter sese (nam aliter justitia non esset) tum propter amplificationem honoris, & gloriæ.

4. Sed ut pecuniæ quærendæ non solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios sed etiam liberales: sic gloria quærenda & collocanda ratione est, quanquam præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam, dicebat esse; si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi decidunt; nec simulatum potest quidquam esse diuturnum, testes sunt permulti in utramque partem: sed brevitatis causa, familiâ erimus contenti unâ. T. enim Gracchus, P. filius, tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii nec vivi probantur

à bonis, & mortui numerum obtinent jure cæsorum. Qui igitur adipisci veram Justitiæ gloriam volet, justitiæ fungatur officiis.

IMITATIO.

Serviet, cum vel remp. aliquam, vel Christianam primi seculi disciplinam, vel virum aliquem Principem, aut Magistratum, à justitiæ & æquitatis ratione commendas, quâ Rex Salomon præcipuè in suo regno omnibus admirabilis, & gloriosus visus est.

CAPUT XVII.

Loci aliquot communes, qui inductione argumentorum extrinsecorum, per exempla potissimum, exornantur.

QUandoquidem ad communium locorum tractationem, singularium aliquando rerum factorumq; exempla petuntur; ut ex quorum probatione rebus universè tractatis fides dignitasque major asseritur: nolui eorum inductionem negligere; cum præter utilia, quæ de morum disciplina præcepta continent, non injucundam sæpe historiarum varietatem complectantur.

§. 1.

Locus communis, de vita beat.

Beatam vitam non esse sitam in externis, aut internis corporibus bonis. Cicero Tusc. q. l. 5. n. 91. & seq.

Ab exemplis, quibus singulæ rationes nituntur.

1. *Orditur ab opibus,* & exemplis *docet, beatiores esse, qui has aspernantur: miseriores, qui ad luxum in epulis præsertim, abundent. Ciborum condimentum optimum famem & laborem esse.*

2. Osten-

2. *Ostendit in honoris & ambitionis fuga beatiorem vitam esse. Quod honor ex inconstantis, & bonorum sæpe hominum contemptoris vulgi judicio deferatur, ut* exemplis *docet.*

3. *Docet Exilium non posse sapientis hominis beatam vitam tollere*, & plerosque Philosophorum *extra patriam beatè vixisse.*

4. *Cœcitatem sapientis felicitatem non evertere, raris* exemplis *declaratur.*

5. *Nec surditatem hanc tollere, ostenditur.*

Concludit denique nec omnia hæc mala in unum congesta beatè vivendi finem facere.

Cicero ad Brutum.

1. Quæ res pecuniæ cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumptibus copiæ suppetant, cum (*Sapiens*) procul ab iis omnibus rebus absit, cur pecuniam magnopere desideret, vel potius curet omnino? Quam multa non desidero, inquit Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præsertìm, maxima. Abduxit legatos ad cœnam in Academiam, iis apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu, cum postridie rogarent eum, cui numerari juberet. Quid? vos hesterna, inquit, cœnula non intellexistis me pecunia non egêre? quas cum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari Regis liberalitatem videretur. At verò Diogenes liberius ut Cynicus Alexandro roganti, ut diceret, si quid sibi opus esset. Nunc quidem paululum, inquit, à sole absis, offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem disputare solebat, quantò Regem Persarum vita fortunaque superaret, sibi nihil deesse: illi nihil satis unquam fore. Se ejus voluptates non desiderare, quibus nunquam satiari ille posset: suas eum consequi nullo modo posse. Extenuatur magnificentia & sumptus epularum, quod parvo cultu natura contenta sit. Etenim quis hoc non videt desideriis ista condiri omnia? Darius in fuga cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat, neque esuriens Ptolomæus ederat: cui cum peragranti Ægyptum,

tum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. Socratem ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambularet, quæsitumque ex eo esset, quare id faceret: respondisse, se, quo melius cœnaret opsonare ambulando famem. Quid? victum Lacedæmoniorum in phiditiis nonne videmus? ubi cùm Tyrannus cœnavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui coxerat, minimè mirum, inquit: condimenta defuerunt. Quæ tandem, inquit ille? labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. His rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Atque hoc non ex hominum more solùm, sed etiam ex bestiis intelligi potest, quæ, ut quidquid objectum est, quomodo a natura non sit alienum, eo contentæ non quærunt amplius. Civitates quædam universæ, more doctæ, parsimonia delectantur, ut de Lacædemoniis paulò ante diximus. Persarum à Xenophonte victus exponitur quos negat ad panem adhibere quidquam, præter nasturcium. Quanquam, si quædam etiam suaviora natura desideret, quam multa externa, arboribusque gignuntur, cùm copia facili, tum suavitate præstantia? adde siccitatem, qui consequitur hanc continentiam in victu, adde integritatem valetudinis. Confer sudantes, ructantes, refertos epuli, tanquam opimos boves; tum intelliges, qui voluptatem maximè sequantur, eos minimè consequi: jucunditatemque victus esse in desiderio, non satietate. Timotheum, clarum hominem Athenis, & principem civitatis, ferunt, cùm cœnavisset apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse: vestræ quidem cœnæ non solum præsenti, sed etiam postero die jucundæ sunt. Quid, quod ne mente quidem rectè uti possunt, multo cibo, & potione completi? est præclara epistola Platonis ad Dionis propinquos: in qua scriptum est his ferè verbis. Quo, cùm venissem, vita illa beata, quæ ferebatur plena Italicarum, Syracusanarumque mensarum, nullo modo mihi placuit. Bis in die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum: cæteræque quæ comitantur hanc vitam, in qua sapiens nemo efficitur unquam, moderatus verò multo minus. Quæ natura tam mirabiliter temperari potest?

quo

quo modo igitur jucunda vita potest esse, à qua absit prudentia? absit moderatio? Ex quo Sardanapali, opulentissimi Syriæ Regis, error agnoscitur, qui incidi jussit in busto.

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa, & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in Regis, sepulchro inscriberes? hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur. Cur igitur divitiæ desiderentur? aut ubi paupertas beatos esse non sinit? signis credo, tabulis, ludis? si qui his delectatur, nonne melius tenues homines fruuntur, quàm illi, qui his abundant? est enim earum omnium rerum nostra in urbe summa in publico copia. Quæ qui sunt privati. nec habent tam multa, & rarò vident, cum in sua rura venerint. Quos tamen pungit aliquid, cum illa unde habeant recordantur. Dies deficiet, si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est, & quotidie nos ipsa natura admonet, quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus.

2. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio, sapientem beatum esse prohibebit? vide, ne plus commendatio in vulgus, & hæc, quæ expetitur, gloria, molestiæ habeat, quàm voluptatis. Leviculus sanè noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græcia est, insusurrantisque alteri. Hic est ille Demosthenes. Quid hoc levius? at quantus orator? sed apud alios loqui scilicet didicerat, non multum ipse secum. Intelligendum est igitur, nec gloriam popularem ipsam per se expetendam, nec ignobilitatem extimescendam. Veni Athenas, inquit Democritus: neque quisquam ibi agnovit. Constantem hominem, & gravem, qui glorietur à gloria se abfuisse. An tibicines, iique, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus, numerosque moderantur: vir sapiens, multò arte majore præditus, non quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquiret? an quidquam stultius, quàm quos singulos, sicut operarios, barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse universos? ille

verò nostras ambitiones, levitatesque contemnet, honoresque populi etiam ultro delatos, repudiabit: nos autem eos nescimus, antequam pœnitere cœpit, contemnere. Est apud Heraclitum Physicum; de principe Ephesiorum Hermodoro. *Vniversos*, ait, *Ephesios esse morte multandos*, quod cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sunt, nemo de nobis unus excellat: sed, si quis extiterit, alio in loco, & apud alios sit. An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt; Quid? Aristides (malo enim Græcorum, quam nostra proferre) nonne ob eam causam expulsus est patria, quod præter modum justus esset? Quantis igitur molestiis vacant, qui nihil omninò cum populo contrahunt? Quid est enim dulcius otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipso mundo cœlum, terras; maria cognoscimus.

3. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur, quod extimescendum sit, exilium credo: quod in maximis malis ducitur. Id si propter alienam, & offensam populi voluntatem malum est: quam ea sit contemnenda, paulò ante dictum est. Sin abesse à patria miserum est, plenæ miserorum provinciæ sunt: ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur. At multantur bonis exules. Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? jam verò exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quærimus, quantum demum à perpetua peregrinatione differt? in qua ætates suas Philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Lacydes, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panætitus, Clitomachus, Philo,, Antiochus Possidonius? innumerabiles alii, qui semel egressi, nunquam domum revertere. At enim non sine ignominia. Igitur ignominia afficere poterit sapientem? de sapiente enim est hæc omnis oratio, cui jure id accidere non possit, nam jure exulantem consolari non oportet. Postremò ad omnes casus facillima est ratio eorum, qui ad voluptatem ea ferunt, quæ sequuntur in vita: ut quocunque hæc loco suppeditent, ibi beate vivere queant. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest.

Patria est, ubicunque est bene. Socrates quidem cum rogaretur cujatem civitatem se esse diceret. Mundanum, inquit; totius enim mundi se incolam, & civem arbitrabatur. Quid T. Albutius? nonne animo æquissimo Athenis exul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in republica quiescens, Epicuri legibus paruisset. Qui enim beatior? Epicurus, qui in patria vivebat; quàm Metrodorus, quod Athenis? an Plato Xenocraten vincebat, aut Polemo Arcesilam, quo esset beatior? quanti verò illa civitas æstimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur? Demaratus quidem Tarquinii, regis nostri, pater Tyrannum Cypsellum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, & ibi suas fortunas constituit, ac liberos procreavit. Num stultè anteposuit exilii libertatem domesticæ servituti? Jam verò motus animi, solicitudines, ægritudinesque oblivione leniuntur, traductis animis ad voluptatem. Non sine causa igitur, Epicurus ausus est dicere, semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quærimus, ut sapiens semper beatus sit.

4. Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium? etiam. Nam ista ipsa contemnit. Primum enim horribilis ista cœcitas quibus tandem caret voluptatibus? cum quidam etiam disputent, cæteras voluptates in ipsis habitare sensibus: quæ autem adspectu percipiantur, ea non versari in ulla oculorum jucunditate, ut ea, quæ gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, ut ipsa ea; ubi sentimus, parte versentur, in oculis tale nihil sit: animus accipit quæ videmus. Animo autem multis modis, variisque delectari licet, etiam si non adhibeatur adspectus. Loquor autem de docto homine & erudito, cui vivere est, cogitare; sapientis enim cogitatio non fermè ad vestigandum adhibet oculos advocatos. Etenim si nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti similis adimat? nam illud Antipatri Cyrenaici est quidem paulò obscœnius, sed non absurda sententia est: cujus cœcitatem cùm mulierculæ lamentarentur, quid agitis, inquit, an vobis, nulla videtur voptas esse nocturna? Appium quidem veterem illum, qui cæcus annos multos fuit & ex magistratibus, &

ex rebus gestis intelligimus, in illo suo casu, nec privato, nec publico muneri defuisse. C. autem Drusi domum compleri consultoribus solitam accepimus: cùm quorum res esset, sua ipsi non videbant, cœcum adhibebant ducem. Pueris nobis, Cn. Aufidius prætorius & in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiam, & videbat in literis, Diodorus Stoicus, cœcus multos annos nostræ domi vixit. Is verò quod credibile vix esset, cum in Philosophia, multò etiam magis assiduè quam antea, versaretur, & cùm fidibus Pythagoreorum more uteretur, cumque ei libri noctes, & dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat, tamen, quod sine oculis fieri posse vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, undè, quo, quamque lineam scriberent. Asclepiadem ferunt, non ignobili, Eretriacum Philosophum, cum quidam quæreret, quid ei cæcitas attulisset? respondisse, ut puero non esset comitatior, ut enim vel summa paupertas tolerabilis sit, si liceat, quod quibusdam Græcis quotidie: sic cæcitas ferri facile possit, si non desint subsidia valetudinum. Democritus luminibus amissis, alba scilicet, & atra discernere non poterat, at verò bona, mala: æqua, iniqua: honesta, turpia: utilia, inutilia: magna, parva poterat: & sine varietate colorum licebat vivere beatè: sine notione rerum non licebat. Atq; hic vir impediri animi etiam aciem adspectu oculorum arbitrabatur; &, cùm alii sæpè, quod esset ante pedes, non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam, Homerum cæcum fuisse. At ejus picturam, ac poësin videmus, quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species, formaque pugnæ, quæ acies, quod remigium, qui metus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Quid ergò aut Homero ad delectationem animi ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse unquam arbitramur? aut, ni ita res se haberet, Anaxagoras, aut hic ipse Democritus, agros & patrimonia sua reliquissent? huic discendi, quærendique divinæ delectationi toto se animo dedissent? itaque augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poëtæ, nunquam in-

ducunt

ducunt deplorantem cæcitatem suam: at verò Polyphemum Homerus cùm immanem, ferumque finxisset, cum ariete etiam colloquentem facit, ejusque laudare fortunas, quod, qua vellet ingredi posset & quæ vellet attingere. Rectè hic quidem, nihilo enim erat ipse Cyclops, quam aries ille prudentior.

5. In surditate verò quidnam est mali? erat Surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod malè audiebat, etiam si, ut mihi videbatur, injuriâ. Epicurei nostri Græcè fari nesciunt, nec Græci Latinè, ergò hi in illorum, & illi in horum sermone surdi: omnesque id non in iis linguis, quas non intelligimus, quæ sunt innumerabiles, surdi profectò sumus. At vocem citharœdi non audiunt: ne stridorem quidem serrarum, cum acuitur: aut grunnitum, cum jugulatur sus: nec, cum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris, & si cantus eos, forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beatè vixisse sapientes. Deinde multò majorem percipi posse legendis his, quàm audiendis voluptatem. Tum, ut paulò ante cæcos ad aurium traducebamus voluptatem, si licet surdos ad oculorum. Et enim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret. Congerantur in unum omnia, ut idem oculis, & auribus captus sit: prematur etiam doloribus acerrimis corporis: qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: deinde fortè longinquitate producti, vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, cur ferantur; quid est tandem: Dii boni, quod laboremus? portus enim præsto est, quoniam mors est æternum nihil sentienti receptaculum.

IMITATIO.

In multis hic locus imitanti serviet, sive enim luxum Epulonis, e.g. contemnas, ac paupertatem Lazari, contemptumque illius opibus honoribusque præferas; sive exilium Chrysostomi, Imperatoris aulæ præferas, sive Homeri aut Democriti alicujus cœcitatem, aliave ejus generis ornare dicendo volueris, copia hic imitandi futura est.

§. 2.

§. 2.

Locus communis

Cicer. l. 1. Offic.

Non eandem vitæ agendæ rationem convenire omnibus, sed diversis diversum vitæ statum rationemque ineundam.

A causis & affectis per exempla stabilitus.

1. *Ostendit*, per exempla, *nos licet ejusdem rationis participes* (*in quo tanquam communi persona conveniamus*) *tamen in propria quemque persona maximè alteri dissimilem esse, alios lepidos, apertosque, graves alios, tectosque, &c.*

2. *Quemque vitam actionesque aptè ad personam propriam formare debere; cum sæpe eadem actio, quæ unum deceat, dedeceat alterum. Unde histriones etiam aptam sibi personam solent imitari.*

3. *A nostra voluntate pendere, ut certum studiorum ac vitæ genus eligamus (licet quandoque casus ad tempus personam nobis aliquam imponat) unde alii majorum via absistunt, insistunt alii, ut* exemplis *tradit.*

4. *Difficillima hæc de certo vitæ genere est deliberatio, in qua quisque naturam maximè suam in consilium adhibere tenetur.*

5. *Quod si in electione sese aberrasse senserit, pedetentim, dum licet, recedendum erit.*

6. *Concludit non vitia, sed virtutes majorum imitandas, idque in omnium potestate esse.*

Cicero ad Marc. filium.

1. Duabus quasi à natura indutos nos esse personis, intelligendum est, quarum una est communis ex eo, quod omnes participes sumus rationis, præstantiæque ejus qua antecellimus bestiis, à qua omne honestum decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem, quæ propriæ singulis est tributa ut enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, (alios enim videmus

demus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandũ valere, itemq; in formis aliis dignitatẽ inesse, aliis venustatem) sic & in animis existunt etiam majores varietates, erat in L. Crasso & Philippo multus lepos, major etiam, magisq; de industria in C. Cæsare L. filio, at iisdem temporibus in M. Scauro & in M. Druso adolescente singularis severitas, in C. Lælio multa hilaritas, in ejus familiari Scipione ambitio major, vita tristior. De Græcis autem dulcem & facetum festivique sermonis, atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus, contra Pythagoram & Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Pœnorum, ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus facilè celare, tacere, dissimulare, insidiari, præripere hostium consilia. In quo genere Græci Themistoclem Atheniensem & Pharaum Jasonem cæteris anteponunt, inprimisque versutum & callidum factum Solonis, qui, quò & tutior vita ejus esset, & plus aliquantò Reipublicæ prodesset, furere se simulavit. Sunt his alii multum dispares, simplices & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici, itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum quod velint, consequantur, ut Syllam & M. Crassum videbamus. Quo in genere versutissimum, & patientissimum Lacedæmonium Lysandrum accepimus. Contraque Callicratidam, qui præfectus classis proximus post Lysandrum fuit. Itemque in sermonibus alium quidem videmus, quamvis præpotens sit, efficere, ut unus de multis esse videatur. Quod in Catulo, & in patre, & in filio, idemque & in Q. Mucio Mancino vidimus, audivi & ex majoribus natu hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica; contraque patrem ejus illum qui Ti. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermonis, ne Xenocratem quidem, severissimum Philosophorum, ob eamque rem ipsam, magnum clarumque fuisse. Innumerabiles aliæ dissimilitudines sunt naturæ morumque minimè tamen vituperandorum.

2. Admodum autem tuenda sunt sua cuique, non vitiosa, sed tamen propria, quò facilius decorum illud, quod quærimus retineatur. Sic enim est faciendum, ut contra naturam

turam universam nihil contendamus, ea tamen conservata propriam naturam sequamur, ut etiam si sint alia graviora, atque meliora, tamen nos studia nostra naturæ regula metiamur, neque enim naturæ attinet repugnare, nec quicquam sequi, quod assequi nequeas Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo, quia nihil decet *invita*, ut ajunt, *Minerva*, id est, adversante & repugnante natura. Omninò, si quidquam est decorum, nihil est profectò magis, quàm æquabilitas universæ vitæ, ac singularum actionum, quam conservare non possis, si aliorum naturam imiteris, omittas tuam. Ut enim sermone eo debemus uti, qui notus est nobis; ne, ut quidam, Græca verba inculcantes, jure optimo rideamur; sic in actiones omnemque vitam nullam discrepantiam conferre debemus.

2. Suum igitur quisque noscat ingenium, acremque se & vitiorum, & bonorum suorum judicem præbeat; ne scenici plus quàm nos, videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas, fabulas eligunt. Qui enim voce freti sunt, Epigonos, Medeamque, qui gestu Menalippam, Clytemnestram, semper Rupilius, quem ego memini Antiopam: non sæpe Æsopus Ajacem, ergo histrio hoc videbit in scena, quod non videbit sapiens in vita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quæ nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, si non decorè, at quàm minimum indecorè facere possimus, nec tam est enitendum, ut bona, quę nobis data non sunt, sequamur, quàm ut vitia fugiamus.

Ac duabus his personis, quas supra dixi, tertia adjungitur, quam casus aliquis, vel tempus imponit, quarta etiam quam nobis metipsis judicio nostro accommodabimus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque quæ sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur, ipsi autem, quàm personam gerere velimus, à nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad Philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipsarumque virtutum in alia alius mavult excellere, quorum verò patres, aut majores, in aliqua gloria præstiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis student excellere, ut Quintus Mucius Publii filius in jure civili, Paulli filius

Africanus in re militari. Quidam ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam suam, ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus Canonis filius, qui cum belli laude non inferior fuisset, quàm pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenii gloriam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omissa imitatione majorum, suum quoddam institutum consequantur, maximèque in eo plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt obscuris orti parentibus. Hæc igitur omnia cum quærimus, quæ deceant, complecti animo & cogitatione debemus.

4. Inprimis autem constitutum est, quos nos, & quales esse velimus, & in genere vitæ, quæ deliberatio est omnium difficillima, ineunte etiam adolescentia, cum inest imbecillitas consilii, tunc id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit, quod maximè adamavit: Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quàm potuit, quod optimum esset, judicare. Nam quod apud Herculem Prodicus dicit (ut est apud Xenophontem) cum primum pubesceret, quod tempus à natura ad diligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus datum est, exiisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum, multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi, melius esset. Hoc Herculi Jovis satu edito potuit fortasse contingere, nobis non item, qui imitamur quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque imppellimur, plerumque autem parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maximè exoptant, nonnulli tamen, sive felicitate quadam, sive bonitate naturæ, sive parentum disciplina, rectam vitæ secuti sunt viam. Illud autem maximè rarum eorum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati spatium deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent, in qua deliberatione, ad suam cujusque naturam consilium est omne revocandum. Nam cum omnibus, quæ aguntur, ex eo modo, quo quisque natus est, (ut supra dictum est) quid deceat, exquirimus: tum in tota vita constituenda, multò est ejus rei cura

major

major adhibenda, ut constare in vitæ perpetuitate possimus nobis met ipsis, nec in ullo officio claudicare, ad hanc autem rationem, quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam: utriusq; omnino ratio habenda est, in deligendo genere vitæ: sed naturæ magis, multò enim & firmior est, & constantior: ut fortuna nonnunquam ipsa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur, qui igitur ad naturæ suæ non vitiosæ genus, consilium vitæ omne contulerit, is constantiam teneat, id enim maximè decet.

5. Nisi fortè se errasse intellexerit in deligendo genere vitæ, quod si acciderit (potest autem accidere) facienda morum institutorumq; mutatio est. Eam igitur mutationem, si tempora adjuvabunt, facilius commodiusque faciemus; sin minus, sensim erit pedetentimque facienda. Ut amicitias, quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere censent sapientes, sensim dissuescere quam repentè præcidere. Commutato autem genere vitæ, omni ratione curandum est, ut id bono consilio fecisse videamur.

6. Sed quoniam paulo ante dictum est, imitandos esse majores, primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda, deinde, si natura non ferret, ut quædam imitari possint, ut superioris Africani filius, qui hunc Paullo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis, non tam patris potuit similis esse, quàm ille fuerat sui: si gitur non poterit; sive causas defensitare, sive populum concionibus tenere, sive bella gerere; illa tamen præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate, justitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur, optima autem hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas, & vitium judicandum est.

IMITATIO.

Hac imitaturo legenda erunt, si vel consilium alteri, de statu vitæ prudenter eligendo, dare; vel laudare rectè legentem, temerè verò ad quodvis vitæ genus ruentem damnare constituerit. Cujus scriptionis exemplum D. Bernardus vel Augustinus esse poterit.

§. 3. Lo-

§. 3.

Locus communis de morum diverſitate.

Exempli inductione illuſtratus.

Diverſos homines diverſis moribus artibusque delectari. Tyrius diſſert.7.

Spartam olim veniebat Syracuſanus quidam Sophiſta, qui neque elegantiam dicendi cum Prodico, neque inanem garrulitatem cum Hippia, neque artificium orationis cum Gorgia, neque injuſtitiæ patrocinium profitebatur cum Traſymacho, nec in ulla denique liberalium diſciplinarum parte verſabatur. Contra verò tota Syracuſii hujus Sophiſtæ ars in ipſa actione, & quidem tali, quæ cum uſu pariter quotidiano ac voluptate eſſet conjuncta, ponebatur. Obſonia quippe ciboſque eleganter præparabat, variiſque condimentis aptè concinneque compoſitis igni admotos, gratiores, quam per ſe erant, efficiebat. Ut propemodum non minus jam eſſet apud Græcos celebre in hac arte Mithæci nomen, quam in ſtatuaria Phidiæ. Spartam ergò ſe contulit bonus ille vir, quo tempore reliquis adhuc imperabat urbibus, nobilemque ſuam illam integram ſervabat potentiam; idque artis ſuæ fiducia, quam gratiſſimam illis futuram judicabat. Quæ ſpes cum vehementer fruſtrata eſt. Magiſtratus namque Lacedæmonius ſtatim ad ſe vocavit hominem; juſſitque finibus ſuis excederet, aliamque in terram, populumque eum, cui & voluptatem artis ſuæ, & uſum commendare poſſet, ſe conferret. Se enim ſtatuiſſe, ſi quo condimento cives egerent, non aliunde id, quam à labore mutuari: ideoque neceſſario tantum cibo non artificioſo ſibi opus eſſe, quippe cum in nutriendis corporibus, nullis illecebris, ſed ſimplicitate quadam victus uterentur, quæ non magis, quam leonum corpora, egere condimentis exiſtimabant. Ita Mithæcus cum arte ſua Sparta exceſſit. Nec tamen minus propterea reliquis acceptus fuit Græcis, quorum pro voluptatis ſuæ ſtudio ſinguli amplexi ſunt eum, non pro contemptu Lacedæmoniorum

rejecerunt. Quod si & ab aliis videtur artibus, non paulò, quam hæc Mithæci fuit, honestioribus, exempla esse desumenda; scimus Thebanos tibiarum cantu delectari, & hanc musam quasi vernaculam esse Bæotis. *A*thenienses eloquentiæ operam dant, ut verè oratorium studium dici possit ars *A*ttica. Disciplina Cretensium est venari, montes superare, sagittare, currere. Thessalorum equitare, Cyrenensium aurigari. *A*ëtolorum prædari. Jaculo *A*rcananes, pelta valent Thraces, Insulani navigant. Quod si aliorum studia ad alios transferas, perit natura atq; usus singulorum. Quid enim navibus mediterraneo opus est, aut tibiis, qui inflare eas nescit, aut equo, qui in montibus, aut curriculis, qui in compestri terrâ habitat, aut arcu cataphracto, aut sagittario clypeo? Sicut igitur in illis diversas artes diversa loci populique ingenia, aut diversa consuetudo amorq; consuetudinis distinguit, neque singulæ earum aut omnibus gratæ, quia quibusdam sunt; aut invisæ omnibus, quia nonnullis sunt; sed pro usu hominum laudatur unaquæque: quid vetat eos, qui tam præclaræ reip. cives futuri sunt, quos ex rationis præscripto Plato, sub novis legibus & quæ nihil cum vulgaribus commune habent, eduxit, rursus, ex ejusdem rationis præscripto, consuetudines quasdam & instituta servare, quibus à teneris innutriti sunt ipsi: Fieri enim potest, ut hæc illam amplectantur, quia ex usu suo esse sciunt: alii verò non item, quibus non conveniunt. Si enim urbem unam cum alterâ, aut cum republ. rempubl. aut leges cum legibus, aut cum legislatore legislatorem, aut cum educatione educationem conferre nobis esset propositum, non sine ratione institui posset hæc comparatio: cum scire vellemus, quid deesset singulis. *A*t verò si quis partem totius segregatam sumat, eamque seorsim intueatur, deque ea ex hominibus, qui vel usi ea, vel non usi sunt, inquirat, ita fortasse fieri posset, ut omnia quibus utuntur homines, æquè ab honore & infamia distarent, nec facilè judicare posset, utrum alteri præferendum esset? Quippe & educationes, remedia, & vivendi rationes, aliaque, quæ in quotidiano hominum versantur usu, non omnibus eadem sunt prorsus, sed unum sæpè idemque huic conducit, illi nocet: huic jucundum, illi molestum est. Facilè enim aut usus, aut occasio, aut vitæ insti-

institutum efficit, ut unum quodque horum aliud alii, esse videatur.

IMITATIO.

Diversa ætatum in homine studia, hoc pacto licebit describere, atque alia puero, alia juveni, alia viro, alia seni tribuero. Aut etiam Diogenem aliquem Alexandro Magno, vel politicum religioso homini opponere, &c.

§. 4.

Locus communis, de injuria toleranda.

Viri fortis esse illatam injuriam patienter ferre, non ulcisci. Max. Tyrius dissert. 2.

1. Ratio est, *quia malum quacunque de causa inferre non licet, aliàs nullus foret mali reponendi finis.*

Exemplis *id constat, cum ex hoc fonte varia perpetuaque inter Græcos bella emerserint*: Et simili *corporum infectorum, in quibus pars illæsa servanda est.*

2. *Altera* Ratio est, *quòd malum ulcisci gravius sit, quam inferre, cum improbus plerumq; sit qui inferat, qui cùm sua satis plectatur infamia, superari à probo improbitate non debet, ne illa in hunc derivetur*; ut fuligo *in attrectantis manum.*

A comparatione dissimilis, *Athletæ cum Athleta concurrentis, hoc illustratur, ubi pares arte congrediuntur, probus verò improbo inferior est.*

3. Refutatur opposita ratio, *quod vir bonus se non vindicans à malis opprimatur. Nam hoc contemnendum est à* simili *puerorum aliquem damnantium, &* exemplo *Socratis Atheniensium judicium iniquum ridentis, probatur.*

1. Si simpliciter injuriam inferre improbum est, etiam referre injuriam, huic simile est. Etenim si improbior est, qui infert injuriam, quòd incipit: improbitate ei certè æquatur, qui hoc ipsum reddit. Et si is, qui injuriam facit, malè facit: qui malum malo compensat, non minus malè facit: quamvis malum ulciscitur, nam ut qui beneficium

reddit, ei à quo accepit prius, nihilominus bene facit, quamvis acceperit prius: Ita qui remuneratur malum, non minus malè facit, quamvis prius malè acceptus sit. Et quis erit obscuro finis mali? Si enim perpetuò qui injuria affectus est, malum malo compensat, necesse est ab uno ad alium transire, & quasi transilire malum: atque ita injuriam excipiet injuria, quoniam quo jure permittis ei, qui injuria affectus est, ut injuriam injuriæ autori reddat, eodem jure redit iterum ad eundem vindicta, eadem enim juris in utroque ratio est. Vide præterea, per Jovem, quid facias, qui jus constituis ex injuriis. Quousque quæso se diffundet hoc malum? ubi desinet? non vides quid facias? perennis improbitatis fontem excitas: legemque fers, quam primam malorum causam totum universum agnoscas.

2. Nec est aliud profectò, quod mala omnia hominibus invexit. Hinc Græcæ primum barbaræque classes mare transmiserunt. Hinc impetum aliæ in alterius terram facere, atque omnia vastare cœperunt: dum semper præsenti injuriæ priorem obtendunt. Phœnices Argivis regiam puellam ereptum eunt: Græci Colchis barbaram. Phryges è Peloponneso Laconicam mulierem rapiunt. Vides seriem malorum, vides belli causas, & per ordinem sceleribus cumulatum scelus. Non alia sunt, quæ perdidêre Græciam: quàm injuriæ propriæ æstimatio, quæ in finitimos quoque erupit, quàm furor implacabilis, ira immortalis, vindictæ cupido, juris ignorantia. Etenim si omnes, quos prius injuria invasit, hoc persuadere sibi potuissent, injuriam ipsam iis, qui inferunt, malum esse maximum: eamque, vel bello, vel direptione murorum, vel populationibus terrarum atque incendiis, vel cujuslibet tyrannidis eversione, pœnam graviorem esse; nunquam tot tantisque calamitatibus redundasset Græcia. Potidæam Athenienses obsident: permitte hoc illis Spartane: brevi post eos cœpti pœnitebit. Noli malum hoc imitari, noli eandem incurrere infamiam. Quia si prætextum hunc amplecteris, & Plateas petis, periit tibi Melus vicina insula, periit amœnissima insularum Ægina, pariit Sicyone urbs socia. Pro una quam cœpisti urbe, multas evertes. Nam ut illi, qui lucri causa maris periculo se committunt,

tunt & magno fœnore se obstringunt; itaqui in vindicando iræ indulgent, maximo se calamitatum fœnore involvunt. Rursus tibi Atheniensis dico: Sphacteriam expugnasti, captivos Spartanis redde, dum sors favet, modestiam in consilium adhibe: sin minus id feceris, homines servabis, triremes, amittes. Lisander ad Hellespontum feliciter rem gerit, nec Sparta se capit. Vide ne Thebas tangas, sin minus, adversam circa Leuctra fortunam lachrymabis, apud Mantineam calamitatem plorabis. Occultam instabilemque fortunæ potentiam! Hanc ob causam Aristophani non succensebat Socrates, nec indignabatur Melito, nec Anytum vindicabat, sed alta voce, exclamabat, vitam eripere fortasse Anytus & Melitus mihi possunt, lædere non possunt. Non enim ab improbo detrimentum potest accipere vir bonus.

3. Hæc ipsa justitiæ vox est: quæ si ab omnibus eodem modo usurparetur, nulla tragœdia extaret, nullam scenæ calamitatem ostenderent. Vasta illa ac multiplex malorum seges, ab humanis exularet rebus. Nam ut in corporum morbis ii maximè nocere, constantemque medici opem requirere solent, qui ulterius serpunt, ut quod adhuc est immune, servetur: ita cum in familiam, aut rempublicam, vel levissima injustitiæ scintilla incidit; cohiberi continuò debet, ut id quod superest, vindicetur. Hoc est, quod Pelopidas evertit, quod Heraclidas sustulit, quod totam Cadmi familiam, quod Persas, quod Macedonas, quod Græcos delevit. O morbum, & qui tot jam secula, terrarum orbem fatigat!

II. Non dubitabo equidem dicere, si quidem altera major sit injuria, magis improbum esse eum, qui illatam ulciscitur, quàm qui infert. Qui enim ex ignorantia juris injurius est, delicti sui præmium in infamia habet: at qui injuriam reddit, cum non minus injurius sit, infamiam illam in se derivat. Nam ut qui fuligine imbutum tractat, aut cum eo luctatur, necesse est corpus inficiat: ita qui cum improbo congreditur, & quasi volutatur, necessariò mali fit particeps, eadem imbuitur fuligine.

2. Ergo athletam, qui cum athleta ex æquo concurrit, ferre possum, neque studium utriusque reprehendo. Video enim parem indolem, parem curam, parem in utroque

victoriæ ardorem. At verò quoties cum improbo probus concurrit, non ex eadem palæstra, neque sub eodem ad luctam edoctus, nec eadem arte instructus, nec iisdem luctationibus innutritus, nec ejusdem coronæ competitor, aut præconii, infelix hæc meo judicio pugna est, & congressus impar. Quid enim obstet, quo minus superior in hoc stadio evadat improbus, ubi scelesti spectatores, & iniqui sunt judices? Hic enim vir bonus & ab arte destituitur, & à scientia: neque diffidentia, aut sutelis, aut dolis aliisque instructus accedit artibus, quibus confirmatur ac robur assumit improbitas. Ut nihil aliud quàm risum excitaturus sit, qui cum improbo manum conferat, nec ingenio, nec arte, nec exercitatione par.

III. Sed hac ipsa de causa supplantatur vir bonus, dicet aliquis, calumniis sycophantiisque differtur, facultatibus exuitur, in vincula conjicitur, relegatur, infamia notatur, morti addicitur. Quid tum postea? quid si pueri alibi pro tribunali sederent, ac leges ferrent; atque ex earum legum præscripto hominem aliquem in judicium vocarent, quem peccasse dicerent: & mox inter pueros suos infamem esse juberent, ejusque crepundia aliquot, ut puta talos, & si quæ ejusmodi essent, hastæ subjicerent, quid facturum hunc hominem putas? anne aliud quam ut suaviter rideat, ipsosque judices cum calculis suis, & suffragiis cachinno explodat? Ita Athenienses ridebat Socrates, non aliter quam pueros, qui suffragio suo hominem mori juberent, quem natura jam ante jusserat mori. Neque aliud facturus est quilibet bonus probusque vir, quam ut risum rideat suavissimum, quoties improbos seriò ad se ire videbit, quasi rem gesturos maximam, cum tamen nihil possint. Sed & in media eorum contumelia illud Achillis exclamabit;

Haud Regi Superûm contemptus abibo.

Quod si facultates quoque ejus aufferre parent; eas ille non secus, quàm si crepundia eripiant, aut talos, demissurus est. Nec aliter si res ferat, morietur, quàm si morbo aliquo, febri puta, aut calculo; moriendum esset, neque mortis autoribus succensebit.

IMI-

IMITATIO.

Hæc quæ universè de injuriis fortiter perferendis dicta sunt, in singularibus ab imitante adhiberi possunt. Vt si quis Davidem Semei contumelias & opprobria magno animo contemnantem ferentemque, aut D. Paulum aliumve Christianum heroem introducat.

§. 5.

Locus communis, de cura boni Principis.

Nulla re facilius, quam injuriosa bonorum exactione, ac translatione: civium concordiam dissipari. Cic. lib. 2. Offic.

Ab exemplorum inductione.

1. *Exorditur à boni principis cura, quâ providendum, ne vel exhausto ærario, vel ex avaritia populum tributis gravet, quâ memorat Romam eversam.*

2. *Ostendit floruisse Romam sub liberalibus in remp. viris Paullo, Scipione, Africano, & Mummio.*

3. *Avaritia everti Resp. juxta Apollinis oraculum.*

4. *Agrarias res minimè tentandas, aliis enim injuria adimi, quod datur aliis. Ita concordiam tolli. Lysandrum iccirco à Lacedæmoniis pulsum, occisum Agin, Gracchos perditos.*

5. *Aratum Sicyonium Tyranno Nicocle occiso, exulibus revocatis, pecunia ab se comparata providisse, ne reliqui à bonis possessis deturbandi tumultuarentur.*

6. *Concludit sapienter ob hoc factum, curandumque ut æquitate omnes in Rep. contineantur.*

Cicero ad M. Filium.

1. Danda in rebus publ. opera est, ne propter ærarii tenuitatem, assiduitatemque bellorum, tributum sit conferendum, idque ne veniat, multò ante erit providendum. Sin qua necessitas hujus muneris alicui reip. obvenerit

danda erit opera, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Caput autem est in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio. Nondum centum & decem anni cum de pecuniis repetundis à L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. At verò postea tot leges, & proximæ quæque duriores; tot rei damnati, tantùm Italicum bellum, propter judiciorum metum excitatum; tanta, sublatis legibus & judiciis expilatio, direptioque sociorum; ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

2. Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abstinens. Quid ni laudetur? sed in illo alia majora: laus enim abstinentiæ non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paullus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam, imitatus Patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine eversâ. Quid? qui ejus collega in censura fuit L. Mummius? nunquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. Quanquam Italiâ ornâtâ, domus ipsa mihi videtur ornatior. Nullum igitur vitium est tetrius; (ut eò, unde egressa est, referat se Oratio) quam avaritia, præsertim in principibus, & Remp. gubernatibus Habere enim quæstui Remp. non modò turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium.

3. Itaque, quod Apollo Pythius oraculo cecinit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia, esse perituram, id videtur non solum Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentis prædixisse. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui Reip. præsunt, quam abstinentia, & continentia.

4. Qui verò esse populares volunt, ob eamque caussam, aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant; labefactant fundamenta. Reipublicæ concordiam primùm tollunt, quæ esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ; deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, si habere suum cuique non

licet,

licet. Id enim, & proprium, ut supra dixi, civitatis, atque urbis, ut sit libera, & non solicita suæ rei cujusque custodia. Atque in hac pernicie Reipublicæ ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta est, fit inimicus; cui data est, etiam dissimulat se accipere voluisse; & maximè in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At verò ille, qui accipit injuriam, & meminit, & præ se fert dolorem suum. Nec, si plures sunt ii, quibus improbè datum est, quam illi, quibus injustè ademptum est, iccirco plus etiam valent. Non enim numero hæc judicantur, sed pondere Quam autem habet æquitatem, ut agrum, multis annis, aut etiam seculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat? at propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lysandrum Ephorum expulerunt, Agin Regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necaverunt, ex quo eo tempore tantæ discordiæ secutæ sunt, ut Tyranni existerent, & optimates exterminarentur, & præclarissimè constituta Resp. dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmoniis profectæ, manarunt latius. Quid? nostros Gracchos T. Gracchi summi viri filios, Africani nepotes, nonne Agrariæ contentiones perdiderunt.

5. At verò Aratus Sycionius jure laudatur, qui, cum ejus civitas quinquaginta annos à Tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est potitus; cumque Tyrannum Nioclem improvisò oppressisset, sexcentos exsules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, remque pub. adventu suo liberavit. Sed, cum magnam adverteret in bonis & possessionibus difficultatem; quod & eos, quos & ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones movere, non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur: sine injuria judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere, cum igitur statuisset opus esse, ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam

se proficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum jussit esse: isque celeriter ad Ptolomæum, suum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam: cui cum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque docuisset: à rege opulento vir summus facilè impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur, quam cum in Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in concilium quindecim Principes, cum quibus causas cognovit & eorum, qui aliena detinebant, & eorum, qui amiserant, præfecitque æstimandis possessionibus & uti persuaderent aliis, ut pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent: aliis, ut commodius putarent, numerari sibi quod tanti esset, quàm suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes, constituta concordia, sine querela discederent, ô virum magnum, dignumque qui in nostra Rep. natus esset. Sic par est agere cum civibus, non, ut bis jam vidimus, hastam in foro ponere, & bona civium voci subjicere præconis.

6. At ille Græcus, id quod fuit sapientis & præstantis viri, omnibus consulendum putavit, eaque est summa ratio, & sapientia summi civis, commoda civium defendere, non divellere, atque omnes æquitate eadem continere.

IMITATIO.

Iosephi Patriarchæ providentia curaque, pro totius Ægypti salute suscepta, ad hujus loci exemplum tractari atque exornari poterit, quâ non minus Regem, quam Ægyptum totam, vicinasque nationes sibi devinxit, cum nullum opprimeret, omnes sublevaret.

§. 6.

Locus communis de ratione imperandi. *Cicero lib. 2. Offic.*

Imperium in subditos benevolentia facilius, quam metu sustineri.

Ab eventu per exempla demonstrato.

I. In exordio causam exponit, cur alii sese aliis in imperio subjiciant, docetque amore id satius, quàm metu fieri.

II. Probat 1. *Iulii Cæsaris tyranni interitu.* Probat 2. *ex eo quod cives suam diu libertatem opprimi, tanquam famuli sub Dominis, non patiantur.* Prob. 3. *Metuunt Principes omnes, quotquot metuuntur; ut exemplo Dionysii Syracusani, Alex. Pherai, Phalaris, Demetrii & Lacedamoniorum ostendit.* Prob. 4. *Paucorum in cives & socios tyrannide (ut P. Sylla, Provincias integras devastantis, bonis sub hasta venditis) Romanam Remp. eversam esse.*

III. Concludit caritatis igitur rationem habendam.

Cicero ad, M. fil.

1. Subjiciunt se homines imperio alterius & potestati, pluribus de causis. Ducuntur enim, aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi id utile futurum; aut metu, ne vi parere cogantur; aut spe largitionis, promissionisque capti; aut postremo, ut sæpe in nostra rep. videmus, mercede conducti. Rerum autem omnium, nec aptius est quidquam ad opes tuendas, quàm diligi; nec alius quàm timeri, præclarè Ennius:

Quem metuunt, oderunt:
Quem quisque odit, periisse expetit.

II. Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper cognitum, nec vero hujus Tyranni solùm, quem armis oppressa pertulit civitas, interitus declarat, quantum odium hominum valet ad pestem; sed reliquorum similes exitus Tyrannorum; quorum haud ferè quisquam interitum similem effugit, malus enim custos diuturnitatis metus: contraque benevolentia fidelis est, vel ad perpetuitatem.

2. Sed iis, qui vi oppressos imperio coërcent, sit sane adhibenda sævitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. Qui verò in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur; his nihil potest esse dementius. Quamvis enim demersæ sint leges alicujus opibus, quamvis tremefacta libertas: emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis, acriores au-

autem morsus sunt intermissæ libertatis, quàm retentæ. Quod igitur latissimè patet, neque ad incolumitatem solum; sed etiam ad opes, & potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, charitas retineatur. Ita facillimè quæ volumus, & privatis in rebus, & in Rep. consequemur.

3. Etenim qui se metui volent, à quibus metuuntur eosdem metuant ipsi necesse est. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum? quid Alexandrum Pheræum, quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum & eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis, districto gladio jubebat anteire: præmittebatque de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arculas muliebres; &, ne quo in vestimentis occultaretur telum, exquirerent: ô miserum qui fideliorem & barbarum, & stigmaticum putaret, quàm conjugem. Nec eum fefellit opinio: ab ea est enim ipse propter pellicatus suspicionem interfectus, nec verò ulla vis imperii tanta est, quæ, premente metu, possit esse diuturna. Testis est Phalaris: cujus est præter cæteros nobilitata crudelitas, qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi Alexander, non à paucis, ut hic noster; sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid Macedones? nonne Demetrium reliquerunt? universique se ad Pyrrhum contulerunt? quid Lacedæmonios injustè imperantes? nonne repentè omnes ferè socii defecerunt, spectatoresque se otiosos præbuerunt Leuctricæ calamitatis.

4. Externa libentius in tali re, quàm domestica recordor. Veruntamen quam diu imperium Pop. Rom. beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum, aut mites, aut necessarii. Regum, populorum, Nationum portus erat, & refugium Senatus, nostri autem magistratus, Imperatoresque ex una hac re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate, & fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius, quàm imperium

rium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem & disciplinam jam antea minuebamus? post vero Syllæ victoriam penitus amisimus. Desidum est enim videri quidquam in socios iniquum, cùm extitisset etiam in cives tanta crudelitas, ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria, est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè civium, prædam suam se vendere. Secutus est, qui in causa impia, victoriâ etiam fœdiore, non solum singulorum civium bona publicaret, sed universas quoque provincias regionesque uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii, portari in triumpho Massiliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri Imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Multa commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquam vidisset indignius. Jure igitur plectimus, nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad unum tanta pervenisset licentia; à quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbas venit hæreditas. Nec verò unquam bellorum civilium semen, & causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt, quàm P. Sylla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem, sexto & tricesimo anno post, à sceleratiore hasta eadem non recessit. Alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quæstor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propositis, nunquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo stant, & manent, ii, qui ipsi jam extrema scelere metuentes: rem verò publicam penitus amisimus. Atque in has clades incidimus (redeundum est enim ad propositum) dum metui, quam cari esse, & diligi maluimus. Quæ si Pop. Rom. injustè imperanti accidere potuerunt: quid debent putare singuli?

III. Quod cum perspicuum sit, benevolentiæ vim esse magnam, metus imbecillem: sequitur, ut videamus quibus rebus possimus facillime eam, quam volumus, adipisci, cum honore & fide, caritatem.

IMITATIO.

Imitaturo, vel in moderato & populari regimine unius aut plurium tyrannidi præferendo hic locus serviet; vel etiam in unius prudenti justoque imperio extollendo, e. g. Davidis inter Israelitas, aut Iosephi in Ægypto.

CAPUT XVIII.

Theses sive propositiones rerum universalium in quæstionem adductarum, usitatis argumentis discussæ, & ad exercitationis exemplum ex optimis autoribus deducta.

THesis loco communi affinis est, cum in generalibus tantum quæstionibus rerum disputabilium versetur. Ut tam in divinis, quàm humanis rebus, eâdem, quâ supra, distributione locorum communium, non paucæ reperiuntur, nosque diversis infra exemplis declarabimus. Conveniunt verò thesis locusque communis, quòd res à suis nudatas circumstantiis universè considerent, pluribusque singulatim, iisdem quibus tractantur argumentis, applicari possint. Differunt, quòd ille res potissimùm extollat amplificetque, ut in genere dicendi exornativo solet; ista rationibus collatis probet ac stabiliat, ut solet in deliberationibus & judiciis; ille in rebus cognitis exaggerandis amplificandisque; ista in ambiguis & disceptationi subjectis versetur. Qua de causa ab Aphthonio rectè observatum est, in Thesibus adversariæ partis orationes dissertationem introducendas discutiendasque esse. Quod si igitur disserendo inquiras, *sit ne uxor sapienti viro ducenda?* aut etiam suadeas, *ducendam non esse:* vel certè ejus oppositum, *esse ducendam:* Thesin tractabis. Est enim res quædam generalis, ad multos homines pertinens, quæ ancipiti rationum pondere expendi ac ventilari possit. Quam adjunctis certis personarum, aut temporum, per hypothesin deinde ad singula-

gulares homines adhibere poteris, ut, sitne Alexandro in bello Persico ducenda Sisigambis, aut uxor alia? sapienterne in eo Socrates fecerit, quod duxerit Xantippen? An Ciceroni in senectute convenerit Terentiam uxorem dimittere, atque inducere aliam? Ad has enim dissertationes, ex generali illa rectè tractata; sapientine uxor ducenda sit? multùm luminis præsidiique accessurum est. Quod si verò oratione aliqua demonstrare coneris, *magnam esse mulierum inconstantiam.* Locus communis futurus est, qui cum thesi priori in eo convenit, quod nullis adjunctis ad personam tempusque, aut locum certum adstrictus sit; differt verò ab eadem, quod in re parum dubia, & plerorumque experimento cognita versetur: ideoque, si illustribus argumentis confirmatus fuerit, ad singulares illas propositiones ante memoratas, vim roburque adferre non exiguum possit.

Ex quo facilè apparet, in locis ante communibus thesibusque exercendam esse juventutem, priusquam ad singularium rerum tractationem accedant.

Jam si interroges; quæ sit thesium diducendarum ratio? Dicam, eandem esse quæ locorum est communiũ. Nullus omnino, neque ex intrinsecis, neque extrinsecis argumenti locus est, qui servire nequeat; sed alius alibi, rarò ubique omnes. Ipsa thesis format, in quam partem vergat, pari qua locus communis ratione aperiet. Ut si quæras, *mojorne sit virtus liberalitatis, an continentia in Principe?* expendendum tibi erit, quid liberalitas & continentia, quodque officium Principis. Si verò de eadem Principis liberalitate examines; præstetne suâ illum operâ, an pecuniâ oppressis subvenire? magis erit considerandum, quid collatâ per ipsum operâ pecuniâve efficiatur? ex qua enim plus ad alios manabit commodi, hæc liberalitas erit præferenda. In priori igitur thesi potissimum natura & causæ, in posteriori effecta præcipuè & consequentia erunt perpendenda, ut in subjecto infra ex Cicerone exemplo intelliges. Objectiones adversariorum cum oppositæ partis refutatione, hic etiam inseruntur Locis extrinsecis, atque exemplis præsertim, cum ad probandum in rebus dubiis plurimum valeant, hic aliquantò frequentior, quam in locis communi-

munibus, usus est. Nunc ad ipsam lectionem exercitationemque accedamus.

I. Thesis.

Quod sit optimum genus liberalitatis? Cic. lib. 2. Offic. Ab effectis & consequentibus.

Exorditur à liberalitatis laude, in qua illam præfert, quæ operâ potius, quàm pecuniâ aliis subvenit.

Rationem dat 1. *quod pecunia facilè exhauriatur, non autem opera.* 2. *quod largitiones sæpe corrumpant, eas itaque moderatè tantùm & in egentes adhibendas,* 3. *quod largitionem nimiam rapinæ alienorum bonorum sequantur.* 4. *largitiones in epulas, munera gladiatoria, ludos, venationes, cum Aristotele contra Theophrastum damnat; quod neque subveniant necessitati, nec augeant dignitatem.*

Cicero ad Marc. filium.

Cum beneficentiæ ac liberalitatis duplex si ratio, ut aut operâ benignè fiat indigentibus, aut pecuniâ. Facilior est hæc posterior, locupleti præsertim; sed illa lautior, ac splendidior & viro forti claroque dignior.

1. Quanquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas: tamen altera ex virtute depromitur; largitioque, quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur: quâ quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. At, qui opera, id est virtute, & industria benefici, & liberales erunt: primum, quò pluribus profuerint, eò plures ad benignè faciendum adjutores habebunt: deinde, consuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.

2. Præclarè in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. Quid te (malùm) inquit, rationis in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses: an tu id agis, ut Macedones non te Regem suum, sed ministrum & præbitorem putent? quò

quò quid sordidius Regi? melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit esse. Fit enim deterior qui accipit, atque ad idem semper exspectandum paratior. Hoc ille filio: sed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non est dubium, quin illa benignitas, quæ constat ex opera & industria, & honestior sit, & latius pateat, & possit prodesse pluribus. Nonnunquam tamen est largiendum: nec hoc benignitatis genus omninò repudiandum est: & sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter, atquè moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt inconsultè largiendo. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis?

3. Atque etiam sequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cœperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, cum benevolentiæ comparandæ causa benefici esse velint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus, modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod à nostris hominibus sæpissimè usurpatum, jamque in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere. Etenim quis potest esse modus, cum & iidem, qui consueverunt, & idem illud alii desiderent.

4. Omnino duo sunt genera largorum; quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis & visceratiónibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu pecunias profundunt, in eas res, quarum memoriam, aut brevem, aut nullam sint relicturi omninò: liberales autem, qui suis facultatibus, aut captos à prædonibus redimunt; aut æs alienum suscipiunt amicorum causa; aut in filiarum collocatione adjuvant; aut opitulantur vel in re quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem de divitiis scripsit; in quo multa præclarè, illud absurdè. Etenim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum: taliumque sumptuum facultatem, fructum divitiarum putat. Mihi

autem ille fructus liberalitatis, cujus exempla pauca posui, multò & major videtur, & certior. Quantò Aristoteles gravius, & verius nos reprehendit, qui has effusiones pecuniarum admiremur, fiunt ad multitudinem deliniendam. At ii, qui ab hostibus obsidentur, si emere aquæ sextarium mina cogerentur, hoc primo auditu incredibile nobis videri, omnesque mirari: sed, cum attenderimus, veniam necessitati dare: (*a*) in his immanibus jacturis, infinitisque sumptibus nihil nos magnoperè mirari, cùm præsertim neque necessitati subveniatur, nec dignitas augeatur; ipsaque illa delinitio multitudinis ad breve tempus, exiguumque duratura sit, eaque à levissimo quoque animo, in quo tamen ipso, unà cum satietate, memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligitur, hæc pueris, & mulierculis, & servis, & servorum simillimis liberis esse grata; gravi verò homini, & ea, quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari nullo modo posse.

IMITATIO.

Vteris hac thesi vel cum liberalitatem in pauperes, vel cum eorum, qui se proximorum saluti aut commodo omni studio impendunt, reliquorum liberalitati præferes.

II. Thesis.

An liceat cum alterius hominis incommodo suum augere commodum? Cic. l. 3. Offic.

Ab attributis effectis & comparatione varia.

Non licere, Probat 1. *quia magis naturæ adversatur, quàm mors & paupertas, cum tollat societatem generis humani à natura intentam. Quod simili membrorum declarat, quorum unum ut sanum sit, alterum non corrumpit.* Prob. 2. *quia leges illud universæ prohibent.* 3. *Quia magis est secundum naturam comitas & justitia, quàm voluptas & opes & præ his commune bonum etiam Herculeo labore, spectandum.* 4. *Per*

(*a*) *subintellige*, solemus.

Per dilemma infert animi vitio (quale est proximo injuriam facere) corporis vitium posthabendum esse, quod incurrit qui damnum aliquod patitur. 5. Concludit ergo omnibus communem ubique utilitatem, etiam in re privata spectandam; ne humana societas & jus naturæ dissolvatur. 6. Refutat postremò quosdam 1. quidem qui externorum incommodo suum se posse augere malè sentiebant. 2. qui id fortè sapientibus, & bonis viris, in rebus alteri non utilibus, & personis noxiis tyrannorum licere existimant. Quanquam hæc non satis cum regulis Christianæ legis consentiant.

Cicero ad M. fil.

1. Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt, aut corpori accidere, aut rebus externis, nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum: disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem. Ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se transduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse esset: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque quod cuique possit, emolumenti sui gratia: societas hominum & communitas evertatur necesse est, nam, sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.

2. Neque verò hoc solum natura, id est, jure gentium, sed & legibus populorum, quibus in singulis civitatibus Resp. continetur, eodem modo constitutum est; ut non liceret sui commodi causa nocere alteri, hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent, atque hoc multò magis exigit ipsa naturæ ratio, quæ est lex divina & humana: cui parere qui

velit, (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent) nunquam committet, & alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat.

3. Etenim multò magis est secundum naturam celsitas animi, & magnitudo, itemque comitas, justitia, liberalitas; quàm voluptas, quàm vita, quam divitiæ, quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelsi est, detrahere autem alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera generis ejusdem: itemque magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri posset, conservandis aut juvandis, maximos labores, molestiasque suscipere, imitantes Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocavit, quàm vivere in solitudine, non modò sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine & viribus, quocirca optimo quisque splendidissimoque ingenio longè illam vitam huic ánteponit, ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem, homini nocere non posse.

4. Deinde qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se existimat contra naturam facere; aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum; quàm facere cuiquam injuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri nominibus violandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censet, sed multò illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo quod nullum, aut corporis aut fortunæ vitium, animi vitiis gravius existimat.

5. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque & universorum: quàm si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consociatio, atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini quicunque sint, ob eam ipsam causam tamen, quod is homo sit, consultum velit; necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quòd si ita est: unà continemur omnes & eâdem lege naturæ. Idque ipsum

si

si ita est, certè violare alterum lege naturæ prohibemur. Verum autem primum: verum igitur & extremum.

6. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos commodi sui causa: aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil juris, & nullam societatem communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus: quæ sententia omnem societatem distrahit. Qui autem civium rationem dicunt esse habendam, externorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem; quâ sublatâ, beneficia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur. Quæ qui tollunt, etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contrà naturam, hominem homini detrahere, sui commodi causa, quàm omnia incommoda subire, vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, qua vacent justitia. Hæc enim virtus omnium est domina, & regina virtutum.

Forsitan quispiam dixerit: nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri homini, ad nullam rem utili? Minimè verò, non enim mihi est vita mea utilior, quàm animi talis affectio, neminem ut violem commodi mea gratia. Quid? si Phalarim, crudelem Tyrannum, & immanem vir bonus ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliarè possit, nonne faciat? Hæc ad judicandum sunt facillima. Nam si quid ab homine, ad nullam partem utili, utilitatis tuæ causa detraxeris, inhumanè feceris; contraque naturæ legem, sin autem is tu sis, qui multam utilitatem reip. atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis; si quid ob eam causam alteri detraxeris, non reprehendendum. Sin autem id non sit ejusmodi, suum cuique incommodum ferendum est potius, quàm de alterius commodis subtrahendum; non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid ejusmodi, quam detractatio atque appetitio alieni Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est: est enim injusta: itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conservat, & continet, decernit profectò, ut ab homine inerti, atque inutili, ad sapientem, bonum,

fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariæ; qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modò hic ita faciat, ut ne, ipse de se bene existimans, seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam. Itaque semper officio fungatur, utilitati consulens hominum, & ei, quam sæpè commemoro, humanæ societati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacilè judicium est, nulla est enim societas nobis cum Tyrannis, sed potius summa distractio: neque est contra naturam spoliare eum, si possis, quem honestum est necare. Atque hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, à communi tanquam humanitate corporis segreganda est.

IMITATIO.

Serviet cum Magistratum, aut Principem, aut virum privatum, etiam ab humanitate, & charitate, erga alios laudaveris, contra alium earum virtutum negligentem reprehenderis.

III. Thesis.

Virtus ad beatè vivendum sufficit. Cujus magistra Philosophia est.

Cicero lib. 5. Tusc. q. n. 1.

Ab effectis & adjunctis.

1. *Exorditur à studio eorum, qui ad bene beatèque vivendum Philosophiæ se tradiderunt, & præclarè quidem, si virtute id assequi liceat.*

2. *Diversum tradit animi dolorem, à dolore corporum; cùm, licet hæc sæpe insanabilis, is tamen virtute sanari semper possit.*

3. *Error noster de sensu doloris per Philosophiæ studium corri-*

corrigendus est, qua adversus vitia pro virtute pugnat, qua sola beati sumus.

Cicero ad Brutum.

1. Virtutem ad bene beatèque vivendum seipsa contentam esse, etsi difficile est probatu propter tam varia & tam multa tormenta fortunæ. Tale tamen est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur. Nihil est enim omnium quæ in Philosophia tranctantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. Nam cum ea causa impulerit eos, qui primi se ad Philosophiæ studium contulerunt, ut omnibus rebus posthabitis totos se in optimæ vitæ statu exquirendo collocarent; profectò spe beatè vivendi tantam in eo studio curam, operamque posuerunt. Quod si ab iis inventa, & perfecta virtus est, & si præsidii ad beatè vivendum in virtute satis est: quis est, qui non præclarè, & ab illis positam, & à nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? sin autem virtus subjecta sub varios, incertosque casus, famula fortunæ est, nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur: Vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis sit ad spem beatè vivendi, quàm vota facienda videantur.

2. Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans, huic incipio sententiæ diffidere: interdum etiam humani generis imbecillitatem, fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura, cùm corpora nobis infirma dedisset, iisque, & morbos insanabiles, & dolores intolerabiles adjunxisset, animos quoque dederit, & corporum doloribus congruentes, & separatim suis angoribus & molestiis implicatos. Sed in hoc me ipse castigo, quod ex aliorum, & ex nostra fortasse mollitie, non ex ipsa virtute, de virtutis robore existimo. Illa enim, si modò est ulla virtus (quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit) omnia quæ cadere in hominem possunt, subter se habet; eaque despiciens, casus contemnit humanos: culpaque omni carens, præter se ipsam, nihil censet ad se pertinere.

3. Nos autem omnia adversa, tum venientia metu augentes, tum mœrore præsentia; rerum naturam, quàm erro-

rem nostrum, damnare malumus. Sed & hujus culpæ & cæterorum vitiorum, peccatorumque nostrorum omnes à philosophia petenda correctio est. Cujus in sinum cum à primis temporibus ætatis nostra voluntas, studiumque nos contulissent, his gravissimis casibus in eundum portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate confugimus. O vitæ philosophia dux: ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modò nos, sed omnium vita hominum, sine te, esse potuisset? tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti: tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ fuisti. Ad te confugimus: à te opem petimus: tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus, totosque tradimus, est autem unus dies bene, & ex præceptis tuis actus, peccantis immortalitati ante ponendus. Cujus igitur potius opibus utamur, quam tuis? quæ & tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti? Motus turbulenti, jactationesque animorum incitatæ, & impetu inconsiderato elatæ, rationem omnem repellentes, vitæ beatæ nullam partem relinquunt. Quis enim potest, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum sæpe adest, alterum semper impendet, esse non miser? quid si idem (quod plerumque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet: si debilitatem, cæcitatem; si denique, quod non singulis hominibus, sed potentibus populis sæpè contingit, servitutem: potest ea timens esse quisquam beatus? quid, qui non modo ea futura timet, verum etiam fert, sustinetque præsentia? adde eodem exilia, luctus, orbitates. Qui rebus his fractus ægritudine eliditur, potest ne tandem esse non miserrimus? quid verò illum, quem libidinibus inflammatum, & furentem videmus, omnia rabidè appetentem, cum inexplebili cupiditate, quòque affluentius voluptates undique hauriat, eò gravius, ardentiusque sitientem; nonne rectè miserrimum dixeris? quid elatus ille levitate, inanique lætitia, & exultans, & temerè gestiens, nonne tantò miserior, quantò sibi beatior videtur? ergo ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines

dines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente: Sic animi quietus & placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, quâ moveri queat. Quod si est qui vim fortunæ, qui omnia humana, quæcunque accidere possunt tolerabilia ducat, ex quo, ne timor eum, nec angor attingat: idemque, si nihil concupiscat, nulla efferatur animi inani voluptate, quid est, cur is non beatus sit? & si hæc virtute efficiuntur, quid est, cur virtus ipsa per se non efficiat beatos.

IMITATIO.

Imitanti vel in singularibus personis serviet, ut si, e g. D. Augustinum post varias hujus vitæ jactationes, denique in sola virtute ac pietate hujus vitæ quietem assecutum doceat, vel si in vita Christiana piè tranquillèque transigenda, nullam breviorem veriorem que disciplinam esse tradat, quàm quæ in Dei unius voluntate homini suadeat esse acquiescendum.

IV. Thesis.

Laudabiliusne sit, & fortius solitariam, an cum dignitate, in Reipubl. administratione, vitam agere? Cicero l. 1. offic.

Ab attributis personarum.

1. *In exordio supponit, viro forti, ut libero tranquilloque sit animo, cupiditatem gloriæ & quandoque etiam imperia deponenda esse, ideoque Philosophos, nonnullosque viros graves, sese à populo segregasse, quæsisseque illud ipsum quod alii in principatu quærunt, videlicet, ut liberi suo arbitratu viverent.*

2. *Asserit facilius id quidem solitarios assequi, sed laudabilius alios rebus præfici quibus facultas non deest.* Ratio est: *quia licet illi gloriam rectè aspernentur, videntur tamen molestiarum, repulsæ metu tangi, ut tales, qui voluptates*

quidem negligunt, dolores tamen non ferunt. Videri itaque Reipubl. curam idoneis subterfugiendam non esse.

3. Statuit Rempubl. administrantibus majorem animum & despicientiam rerum humanarum necessariam, quàm privatis Philosophis, ob graviores casus motusque cavendum verò inprimis illis, ne quid temere aggrediantur.

Cicero ad M. fil.

1. Cavenda est viro forti omnis gloriæ cupiditas, eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec verò imperia expetenda, ac potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam, vacandum autem est omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia, ut tranquillitas animi adsit & securitas, quæ afferat tum constantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem, & sunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis se removerunt, ad otiumque perfugerunt, in his & nobilissimi Philosophi longèque principes, & quidam homines severi, & graves nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris, delectari re suâ familiari. His idem propositum fuit, quod & regibus, ut ne quâ re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur, cujus proprium est sic vivere, ut velis. Quare, cum hoc commune sit potentiæ cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis: alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant; alteri, si contenti sint, & suo, & parvo.

2. In quo quidem neutrorum omninò contemnenda est sententia: sed & facilior, & tutior & minus aliis gravis, aut molesta vita est otiosorum: fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rempubl. & ad magnas res gerendas accommodaverunt, quapropter & his forsitan concedendum sit rempubl. non capessentibus, qui excellenti ingenio, doctrinæ sese dediderunt, & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore caussa impediti, à republ. recesserunt, cum ejus administrandæ potestatem aliis, laudemque concederent, quibus autem

talis

talis nulla est caussa, si despicere se dicant ea, quæ plerique admirentur, imperia & magistratus, his non modo non laudi, verùm etiam vitio dandum puto, quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu est non probare: sed videntur labores & molestias, tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam, timere, & infamiam, sunt enim, qui in rebus contrariis parum sibi constent; voluptatem severissimè contemnant, in dolore sint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter. Sed iis; qui habent à natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus sunt, & gerenda resp. est. Nec enim aliter, aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo potest.

4. Capessentibus autem remp. nihil minus, quam Philosophis (haud scio an magis etiam) & magnificentia, & despicientia adhibenda est rerum humanarum, quàm sæpè dico; & tranquillitas animi atque securitas: si quidem, nec anxii futuri sunt, & cum gravitate, constantiaque victuri, quæ eò faciliora sunt Philosophis, quò minus parent multa in eorum vita, quæ fortuna feriat; & quò minus multis rebus egent; & quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt, quo circa non sine causa majores motus animorum concitantur: majoraque efficienda remp. gerentibus, quam quietis, quò magis his, & magnitudo animi est adhibenda, & vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit; sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem, in quo ipso considerandum est, ne aut temerè desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem, in omnibus autem negotiis prius, quàm aggrediare, adhibenda est præparatio diligens.

IMITATIO.

Imitaberis, si ostendas viro religioso solitudinem potius, & vacationem ab omni cura, quam dominatum aliorum affectandum esse, quod si tamen rebus, inter suos, domi forisque cum impe-

imperio administrandis idonei sunt, hanc non debere curam subterfugere; animo tamen rerum simul humanarum despicientiam amplecti. Hoc in S. Ignatio Lojola factum prædicare etiam poteris.

V. Thesis.

Vitam activam contemplativæ præferendam esse. Tyrius dissert. 5.

Ab enumeratione partium.

1. In Exordio *docet, neminem sua sorte contentum, aliena laudare, fastidire propria, per* enumerationem partium.

Simili *illud navigantium, qui ignari sint quo tendant, illustrat.*

II. *Ad* propositionem *per transitionem veniens, quærit, vitàne activa hominum contemplativæ Philosophorum præferenda sit?*

III. *In* confirmatione *vitam activam pro se agentem introducit, idque* per enumerationem *omnium, qui Reipubl prosint, adversus Philosophorum contemplationem Reipubl inutilem.*

2. *Tribus illud* similibus *illustrat, navigantium, ubi omnibus collaborandum: corporis humani, in quo singulis membris sua sunt officia: ædificiorum, quæ singuli lapides sustinent, & ubique, præcipuis (qualis, inter homines, sapiens est) deficientibus, præcipuam cladem docet sentiri.*

3. Ratione *idem probat, quia nulla illius sapientiæ dignitas est, cujus nullus est fructus, quod variis* comparationibus *ostendit, tum similium, tum exemplorum, Phidiæ, Nestoris, Vlyssis, Herculis, ac Iovis.*

4. Ratio *altera est, quod in actione virtus consistat, quæ pericula omnia superat. Vbi timidos* refutat ex comparatione *gubernatoris in navi, & in bello imperatoris, quorum est periculis non terreri; tum* oppositione exemplorum, *quâ Epicuro Platonem, Xenophontem, Diogenem; Sardanapalo Cyrum & Vlyssem objicit.*

1. Difficile est invenire vitam undequaque perfectam, sicut & hominem. Nullam enim facilè dixeris, cui non desit

aliquid ad perfectionem summam. Semperque ea potior dicenda est reliquis, cui quam minimum deest. Sic urbanorum felicitatem prædicat agricola, quod jucundum hilaremque vitam agant. Contra qui in concionibus & judiciis versantur, magnaque in iis autoritate pollent, sortem deplorant suam, nec aliud optant, quàm ut cum rastris, & parvo aliquo surculo res sibi esse possit. Militem audies vitam pacificam laudibus in cœlum efferre: eum contra qui bellum non expertus est, militarem admirari. Quod si Deus aliquis singulis vitam, quam agunt, præsentisque conditionis habitum (ut in scena fieri solet) exuat, quæque nunc aliorum sunt pro iis inducat, nihilominus ipsi illi priora optabunt iterum, præsentia contra deplorabunt. Ita nihil est, quod facilè probent homines, sed queruli semper & morosi vitam transigunt, nec quæ propria illis sors esse voluit, amplectuntur. Et vulgi quidem vota ac fastidia nihil esse referre (non magis, quàm pecudum, aut brutorum me hercule) ipsos verò Philosophos merito accuses, ut infelices, qui cum nihil aliud jactent, quam prudentiam, rectè vivendi modum, usumque rationis: nondum tamen sibi temperare possunt, quin secum partim, partim cum aliis rixentur, ac de vitæ genere, quam ingressuri sunt, contendant.

Qui idem meritò agere videntur, quod gubernatores solent, qui cum omnia, quæ ad navigationem pertinent, diligenter præparaverint, navem maximam, apparatum firmissimum, instrumentorum copiam, nautarum obsequium, accurratam artis peritiam, aptumque saburræ onus, in ipsa tamen navigatione errant, nec satis, quo eundum sit, inveniunt; cum multos quidem portus videant, nullum tamen certum.

II. Reliquos igitur cum sua vivendi ratione prætermittamus: quales sunt, qui in mediis voluptatibus liquescant, qui terram colunt, qui in mari errant, quo stipendia merent, qui in concionibus clamant, qui in judiciis volutantur: Et ut in corporum certaminibus homines infirmi, & qui sola victoriæ spe plus audent, quam oportet, citò deficiunt; at qui virtute fretus in certamen descendit, constanter perdurat, ac de victoria contendit, ita in hoc vitæ certamine reliquos omnes ejectos esse à nobis, &

cessare incipiant, nemo adhuc sentit; sicut Thersites discessu suo è castris Græcos non turbasset: Achilles contra, dum irascitur, dum in tentorio suo quiescit, dum otio, dum cithara, & cantu animum oblectat suum, plurimis malis exercitum implevit. Cujus enim juvare potest præsentia, illius nocere necessario debet absentia. Quis autem ille est, quem contemplari, quem veritati operam dare, quem otiari debere dicis, nisi vir prudens & sapiens? Quid ergo? Num in navi, qui optimè gubernat, locum suum aliis cedit, qui minimè possunt? aut Imperator exercitus imperium suum tradit iis, qui imperare nesciunt?

3. Præterea non possum videre, quid omnino minus cum gloria ac dignitate sit conjunctum, quàm ut veritatem aliquis cognoscat, sterilemque in animo suo Thesaurum, inertem, atque infœcundum colligat, qui neque ipsi, neque alii cuiquam prodesse possit. Nisi forte auditus pulcher videtur tibi, ut audias tantùm, non ut concentum aliquem percipias: aut visus, ut videas tantùm, non ut solis lumen aspicias; aut divitiæ, licet apud aliquem sine ullo usu in terra defossæ jaceant. Eodem modo scientiæ, ne singula commemorē, quis usus esse potest, nisi exerceamus, in quibus prodest scientia. Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat, & auro? sapiens introducitur ab Homero Nestor: vide tamen effectum illius sapientiæ. Conservationem, dico, exercitus, pacem Reip. liberorum obsequium, populi virtutem. Sapiens Ulysses: sed opera ejus video terra marique gesta.

Multorum mores populorum vidit & urbes,
Ipse suam servans animam reditumque suorum.

Sapiens & Hercules; non sibi tamen; sed ut per terras omnes & maria sapientiam suam diffunderet. Hic enim est, qui tot feras sustulit, Tyrannos in officio continuit, servientibus libertatem peperit, liberis leges tulit, justitiam confirmavit, statuta sanciit: qui denique veritatem in verbis, in agendo regiam viam secutus est. Quod si procul à societate hominum vitam ducere, si otiari, si sapientiam tranquillam sequi maluisset Hercules, pro Hercule

revera

revera Sophista fuisset, nec quisquam eum Jovis filium dicere ausus esset. Quia nec ipse Jupiter otiatur. Nam cum eo & moveri cœlum, & nutrire terra, & fluere fluvii, & aquæ in mare labi, & vices suas mutare anni tempestates desinerent. nec Parcæ denique munus suum partiri, nec Musæ canere pergerent. Cessaret & virtus hominum, & vita reliquorum animalium, & fructuum fœcunditas. Totum denique universum hoc in se abire denuo & confundi inciperet. Nunc verò administratio Jovis indefessa, perpetua, ac vigilantissima cum sit, ne unquam deficiat, aut ab opere suo recedat, perpetuæ quoque conservationis rebus creatis causa est. Hoc est, cur bonos reges Joviq́ue quam simillimos moneat insomnis Jupiter.

Turpe viro totam prudenti stertere noctem,
Cui populi commissa salus, & munera tanta.

Hæc cum videat Philosophus, nec Jovem tamen, nec Herculem, nec Reges bonos imitabitur? sed vitam potius hominis in solitudine nati, desertam, à societate alienam ducet; vitam Cyclopum, non hominum. His tamen ipsis, cum terra, ut Poëta ait, triticum ferret, hordeumq́ue.

Cum nemo sereret, curvoque instaret aratro.

Nihilominus singuli uxoribus suis, & liberis leges dictabant, nec nihil erat, quod agerent. Nihil enim omnino agere, cui conveniat, nisi mortuo?

4. Quod si actio cum virtute conjuncta non esset, præstaret virtutem sequi; actionem omittere: at si contra virtus non in verbis, sed in opere, atque in actione, quæ societatem humanam respicit, atque vitæ civilis usu consistit, hæc potissimum sequenda sunt, cum quibus ipsa quoque virtus habere possit.

Nam cuivis homini vitium sese aggeret ultro,

ut Boëtius Poëta ait, at

Virtutem posuêre Dei sudore parandam.

Nisi quis athletam laudet, qui ante sudorem coronam postularet. Atqui, dices, eum, qui in Reipublicæ administratione versatur, periculum sequitur, damna, insidiæ, invidia, exilium, mors & infamia. Quid si cogitare eodem modo gubernator incipiat, infidam esse, plenamq́ue periculorum navigationem, & laborum: multa esse incerta in ea, tempestatem undique imminere & ventos. Quid si cogitare eodem

cessare incipiant, nemo adhuc sentit; sicut Thersites discessu suo è castris Græcos non turbasset: Achilles contra, dum irascitur, dum in tentorio suo quiescit, dum otio, dum cithara, & cantu animum oblectat suum, plurimis malis exercitum implevit. Cujus enim juvare potest præsentia, illius nocere necessario debet absentia. Quis autem ille est, quem contemplari, quem veritati operam dare, quem otiari debere dicis, nisi vir prudens & sapiens? Quid ergo? Num in navi, qui optimè gubernat, locum suum aliis cedit, qui minimè possunt? aut Imperator exercitus imperium suum tradit iis, qui imperare nesciunt?

3. Præterea non possum videre, quid omnino minus cum gloria ac dignitate sit conjunctum, quàm ut veritatem aliquis cognoscat, sterilemque in animo suo Thesaurum, inertem, atque infœcundum colligat, qui neque ipsi, neque alii cuiquam prodesse possit. Nisi forte auditus pulcher videtur tibi, ut audias tantùm, non ut concentum aliquem percipias: aut visus, ut videas tantùm, non ut solis lumen aspicias; aut divitiæ, licet apud aliquem sine ullo usu in terra defossæ jaceant. Eodem modo scientiæ, ne singula commemorē, quis usus esse potest, nisi exerceamus, in quibus prodest scientia. Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat, & auro? sapiens introducitur ab Homero Nestor: vide tamen effectum illius sapientiæ. Conservationem, dico, exercitus, pacem Reip. liberorum obsequium, populi virtutem. Sapiens Ulysses: sed opera ejus video terra marique gesta.

Multorum mores populorum vidit & urbes,
Ipse suam servans animam reditumque suorum.

Sapiens & Hercules; non sibi tamen; sed ut per terras omnes & maria sapientiam suam diffunderet. Hic enim est, qui tot feras sustulit, Tyrannos in officio continuit, servientibus libertatem peperit, liberis leges tulit, justitiam confirmavit, statuta sanciit: qui denique veritatem in verbis, in agendo regiam viam secutus est. Quod si procul à societate hominum vitam ducere, si otiari, si sapientiam tranquillam sequi maluisset Hercules, pro Hercule

revera

revera Sophista fuisset, nec quisquam eum Jovis filium dicere ausus esset. Quia nec ipse Jupiter otiatur. Nam cum eo & moveri cœlum, & nutrire terra, & fluere fluvii, & aquæ in mare labi, & vices suas mutare anni tempestates desinerent. nec Parcæ denique munus suum partiri, nec Musæ canere pergerent. Cessaret & virtus hominum, & vita reliquorum animalium, & fructuum fœcunditas. Totum denique universum hoc in se abire denuo & confundi inciperet. Nunc verò administratio Jovis indefessa, perpetua, ac vigilantissima cum sit, ne unquam deficiat, aut ab opere suo recedat, perpetuæ quoque conservationis rebus creatis causa est. Hoc est, cur bonos reges Jovique quam simillimos moneat insomnis Jupiter.

Turpe viro totam prudenti stertere noctem,
Cui populi commissa salus, & munera tanta.

Hæc cum videat Philosophus, nec Jovem tamen, nec Herculem, nec Reges bonos imitabitur? sed vitam potius hominis in solitudine nati, desertam, à societate alienam ducet; vitam Cyclopum, non hominum. His tamen ipsis, cum terra, ut Poëta ait, triticum ferret, hordeumque.

Cum nemo sereret, curvoque instaret aratro.

Nihilominus singuli uxoribus suis, & liberis leges dictabant, nec nihil erat, quod agerent. Nihil enim omnino agere, cui conveniat, nisi mortuo?

4. Quod si actio cum virtute conjuncta non esset, præstaret virtutem sequi; actionem omittere: at si contra virtus non in verbis, sed in opere, atque in actione, quæ societatem humanam respicit, atque vitæ civilis usu consistit, hæc potissimum sequenda sunt, cum quibus ipsa quoque virtus haberé possit.

Nam cuivis homini vitium sese aggeret ultro,

ut Boëtius Poëta ait, at

Virtutem posuêre Dei sudore parandam.

Nisi quis athletam laudet, qui ante sudorem coronam postularet. Atqui, dices, eum, qui in Reipublicæ administratione versatur, periculum sequitur, damna, insidiæ, invidia, exilium, mors & infamia. Quid si cogitare eodem modo gubernator incipiat, infidam esse, plenamque periculorum navigationem, & laborum: multa esse incerta in ea, tempestatem undique imminere & ventos. Quid si cogitare eodem

cessare incipiant, nemo adhuc sentit; sicut Thersites discessu suo è castris Græcos non turbasset: Achilles contra, dum irascitur, dum in tentorio suo quiescit, dum otio, dum cithara, & cantu animum oblectat suum, plurimis malis exercitum implevit. Cujus enim juvare potest præsentia, illius nocere necessario debet absentia. Quis autem ille est, quem contemplari, quem veritati operam dare, quem otiari debere dicis, nisi vir prudens & sapiens? Quid ergo? Num in navi, qui optimè gubernat, locum suum aliis cedit, qui minimè possunt? aut Imperator exercitus imperium suum tradit iis, qui imperare nesciunt?

3. Præterea non possum videre, quid omnino minus cum gloria ac dignitate sit conjunctum, quàm ut veritatem aliquis cognoscat, sterilemque in animo suo Thesaurum, inertem, atque infœcundum colligat, qui neque ipsi, neque alii cuiquam prodesse possit. Nisi forte auditus pulcher videtur tibi, ut audias tantùm, non ut concentum aliquem percipias: aut visus, ut videas tantùm, non ut solis lumen aspicias; aut divitiæ, licet apud aliquem sine ullo usu in terra defossæ jaceant. Eodem modo scientiæ, ne singula commemorē, quis usus esse potest, nisi exerceamus, in quibus prodest scientia. Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat, & auro? sapiens introducitur ab Homero Nestor: vide tamen effectum illius sapientiæ. Conservationem, dico, exercitus, pacem Reip. liberorum obsequium, populi virtutem. Sapiens Ulysses: sed opera ejus video terra marique gesta.

Multorum mores populorum vidit & urbes,
Ipse suam servans animam reditumque suorum.

Sapiens & Hercules; non sibi tamen; sed ut per terras omnes & maria sapientiam suam diffunderet. Hic enim est, qui tot feras sustulit, Tyrannos in officio continuit, servientibus libertatem peperit, liberis leges tulit, justitiam confirmavit, statuta sanciit: qui denique veritatem in verbis, in agendo regiam viam secutus est. Quod si procul à societate hominum vitam ducere, si otiari, si sapientiam tranquillam sequi maluisset Hercules, pro Hercule

revera Sophista fuisset, nec quisquam eum Jovis filium dicere ausus esset. Quia nec ipse Jupiter otiatur. Nam cum eo & moveri cœlum, & nutrire terra, & fluere fluvii, & aquæ in mare labi, & vices suas mutare anni tempestates desinerent. nec Parcæ denique munus suum partiri, nec Musæ canere pergerent. Cessaret & virtus hominum, & vita reliquorum animalium, & fructuum fœcunditas. Totum denique universum hoc in se abire denuo & confundi inciperet. Nunc verò administratio Jovis indefessa, perpetua, ac vigilantissima cum sit, ne unquam deficiat, aut ab opere suo recedat, perpetuæ quoque conservationis rebus creatis causa est. Hoc est, cur bonos reges Joviq́ue quam simillimos moneat insomnis Jupiter.

Turpe viro totam prudenti stertere noctem,
Cui populi commissa salus, & munera tanta.

Hæc cum videat Philosophus, nec Jovem tamen, nec Herculem, nec Reges bonos imitabitur? sed vitam potius hominis in solitudine nati, desertam, à societate alienam ducet; vitam Cyclopum, non hominum. His tamen ipsis, cum terra, ut Poëta ait, triticum ferret, hordeumq́ue.

Cum nemo severet, curvoque instaret aratro.

Nihilominus singuli uxoribus suis, & liberis leges dictabant, nec nihil erat, quod agerent. Nihil enim omnino agere, cui conveniat, nisi mortuo?

4. Quod si actio cum virtute conjuncta non esset, præstaret virtutem sequi; actionem omittere: at si contra virtus non in verbis, sed in opere, atque in actione, quæ societatem humanam respicit, atque vitæ civilis usu consistit, hæc potissimum sequenda sunt, cum quibus ipsa quoque virtus habere possit.

Nam cuivis homini vitium sese aggeret ultro,

ut Boëtius Poëta ait, at

Virtutem posuêre Dei sudore parandam.

Nisi quis athletam laudet, qui ante sudorem coronam postularet. Atqui, dices, eum, qui in Reipublicæ administratione versatur, periculum sequitur, damna, insidiæ, invidia, exilium, mors & infamia. Quid si cogitare eodem modo gubernator incipiat, infidam esse, plenamq́ue periculorum navigationem, & laborum: multa esse incerta in ea, tempestatem undique imminere & ventos. Quid si cogitare eodem

cessare incipiant, nemo adhuc sentit; sicut Thersites discessu suo è castris Græcos non turbasset: Achilles contra, dum irascitur, dum in tentorio suo quiescit, dum otio, dum cithara, & cantu animum oblectat suum, plurimis malis exercitum implevit. Cujus enim juvare potest præsentia, illius nocere necessario debet absentia. Quis autem ille est, quem contemplari, quem veritati operam dare, quem otiari debere dicis, nisi vir prudens & sapiens? Quid ergo? Num in navi, qui optimè gubernat, locum suum aliis cedit, qui minimè possunt? aut Imperator exercitus imperium suum tradit iis, qui imperare nesciunt?

3. Præterea non possum videre, quid omnino minus cum gloria ac dignitate sit conjunctum, quàm ut veritatem aliquis cognoscat, sterilemque in animo suo Thesaurum, inertem, atque infœcundum colligat, qui neque ipsi, neque alii cuiquam prodesse possit. Nisi forte auditus pulcher videtur tibi, ut audias tantùm, non ut concentum aliquem percipias: aut visus, ut videas tantùm, non ut solis lumen aspicias; aut divitiæ, licet apud aliquem sine ullo usu in terra defossæ jaceant. Eodem modo scientiæ, ne singula commemorē, quis usus esse potest, nisi exerceamus, in quibus prodest scientia. Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat, & auro? sapiens introducitur ab Homero Nestor: vide tamen effectum illius sapientiæ. Conservationem, dico, exercitus, pacem Reip. liberorum obsequium, populi virtutem. Sapiens Ulysses: sed opera ejus video terra marique gesta.

Multorum mores populorum vidit & urbes,
Ipse suam servans animam reditumque suorum.

Sapiens & Hercules; non sibi tamen; sed ut per terras omnes & maria sapientiam suam diffunderet. Hic enim est, qui tot feras sustulit, Tyrannos in officio continuit, servientibus libertatem peperit, liberis leges tulit, justitiam confirmavit, statuta sanciit: qui denique veritatem in verbis, in agendo regiam viam secutus est. Quod si procul à societate hominum vitam ducere, si otiari, si sapientiam tranquillam sequi maluisset Hercules, pro Hercule

revera

revera Sophista fuisset, nec quisquam eum Jovis filium dicere ausus esset. Quia nec ipse Jupiter otiatur. Nam cum eo & moveri cœlum, & nutrire terra, & fluere fluvii, & aquæ in mare labi, & vices suas mutare anni tempestates desinerent. nec Parcæ denique munus suum partiri, nec Musæ canere pergerent. Cessaret & virtus hominum, & vita reliquorum animalium, & fructuum fœcunditas. Totum denique universum hoc in se abire denuo & confundi inciperet. Nunc verò administratio Jovis indefessa, perpetua, ac vigilantissima cum sit, ne unquam deficiat, aut ab opere suo recedat, perpetuæ quoque conservationis rebus creatis causa est. Hoc est, cur bonos reges Joviq́ue quam simillimos moneat insomnis Jupiter.

Turpe viro totam prudenti stertere noctem,
Cui populi commissa salus, & munera tanta.

Hæc cum videat Philosophus, nec Jovem tamen, nec Herculem, nec Reges bonos imitabitur? sed vitam potius hominis in solitudine nati, desertam, à societate alienam ducet; vitam Cyclopum, non hominum. His tamen ipsis, cum terra, ut Poëta ait, triticum ferret, hordeumq́ue.

Cum nemo sereret, curvoque instaret aratro.

Nihilominus singuli uxoribus suis, & liberis leges dictabant, nec nihil erat, quod agerent. Nihil enim omnino agere, cui conveniat, nisi mortuo?

4. Quod si actio cum virtute conjuncta non esset, præstaret virtutem sequi; actionem omittere: at si contra virtus non in verbis, sed in opere, atque in actione, quæ societatem humanam respicit, atque vitæ civilis usu consistit, hæc potissimum sequenda sunt, cum quibus ipsa quoque virtus habere possit.

Nam cuivis homini vitium sese aggeret ultro,

ut Boëtius Poëta ait, at

Virtutem posuêre Dei sudore parandam.

Nisi quis athletam laudet, qui ante sudorem coronam postularet. Atqui, dices, eum, qui in Reipublicæ administratione versatur, periculum sequitur, damna, insidiæ, invidia, exilium, mors & infamia. Quid si cogitare eodem modo gubernator incipiat, infidam esse, plenamq́ue periculorum navigationem, & laborum: multa esse incerta in ea, tempestatem undique imminere & ventos. Quid si cogitare eodem

imperio administrandis idonei sunt, hanc non debere curam subterfugere; animo tamen rerum simul humanarum despicientiam amplecti. Hoc in S. Ignatio Lojola factum prædicare etiam poteris.

V. Thesis.

Vitam activam contemplativæ præferendam esse. Tyrius dissert. 5.

Ab enumeratione partium.

I. *In* Exordio *docet, neminem sua sorte contentum, aliena laudare, fastidire propria, per* enumerationem partium.

Simili *illud navigantium, qui ignari sint quo tendant, illustrat.*

II. Ad propositionem *per transitionem veniens, quærit, vitàne activa hominum contemplativæ Philosophorum præferenda sit?*

III. In confirmatione *vitam activam pro se agentem introducit, idque* per enumerationem *omnium, qui Reipubl prosint, adversus Philosophorum contemplationem Reipubl inutilem.*

2. *Tribus illud* similibus *illustrat, navigantium, ubi omnibus collaborandum: corporis humani, in quo singulis membris sua sunt officia: ædificiorum, quæ singuli lapides sustinent, & ubique, præcipuis (qualis, inter homines, sapiens est) deficientibus, præcipuam cladem docet sentiri.*

3. Ratione *idem probat, quia nulla illius sapientiæ dignitas est, cujus nullus est fructus, quod variis* comparationibus *ostendit, tum similium, tum exemplorum, Phidiæ, Nestoris, Vlyssis, Herculis, ac Iovis.*

4. Ratio *altera est, quod in actione virtus consistat, quæ pericula omnia superat. Vbi timidos* refutat ex comparatione *gubernatoris in navi, & in bello imperatoris, quorum est periculis non terreri; tum* oppositione exemplorum, *quâ Epicuro Platonem, Xenophontem, Diogenem; Sardanapalo Cyrum & Vlyssem objicit.*

1. Difficile est invenire vitam undequaque perfectam, sicut & hominem. Nullam enim facilè dixeris, cui non desit

aliquid ad perfectionem summam. Semperque ea potior dicenda est reliquis, cui quam minimum deest. Sic urbanorum felicitatem prædicat agricola, quòd jucundum hilaremque vitam agant. Contra qui in concionibus & judiciis versantur, magnaque in iis autoritate pollent, sortem deplorant suam, nec aliud optant, quàm ut cum rastris, & parvo aliquo surculo res sibi esse possit. Militem audies vitam pacificam laudibus in cœlum efferre: eum contra qui bellum non expertus est, militarem admirari. Quod si Deus aliquis singulis vitam, quam agunt, præsentisque conditionis habitum (ut in scena fieri solet) exuat, quæque nunc aliorum sunt pro iis inducat, nihilominus ipsi illi priora optabunt iterum, præsentia contra deplorabunt. Ita nihil est, quod facilè probent homines, sed queruli semper & morosi vitam transigunt, nec quæ propria illis sors esse voluit, amplectuntur. Et vulgi quidem vota ac fastidia nihil esse referre (non magis, quàm pecudum, aut brutorum me hercule) ipsos verò Philosophos merito accuses, ut infelices, qui cum nihil aliud jactent, quam prudentiam, rectè vivendi modum, usumque rationis: nondum tamen sibi temperare possunt, quin secum partim, partim cum aliis rixentur, ac de vitæ genere, quam ingressuri sunt, contendant.

Qui idem meritò agere videntur, quod gubernatores solent, qui cum omnia, quæ ad navigationem pertinent, diligenter præparaverint, navem maximam, apparatum firmissimum, instrumentorum copiam, nautarum obsequium, accurratam artis peritiam, aptumque saburræ onus, in ipsa tamen navigatione errant, nec satis, quo eundum sit, inveniunt; cum multos quidem portus videant, nullum tamen certum.

II. Reliquos igitur cum sua vivendi ratione prætermittamus: quales sunt, qui in mediis voluptatibus liquescant, qui terram colunt, qui in mari errant, quo stipendia merent, qui in concionibus clamant, qui in judiciis volutantur: Et ut in corporum certaminibus homines infirmi, & qui sola victoriæ spe plus audent, quam oportet, citò deficiunt; at qui virtute fretus in certamen descendit, constanter perdurat, ac de victoria contendit, ita in hoc vitæ certamine reliquos omnes ejectos esse à nobis,

& succubuisse putemus; solaque interea Contemplativa inter se vita & activa, tanquam æmuli duo, & qui de victoria contendere debeant, rationis armis in præsentia concurrant. Utra ergo prior in hoc judicio nostro causam suam aget? Certe Activa, me judice: vel quod præsentis animi sit, & confidentior, vel quo versari cum populo, meliusque vivere consuerit. Quam ita causam agere suam fingamus.

III. Si quis, ubi primum vitam hanc ingredimur singuli mortalium, quasi imperator urbis aut conditor, nascentes exciperet, qui pedem inferre portis non permitteret, nisi prius audiret è nobis, quod vel opus, vel quam in commune Reip. bonum utilitatem conferre possint singuli; architectos responsuros arbitror, suum esse, lapides componere; atque ex iis munimenta, quibus ab injuria æstus frigorisque tuti esse possint homines, exstruere, Textores licio, & subtegmine vestes contexere, quæ simul tegant & exornent corpora. Faber lignarius aratrum se afferre dicet, aut grabatum, & si quid præterea ab arte illius exspectatur. Ferrarius, quæcunque ex ære, aut ferro, tam belli quam pacis tempore fieri solent. Etiam illa quæ voluptatis tantum causa fiunt, ut veri simile est, admittentur, Quo in genere pictores, statuariosque pono, quorum ars oculos oblectat. Quibus unguentarios adde, coquosque, & qui odores ac fumos venditant, tum quotquot, vel tibiis, vel cantu, vel tripudiis aurium voluptati student. Sed & aliquis, ut morionem, aliquis ut mirionem agat, advocabitur, alius ut verbis delectet, & sermonibus. Sicut Homerus in mediis quoque castris Nirei formæ locum dedit. Adeò, ut nemo sine ulla, quod dici solet, symbola vitam hanc intret: qui aut usum aliquem, aut artem præbeat, aut voluptatem.

1. Esto. Quod ex omnibus opus Philosophi dicemus esse? Neque enim solum hunc sine utilitate ulla tanquam fucum intrasse, sed ut sociale animal, & qui ad communem vitam aliquid conferre possit, non minus, quam reliqui, omnibus notum est. Quam ergo dicemus in hac societate adferri à Philosopho symbolam, aut quo in ordine hunc virum ponemus? An inter operarios cum Tuchio, aut coquos cum Mithæco, aut miriones cum Phrynione,

aut

aut ridiculos cum Philippo, aut populi Principes cum Cleone? solusne hic sine tribu, lareque, quod dici solet, vagabitur? Habet certè & ille opus suum; quod tamen sit ignoto. Si ex ipso quæras: otium dicet ago, solusque mecum rerum naturam contemplor, multaque varietate me pasco.

2. Næ tu beatus es, cum hoc otio tuo, mi homo]: siquidem si navem conscendisses, ut video, non tantum non gubernatoris, sed ne remigis quidem fungi velles munere: imò nec juvare eos, qui discurrunt, & aliquid ad salutem navis conferunt, nec saltem agiles vectores imitari, qui, quamvis nautæ non sint, interdum tamen aut rudentem tangunt, aut si magna sit tranquillitas, remum in manus sumunt. Sed in eorum numero; qui sine ullo usu jacent, & vehuntur, nihil aliud, quam pondus, quod dici solet, navis. Nisi fortè existimes, minus auxilio egere urbem in terra, ut esse salva possit, quam navem in mari. Multo magis illa in terra, ut arbitror; in qua pauci sunt, qui aliquid agunt, cum sarcina sit maxima. Adde quod urbs sit constitutio quædam, quæ è diversorum subsidiis composita & conflata est, sicut corporis necessitas diversis partibus eget, quæ dum singulæ aliquid ad obsequium totius conferunt, totum servatur. Sustinent pedes, operantur manus, vident oculi, audiunt aures atque ita deinceps, ne sim prolixior. Jam ponamus à Phrygio illo fabulatore fingi fabulam, in qua introducantur pedes, qui reliquis corporis partibus succenseant, negentque se labore suppeditare amplius, aut tanto oneri diutius ferendo esse, sed otiari imposterum velle. Dentes vicissim, cibum qui tantæ sufficiat turbæ, molere se & præparare posse. Atque ita singulæ incipiant, neglecto opere suo, contemplationi vacare. Quem alium fabulæ finem exspectas, quam ut homo moriatur. Eodem modo in Reipublicæ corpore agitur. In quo si singuli, tædio laboris, nihil reliquis suppeditent, sed abrupta societate quisque otiari incipiat, quid obstabit, quo minus pereat corpus totum, & dissolvatur. An arbitratis sola ædificia quamdiu inter se cohærent lapides, vincta manere & consistere, sin minimum è tota compage tollas, tota dissolvì: universæ verò vitæ salutem non ex apta inter se partium commissione pendere? Præterea si alii cessare

cessare incipiant, nemo adhuc sentit; sicut Thersites discessu suo è castris Græcos non turbasset: Achilles contra, dum irascitur, dum in tentorio suo quiescit, dum otio, dum cithara, & cantu animum oblectat suum, plurimis malis exercitum implevit. Cujus enim juvare potest præsentia, illius nocere necessario debet absentia. Quis autem ille est, quem contemplari, quem veritati operam dare, quem otiari debere dicis, nisi vir prudens & sapiens? Quid ergo? Num in navi, qui optimè gubernat, locum suum aliis cedit, qui minimè possunt? aut Imperator exercitus imperium suum tradit iis, qui imperare nesciunt?

3. Præterea non possum videre, quid omnino minus cum gloria ac dignitate sit conjunctum, quàm ut veritatem aliquis cognoscat, sterilemque in animo suo Thesaurum, inertem, atque infœcundum colligat, qui neque ipsi, neque alii cuiquam prodesse possit. Nisi forte auditus pulcher videtur tibi, ut audias tantùm, non ut concentum aliquem percipias: aut visus, ut videas tantùm, non ut solis lumen aspicias; aut divitiæ, licet apud aliquem sine ullo usu in terra defossæ jaceant. Eodem modo scientiæ, ne singula commemorẽ, quis usus esse potest, nisi exerceamus, in quibus prodest scientia. Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat, & auro? sapiens introducitur ab Homero Nestor: vide tamen effectum illius sapientiæ. Conservationem, dico, exercitus, pacem Reip. liberorum obsequium, populi virtutem. Sapiens Ulysses: sed opera ejus video terra marique gesta.

Multorum mores populorum vidit & urbes,
Ipse suam servans animam reditumque suorum.

Sapiens & Hercules; non sibi tamen; sed ut per terras omnes & maria sapientiam suam diffunderet. Hic enim est, qui tot feras sustulit, Tyrannos in officio continuit, servientibus libertatem peperit, liberis leges tulit, justitiam confirmavit, statuta sanciit: qui denique veritatem in verbis, in agendo regiam viam secutus est. Quod si procul à societate hominum vitam ducere, si otiari, si sapientiam tranquillam sequi maluisset Hercules, pro Hercule

revera

revera Sophista fuisset, nec quisquam eum Jovis filium dicere ausus esset. Quia nec ipse Jupiter otiatur. Nam cum eo & moveri coelum, & nutrire terra, & fluere fluvii, & aquæ in mare labi, & vices suas mutare anni tempestates desinerent. nec Parcæ denique munus suum partiri, nec Musæ canere pergerent. Cessaret & virtus hominum, & vita reliquorum animalium, & fructuum fœcunditas. Totum denique universum hoc in se abire denuo & confundi inciperet. Nunc verò administratio Jovis indefessa, perpetua, ac vigilantissima cum sit, ne unquam deficiat, aut ab opere suo recedat, perpetuæ quoque conservationis rebus creatis causa est. Hoc est, cur bonos reges Joviq́ue quam simillimos moneat insomnis Jupiter.

Turpe viro totam prudenti stertere noctem,
Cui populi commissa salus, & munera tanta.

Hæc cum videat Philosophus, nec Jovem tamen, nec Herculem, nec Reges bonos imitabitur? sed vitam potius hominis in solitudine nati, desertam, à societate alienam ducet; vitam Cyclopum, non hominum. His tamen ipsis, cum terra, ut Poëta ait, triticum ferret, hordeumq́ue.

Cum nemo sereret, curvoque instaret aratro.

Nihilominus singuli uxoribus suis, & liberis leges dictabant, nec nihil erat, quod agerent. Nihil enim omnino agere, cui conveniat, nisi mortuo?

4. Quod si actio cum virtute conjuncta non esset, præstaret virtutem sequi; actionem omittere: at si contra virtus non in verbis, sed in opere, atque in actione, quæ societatem humanam respicit, atque vitæ civilis usu consistit, hæc potissimum sequenda sunt, cum quibus ipsa quoque virtus habere possit.

Nam cuivis homini vitium sese aggeret ultro,

ut Boëtius Poëta ait, at

Virtutem posuêre Dei sudore parandam.

Nisi quis athletam laudet, qui ante sudorem coronam postularet. Atqui, dices, eum, qui in Reipublicæ administratione versatur, periculum sequitur, damna, insidiæ, invidia, exilium, mors & infamia. Quid si cogitare eodem modo gubernator incipiat, infidam esse, plenamq́ue periculorum navigationem, & laborum: multa esse incerta in ea, tempestatem undique imminere & ventos. Quid si cogitare eodem

modo dux belli incipiat; ambiguos esse belli exitus, periculum æquum utrique, discrimina maxima esse in proximo, vicinam mortem. Hæc si illi cogitent, quicquam obstabit, quo minus nemo in mari naviget, libertatem suam, ne per somnium quidem, Imperatorum penuria vulgus tueatur: omnes denique vitam lumbricis similem, timidam, inertemque inter metus, transigant? Sardanapali vitam dicis, Epicuri vitam narras. Opponamus hic alios, Sardanapalo quidem Cyrum, Persam Assyrio: qui cum otiosè posset tranquilliéque vivere, laborare tamen maluit, expeditiones suscipere, sitire sæpe, sæpe esurire, nec ullis, aut noctu, aut interdiu temperare molestiis, quo Persas suos liberaret. Oppone & Epicuro multos alios. Græco Græcos. Ex Academia Platonem, è castris Xenophontem, è ponto Diogenem, Plato unius amici pauperis causa, qui in exilium conjectus erat, tantum tamque potens regnum adortus est; neque terram ullam, aut mare peragrare dubitavit; non iram tyranni, aut exilium, non pericula ulla metuit, ut vel tantillum præter Philosophi officium faceret. Cum tamen in Academia sua contemplari, & veritatis studio sese explere posset. Xenophontem ex longo otio, rerumque contemplatione ad militiam, munusque Imperatorium, & conservanda tot Græcorum millia, vocat Proxenus, emittit Apollo, & cum Apolline Socrates. Nam, de instituto Diogenis, quid necesse est dicere, qui relicto socio suo, vicinas gentes adiit, non segnis, me Hercules, aut ignavus morum inspector, sed qualis Ulysses ille:

Nam quemcunque virum Regem de stirpe videret,
Lenibus hunc verbis adstans retinebat euntem:
Quem vero è populo clamantem & vana moventem,
Hunc sceptro percussit.

Adeò ut nec sibi ipse parceret, sed plecteret, cum necesse esset, multasque exhiberet molestias.

Sese etaim crebro percussit vulnere multo,
Injecitque humeris pannosum fortis amictum.

IMITA-

IMITATIO.

Proximè imitaberis si vel Religiosorum illorum vitam, quæ vitam activam contemplationi miscet, cæteris præferas. vel gloriosius asseras bella feliciter gerere, quam scribere. vel illorum explodas hæreticorum sententiam, qui sola fide hominem coram Deo asserant justificari, operibus tanquam impuris & opprobrio dignis minimè requisitis. Remotius imitaberis, si peregrinationem ad diversa orbis loca institutam, vitæ solitariæ inter familiares præferas.

VI. Thesis.

Consultiusne sit plures sibi parare amicos an abstinere? Lælius apud Ciceronem de amicitia.

I. Principio *Græcorum sententiam rationesque proponit, quibus dissuadebant plurem amicitiam nisi utiles essent. Contra statuit in amicitia gratuita plurimum boni esse.*

II. Probat & refutat Græcos 1. Ab adjunctis. *Quia licet curæ aliquid molestiæque, suo in cultu, haberet amicitia; tamen iccirco non esset fugienda, cum omnis virtus curam molestiamque habeat.*

Probat 2. A Causa. *Quod, qui virtute delectatur, etiam amicitia, quæ ex illa ortum habet, delectari debeat. boni enim bonos ob similitudinem amare coguntur.*

Probat 3. Ab attributis. *Quod illi, qui opulenti simul, & virtute sunt prædíti, plerumque & liberales sint. ideoque non colant propter indigentiam amicitias; licet utilitas ex amicitia sequi soleat.*

3. A contrario. *Quod si qui opulentorum absque amicitia vivant, id tyrannorum proprium videri, qui cum metuantur, non coluntur nisi ficta amicitia, ut Tarquinius expertus est. Quod si quis etiam potentium & divitum sint, negligentes amicitiæ, eò quod utilitatem ex ea non sperent; hos illud, quod in vita pulcherrimum jucundissimumque sit, aliis levioribus fortunæ bonis postponere.*

Lælius ad Fannium & Scævolam.

I. Quibusdam, quos audio sapientes habitos in Græcia, placuisse opinor mirabilia quædam. (Sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis) partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit, unum solicitum esse pro pluribus; satis superque esse sibi suarum cuique rerum curam; alienis nimis implicari molestum esse. Quàm laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, cum velis, vel remittas: caput enim esse ad bene beateque vivendum securitatem; quâ frui non possit animus, si tanquam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere, ajunt etiam, multo inhumanius: quem locum breviter perstrinxi paulo ante: præsidii adjumentique causa, non benevolentiæ, neque caritatis, amicitias esse expetendas: itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maximè. Ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant, quam viri; & inopes, quam opulenti; & calamitosi, quam ii, qui putantur beati. ô præclaram sapientiam! solem enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt: qua nihil à Diis Immortalibus melius habemus, nihil jucundius.

II. Quæ est enim ea securitas? specie quidem blanda, sed de re ipsa multis locis repudianda est. neque enim est consentaneum, ullam honestam rem actionemve, ne solicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus; virtus fugienda est; quæ necesse est, ut cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur, atque oderit, ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injustis justos maximè dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem si cadit in sapientem animi dolor, qui profectò cadit, nisi ex ejus animo exstirpatam humanitatem arbitremur; quæ causa est, cur amicitiam funditus tollamus, è vita, ne aliquas propter eam sucipiamus molestias? quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter pecudem & hominem, sed inter hominem, & saxum, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem? Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram, & quasi ferream esse volunt: quæ

quidem

quidem est tum multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabili; ut & bonis amici quasi diffundatur, & incommodis contrahatur. Quamobrem angor iste, qui pro amico sæpe capiendus est, non tantum valet, ut tollat è vita amicitiam: non plus, quàm ut virtutes, quia nonnullas curas & molestias afferunt, repudientur.

2. Cum autem contrahat virtus amicitiam, ut supra dixi, si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, & adjungat: id cum contingit, amor tibi exoriatur necesse est. quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloriâ, ut ædificio, ut vestitu, cultuque corporis; animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamari possit, non admodum delectari? nihil est enim remuneratione benevolentiæ, nihil vicissitudine studiorum, officiorumque jucundius. Quod si etiam illud addimus (quod rectè addi potest) nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat, & contrahat, quam ad amicitiam similitudo: concedatur profectò verum esse, ut bonos boni diligant, adsciscantque sibi quasi propinquitate conjunctos, atque natura. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni & Scævola, constat, ut opinor, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse: qui & amicitiæ fons à natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. non est enim inhumana virtus, neque superba; quæ etiam populos universos tueri, eique optimè consulere debeat: quod non facere profectò, si à caritate vulgi abhorreret.

3. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiæ tollere. non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat: tumque illud fit, quod ab amico est profectum, jucundum, si cum amore, & studio est profectum: tantumque abest, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus, & copiis, maximeque virtute prædìti, in qua plurimum est præsidii, minimè alterius indigeant, & liberalissimi sint & beneficentissimi. Atque haud scio, anne opus sit quidem, nihil unquam omninò deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam studio, nunquam consilio, nunquam opera nostra, nec domi nec militiæ Scipio eguisset?

non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam secuta est. Non ergo erunt homines divitiis affluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est (prô Deum fidem atque hominum!) qui velit, ut neque diligat quenquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? hæc enim est tyrannorum vita nimirum: in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia: omnia semper suspecta, atque solicita; nullus locus est amicitiæ. Quis enim aut eum diligat, quem metuit, aut eum à quo se metui putat? coluntur tamen simulatione amicitiæ duntaxat ad tempus. Quod si fortè, ut fit plerumque, ceciderint; tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixisse ferunt; tum, cùm exulasset, se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quosque infidos, cum jam neutris gratiam referre posset. Quanquam miror, in illa superbia, & importunitate si quenquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores veros amicos parare non potuere: sic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles, non enim sola ipsa fortuna cœca est, sed eos etiam plerumque efficit cœcos, quos complexa est. Itaque illi efferuntur fastidio ferè, & contumacia: neque quidpiam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutati, sperniqúe ab iis veteres amicitias, & indulgeri novis. Quid autem stultius, quam, ut plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cætera parare quæ parant, pecuniam, equos, famulos, vestes egregias, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, supellectilem? etenim cætera cùm parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa laborent: jus enim est istorum quodque, qui vincit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis & certa possessio; ut etiamsi maneant, quæ sunt & quasi dona fortunæ; tamen vita inculta, & deserta ab amicis non possit esse jucunda.

IMITA-

IMITATIO.

Imitaberis, si in amicitiis diligendis Ionatham in Davide nullam utilitatis propria, sed tantum virtutis rationem habuisse tradas. Vel si etiam doceas, sanctos homines, Angelosque, tum ipsum etiam Christum, jure amandos ob insignem virtutem, & submissionem, quâ nos, ut pares, suo amore dignantur, &c.

VII. Thesis.

Solos sapientes, qui suis imperant cupiditatibus, liberos; cæteros omnes servos esse. Cicero Paradoxo. 5.

1. *Docet Imperatorem verum non esse qui suis cupiditatibus serviat.*
2. *Sapientes tantum liberos.*
3. *Improbos omnes servos esse, quod simili illustrat.*
4. *Servire quotquot rebus domi splendidis addicti sunt. Secus quam M. Curius.*
5. *Servire quotquot potentioribus opum aut honoris studio addicuntur exemplo Crassi.*

1. Laudetur verò hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur; sed quomodo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis Dominis, dedecori, ac turpitudini parêre desierit, dum quidem his obediet, non modò Imperator, sed liber habendus omnino non erit.

2. Præclarè enim hoc usurpatum à doctissimis, quorum autoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes hæc habenda esset oratio; cùm verò apud prudentissimos loquar, quibus hæc inaudita non sunt: cur ego simulem, me, si quid in his studiis operæ posuerim, perdidisse? Dictum est igitur ab eruditissimis viris, nisi sapientem liberum esse neminem. Quid est enim libertas? potestas vivendi, ut velis. Quis

igitur vivit, ut vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atque provisa est? qui legibus non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maximè esse judicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac liberè? cujus omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque referuntur: nec est ulla res, quæ plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque judicium: cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, Fortuna ipsa cedit: quæ, sicut sapiens Poëta dixit, *Suis ea cuique fingitur moribus.* Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus: nihil dolens, nihil coactus, quod etsi ita esse, pluribus verbis disserendum est: illud tamen brevi conficiendum est, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem.

3. Igitur omnes improbi, servi, ne hoc tam re est, quam dicto inopinatum atque mirabile. non enim ita dicunt, eos esse servos, ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili: sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, & objecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leves, omnes denique improbos esse servos? An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat? cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit, dandum est: vocat, veniendum: ejicit, abeundum; minatur, extimescendum. Ego istum non modò servum, sed nequissimum servum, etiamsi amplissima familia natus sit, appellandum puto.

4. Atque ut in magna familia, sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi atrienses. Sic pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant. Ex summis inquiunt, civitatis principes sumus. Vos verò ne conservorum quidem vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui tergunt, qui verrunt, qui spargunt, honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius civitatis locum penè infimum obtinent. Magna, inquis, bella gessi: magnis imperiis, & provinciis præfui. Gere igitur laude dignum. Actæonis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Omitto, unde

unde sustuleris, & quomodo habeas, intuentem te, admirantem, clamores tollentem cùm video: servum te esse ineptiarum omnium judico. Nonne igitur sunt illa festiva? sunt, nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret Mallionem Corinthium cupidissimè tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset: utrum illum civem excellentem, an atriensem diligentem putaret? Reviviscat M. Curius, aut eorum aliquis. quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit, præter ipsos: & videat aliquem summis populi beneficiis usum, barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem, & murænarum copia gloriantem: nonne hunc hominem ita servum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet?

5. An eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimæ servitutis? Hæreditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscepit? quem nutum locupletis orbi senis non observat? loquitur ad voluntatem: quicquid denuntiatum sit, facit: assentatur, assidet, miratur. Quid horum est liberi? quid denique non servi inertis? Quid? jam illa cupiditas, quæ videtur esse liberior honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina! quam imperiosa! quam vehemens! Cethego, homini non probatissimo, servire res coegit eos, qui amplissimi videbantur: mittere munera, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare. Quæ servitus est, si hæc libertas æstimari potest? quid? cum cupiditatum dominatus excessit, & alius est Dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor? quàm est illa misera, quàm dura servitus! adolescentibus paulò loquacioribus est serviendum: omnes, qui aliquid scire videntur, tanquam domini, timentur. Judex verò quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? an non est omnis metus, servitus? Quid valet illa eloquentissimi viri, L. Crassi, copiosa magis, quam sapiens oratio? *Eripe nos ex servitute.* Quæ ista servitus, tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas, servitus est. *Nolite sinere nos cuiquam servire.* In libertatem vindicari vult? minime.

Quid enim adjungit? *Nisi vobis universis.* Dominum mutare, non liber esse vult. *Quibus & possumus & debemus.* Nos verò, siquidem animo excelso, & alto, & virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. Tu posse te dicito, quandoquidem potes; debere ne dixeris: quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat, quomodo Imperator esse possit; cum eum ne liberum quidem esse ratio, & veritas ipsa convincat.

IMITATIO.

In hac materia imitando facilè illam ornabis sententiam quod servire Deo, regnare sit; regnare in mundo servire.

VIII. Thesis.

An mors acerba senibus videri debeat? Cicero in Catone Maj.

A comparatione cum juvenibus, causisque & adjunctis.

Principio tradit senectutem non iccirco tristem esse, quod mors illi propinqua sit.

Probat 1. *Quia & adolescentibus sæpe moriendum. hoc miserioribus, quod mors illis incerta fuerit.*

2. *Quod juvenes sperant, ut diu possint vivere (quanquam nihil in hac vita sit diu) hoc jam senes possident.*

3. *Quod senes penè fabulam vitæ peregerint, & tanquam in exacto anno jam fructus laboris colligant.*

4. *Quod juvenes repugnante natura sæpe, senes quasi poma natura. sponte è vita discedant.*

5. *Quod senes mortis contemptu plerumque fortiori sint animo, ut Solon apud Pisistratum.*

Docet 6. *Meditatione mortis eandem minus nobis molestam accidere, quod non senum tantùm, sed & juvenum exemplo docet.*

7. *Cum nulla ætas præteritæ ætatis desiderio tangatur, cur id faciat senex, præsertim cum vitæ jam immortali sit propior.*

8. Im-

8. *Immortalem animum videri, ut mors illi timeri non debeat.*

9. *Tanta magni viri nunquam fecissent, nisi de immortalitate solliciti.*

10. *Quivis sapiens libenter moritur, & nolit cum Pelia ad primam ætatem recoqui, cum ex hac vita tanquam hospitio transeamus.*

11. *Concludit jure gaudendum, cum charissimis clarissimisq; viris in altera vita sociemus.*

Cato senex ad Scipionem & Lælium adolescentes.

Causa quæ maximè angere, atque solicitam habere nostram ætatem videtur, est appropinquatio mortis, quæ certè à senectute non potest longè abesse.

1. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa ætate non viderit! quæ aut planè negligenda est, si omnino extinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus æternus. Atqui tertium certè nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? Quanquam quis & tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? quin etiam ætas illa multò plures, quam nostra, mortis casus habet: facilius in morbos incidunt adolescentes: gravius ægrotant: tristius curantur: itaque perpauci veniunt ad senectutem. Quod ni ita accideret, melius & prudentius viveretur. mens enim, & ratio, & consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullæ omnino civitates essent.

2. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud est crimen senectutis, cum illud videatis cum adolescentia esse commune. Sensi ego tum in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem esse communem. At sperat adolescens diu se esse victurum; quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat: quid enim stultius, quàm incerta pro certis habere, falsa pro veris? At senex ne quod speret quidem habet. Est eò meliore conditione, quam adolescens; cum id quod speret ille, hic jam consecutus est,

ille vult diu vivere, hic diu vixit. Quanquam, ô Dii boni, quid est in hominis vita diu? da enim supremum tempus, exspectemus Tartessiorum Regis ætatem. Fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo est aliquid extremum, cum enim id advenit, tunc illud quod præteriit, effluxit; tantum manet id, quod virtute & rectè factis sis consecutus: Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni; nec præteritum tempus unquam revertitur; nec quid sequatur sciri potest.

3. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est, modo, in quocunque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad *plaudite*, veniendum. breve enim tempus ætatis satis est longum ad bene honesteque vivendum. Sin processeris longius: non magis dolendum est, quam agricolæ dolent, præterita verni temporis suavitate, æstatem, autumnumque venisse. ver enim, tanquam adolescentia, significat ostenditque vitæ fructus futuros: reliqua tempora de metendis fructibus, & percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est, ut sæpe dixi, ante partorum bonorum memoria & copia.

4. Omnia verò, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid autem est tam secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante & repugnante natura. Itaque adolescentes sic mihi mori videntur, ut cum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur; senes autem, sicut cum sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: quæ mihi quidem tam jucunda est, ut quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum, ex longa navigatione, esse venturus.

5. Senectutis autem nullus certus est terminus. rectèque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi, & tueri possis, & tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quàm adolescentia, & fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno, à Solone responsum est,

cum

cum illi quærenti, quâ tandem spe fretus, sibi tam audacter obsisteret, respondisse dicitur, senectute. Sed vivendi finis est optimus, cùm, integra mente, certisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ coagmentavit, natura, dissolvit. Ut navem, ut ædificium idem destruit facillimè, qui construxit: sic hominem eadem optimè, quæ conglutinavit, natura dissolvit. nam omnis conglutinatio recens ægrè, inveterata facilè divellitur. Ita fit, ut illud breve vitæ reliquum, tam avidè appetendum senibus, nec sine causa desertendum sit. Vetat Pythagoras, injussu Imperatoris, id est, Dei, de præsidio, & statione vitæ decedere. Soloni quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum & lamentis vacare. vult credo se esse carum suis, sed haud scio, an melius Ennius:

Nemo me lachrymis decoret, neque funera faxit.
Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur.

6. Jam, sensus moriendi, si quis potest esse, is ad exiguum tempus durat, præsertim seni: post mortem quidem sensus, aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest; moriendum enim certè est, & id, incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem times, qui poteris animo consistere? de qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recordarer non L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus: non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt; non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret; non duos Scipiones, qui iter Pœnis, vel corporibus suis obstruere voluerunt; non avum L. Paullum, qui morte suâ luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem; non M. Marcellum, cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis, honore sepulturæ carere passus est; sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum sæpe locum profectas, alacri animo erecto, unde esse nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, & ii quidem non solum indocti, sed etiam docti Rustici contemnunt, id docti senes extimescent?

7. Omnino

7. Omnino, ut mihi quidem videtur, *rerum omnium satietas vitæ facit satietatem.* Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & ineuntis adolescentiæ: num ea jam constans requirit ætas, quæ media dicitur? sunt etiam ejus ætatis: ne ea quidem à senectute quæruntur. Sunt extrema quædam studia senectutis. Ergo, ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. quod cum venit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam dicere. quod eò melius mihi cernere videor, quòd ab ea propius absum. Ego vestros Patres, Publi Scipio, tuque Caj Læli, viros clarissimos, mihi amicissimos, vivere arbitror, & eam quidem vitam, quæ est vita numeranda nam, dum sumus in his conclusi compagibus corporis munere quodam necessitatis, & gravi opere perfungimur.

8. Est enim cœlestis animus, ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatique contrariam. Sed credo Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique cœlestium ordinem contemplarentur, imitarentur eum vitæ modò, atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Philosophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque incolas penè nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vitæ die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset sapientissimus Oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio: cum tanta celeritas sit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem: cumque animus agitetur, nec principium motus habeat, quia ipse se moveat, nec finem quidem habiturum esse motus sui, quia nunquam se ipse sit relicturus: &, cum simplex animi sit natura, neque habeat in se quidquam admistum, dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi: quod si non possit, non posse interire.

9. Ne-

9. Nemo unquam mihi Scipio persuadebit, aut Patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paulum & Africanum, aut Africani Patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores, diurnos, nocturnosque domi, militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem & quietam, sine ullo labore, aut contentione, traducere? sed nescio quo modo animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, quasi cùm excessisset è vita, tum denique victurus esset. quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent: haud optimi cujusque animus maximè ad immortalitatis gloriam niteretur.

10. Quid, quòd sapientissimus quisque æquissimo animo morietur, stultissimus iniquissimo? non vobis videtur animus, is qui plus cernat, & longius, videre se ad meliora proficisci; ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi. Neque verò eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipse conscripsi. Quò quidem me proficiscentem haud sanè, quis facilè retraxerit, nec tanquam Peliam recoxerit, quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam: valde recusem. Nec verò velim quasi decurso spatio, ad carceres à calce revocari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? sed habeat sanè: habet certè tamen, aut satietatem, & modum. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & ii docti, sæpè fecerunt nec me vixisse pœnitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem. Et ex vita ista discedo, tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis dedit, non habitandi locum.

21. O præclarum diem, cum ad illud divinorum animorum concilium cœtumque proficiscar; cumque ex hac turba, & colluvione discedam! proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, verùm etiam ad Cato-

nem meum: quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus à me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum: animus verò non me deserens, sed respectans in ea profectò loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum; non quo æquo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans non longinquum inter nos digressum, & discessum fore.

IMITATIO.

Præclara & Christiano digna homine dissertatio hæc servire viris fortibus & Martyribus ad generosum mortis contemptum; alteriusq; etiam vitæ desiderium poterit. Tum etiam cæteris ad ferenda hujus vitæ incommoda immortali fine vitaque claudenda.

CAPUT XIX.

De Thesibus per locos argumentorum extrinsecos, majori studio ornatuque excultis.

UT in locis communibus, ita in Thesibus quoque utrorum locorum usus est, atque in his quidem tantò frequentior illustriorque, quantò rectius in ambiguis politicisque, aut ethicis etiam rebus ab usu atque experientia exempla deducuntur. Has igitur Theses, quæ illis potissimum locis exponerentur, seorsum dare placuit. Ne sine observato locorum ad inventionem spectantium discrimine, à lectoribus acciperentur.

I. Thesis

I. Thesis.

A contrarii inductione ingeniosè probata.

Socrates accusatus se rectè non defendit. Tyrius dissert. 39.

1. Factum Atheniensium exponitur, qui Socratem damnarunt, ultrò ad mortem concedentem.

2. Fingitur, Socratem se per defensionem opposuisse, atque hoc Philosopho indignum ostenditur futurum fuisse, apud tales Iudices, iniquos & imperitos.

Socratem Philosophum Melitus Athenis reum fecit, Anytus stitit Judici. Lyco accusavit, damnarunt Athenienses, vinxerunt undecimviri, interfecit tortor. Ille tamen & Melitum, qui intendit, & Anytum, qui detulit litem, & Lyconem, qui proposuit, audacter contempsit. Sed & decretum Atheniensium decreto suo, & mulctam mulcta elisit. Ille & undecimviris cum vinciretur, corpus (minus enim unius, quàm plurimorum potuit) præbuit: animam verò neutiquam, quæ sola omnibus erat Atheniensibus superior. Ille nec tortori indignari potuit, nec venenum difficulter admisit: cumque invito damnaretur populo, ipse non invitus decessit. Quæ quidem ex eo patent, quod cum mulctâ redimere litem potuerit, aut clam effugere, mortẽ prætulit. Paulò verò invito ad id factum esse, vel ex eo compertum est, quod factum damnarunt protinus. Quo quid evenire judicibus potest stultius.

2. vin' igitur ulterius videamus, rectenè id à Socrate factum sit, an secus? quid si igitur ad nos veniret aliquis, qui narraret, Athenis fuisse hominem, ætate provectum, professione Philosophum, fortunâ pauperem, indole eximium, eloquentiâ magnum, mentis acumine majorem, vigilem, sobrium, qui nec temerè quicquam egisset, nec verbum ullum effutisset: eundem postquam diu inter homines vixisset, nec ullus esset in tota Græcia indolis homo eximiæ, quem non in admirationem rapuisset sui, sicut è Diis ipsum Apollinem; tamen cum invidia paulatim & indignatione, eoque quo pleraque mortalium gens laborat

honestatis odio, multi in eum insurgerent, ex theatro Aristophanes, è Sophistis Anytus, è Sycophantis Melitus, ex Oratoribus Lyco, quorum hic in Comœdia tangebat hominem, ille litem intendebat, tertius nomen deferebat, quartus accusabat, reliqui omnes judicabant: hic ita se gessit, ut primo in Aristophanem inveheretur, mediaque in Atheniensium Urbe ipsis Dionysiis, ebriis adhuc judicibus, comicis contra conviciis hominem proscinderet. Illinc in judicium se contulit, ubi verbis cum adversariis velitatus est, prolixaque oratione causam suam ea egit arte, quæ non difficulter à calumniis judicum averteret animos. Nam & ad captandam curiæ benevolentiam exordia direxit, & fidem faciendam narrationes, signis verò argumentisque, & similibus rationibus, quod vellet, demonstravit. Testes etiam opulentissimos, quorum res fidesque spectata esset judicibus, in medium adduxit: tum suppliciis, precibus, obsecrationibus orationem conclusit, neque non lachrymas, sicubi esset opus, effudit. Xantippen postremò ejulantem adduxit, quæ infantes judicibus vagientes ostenderet. Quibus omnibus cum animos coronæ tractaret, miserti absolverunt hominem ac dimiserunt. Præclarum Hercules Victorem! Recta videlicet illinc in Lyceum, aut Academiam, reliquosque Philosophorum hortos, læto hilarique se contulisset vultu: non secus, quàm ex hiberna tempestate redeunt superstites. Quomodo autem ferre hunc viri reditum, philosophia potuisset? Non magis quam Athletam sine sudore, sine pulvere, sine ictibus, aut vulnere è stadio cum corona, redeuntem, nec ullum pulcræ virtutis præ se vestigium ferentem, unguento tamen delibutum, palæstræ præfectus. Quare iis autem Atheniensibus causam probare suam conatus esset Socrates? tanquam judicibus? at injusti erant. Tanquam viris bonis? at improbi erant. Tanquam prudentibus? at dementes erant. Tanquam benevolis? at succensebant Socrati. Tanquam similibus? at dissimillimi erant. Tanquam melioribus? at deteriores erant. Tanquam deterioribus? at quando unquam deteriori causam suam probare conatus est melior? Quid autem pro se tulisset? Philosophum se negasset? mentitus esset. Philosophum se confessus esset? Hoc ipsum erat, cur succenserent. Sed ponamus nihil horum ab eo dicendum

dum fuisse, sed diluendum solummodo crimen. Falsum esse nempe, quod aut juventutem corrumperet, aut Deos novos induceret. At quis imperito artis ea persuadeat, quæ sine arte ea, cognosci non possunt? Unde etiam ea Atheniensibus peritia, ut quæ sit corruptela juventutis, quæ virtus, possint assequi? Quis sit Deus, quo pacto colendus? Nec enim curant mille illi judices, quos faba creavit: nihil de his Solon scripsit, nihil de his venerandæ illæ Draconis præcepere leges. Sed in jus vocare, deferre, accusare, rationem facti exposcere, juramentum calumniæ exigere, aut præstare, aliaque ejusmodi, hæc sunt, de quibus curia, quam ibi Heliæam dicunt, pronuntiat.

IMITATIO.

Laus hic Christiano in Martyrum constantia extollendæ campus imitandi patet; si vel Martyrem Ignatium, vel Laurentium, vel D. Catharinam philosophiæ, & eloquentiæ instructam artibus, fortitudinis tamen gloria potissimum eminentem, exornes.

II. Thesis.

Sitne Senectus ob virium imbecillitatem aspernanda? Cicero in Catone Maj.

A comparatione & adjunctis.

Negat Cato apud Cicer. ictirco aspernandum.

Probat 1. *Quia laudabilius putat ingenio excellere, cum Pythagora, quam cum Pontio & Milone viribus. Quanquam & vires exercitatione, & temperantia ad senium produci possint, ut Rex Massanissa Scipionis quondam hospes fecit.*

Prob. 2. *Quod vires magnæ ad senum officia non requirantur, & si prorsus imbecillæ sint, naturæ etiam in adolescentibus, non solius ætatis vitium esse.*

3. Docet, *Senectutis defectum, moderanda vivendi ratione, ne succumbat corpus, & honesta mentis exercitatione, ne languescat animus, corrigi posse, quod Appium, licet cæcum, se verò etiam jucunda studiorum pertractatione, facere asserit.*

Cato ſenex ad Scipionem & Lælium adoleſcentes.

Nunquam ſum aſſenſus illi veteri laudatoque proverbio; *quod monet, maturè fieri ſenem, ſi diu velis ſenex eſſe.* Ego verò me minus diu ſenem eſſe mallem, quam eſſe ſenem, antequam eſſem. Itaque nemo adhuc convenire me potuit, quin fuerim occupatus.

At minus habeo virium, quam veſtrum utervis. Nec vos quidem T. Pontii Centurionis vires habetis. num iccirco eſt ille præſtantior? moderatio modo virium adſit, & tantum, quantum poteſt, quiſque nitatur: næ ille non magno deſiderio tenebitur virium. Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cum humeris ſuſtineret, utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? denique iſto bono utare, dum adſit; cum abſit, ne requiras. Niſi fortè adoleſcentes pueritiam, paullulum ætate progreſſi adoleſcentiam debent requirere. Curſus eſt certus ætatis, & via una naturæ, eaque ſimplex, ſuaque cuique parti ætatis tempeſtivitas eſt data. Ut enim infirmitas puerorum eſt, ferocitas juvenum, gravitas jam conſtantis ætatis: ſic ſenectutis maturitas naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hoſpes tuus Maſſaniſſa, quæ faciat hodie, nonaginta annos natus; cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omninò non aſcendere; cum equo, ex equo non deſcendere; nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite aperto ſit: ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem; itaque exequi omnia regis officia & munera. Poteſt igitur exercitatio, & temperantia in ſenectute etiam aliquid conſervare priſtini roboris.

Non ſunt in ſenectute vires, nec poſtulantur quidem vires à ſenectute. ergo & legibus & inſtitutis vacat ætas noſtra muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri. Itaque non modò, quod non poſſumus; ſed ne quantum poſſumus quidem, cogimur. At jam multi ſunt imbecilli ſenes, ut nullum officii, aut omninò vitæ munus exſequi poſſint. At id quidem non proprium ſenectutis eſt vitium, ſed commune invaletudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius, is, qui te adoptavit? quam tenui, aut nulla potius valetudine? quod niſi ita feciſſet, alterum ille extitiſſet lumen civitatis. ad paternam

nam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, cum ne id quidem adolescentes effugere possint?

Resistendum Læli & Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentiâ compensanda sunt: pugnandum, tanquam contra morbum, sic contra senectutem: habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec verò corpori solùm subveniendum est, sed menti, atque animo multò magis. nam hæc quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguuntur senectute. & corpora quidem exercitationum defatigatione ingravescunt: animi autem, exercendo levantur. nam, quos ait Cæcilius Comicus, stultos senes, hos significat credulos, obliviosos, dissolutos. quæ vitia sunt, non senectutis, at inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis; ut petulantia, ut libido magis est adolescentium, quàm senum; nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia quæ deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat, & senex, & cœcus. Intentum enim animum, tanquam arcum, habebat; nec languescens succumbebat senectuti: tenebat non modò auctoritatem; sed etiam imperium in suos: metuebant eum servi, verebantur liberi, carum omnes habebant, vigebat in illa domo mos patrius, & disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini mancipata est, si usque ad ultimum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo aliquid senile, sic senem, in quo aliquid est adolescentis, probo, quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit. Septimus mihi liber Originum est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo; causarum illustrium quascunque defendi, nunc quam maximè orationes conficio: jus augurum, Pontificum, civile tracto: multis etiam Græcis literis utor: Pythagoreorumque more, exercendæ memoriæ gratia, quod quoque die dixerim, audiverim, egerim, commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis: in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnoperè desidero; adsum amicis: venio in senatum frequens; ultro-

que affero res multum & diu cogitatas, easque tueor animi, non corporis viribus. quæ si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret, ea ipsa cogitantem, quæ jam agere non possem: sed, ut possem, facit acta vita. Semper enim in his studiis, laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu ætas senescit, nec subitò frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

IMITATIO.

In descriptione ac laudibus senectutis, tum verò earum occupationum, quæ animi sunt, si cum corporis occupationibus conferatur. aut senis alicujus encomio, e. g. Caroli Quinti, imperio sese abdicantis atque ad solius animi studia transferentis, hic locus idoneus erit.

III. Thesis.

Tam voluptatis, quàm secundæ fortunæ satietas est.
Tyrius Differt. 35.

Ab exemplis potissimum.

1. *Homo, qui nihil adversi experitur, ipsam denique admittit, & fastidit voluptatem.*

2. *Maximi quique Heroum adversa magis, quàm secunda fortuna claruerunt.*

1. Ut ad portum navigaturus gubernatorem tibi eligis, non qui tempestatem ullam, nullos unquam fluctus vidit; sed qui multis ex periculis, longaque malorum experientia paulatim sibi comparavit artem; ita & ego Imperatori minus fido, qui nunquam adversis casibus jactatus est, longaque felicitate ebrius, nihil tulit metuendum, ut fortunæ Crœsi diffidit Solon, Polycratis sorti Amasis. Terram equis abundantem Crœsus, navibus instructum mare possidebat Polycrates; quorum nihil diuturnum fuit, non terra Crœso, non Polycrati mare: Polycratem enim intercepit Orontes, Crœsum Cyrus. Ita felicitatem longam, malorum gravis excepit series: Quocirca neque Crœsum judicabat felicem esse Solon; cum esset

esset sapiens: neque Amasis adhæsit Polycrati, cum periculum subterfugeret. Sic & ego vitam approbo, quæ adversam gustavit fortunam, sed gustavit tantum.

Ipsa modo tinxit labia arescente palato.

Quæ virtutem habet, eaque utatur, quoties fortuna invitum petit, sic inter omnes colores, qui maximè clarus est, maximè delectat oculos, nisi tamen fuscum conjungas, magnam illi voluptatis detrahis partem. Ita si secundis rebus misceas adversa, magis virtutem advertes, magis felicitatem senties. Sitis voluptatem bibendi commendat homini, fames voluptatem edendi commendat, nox oculis desiderium solis commendat. Optat homo noctem post solem, famem cum satur est, sitim cum ebrius, quod si demas hanc vicissitudinem, voluptas, quæ fuerat, fit dolor. Sic & Artaxerxes Rex Persarum dicitur, præ voluptate nimia continuaque, in qua versatus erat pace, felicitatem aliquamdiu ne vidisse quidem suam. Cui epulum parabat tota Asia, potum præbebant fluvii omnes pulcerrimi, vitæ inserviebant artes plurimæ. Verùm postquam è mari bellum illi est exortum cum decem Græcorum millibus, fortissimisque congressus Imperatoribus, victus in colliculum quendam profugit: in quo noctu cum quievisset, tum primum sitire cœpit homo miserrimus. Ubi non Choaspen suum habebat, non Tigrin, non Nilum, non pocula aut pincernas. Hic illi satis fuit, quod à Mardo homine aquæ corruptæ utrem acciperet: ac tum demum scire infelicissimus potuit mortalium, quis voluptatis sit usus, quid suaviter sit vivere.

2. Ergone voluptatis aliqua erit satietas, secundæ fortunæ non erit? est, ut arbitror, quàm aut cibi ullius, aut vini gravior. Nec enim otiari Achilles potuit, nec silere Nestor, nec periculis carere Ulysses. Licebat enim in pace vivere Achilli, Myrmidonibusque imperare; Thessalam terram colere, Pelei fovere senectutem, Nestori rursus in Pylo præesse suis sine bello, seniumque otiosè transigere. Domi Ulyssi circa frondosum Neritum, in terra, quam *felicem juvenum nutricem* Homerus vocat, manere: Aut in umbroso postremum irriguoque Calypsus antro, famulantibus undique Nymphis, mortis seniique ignaro vitam ducere. Sed nec immortalis esse ea lege voluit, ut otiosus esset, aut virtutem suam nusquam exhiberet. Necesse enim est hac, qui uti cœpit

ſemel, ſæpe in mediis, quibus humana obnoxia eſt vita, caſibus exclamet.

Hoc quoque ſuſtineas cor: nam graviora tuliſti.

Quam autem Ulyſſi formam relinquis, miſeriam ſi demis? quam Achilli, ſi Hectorem, ſi Scamandrum, ſi

Mœnia bis ſex capta mari.

Undecimque urbes, quas in terra? Herculem non aliunde, quam è media cum periculis lucta ſuſtulerunt, Jovique adſcripſerunt homines. Cui feras ſi demas, & tyrannos, ſi plurima illa ſurſum deorſumque itinera, & adverſa omnia, Herculis virtutem mutilaſti. Atqui Olympicis Pythiiſque ludis Oleaſtrum nemo, nemo malum conſequitur, qui ſolus ſecum in pulvere decertaverit; ſed adverſario prius opus eſt, ut præconis voce victor declareris. In hoc verò vitæ ſtadio, hoc in certamine, quem bono viro adverſarium dabis, præterquam adverſæ fortunæ guſtum? Agedum athletas noſtros in ſtadium vocemus. Age, quinam Athenis? Socrates, qui cum Melito, cum vinculis, cum veneno luctaturus eſt. Quis ex Academia? Plato, qui cum tyranni ira, cum mari multo, cum maximis periculis. Veniat & alius athleta Atticus, qui cum Tiſſaphernis perjuriis, cum Ariæi inſidiis, cum proditione Menonis, & occultis regiis decertet conſiliis. Volo è Ponto adveniat Athleta, & quidem ad certamen maximum, maximoſque adverſarios; paupertatem dico, infamiam, famem, friguſque. Ego verò & exercitia ejus laudo.

Corpus ſponte ſibi laniavit verbere multo,
Injiciens pannos humeris.

Nec difficulter propterea vicit. Quapropter coronam viris defero, victoreſque eos in virtutis certamine præconio meo proclamo. Quod ſi mala illis, cum quibus luctantur, dempſeris, coronam illis demis, demis prius præconium. Deme Athenienſib⁹ velocem illum ad Marathonem curſum mortemque, quam oppetiere ibi: & Cynægiri manum, & Polyzeli cladem, & Callimachi vulnera, nihil præclarum Athenienſibus relinquis: niſi fortè Erichthonium, aut Cecropem, fabulas meras, ne fide digna nomina. Hanc ob cauſam quam diutiſſimè ſalva libertas ſua Spartanis conſtitit, quod ne pace quidem otiantur. Habes etiam tum flagra, habes plagas Laconicas, magnumque malorum agmen, virtutibus immiſtum.

IMITA-

IMITATIO.

Imitaturo serviet, si otiosa etiam vita magnum esse fastidium doceat; aut contra in constanti virtutum usu diuturnum nullum fastidium obrepere contendat, vel etiam si mutatu exemplis in eadem de fortuna vicissitudine thesi persistat.

IV. Thesis.

Voluptatis ac sapientiæ studium minimè conveniunt, Tyrius diss. 34.

Similibus variis probatur.

1. *Verum in ipsa etiam Philosophia, obpugantes rationes invenire difficile est.*

2. *Philosophia vera, contra Epicurum, voluptatem respicit.* Similis Spartiatæ *& forti* duci.

3. *Voluptas Rationi imperans* Tyranno *insatiabili* similis *est, qualis Xerxes Rex fuit. tum* Tantalo *semper sitienti*, & mendico *plus quam Homerico.*

4. *Si fingatur homo omni voluptate affluens, adhuc defuturum est felicitati.*

5. *Cum mens hominis cœlestis, corpus terrenum sit, qui huic vacant, meritò* Centauris & Chimæris similes *habentur.*

1. Veram invenire rationem est difficile. Plerumque enim id evenit homini, ut quo fœcundiore sit ingenio, eo minus valeat judicio. Et reliquæ quidem artes, in iis circa quæ versantur singulæ, cum ipso progressu plura semper inveniunt quotidie. Philosophia quo plus proficit, eò contrariis magis, ambiguisque abundat argumentis. Non aliter quam agricolæ, qui instrumenta cum habent plurima, minus fœcundo tamen agro utuntur. Et civilia quidem judicia, sententiæ judicum ac corona, tum pigmenta oratorum populique dirigunt suffragia. Hic verò quis nobis judex erit, quâ tandem verum à falso distinguemus sententia? Ratione? at nullam invenies, cui non dari possit contraria. Affectione

Parum fidum narras judicem. Multitudine? plures hic indocti sunt. Opinione? Deterioribus favet illa. Ecce tibi, vel in hoc ipso, de quo agimus, cum voluptas inter se virtusque contendant, atque inter se componantur; nonne & vi sua virtute ejicit voluptas, & opinione vulgi superior evadit, & numero vincit testium, & vehementius afficit? Illud vero quod restat, in quo omni virtuti est præsidium, ipsa ratio, non minus secatur, non minus dividitur, nec raro suum voluptati defert patrocinium. Invenies aliquem, qui ornatè pro voluptatibus dicat, virtutem vituperet; & quod dici solet, à viris ad fœminas transferat imperium. Simulque & habitum mutet Philosophi, & retineat nomen. Relinque mi homo, una cum oratione tua & nomen: ipsa fundamenta evertis.

2. Nihil Philosophiæ cum voluptate est commune. Alius est voluptatis, alius sapientiæ studiosus. Distincta sunt nomina, distincta sunt opera, distinctum est genus. Sicut aliud est Laconium, quam Atticum, aliud Barbaricum, quàm Græcum. Si enim Spartiatam te esse dicas, aut Græcum, aut Doricum, aut Heracliden, & tiaram tamen admireris Medicam, aut mensam Barbaricam, aut essedum Persicum, jam ad Persas deficis, transis ad Barbaros: Pausaniam exuisti, Medus es, es Mardonius. Depone & nomen cum genere, & vulgus quidem cum voluptatem laudant, facilè ferre possum. Animus enim illis illiberalis est, rectæque rationis penitus ignarus: cujus miseriam deplorare, cujus ignorantiæ possis ignoscere. Epicuri verò nomen cum recordor, ferre hominem non possum. Nec enim Philosophiam admitto, quæ lasciviat. Sicut Imperatorem non fero, stationem qui deserat, tantumque in fuga dux sit, nec agricolam, qui segetes suas incendat, nec gubernatorem, qui marinos metuat fluctus. Navigare oportet, imperare oportet, terram colere oportet. Laborum plena hæc sunt omnia. Nihil quod pulchrum, quod honestum sit, ab ignavia producitur.

3. Quod si ea, quæ honesta sunt, voluptates dicas sequi, concedam: sequantur; dummodo ubique præcedat honestas:

——— *Rex unicus esto*
Et dominus, cuicumque dedit ———

Jupiter ut regnum gerat. Nam si ordinem confundas, ut im-

ut imperet voluptas, morem gerat ratio; durum animo tyrannum & inexorabilem præficis. Cui ubique & sine excusatione ulla serviendum est: etiam cum fœda & injusta imperat. Quem enim voluptati terminum præscribes? à cupiditatum licentia sibi vires reassument; insatiabilis hic tyrannus est, qui, & quæ adsunt, despicit, & quæ non adsunt, desiderat: qui & abundantia accenditur, & spe erigitur, nimiaque lascivit copia. Hic tyrannus contra honestatem irritat turpitudinem, contra justitiam armat injustitiam. Nihil enim est, quod facilius sibi satisfieri patiatur, quam corporis necessitas. Sitit aliquis? ubique fontes sunt: esurit aliquis? ubique fagi sunt. Sol ille, quem vides, quavis penula calidior est. Hæc prata quovis spectaculo amœniora sunt. Hi flores genuinum odoris oblectamentum sunt. Et hactenus quidem voluptati præfigi potest terminus: ipse nimirum usus. Quem si semel transcenderis, longiusque processeris, liberum voluptati cursum, nullisque definitum spatiis concedis, virtutemque penitus intercludis. Hoc est, quod plus habendi semper sitim excitat, hoc est, quod tyrannides creat. Sicut nec regio angusta Pagasardæ Persarum Regi, neque Cyri sufficit nasturtium: verum universa voluptatibus illius vectigalis est Asia. Nisœos illi equos alit Media, meretriculas Græculas Ionia, barbaros Eunuchos educat Babylon: artes cujuscunque generis subministrat Ægyptus, ebur suum Indi, odores Arabes. Ne ipsi quidem nihil voluptatibus illius suppeditant fluvii. Pactolus aurum, triticum Nilus, aquam præbet Choaspes. Quid? quod ne hæc quidem illi sufficiunt, quin peregrinas amare incipit voluptates? Atque eo fine Europam petit, Scythas persequitur, Pæones evertit, Eretriam capit, navibus Marathonem invadit, ubique oberrat denique. O deplorandam in homine paupertatem! Quis enim pauperior illo esse potest, qui nunquam concupiscere desinit? Animus enim humanus, cum semel ultra quam flagitat necessitas, voluptates gustaverit, priora semper negligit, optat nova. Ut revera Tantali de hoc mutato nomine narretur fabula. Quid enim aliud est, quam perpetua sitis ejus hominis, quem explere voluptas non potest? quid aliud, quàm cupiditatum aqua, quæ fluit semper, aut refluit: quæ tristissimis semper imbuuntur curis, tumultu ac metu. Si adsit, times ne non veniat. Ut eum, qui hæc se-

ctetur

ctetur, nec ullas sentire voluptates sit necesse, perpetuaque in confusione rerum & ambiguitate versari. Jam cogita, quem qualemque animo præficias tyrannum. Ut si Critiam loco Solonis Atheniensibus, ut si Pausaniam loco Lycurgi præficias Lacedæmoniis. Ego enim, qui libertatem amo, lege opus, opus ratione habeo. Hæc erectam immobilemque felicitatem mihi, sine metu ullo, nullius indignam auxilii. Non dejectam animo, non quæ illiberalibus se submittat artibus: à quibus tanquam rem magnam, paulatim voluptatem emendicet suam. Non frustum panis tantùm, ut mendicus ille Homericus, mehercules.

Non enses magnosque lebetes.

Solùm, sed quæ etiam his absurdiora sunt. Obsonium à Mithæco videlicet, vinum à Sarambo, citharam à Canno, cantum à Milesia. Et quis erit horum modus, quis felicitatis ejus, quæ ex voluptate oritur, terminus? ubi tandem consistemus? cui deferemus præmium? Quis tam beatus ille, tam vigil, tam industrius, quem nec noctu, nec interdiu ulla lateat, aut prætereat voluptas? Qui omnem animum, omnes sensus, non aliter quam flagella sua marinus polypus, eo intendit ut omnes simul, quæ ubique sunt, attrahat voluptates.

4 Fingamus, si videatur, hominis, quem voluptatum beat felicitas, hujusmodi imaginem. Unum esse, qui eodem tempore colores videat jucundissimos, sonos audiat suavissimos, naribus odores percipiat gratissimos, succos gustet diversissimos, tepore foveatur jucundissimo, Veneræ rei sit intentus. Si enim spatium concedas intermedium, separesque voluptates; ac disjungas sensus, enervas voluptatem. Cujus enim juvat præsentia, ejus necessariò nocet absentia. Quis ergò tam firmus est animus, ut tantum voluptatis ferre possit impetum, quæ quietem nullam, respirationem admittat, nec minimam? Quis miserrimè cum hoc agi non intelligat, futurumque, ut otiari aliquando & vacare ipse desideret? quæ enim diutius perseverat voluptas, fit molestia. Quid ergo miserius ea esse voluptate potest, quæ commiseratione digna videtur? O Jupiter Diique reliqui patres artificesque terræ & maris, quæque vigent in illis, quodnam hoc est animal, cui hunc locum, hanc vitam tribuistis:

buistis: quam audax, quam temerarium, quam loquax! bonum non respicit, quod agendum est prætermittit, voluptatibus pascitur: sicut ducem populus, ita hanc sequitur.

Debuere nasci nunquam, vel conjugis expers.

Interire totum hoc genus: Si nihil voluptate à vobis majus poterit consequi. Quomodo autem non posset? respondeamus enim, cum Homero, pro Jove: Habet, inquam, habet mentem, habet rationem. Vita præterea ejus ex mortalibus constat, immortalibusque principiis. Estque tanquam animal in medio utriusque positum: quod ab humana quidem contagione corpus deducat, è divino autem fonte mentem. Jam corpori proprium est voluptas, menti ratio. Et corpus quidem cum brutis commune habet, peculiarem autem sibi mentem. Quare ibi quære bonum hominis, ubi ejus est operatio, ibi operationem, ubi instrumentum, ibi instrumentum, ubi ejus conservatrix pars est. Ab ea jam incipe. Utrum alterum conservat, corpus anima, an animam corpus? conservatricem invenisti partem. Quod animi instrumentum est? mens. Operationem quære. Quæ mentis operatio est? prudentia. Invenisti id quod bonum dicimus. Si quis verò hanc in homine partem, quæ prudentiæ capax est, qui Deum respicit, contemnat, fœdam illam alteram (corpus nimirum) voracemque, quæ voluptates curat, velit pascere, cui hunc dicimus esse similem? fabulæ huic mehercules. Fingunt in Thessaliæ Pelio fuisse homines Poëtæ, monstroso corpore, qui ab umbilico equi ponè attrahebant formam. In ejusmodi forma monstrosa necesse fuit belluinam una saginari partem: loqui quidem ut hominem, saginari autem ut belluam. Videre ut homines, coire ut belluas. Euge poëtæ poëtarumque filii, antiquæ generosæque Musæ primi parentes: quam manifestè nobis illud, quod voluptatibus nos conjungit, ostendistis vinculum. Simul ac enim belluinæ imperant animo libidines, formam quidem integram relinquunt, sui verò obsequio, eum, qui utitur, hominem in belluam convertunt. Hoc sibi Centauri volunt, hoc Gorgones, hoc Chimæræ, hoc Cecropes.

IMI-

fuit gravius unquam, nec majus otium, ita consiliis, diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quæ res igitur gesta est unquam in bello tanta? quis triumphus conferendus? licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas hujus gloriæ & factorum imitatio pertinet. mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompejus, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustrà se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in rep. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo domesticæ fortitudines non inferiores militaribus.

2. In quibus plures etiam, quam in his, operæ studiique ponendum est. Omninò enim illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen est corpus, & ita afficiendum, ut obedire consilio rationique possit, in exsequendis negotiis, & in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirim⁹, totum est positum in animi cura, & cogitatione. In quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reip præsunt, quàm qui bella gerunt. Itaque eorum consilio sæpe, aut non suscepta, aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata, ut M. Catonis consilio bellum tertium Punicum: in quo mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quàm utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quæsita videatur. Fortis verò animi & constantis est, non perturbari is rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; sed præsentis animi uti consilio, nec à ratione discedere. Quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit, in utramque partem; & quid agendum sit, cum quod evenerit; nec committere aliquid, ut aliquando dicendum sit, *Non putaram.* Hæc sunt opera magni animi, & excelsi, prudentiâ consilioque fidentis.

3. Temerè autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est; sed, cum tempus est, necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti turpitudinique anteponenda.

De

De evertendis autem, diripiendisque urbibus valde illud considerandum est, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat. Idque est viri magnanimi, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt; sic reperias multos, quibus periculosa & callida consilia, quietis cogitationibus splendidiora, & majora videantur. nunquam omninò periculi fuga committendum est, ut imbelles, timidique videamur: sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leviter curant; gravioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est; subvenire autem tempestati quavis ratione, sapientis, eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quàm addubitatâ mali. Periculosæ autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt; partim Reip. Itemque alii de vita, alii de gloria, de benevolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore & gloria, quam de cæteris commodis. Inventi autem multi sunt, qui non modò pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent; iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne rep. quidem postulante: ut Callicratides, qui cum Lacedæmoniorum dux esset, Pelopennesiaco bello, multaque fecisset egregiè, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit; Lacedæmonios classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse. Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris fuit; illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temerè cum Epaminonda conflixisset, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quantò Q. Maximus meliùs: de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus Urbanis.

nis. Sunt enim, qui quod ſentiunt, etiamſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

4. Omninò, qui Reip. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant; unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quidquid agunt, ad eam referant obliti commodorum ſuorum; alterum, ut totum corpus reip. curent; ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. ut enim tutela, ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt; non ad eorum, quibus commiſſa, gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Ex quo evenit, ut alii populares; alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur; pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ ortæ, in noſtra republica non ſolum ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia. Quæ gravis & fortis civis, in republica dignus principatu, fugiet atque oderit, tradetque ſe totum reip. neque opes, aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec verò criminibus falſis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita juſtitiæ, honeſtatique adhæreſcet, ut, dum eam conſervet, quamvis graviter offendat, mortem appetat potius, quam deſerat illa, quæ dixi. Miſerrima eſt omninò ambitio, honorumque contentio: de qua præclarè apud eundem eſt Platonem: ſimilier facere eos, qui inter ſe contenderent, uter potius remp. adminiſtrent, ut, ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimum gubernaret. Idemque præcipit, ut eos adverſarios exiſtimemus, & qui arma contra ferant; non eos, qui ſuo judicio tueri rempublicam velint: qualis fuit inter Publ. Africanum, & Q. Metellum ſine acerbitate diſſentio. Nec verò audiendi, qui graviter iraſcendi inimicis putant, idqud magnanimi & fortis viri eſſe cenſent. nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate, atque clementiâ. In liberis verò populis & juris æqualitate, exercenda etiam eſt facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne, ſi iraſcamur aut intempeſtivè accidentibus, aut impudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem, & odioſam incidamus. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reip. cauſa ſeveritas; ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. Omnis autem & animadverſio & caſtigatio contumelia vacare debet; neque ad ejus, qui punit

punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipubl utilitatem referri. Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa sit; &, ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maximè est ira in puniendo. nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis, & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam. Illa verò omnibus in rebus repudianda est, optandúmque, ut ii, qui præsunt Reipubl. legum similes sint: quæ ad puniendum, non iracundiâ, sed æquitate ducuntur. Atque etiam in rebus prosperis, & ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam magnoperè, fastidium, arrogantiámque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderatè ferre, levitatis est, præclaraque est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eademque frons: ut de Socrate, item de Cajo quoque Lælio accepimus. Philippum quidem, Macedonum Regem rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate & humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter sæpe turpissimus fuit. ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut, quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus. Panætius quidem Auditorem Africanum, & familiarem suum solitum, ait, dicere; ut equos, propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus possint uti: sic homines secundis rebus effrenatos, sibique præfidentes, tanquam in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque Fortunæ. Atque etiam in secundissimis rebus maximè est utendum consilio amicorum: hisque etiam major, quàm antè, tribuenda est auctoritas. Iisdemque temporibus cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus; in quo falli facilè est. tales enim nos putamus, ut jure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata; cum homines, inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis versantur erroribus.

5. Sed hæc quidem hactenus, illud autem sic est judicandum, maximas res geri, & maximi animi ab iis, qui Rempubl. gerant; quod eorum administratio latissimè pateat, ad plurimosque pertineat; esse autem magni animi, & fuisse etiam

nis. Sunt enim, qui quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

4. Omninò, qui Reip. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant; unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reip. curent; ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. ut enim tutela, sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt; non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam. Ex quo evenit, ut alii populares; alii studiosi optimi cujusque videantur; pauci universorum. Hinc apud Athenienses magnæ discordiæ ortæ, in nostra republica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia. Quæ gravis & fortis civis, in republica dignus principatu, fugiet atque oderit, tradetque se totum reip. neque opes, aut potentiam consectabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec verò criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita justitiæ, honestatique adhærescet, ut, dum eam conservet, quamvis graviter offendat, mortem appetat potius, quam deserat illa, quæ dixi. Miserrima est omninò ambitio, honorumque contentio: de qua præclarè apud eundem est Platonem: similier facere eos, qui inter se contenderent, uter potius remp. administrent, ut, si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. Idemque præcipit, ut eos adversarios existimemus, & qui arma contra ferant; non eos, qui suo judicio tueri rempublicam velint: qualis fuit inter Publ. Africanum, & Q. Metellum sine acerbitate dissentio. Nec verò audiendi, qui graviter irascendi inimicis putant, idqud magnanimi & fortis viri esse censent. nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate, atque clementiâ. In liberis verò populis & juris æqualitate, exercenda etiam est facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestivè accidentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem, & odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas; sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem & animadversio & castigatio contumelia vacare debet; neque ad ejus, qui

punit

punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipubl utilitatem referri. Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa sit; &, ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maximè est ira in puniendo. nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis, & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam. Illa verò omnibus in rebus repudianda est, optandumque, ut ii, qui præsunt Reipubl. legum similes sint: quæ ad puniendum, non iracundiâ, sed æquitate ducuntur. Atque etiam in rebus prosperis, & ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam magnoperè, fastidium, arrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderatè ferre, levitatis est, præclaraque est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eademque frons: ut de Socrate, item de Cajo quoque Lælio accepimus. Philippum quidem, Macedonum Regem rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate & humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter sæpe turpissimus fuit. ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut, quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus. Panætius quidem Auditorem Africanum, & familiarem suum solitum, ait, dicere; ut equos, propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus possint uti: sic homines secundis rebus effrenatos, sibique præfidentes, tanquam in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque Fortunæ. Atque etiam in secundissimis rebus maximè est utendum consilio amicorum: hisque etiam major, quàm antè, tribuenda est auctoritas. Iisdemque temporibus cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus; in quo falli facilè est. tales enim nos putamus, ut jure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata; cum homines, inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis versantur erroribus.

5. Sed hæc quidem hactenus, illud autem sic est judicandum, maximas res geri, & maximi animi ab iis, qui Rempubl. gerant; quod eorum administratio latissimè pateat, ad plurimosque pertineat; esse autem magni animi, & fuisse etiam

Parum fidum narras judicem. Multitudine? plures hic indocti sunt. Opinione? Deterioribus favet illa. Ecce tibi, vel in hoc ipso, de quo agimus, cum voluptas inter se virtusque contendant, atque inter se componantur; nonne & vi sua virtute ejicit voluptas, & opinione vulgi superior evadit, & numero vincit testium, & vehementius afficit? Illud verò quod restat, in quo omni virtuti est præsidium, ipsa ratio, non minus secatur, non minus dividitur, nec rarò suum voluptati defert patrocinium. Invenies aliquem, qui ornatè pro voluptatibus dicat, virtutem vituperet; & quod dici solet, à viris ad fœminas transferat imperium. Simulque & habitum mutet Philosophi, & retineat nomen. Relinque mi homo, una cum oratione tua & nomen: ipsa fundamenta evertis.

2. Nihil Philosophiæ cum voluptate est commune. Alius est voluptatis, alius sapientiæ studiosus. Distincta sunt nomina, distincta sunt opera, distinctum est genus. Sicut aliud est Laconium, quam Atticum, aliud Barbaricum, quàm Græcum. Si enim Spartiatam te esse dicas, aut Græcum, aut Doricum, aut Heracliden, & tiaram tamen admireris Medicam, aut mensam Barbaricam, aut essedum Persicum, jam ad Persas deficis, transis ad Barbaros: Pausaniam exuisti, Medus es, es Mardonius. Depone & nomen cum genere, & vulgus quidem cum voluptatem laudant, facilè ferre possum. Animus enim illis illiberalis est, rectæque rationis penitus ignarus: cujus miseriam deplorare, cujus ignorantiæ possis ignoscere. Epicuri verò nomen cum recordor, ferre hominem non possum. Nec enim Philosophiam admitto, quæ lasciviat. Sicut Imperatorem non fero, stationem qui deserat, tantumque in fuga dux sit, nec agricolam, qui segetes suas incendat, nec gubernatorem, qui marinos metuat fluctus. Navigare oportet, imperare oportet, terram colere oportet. Laborum plena hæc sunt omnia. Nihil quod pulchrum, quod honestum sit, ab ignavia producitur.

3. Quod si ea, quæ honesta sunt, voluptates dicas sequi, concedam: sequantur; dummodo ubique præcedat honestas:

——— *Rex unius esto*
Et dominus, cuicumque dedit ———

Jupiter ut regnum gerat. Nam si ordinem confundas, ut im-

ut imperet voluptas, morem gerat ratio; durum animo tyrannum & inexorabilem præficis. Cui ubique & sine excusatione ulla serviendum est: etiam cum fœda & injusta imperat. Quem enim voluptati terminum præscribes? à cupiditatum licentia sibi vires reassument; insatiabilis hic tyrannus est, qui, & quæ adsunt, despicit, & quæ non adsunt, desiderat: qui & abundantia accenditur, & spe erigitur, nimiaque lascivit copia. Hic tyrannus contra honestatem irritat turpitudinem contra justitiam armat injustitiam. Nihil enim est, quod facilius sibi satisfieri patiatur, quam corporis necessitas. Sitit aliquis? ubique fontes sunt: esurit aliquis? ubique fagi sunt. Sol ille, quem vides, quavis penula calidior est. Hæc prata quovis spectaculo amœniora sunt. Hi flores genuinum odoris oblectamentum sunt. Et hactenus quidem voluptati præfigi potest terminus: ipse nimirum usus. Quem si semel transcenderis, longiusque processeris, liberum voluptati cursum, nullisque definitum spatiis concedis, virtutemque penitus intercludis. Hoc est, quod plus habendi semper sitim excitat, hoc est, quod tyrannides creat. Sicut nec regio angusta Pagasardæ Persarum Regi, neque Cyri sufficit nasturtium: verum universa voluptatibus illius vectigalis est Asia. Nisæos illi equos alit Media meretriculas Græculas Ionia, barbaros Eunuchos educat Babylon: artes cujuscunque generis subministrat Ægyptus, ebur suum Indi. odores Arabes. Ne ipsi quidem nihil voluptatibus illius suppeditant fluvii. Pactolus aurum, triticum Nilus, aquam præbet Choaspes. Quid? quod ne hæc quidem illi sufficiunt, quin peregrinas amare incipit voluptates? Atque eo fine Europam petit, Scythas persequitur, Pœones evertit, Eretriam capit, navibus Marathonem invadit, ubique oberrat denique. O deplorandam in homine paupertatem! Quis enim pauperior illo esse potest, qui nunquam concupiscere desinit? Animus enim humanus, cum semel ultra quam flagitat necessitas, voluptates gustaverit, priora semper negligit, optat nova. Ut revera Tantali de hoc mutato nomine narretur fabula. Quid enim aliud est, quam perpetua sitis ejus hominis, quem explere voluptas non potest? quid aliud, quàm cupiditatum aqua, quæ fluit semper, aut refluit: quæ tristissimis semper imbuuntur curis, tumultu ac metu. Si adsit, times ne non veniat. Ut eum, qui hæc sectetur

buistis: quam audax, quam temerarium, quam loquax! bonum non respicit, quod agendum est prætermittit, voluptatibus pascitur: sicut ducem populus, ita hanc sequitur.

Debuere nasci nunquam, vel conjugis expers.

Interire totum hoc genus: Si nihil voluptate à vobis majus poterit consequi. Quomodo autem non posset? respondeamus enim, cum Homero, pro Jove: Habet, inquam, habet mentem, habet rationem. Vita præterea ejus ex mortalibus constat, immortalibusque principiis. Estque tanquam animal in medio utriusque positum: quod ab humana quidem contagione corpus deducat, è divino autem fonte mentem. Jam corpori proprium est voluptas, menti ratio. Et corpus quidem cum brutis commune habet, peculiarem autem sibi mentem. Quare ibi quære bonum hominis, ubi ejus est operatio, ibi operationem, ubi instrumentum, ibi instrumentum, ubi ejus conservatrix pars est. Ab ea jam incipe. Utrum alterum conservat, corpus anima, an animam corpus? conservatricem invenisti partem. Quod animi instrumentum est? mens. Operationem quære. Quæ mentis operatio est? prudentia. Invenisti id quod bonum dicimus. Si quis verò hanc in homine partem, quæ prudentiæ capax est, qui Deum respicit, contemnat, fœdam illam alteram (corpus nimirum) voracemque, quæ voluptates curat, velit pascere, cui hunc dicimus esse similem? fabulæ huic mehercules. Fingunt in Thessaliæ Pelio fuisse homines Poëtæ, monstroso corpore, qui ab umbilico equi ponè attrahebant formam. In ejusmodi forma monstrosa necesse fuit belluinam una saginari partem: loqui quidem ut hominem, saginari autem ut belluam. Videre ut homines, coire ut belluas Euge poëtæ poëtarumque filii, antiquæ generosæque Musæ primi parentes: quam manifestè nobis illud, quod voluptatibus nos conjungit, ostendistis vinculum. Simul ac enim belluinæ imperant animo libidines, formam quidem integram relinquunt, sui verò obsequio, eum, qui utitur, hominem in belluam convertunt. Hoc sibi Centauri volunt, hoc Gorgones, hoc Chimæræ, hoc Cecropes.

IMI-

IMITATIO.

Serviet in Salomonis reprehensione, qui solo voluptatis studio, in senio desipuit. aut laudibus D. Augustini, qui ad veram sapientiam, à voluptatibus se transtulit.

V. Thesis.

Laudabilius ne sit res bellicas, quam urbanas administrare?

Cicero pro se atque urbanis rebus sentit, l. 1. Offic.

Et rationem optimam belli gerendi administrandique Remp. ostendit, ab exemplis & attributis officiorum.

1. *Statuit, res urbanas clariores esse bellicis.* Probat 1. exemplis *legislatorum Solonis apud Athen. quem opponit Themistocli, Archistratego, & Lycurgi apud Lacedamonios, quem comparat Pausania & Lysandro belli Ducibus. denique & Romanos bellatores ejusdem urbis Consulibus componit, concluditque*, cedant arma togæ, *idque suo postremùm* exemplo *confirmat.*

2. Prob. 2. *Quod honesti ratio potissimum in animi cura consistat, & consilio eorum fere bella administrentur, qui Reip. domi præsunt. Vbi non minus fortis præsensque ad omnem casum animus, quàm in bello opus.*

3. *Ostendit quomodo & quando viro forti bellandum. pericula quidem ultro accersenda non esse; sed nec pro patria declinanda, cujus etiam commodis proprius honor posthabendus, quod malè Callicratides & Cleombrotus apud Græcos neglexit, bene Fab. Maximus apud Rom præstitit.*

4. *Reipub. bene administrandæ rationes explicat statuitque, non esse tantùm parti civium favendum, quod seditionem generat; non invidiæ, non ambitioni, non iræ succumbendum, non secundis rebus efferendum animum, nihil adulationi dandum.*

5. Con-

5. Concludit in Reip. cura, semotos à bello, quosdam etiam otiosos, magnitudinem animi declarare egregiè posse.

Cic. ad M. Fil.

1. Cum plerique arbitrentur res bellicas majores esse, quàm urbanas; minuenda est hæc opinio. multi enim bella sæpe quæsiverunt propter gloriæ cupiditatem: atque in magnis animis ingeniisque id plerumque contingit, eóque magis, si sunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Verè autem si volumus judicare, multæ res extiterunt Urbanæ majores, clarioresque, quàm bellicæ. Quamvis enim Themistocles jure laudetur, & sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius; citeturque Salamis clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis, &, quo primum constituit Areopagitas, non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur. & Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adjuverit: at ille adjuvit Themistoclem, est enim bellum gestum consilio senatus ejus, qui à Solone erat constitutus. Licet eadem de Pausania, Lysandroque dicere. quorum rebus gestis quanquam imperium Lacedæmoniorum dilatatum putatur: tamèn ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus, & disciplinæ conferendi sunt: quin etiam ob has ipsas causas & paratiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem, neque pueris nobis, M. Scaurus, C. Mario; neque cum versaremur in rep. Q. Catulus Cn. Pompejo cedere videbatur. parva enim sunt foris arma, nisi est consilium domi: nec plus Africanus, singularis & vir & imperator, in excidenda Numantia reip. profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, cum T. Gracchum interemit. quanquam hæc quidem res, non solum ex domestica est ratione: attingit enim & bellicam, quoniam vi, manuque confecta est. Sed tamen idipsum gestum est consilio urbano, sine exercitu. Illud autem optimum est, in quo me invadi solere ab invidis, & improbis audio:

Cedant arma togæ: concedat laurea linguæ.

Ut enim aliorum omittam, nobis remp. gubernantibus, nonne togæ arma cessêre? neque enim in repub. periculum

fuit

fuit gravius unquam, nec majus otium, ita consiliis, diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quæ res igitur gesta est unquam in bello tanta? quis triumphus conferendus? licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas hujus gloriæ & factorum imitatio pertinet. mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompejus, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustrà se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in rep. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo domesticæ fortitudines non inferiores militaribus.

2. In quibus plures etiam, quam in his, operæ studiique ponendum est. Omninò enim illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen est corpus, & ita afficiendum, ut obedire consilio rationique possit, in exsequendis negotiis, & in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirim9. totum est positum in animi cura, & cogitatione. In quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reip. præsunt, quàm qui bella gerunt. Itaque eorum consilio sæpe, aut non suscepta, aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata. ut M. Catonis consilio bellum tertium Punicum: in quo mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quàm utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quæsita videatur. Fortis verò animi & constantis est, non perturbari is rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; sed præsentis animi uti consilio, nec à ratione discedere. Quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit, in utramque partem; & quid agendum sit, cum quod evenerit; nec committere aliquid, ut aliquando dicendum sit, *Non putaram.* Hæc sunt opera magni animi, & excelsi, prudentiâ consilioque fidentis.

3. Temerè autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est; sed, cum tempus est, necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti turpitudinique anteponenda.

De

De evertendis autem, diripiendisque urbibus valde illud considerandum est, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat. Idque est viri magnanimi, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt; sic reperias multos, quibus periculosa & callida consilia, quietis cogitationibus splendidiora, & majora videantur. nunquam omninò periculi fuga committendum est, ut imbelles, timidique videamur; sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leviter curant; gravioribus autem morbis periculosas curationes. & ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est; subvenire autem tempestati quavis ratione, sapientis, eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quàm addubitatâ mali. Periculosæ autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt; partim Reip. Itemque alii de vita, alii de gloria, de benevolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore & gloria, quam de cæteris commodis. Inventi autem multi sunt, qui non modò pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent; iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne rep. quidem postulante: ut Callicratides, qui cum Lacedæmoniorum dux esset, Pelopennesiaco bello, multaque fecisset egregiè, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit; Lacedæmonios classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse. Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris fuit; illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temerè cum Epaminonda conflixisset, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quantò Q. Maximus meliùs: de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus Urba-

nis. Sunt enim, qui quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

4. Omninò, qui Reip. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant; unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus reip. curent; ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. ut enim tutela, sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt; non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam. Ex quo evenit, ut alii populares; alii studiosi optimi cujusque videantur; pauci universorum Hinc apud Athenienses magnæ discordiæ ortæ, in nostra republica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia. Quæ gravis & fortis civis, in republica dignus principatu, fugiet atque oderit, tradetque se totum reip neque opes, aut potentiam consectabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat Nec verò criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita justitiæ, honestatique adhæresecet, ut, dum eam conservet, quamvis graviter offendat, mortem appetat potius, quam deserat illa, quæ dixi. Miserrima est omninò ambitio, honorumque contentio: de qua præclarè apud eundem est Platonem: similier facere eos, qui inter se contenderent, uter potius remp. administrent, ut, si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. Idemque præcipit, ut eos adversarios existimemus, & qui arma contra ferant; non eos, qui suo judicio tueri rempublicam velint: qualis fuit inter Publ Africanum, & Q. Metellum sine acerbitate dissentio. Nec verò audiendi, qui graviter irascendi inimicis putant, idqud magnanimi & fortis viri esse censent. nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementiâ In liberis verò populis & juris æqualitate, exercenda etiam est facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestivè accidentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem, & odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas; sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem & animadversio & castigatio contumelia vacare debet; neque ad ejus, qui punit

punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipubl utilitatem referat. Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa sit; &, ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maximè est ira in puniendo. nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis, & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam. Illa verò omnibus in rebus repudianda est, optandúmque, ut ii, qui præsunt Reipubl. legum similes sint: quæ ad puniendum, non iracundiâ, sed æquitate ducuntur. Atque etiam in rebus prosperis, & ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam magnoperè, fastidium, arrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas immoderatè ferre, levitatis est, præclaraque est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus, eademque frons: ut de Socrate, item de Cajo quoque Lælio accepimus. Philippum quidem, Macedonum Regem rebus gestis, & gloria superatum à filio, facilitate & humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter sæpe turpissimus fuit. ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut, quanto superiores simus, tanto nos submissius geramus. Panætius quidem Auditorem Africanum, & familiarem suum solitum, ait, dicere; ut equos, propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exsultantes, domitoribus tradere soleant, ut his facilioribus possint uti: sic homines secundis rebus effrenatos, sibique præfidentes, tanquam in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque Fortunæ. Atque etiam in secundissimis rebus maximè est utendum consilio amicorum: hisque etiam major, quàm antè, tribuenda est auctoritas. Iisdemque temporibus cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus; in quo falli facilè est. tales enim nos putamus, ut jure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata; cum homines, inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis versantur erroribus.

5. Sed hæc quidem hactenus, illud autem sic est judicandum, maximas res geri, & maximi animi ab iis, qui Rempubl. gerant; quod eorum administratio latissimè pateat, ad plurimosque pertineat; esse autem magni animi, & fuisse etiam

in vita otioſa, qui aut inveſtigarent aut conarentur magna quædam, ſeſeque ſuarum rerum finibus continerent; aut interjecti inter philoſophos, & eos qui Rempubl. adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerans, neque excludentes ab ejus uſu ſuos, potiuſque & amicis impartientes, & reipub. ſi quando [...]ius eſſet. quæ primum bene parta ſit, nulloque turpi quæſtu, neque odioſo: tum, quam plurimis, modò dignis, ſe utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentiâ, parſimoniâ: nec libidini potius luxuriæque, quàm liberalitati & beneficentiæ pareat. Hæc præſcripta ſervantem licet magnificè, graviter, animoſeque vivere, atque etiam ſimpliciter, fideliter, vitæque hominum amice.

IMITATIO.

Serviet primò quidem in politica inſtructione, quâ alicui ratio bene remp. adminiſtranti oſtenditur. Deinde & in laudibus eorum, qui non minus domi in pace, quàm foris in bello claruêre, in quibus Octavius Auguſtus, Carolus etiam Quintus Imperator Rom aliique cenſeri poſſunt.

VI. Confirmatio Theſis cum Refutatione oppoſiti. *Cic. l. 3. Offic.*

In negotiis utilitatem ab honeſtate ſejungi ſine ſcelere non poſſe.

Ariſtidis & Antipatri Stoici, contra Diogenem Magiſtrum, ſententiâ, exemplis *veris fictiſque: tum inprimis Pythii Canium emptorem fallentis oſtendit, turpe eſſe utilitatem ſine honeſtate ſectari.*

Cicero ad M. fil.

1. Themiſtocles poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere conſilium Reip. ſalutare, ſed id ſcire opus non eſſe. Poſtulavit, ut aliquem populus daret, qui cum eo communicaret. Datus eſt Ariſtides; huic ille; claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gythæum, clam

clam incendi posse: quo facto frangi Lacedæmoniorum opes necesse esset. Quod Aristides, cum audivisset, in concionem magna exspectatione venit, dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles daret, sed minimè honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, nec utile quidem putarunt, totamque eam rem, quam ne audiverant quidem autore Aristide repudiarunt. Melius hi, quàm nos, qui piratas immunes, socios vectigales habemus. Maneat ergo, quod turpe sit, id numquam esse utile; nec tum quidem, cum id, quod esse utile putes, adipiscare. Hoc enim utile putare, quod turpe sit, calam tosum est

2. Sed incidunt sæpe causæ, cum repugnare utilitas honestati videatur: ut animadvertendum sit; repugnetne planè, an possit cum honestate conjungi: Ejus generis hæ sunt quæstiones, si, exempli gratia, vir bonus ab Alexandria profectus Rhodum magnum frumenti numerum advexerit, in Rhodiorum inopia & fame, summaque Annonæ caritate si idem sciat complures mercatores ab Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit; dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quamplurimum venditurus? sapientem & bonum virum fugimus, de ejus deliberatione & consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, an turpe non sit? In hujusmodi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno & gravi Stoico, aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro, omnia patefacienda; ut ne quid omnino, quod venditor nôrit, emptor ignoret; Diogeni venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cætera sine insidiis agere, & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere. Advexi, exposui; vendo meum non pluris, quam certi, fortasse etiam minoris, cùm major est copia: cui fit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. Quid agis? tute cum hominibus consulere debeas, & servire humanæ societati; atque lege natus sis, ut ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ semper sequi debeas; ut utilitas tua, communis utilitas sit; vicissim & æquè communis utilitas, tua sit: celabis homines quid iis adsit & commoditatis & copiæ: Respondit Diogenes fortasse sic; aliud celare, aliud est tacere. neque ego, nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura Deorum

 sit,

ſit, quis ſit finis bonorum, quæ plus tibi prodeſſent cognita, quam tritici vilitas. Sed non, quidquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt; ſiquidem inter homines natura meminiſti conjunctam ſocietatem. Memini, inquit ille; ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum, cuique ſit? Quod ſi ita eſt, nec vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum. Vides in hac tota diſceptatione non illud dici; quamvis hoc turpe ſit, tamen quoniam excedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit; ex altera autem parte, ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum.

3. Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres; ignoretur, in omnibus cubilibus apparere ſerpentes: malè materiatæ, ruinoſæ; ſed hoc præter Dominum nemo ſciat. quæro, ſi hoc emptoribus venditor non dixerit, ſedeſque non vendiderit, pluris multò, quàm ſe venditurum putarit; num id juſtè, an improbè fecerit? Ille verò, inquit, Antipater, improbè facit quid enim eſt aliud, erranti viam non monſtrare (quod Athenis exſecrationibus publicis ſancitum eſt) ſi hoc non eſt, emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam eſt, quam viam non monſtrare. nam eſt ſcientem, in errorem alterum, inducere. Diogenes contra: Num te emere coëgit, qui ne hortatus quidem eſt? ille, quod non placebat, proſcripſit: tu, quod placebat, emiſti. Quod ſi, qui proſcribunt villam bonam, ut ipſi aſſerunt, beneque ædificatam, non exiſtimantur fefelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione, multò minus, qui domum non laudarunt. ubi enim judicium emptoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? ſin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum non eſt, id præſtandum putas? quid verò ſtultius, quam venditorem ejus rei, quàm vendat, vitia narrare? quid autem tam abſurdum, quam, ſi domini juſſu ita præco prædicet; *domum peſtilentem vendo*? ſic ergo in quibuſdam cauſis dubiis ex altera parte defenditur honeſtas: ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo honeſtum facere ſit, ſed etiam, non facere turpe.

4. Hæc eſt illa, quæ videtur utilium fieri cum honeſtis ſæpe, diſſenſio. quæ dijudicanda ſunt: non enim, ut quæreremus, expoſuimus, ſed ut explicaremus. Non igitur videtur

detur nec frumentarius ille Rhodium, nec hæc ædium Venditor celare emptores debuisse. neque enim id est celare, quidquid reticeas: sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, & cujus hominis, quis non videt? certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, & alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?

5. Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt: quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerant? C. Canius, eques Rom. homo nec infacetus, & satis literatus, cum se Syracusas otiandi causa, non negotiandi, ut ipse dicere solebat, contulisset, dictitabat se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos; & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, dixit venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis: & simul ad cœnam invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, ut argentarius, qui esset apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, & ab iis petivit, ut ante suos hortulos posterâ die piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. ad cœnam tempore venit Canius. Opiparè paratum erat convivium, cymbarum ante oculos multitudo; pro se quisque quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius, quæso, inquit, quid est ô Pythi, tantumne piscium? tantumne Cymbarum? & ille, quid mirum? inquit: hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium; hic aquatio; hac villa isti carere non possunt. incensus Canius cupiditate, contendit à Pythio, ut venderet. Gravatè ille primò. Quid multa? impetrat: emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius voluit, & emit instructos: nomina facit: negotium conficit. Invitat Canius postera die familiares suos: venit ipse maturè: Scalmum nullum videt, quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. nullæ, quod sciam, inquit ille: sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar, quid accidisset. Stomachari Canius: sed quid faceret? nondum enim Aquilius, collega & familiaris

meus, protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis, cùm ex eo quæreretur; quid esset dolus malus? respondebat, cùm esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc quidem sanè luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. nullum igitur factum eorum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

IMITATIO.

Ad laudem candidæ simplicitatis synceritatisque hæc exempla pleraque non incommodè transferri poterunt, aut ad fraudis etiam duplicisque animi detestationem adhiberi. Seu, cùm honoris atque existimationis rationem præ commodo habendam docueris.

CAPUT XX.

De Chria, & illius ad eloquentiam utilitate.

AD communem juventutis exercitationem, quæ ab utilitate Chriæ nomen ducit, accedimus, cui merito illam, quam sententiæ dicimus, tractationem accensemus, ratio enim nulla est, cur hoc loco distinguantur.

Harum verò usus, quamquam inter Oratores Scriptoresque alios, ea lege, quâ inter adolescentes instituitur, rarus sit, tamen per quam ad profectum est accommodatus, eò quod rudiorem etiamnum juventutem, facili via, per locos extrinsecos, ad rem aliquam illustrandam amplificandamque ducat. Me verò ad has longè promptius absolutiusque deinde tractandas, emolumenti aliquid attulisse existimo, quando eam argumentorum inventionem institui, quâ in locos proprios, sive intrinsecos, & communes, sive extrinsecos tota inveniendi ratio, certa lege atque ordine distinguitur.

Hoc igitur emolumentum, in quo consistat, jam tibi aperio. Qui rectè disserendi facultatem, non qualemcunque, sed absolutam suis volet tradere discipulis, aut ipse etiamnum rudior capessere huic per omnia inveniendi loca ita sensim incedendum est, ut non tantum quemadmodum ex singulis

gulis rem aliquam locupletare dicendo possit, verum etiam quo pacto quisque per se locorum, excuti, diduci, ornarique queat, id penitus assequatur. Ad quam Chria, aut sententia, suis legibus diducta inprimis facit. Hæc enim (quod maximè observandum censeo) loca quælibet argumentorum, quæ nos propria dicimus, discutienda, atque exornanda per locos communes suscipit, facto aliquo dictove illustri in thematis occasionem assumpto. Illud verò ejusmodi exercitio variè simul utiliterque instituto obtinebis, ne eundem semper, quod ajunt, funem scribendo trahas: modò per illa, uti nos distribuimus loca, ita incedas, ut ab uno ad alium per diversa evageris, nihilque te eorum fallat, quæ concipiendi aliquam varietatem & copiam possint conciliare. Quod nullum hactenus scriptorum, qua ratione fieri possit, observare memini. Quare illud, in quo potissimum ad profectum, hoc in studio, momentum esse positum sentio, propositis in medium exemplis declarabo, ubi primam docuero cur ante Chriam, per theses locosque communes juventus exercenda videatur.

§. 1.

Chria post locos communes & theses tractanda est.

Causa est, quæ hunc nobis ordinem suadeat. Quod Chria arctioribus sæpe constringatur terminis, sive materiam, sive tractandi rationem spectes. Nam materia licet in his etiam universalis esse possit, tamen plerumque adstrictior, ideoque minus argumentis dicendi fæcunda est. Ut si dicas, *virtutem honori præferendam esse*, aut *honorem opibus*; vel etiam quæras, *an vita propter opes in discrimen adducenda sit?* locum communem, aut thesin ad disserendum habiturus es, pluresque sese etiam inquirenti rationes offerent, quas in partem utramque, pro contraque, licebit inducere: quæ res majorem subjicit dicendi copiam. Sed per Chrias plerumque hæc materies limitatur, minusque patens est. Ut si ex Tacito dicas, *Gloria virtutis pedissequa est*, quam Chriam si expendas, aliud nihil licebit ostendere (quamvis loco communi antè memorato affinis sit) quam ex virtute sequi gloriam. Cujus rationem ex ipsa *descriptione* gloriæ eruere poteris? quod gloria aliud nihil sit, quam bona *existimatio hominû, de*

alterius præstantia. Et huic rationi exornandæ impendenda deinde erit oratio. At in loco communi, quod virtus honori præferenda sit, virtutis naturam, causas, effectus, adjuncta præmia; contraque honoris levitatem atque inconstantiam, effectusque ac præmia nulla, magna dicendi copia facilius declarabis.

Plures itaque chrias sub uno illo loco communi aut thesi reperturus es. Ut illud Publii Syri, *Honor fugientes sequitur, sequentes fugit.* Gregorii Magni, *Dejicitur cum elevatur, qui honoribus proficit, & moribus cadit.* Valerii Max. *Virtutis uberrimum alimentum est honos.* Quarum pleræque sententiarum unam præcipuè rationem ex loco communi includunt. Ut prima illam ex *attributis* virtutis & vitii: quod demissionis virtus, quâ honorem devitamus, omni honore digna sit, contraque arrogantia, qua nobis indebitam gloriam vendicamus, ut meritò contemnenda. Altera, ex *affectis* vitiorum, quod mali mores optimam hominis partem, hoc est, mentem inquinent, ac deprimant, abjectusque ille sit, quantumvis magnus, qui carni ac vitiis serviat. Tertia *à causis moventibus*, qualis merito esse potest æterna in cœlo gloria, honorque ad virtutis incitamentum propositus. Quæ rationes cum singulis Chriis sufficiant, ad eundem tamen communem locum exponendum possunt concurrere.

Rursum si tractandi methodum spectemus, hæc in Chriis ad contrarium, exemplum, simile, autoritatemque confirmantis adstringitur, in locis communibus thesibusque magis est libera, & illa vel negligit, vel cum inducit pluribus aliquando exemplis, aut testibus, in thesi præsertim, luxuriat. Quæ idcirco disserui, ut ostenderem, ante in ejusmodi locis thesibusque, quam in chriis sententiisque juventutem excolendam esse.


§. 2.

Chriarum ab ipsa varietate utilitas.

Nunc ad ipsam Chriarum diversitatem, tradendique ac tractandi rationem veniamus, in qua pauci illâ, quæ maximè utilis esse possit, viâ insistunt; sed arrepto temerè aliquo, quod se primùm obtulit dicto factove, nunc hoc, nunc illud argu-

argumenti genus sequuntur, nec uni cuipiam exhauriendo insistunt, ut quemadmodum in materia eadem variè copiosèque versari juventus possit, hoc pacto intelligat. Levissimum hoc in illo scribendi est genere, quod aliquid primum putant, ut *Contrario, Exemplo, simili,* ac *testimonio* res una diducatur; hoc enim ubi semel iterumque adolescens fecerit, facilè apprehendet sibi in Chria semper esse faciendum. Imò nec hoc quidem tanta, ut nonnulli volunt, religione observandum duxerim. quid enim obstabit, si vel exemplum, vel Testimonium prætereris, ubi in promptu nullum fuerit. an non hoc passim scriptoribus usitatum? Minimum itaque chriæ hac in re momentum est. Lex est illa Aphthoniana, quam sine crimine violaveris. Sed nec ordo ab eodem proscriptus quicquam habet religionis, sive enim præmiseris simile Exemplo, sive postposueris, quid ad causæ, quam tractas, momentum attinebit? imò ad illius vim & rem natam intererit quandoque neglexisse. Hæ igitur leges Rhadamantheæ non sunt, hic pondus Chriæ non libratur. Aliud est, quod in illius usu magis statuo observandum.

Etenim cum ad eloquentiam nihil magis necessarium sit, quàm quædam dicendi copia. ut & ex ipsa copia delectus quidam instituі, & ornatus dictionis magna rerum varietate (sine qua inanis est) fulciatur. Ad hanc juventus per ipsa exercitia scriptionis ita ducenda est, ut simul intelligat ex quo fonte hauriat. Et unde plura haurire possit. Hoc autem facturus es, si cum Chriam, aut sententiam diducendam præscribis, simul ostendas, ex quo fonte inventionis rationem sive causam, ut vocant, sententiæ depromas. Hæc enim ratio totius debet esse Chriæ & orationis diducendæ fundamentum. Tum deinde ostendas, quo pacto vel eadem Chria diversis rationibus diduci possit; vel certè res eadem, de qua agitur (ponamus literarum studia suaderi) diversis Chriis ac dissertationibus pateat, ob diversas sententias rationesque ad idem propositum suadendum opportunas. Exemplis rem citius apprehensurus es,



§. 3.

Quomodo rationes variæ eruantur, & quanto hoc fiat ad eloquentiam emolumento?

Ad hoc Orator instituendus est, ut in re ad differendum proposita, universas, quæ ad illius confirmationem faciunt, rationes in promptu habeat, ut quæ tam dissertationis cujuslibet, quàm Chriæ etiam inducendæ & exornandæ sunt fundamentum.

Rationis autem inventio in Chria ferè ab adolescentibus per hanc quæstionem, *Quare hoc dixit, aut fecit?* elici poterit. Modò ne nimium singularis atque infœcunda materies sit. Ut Cicero dixit lib. 1. Officior. *Adolescentis est majores natu revereri.* Quæro, quæ causa est, cur talis reverentia adolescentes deceat? respondebit jam ad fontes inventionis proprios instructus.

I. *Ex natura & definitione* talis reverentiæ; quia adolescentes decet hac virtute ac bonis moribus instructos esse, quæ est ratio quædam universalis desumpta *à genere.* Aut dicet; senum ætati, autoritati, ac sapientiæ honor deferendus est, quæ ratio *à forma seu differentia* sumitur. Aut utrumque conjunget dicendo; virtus illa, qui senum auctoritati ac prudentiæ cum submissione honorem defert, maximè adolescentes decet. Quæ ratio *à definitione* petita est.

II. Ex causis rationem responsurus, depromet. Si dicat, Deus atque ipsa in nobis ratio ita esse faciendum docet atque imperat. Vel, Christus verbo atque exemplo, cum parentibus subditus esset, hoc à nobis exigit. Quæ ratio est *à causa movente, & exemplari.* vel senibus honorem & obsequium adolescentes debent, ut ab illis ad sapientiam erudiantur. Quæ *est causa finalis*

III. Ab attributis rationem petet. Ut quod honestum illud genus officii sit adolescentibus, quod facile, quodque utile.

IV. Ab effectis. quod senes hæc observantia delectet, excitet ad benefaciendum. Honor iste senibus delatus, in ipsos adolescentes redundet, sitque magis in honorantibus.

V. Ab adjunctis. quod cum reverentia ac verecundia ple-

rumque

rumque cæteræ virtutes adolescentibus dignæ conjungantur. Quod ab hac eorum observantia, de indole atque ingenuitate sumatur judicium. En ut repente sub unius Chriæ sententia plurium diversarumque tibi dissertationum seges nascatur. Nam ut quælibet harum rationum ab altera penè diversa est. Ita & contrarium ipsius diversum erit & similia exemplaque poterunt esse diversa, adeoque sub unius Chriæ titulo, variæ illius tractationes institui, campusque ille aperiri adolescentibus poterit, in quo præcipuè solet triumphare eloquentia.

Altera tamen ratio Chrias in eadem materia, per apertos à nobis inventionis fontes, diducendi aliquantò plus habet varietatis. Ut propositum tibi est, pravam societatem dissuadere adolescentibus. Aperis igitur librum aliquem (exempli gratia, florilegium Langii) atque hinc sententias de eodem themate diversas ac sub his diversas quoque rationes cōtentas colligis, quæ ad singula inventionis loca haud difficulter haberi poterunt. similia exempla, & testimonia indidem promis: mox in quandam de eadem re Chriarum classem dividis. Neq; tamen necessarium erit, ut sicubi, vel exemplum, vel simile, aut téstantis autoritas deficiat, illic hæreas, & materiam chriæ idoneam deesse existimes. Satis erit rationem contrariumque (quæ nusquam deerunt) cum aliquo istorum sociari. Ita enim adolescentes ad hoc sensim adduces, ut plerasquas materias investigando exhaurire norint, & vix desit scribentibus copia. Qui si minus ad illos inventionum fontes identidem recurrere doceantur, & scripturi, velut ad aërem biantes exspectent, num quæ ratio in mentem denique advolet, parum ad eloquentiam momenti, nisi fortasfis phrasis aliquem aut figuræ leviculum cultum allaturi sunt. Ubi verò hac arte in Chriis exercitati fuerint, jam ad omne dicendi genus expeditum iter tenebunt. Nihil enim aliud plures ejusmodi Chriæ, de eadem institutæ materia, futuræ sunt, quam membra quædam integræ atque absolutæ orationis, quæ nullo deinde negotio in ordinem ad persuasionem accommodatè digerentur. Et hoc est singulare illud emolumentum, quod in ejusmodi Chriarum tractatione latere sentio. Tum verò & alterum multò rarius expeditiusque eloquentiæ secretum, hac exercitatione abditur; quòd, qui hanc viam differendi aliquo usu triverunt, ex tempore de oblato

quovis

quovis dicendi argumento (modò omnino reconditum non sit) facile possint disserere, si illa videlicet investigandi arte, qua in primo exemplo usus sum, rationes ex singulis fontibus à se deposcant, simulque ad contraria, & si quæ occurrant, vel similia, vel exempla, dilabantur. Juveritque hanc ad rem aliquando Magistrum publicè facto aut dicto cujuspiam celebri proposito, rationes per ordinem à suis poscere, atque ubi hæserint suppeditare: tum deinde ad hoc similia ex rebus naturalibus variaque artium cognitione petere. Quæ expeditius subvenient, modo illa, quæ cœlum, quæ aër, quæ mare, quæ terra, quæ urbes, in plantis, fructibus, feris, studiis hominum diversis complectitur, velut in imagine quadam oculis subjecta celeri mente percurrat. Exempla ex profanis sacrisque juxta historiis narratione brevi suppeditanda sunt. Quo pacto se non minus, quam discipulos Magister perfecturus est.

CAPUT XXI.

Praxis Chriarum diversarum de eodem argumento instituendarum.

DEcreveram quidem meis exemplis hoc in opere abstinere, tum quod prima Romanæ eloquentiæ præcepta capientem, tutius sit veterum prototypis uti, ad quæ recentiorum autorum scriptio, ut laudem mereatur, componenda est: tum quod plerosque, qui suis hanc viam exemplis designare aggressi sunt, parum ab ea re, vel existimationis suæ, vel utilitatis alienæ reportasse videam. Sed hoc in loco, cum nec veterum quispiam, nec recentium ita versatus sit, ut maximè in illo genere exercitationis conveniens juventuti videtur, dabit veniam lector, si ad rei literariæ emolumentum, unius materiæ exemplo, per Chrias quinque ita diducto utar; ut intelligant eloquentiæ studiosi, quam hic potissimum tractandi rationem exigam, qua ad integras orationes, magna dicendi copia explicandas disponantur.

Thema illud sit, quod non minus sua veritate, quam eloquendi disciplina adolescentibus inculcandum est:

Societatem pravorum hominum, hac in vita, devitandam esse.

Insistamus

Insistamus hic viæ alteri, quam supra dedimus, per gnomas sive sententias, & facta diversorum diversa. Ita enim facilius etiam tres istas Chriarum formas, quas Aphthonius præfixit, hoc est, verbalem, realem & mixtam, tum deinde etiam illam, quæ solius est, ac dicitur sententiæ, persequemur.

Cùm de hoc argumento aliquot dicta sapientum investigarem, obtulit se mihi

I. Illud Apollonii Thyanæi votum *Nosse bonos, vitare malos.* Quæro, qua de *causa* ita senserit? Et ex fonte inventionis, à *definitione* societatis humanæ illam sumo, *quod sit communicatio quædam ob bonum mutuum*, quæ à malis sperari non possit. En fundamentum totius discursus.

II. Illud Pythagoræ sumsi: *Ne cuivis injicias dexteram.*

Quæro, cur id prohibuerit? & ex 2 fonte inventionis de causis responsionem accipio, quia finis noster est in mutuâ socitate, ut alter alteri in corporis & animi bonis opem præstet, quod improbi rarò facient.

III. Ob varietatem, nudam sententiam proverbialem posui, ut, *homo homini Deus est; homo homini lupus.*

Quæro, quæ ejus rei causa? Et hanc ex 3. fonte inventionis de Attributis capio; quod hominis hac in vita jucunditas, utilitas & honestas, bonâ societate aliorum hominum maximè alatur, mala evertatur.

IV. Historiam Dionysii Tyranni Dionis filium per malos socios corrumpentis exposui; ut Chriam realem quoque adhiberem.

Quæro, qua de causa id fecerit? Et occurrit ex 4. fonte de effectis, quod hac ratione unicum hæredem Dionis statuerit perdere, ut & factum est.

V. Factum & dictum (quo Chriam mixtam complecterer) D. Joannis Apostoli Cerinthum hæreticum fugientis induxi.

Quæro, cur id fecerit, dixeritque? Et ex fonte quinto adjunctorum causam depromo, quod sciret, aliquando probos cum improbis eadem pœna opprimi.

En de eadem materia ex singulis inventionis fontibus rationem unam aliquam, quæ pro Chria pertractanda, atque ex locis communibus, hoc est, contrario, simili exemplo, testimonioque diducenda sufficit. Quibus si quis rationes alias adjecerit, novis etiam Chriis occasionem parem daturus est.

Nobis

Nobis hæ quinque ad exemplum qualecunque visæ sunt sufficere. Quibus aliquas deinde in priscis autoribus repertas subjiciemus.

Porrò ad integræ alicujus orationis corpus ex his Chriis construendum parum admodum defuturum est. Cum robur orationis totius in argumentis aliquot eruditè disertèque atque ad persuadendum accommodatè explicatis consistat. Illud tantummodo observandum est, ut validiores in finem rationes seponantur, minus firmæ collocentur in medio, tum verò iste ordo tractandi, quo auspicamur à sententia, aut facto ac deinde ad rationem contrariumque, ab his ad simile exemplumque transitur, nonnihil immutetur, exordio tali ad testimonia, vel exempla rejecto, quin his quandoque, ubi minus urgent, neglectis, & rationibus pluribus in rem eandem acervatis. Neque enim hic ordo, præsertim sæpius in eadem oratione recurrens, observandus est. Quocirca & in his Chriis nonnunquam confudi, & contrarium atque expositionem causæ miscui, ut & hoc decere ostenderem: & alibi in *Exercitationibus* meis *Oratoriis* dissertationem unam de macilentis & pinguibus varia Chriarum tractatione pertexui, quo plurium avidum lectorem remitto.

Nunc ut facilem quoque Chrias disponendi rationem oculis subjiciam, Inventionem, seu distributionem Chriæ primò, deinde elocutionem proponam. Denique & singularem ejus partium rudem quandam tractandi viam ac varietatem.

Chria I. Verbalis.

Apollonius Thyanæus hoc præcipuè à Diis postulat.

Nosse bonos, vitare malos. *Alex. ab Alex. lib 4. cap. 7.*

INVENTIO.

Causa, *quæ est fundamentum discursus, statim inquirenda est. Neque enim* Exordium & expositio *difficultatem habent.*

Qua ratione, ut hoc unicè peteret, inductus est? Respondebit facilè ex descriptione societatis! Quia societatem humanam noverat esse communicationem quandam mutuam in rebus & ver-

& verbis, ob fructum aliquem ex illa speratum. *qui tum à solis bonis, non vero à malis sperari posset, Apollonius hoc merito precabatur.*

Contrarium *ex ratione ac sententia simul expensa promptum est. ut qui solicitus non est, ut bonos nôrit & malos devitet, sed quorumvis promiscuè familiaritatem admittit, hic naturam, & bonum humanæ societatis destruit, & pro fructu, ingentia ex illa incommoda colligit.*

Simile *ex aliqua re naturali aut artificiali, quale esse aucupis hic potest, qui per avem unam plures sociarum adductas capit.*

Exemplum *Iosephi Patriarchæ, qui fratrum improborum consortium vitavit, quæ res illi primum quidem nocere, deinde prodesse visa est.*

Testis *Aristoteles I. Pol. qui ait,* Omnis societas alicujus boni causa facta est, *quæ non potest à malis sperari.*

Conclusio *Qui igitur bonus esse volet, vitet malos, bonisque societur.*

ELOCUTIO.

Exordium. Non omnis Thyanæi illa, quam de moribus tradidit, disciplina damnanda est, quamvis ipse Magicarum artium infamia inter posteros notetur. quædam ipse, ut rectæ institutioni aliorum idonea tradidit, item exemplo non malo secutus est. inter quæ hoc familiare illi votum jure retuleris.

Nosse bonos, vitare malos.

Expositio. Erant hæ Philosophi istius preces, quibus hoc præcipuè spectare visus est, ut in societate hominum deligenda, probos ab improbis discerneret, ne his potius ad perniciem, quam illis ad separatam aliquam societatem jungeretur.

Causa. Nec injusta hujus voti causa fuit. Cum enim illa sit natura societatis humanæ, hoc fine consilioque à Deo autore instituta sit, ut communicatione quadam cùm sententiarum, tum actionum, ope mutua auxilioque fulciamur, in rebus dubiis perplexisque utamur consilio, in adversis casibus solatio, in lætis secundisque aliorum applausu: gaudia

doloresque, opes inopiamque participatione aliqua boni malique, unà cum aliis feramus; quis omni studio providendum non existimet, ne in familiaritatem improborum admittatur, à quibus non minus in vitiorum, quam inanium quorundam gaudiorum societatem trahatur. quod incautæ præsertim adolescentiæ offendiculum metuendum est, ut quę nulla malorum experientiæ adversus hos casus præcipitiumque salutis, satis etiamnum firmata sit. Est, fateor, honestæ consuetudinis fructus multiplex, usúsque perjucundus. quidquid enim sive in adversitate malorum ingruit, sive in prosperitate affluit bonorum, nisi cum aliquo amicorum communicemus, aut magis gravat, aut minus recreat. Doles? dolorem quereris, & levius fertur. gaudes? perit gaudiorum jucunditas, nisi in amici sinum transfundatur. Opes amisisti? honor læsus est? vulnus accepisti? exponis familiari, primumque hinc malis hauris solatium. insperata tibi fortuna risit? accessit dignitas? sanitati inexspectatæ es redditus? si desit, qui cum hæc communices, fructum tuæ felicitatis potissimum perdidisti. Tantùm à sola animorum familiari conjunctione pondus est. At sociari non possunt animi, nisi alter ad alterius mores accesserit, sive ad vitium illi, sive ad virtutem propendeant.

Nihil igitur in hoc consuetudinis aditu, majori cura studioque agendum est, quam illud Apollonii, ut videlicet bonos noris, & malos devites.

Contrarium. Sin absque hac cura, in quorumvis te sociorum familiaritatem immiseris, dissolutione illorum etiam oblecteris, risu traharis incondito, garrulitate pascaris, scurrilibus lacteris verbis, inverecundam frontem, linguam Venere tinctam, vitam lubricam, à modesto vultu, sermone casto, vita continente, nec distinguas, nec seligas; nescis profecto in quē usum humana societas reperta sit, hujus naturam rationemque subvertis, illumque, qui honestæ solet esse consuetudinis, fructum amisisti. Certè omnis potius ab hominibus societas ad brutas animantes ablegetur, quàm ut rationem bonumque omne, ad cujus stabilimentum reperta est, secum ipsa destruat, & non tam societas, ac præsidium, quàm hostilis quædam inimicitia, atque eversio bonorum dicenda sit. Caveat hoc tantum malum imprudens adolescentia, ne in hosce se laqueos induat, unde difficilis imposterum sit exitus.

Simile.

Simile. Nam, ut auceps, ad plurium avium perniciem, unam aliquam ejusdem generis, caveæ aut laqueo illigatam, solet exponere, ut illæ in societatem hujus strepitu cantuque provocatæ, visco aut laqueis; ad insidias dispositis, intercipiantur: ita Dæmon nostrarum auceps animarum, ad multorum adolescentum ruinam, depravatos quosdam suisque jam vinculis irretitos juvenes, velut ad insidias & illicium aliorum exponit, quibus sociari, perire est: qui suavi illecebra otii, vini, ac Veneris incautos rapiunt, secumque in exitium plerumque devolvunt sempiternum. Ut enim avibus semel interceptis difficilis rarusque ad libertatem est exitus; ita adolescentibus semel hac esca captis, arduus ad salutem receptus est.

Exemplum. Non ignoravit hanc fraudem insidiatoris nostri prudens castusque adolescens Israeliticus Josephus; quando & fratrum suorum pessimo in scelere accusator, quam socius esse maluit: illorum etiam odia, machinationesque in caput vitamque negligere, quàm familiaritatem moresque non dissimiles amplecti. Quam verò illud egregio glorioloque sibi exemplo præstiterit, honor post brevem ipsius calamitatem consecutus, Ægypti imperium, fratrum submissio, hominum Superûmque favor uni Josepho impensus, abundè testantur. Contempta improborum societas, illi deinde longè lateque probos omnes improbosque subjecit, ut his terrorem incuteret, suum illis impenderet amorem. Tantum est bonos novisse, simul & malos devitasse.

Testimonium. Sensit idem celeberrimus Venusinus Vates, cum monuit,

Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Vide ne illi te jungas, unde turpem potius morum colorem, quam fructum aliquem societatis trahas. *Omnis enim societas,* si credimus Aristoteli (Polit. lib. 1.) *alicujus boni causa instituta est.* Tolle hoc bonum, & societatis ratio naturaque sublata est.

Conclusio. Quisquis igitur humanæ societatis bonum esse integrum voluerit, quique sperato ejus fructu potiri, hoc cum Apollonio à Superis precetur, hoc totius vitæ instituto agat, ut ingenia moresque sociorum prius noverit, quam amplectatur: probis sese non subtrahat, improbis non adhærescat, & siccubi errasse in delectu se deprehenderit, malit iniquę

societatis voluptate fraudari, quâm integritatis salutisque adire naufragium.

Chria II. Verbalis.

INVENTIO.

Pythagoræ monitum est: Ne cuivis injicias dexteram, *hoc est, quibuslibet sociis conjungaris.*

Causa. *Quia societas inter homines instituitur, ut alter alteri subsidium, vel in corporis, vel animi bonis præstet; quod ab hominibus sceleratis exspectari vix poterit, à virtute præditis potest. Igitur deligendi probi sunt.*

Contrarium. *Qui enim improbis adhærescunt, ut adolescentes, qui voluptate capiuntur facilius, quàm senes assolent, finem institutæ societatis evertunt.*

Simile. *Vti Pastor, qui gregem colligit, ut collectus simul pascatur, si scabiosas ad illum oves admiserit, facilè totum gregem inficit.*

Exemplum. *Cognitum illud in adolescente, quem D. Ioannes Apostolus Episcopo cuidam educandum commiserat, qui ubi ad consortia perditorum delapsus est, perditè vixit; ubi ab Apostolo revocatus fuit, bonorum præsidio melior est redditus. Vt habet* Euseb. lib. hist. Eccl. cap. 17.

Testimonium. *Agnovit Seneca quantum in societate commodi esset.* l. 4. de benef. cap. 18. & Aristoteles lib. 8. Eth. cap. 3. *Adolescentes voluptate maximè capi sensit, ut his jure providendum sit, ne aberrent.*

Conclusio. *Cavendum igitur erit, ne rem ob commune præsidium hominum institutam, malè delectis sociis, vertamus in nostrum exitium.*

Exordium. Pythagoras veteris Philosophiæ per Italiam primum decus, postquam varias peragrasset orbis oras, ut quod optimum vitæ disciplinæque genus comperisset, id suis aliquando auditoribus Magister traderet, denique apud Crotoniatas celeberrimum sapientiæ Gymnasium aperuit, neque interdiu tantum, sed & noctu summa affluentium frequentia auditus est. Quibus ut multa ad honestæ vitæ institutionem præclara reliquit, ita brevibus quibusdam

atque

atq; ænigmaticis ſententiis reconditam quandam ſapientiam complexus eſt. Ut cum monuit:

Ne cuivis dexteram injicias.

Expoſitio. Nimirum ſenſit vir ſapiens, non cujuſvis tibi hominis ſocietatem, velut injecta manu, prenſandam eſſe atque ut is, qui temerè cuiquam manum injicit, vel illam facilè inquinat, vel certè offenſione aliqua perſtrictam ſerius reducit; ità in humana evenire conſuetudine, tu ſi temerè aliorum temet lateri applices, notam, offenſionemque non evites: expendendum proinde judicavit; quiſnam ille ſit, quem ſocium adſciſcas, & qua de cauſa illius familiaritatem ambias, ut ſi minus honeſta ſit, ac probata ſocii vita, tempeſtivè hoc conſortium averſeris.

Cauſa. Quid ni enim ita ſuos Pythagoras inſtituat, cum ſocietas mutua inter homines hac de cauſa potiſſimū reperta ſit, ut ſeſe adverſus hoſtium inſidias, impenſa viciſſim defenſione firment, alter alteri ſubſidium in adverſitate præſtet, commerciorum viciſſitudine neceſſitates mutuas ſublevent, neque ſolis corporibus opem in egeſtate, remediumque in morbis præſtent, verùm animis quoque ad ſalutem, felicitatemque æternam natis præſidium atque incitamentum adferant. Hunc in finem immortalis conditor, mortalem genuit hominem, quem licet non agnoſceret Pythagoras, ſolius tamen corporis, præſentiſque vitæ felicitas ex illa hominum ſocietate niſi malè confletur, ſuſpenſa tantùm apud Philoſophum illum valuit, ut circumſpectè hanc prudenterque conciliandam præciperet, quod animadverteret, non eodem omnes eventu ſocietates adiri, conflarique amicitias. Ab hominibus ſceleratis in familiaritatem receptis exſpectari non poſſe, ut fidem, ut conſtantiam, ut virtutes præſtent reliquas, quas ipſi non poſſident; aut alienæ ſaluti conſulant, qui peſſundant propriam. Hæc proborum tantùm eſſe hominum: à quibus ſi in ſociorum delectu aberret quiſpiam, cauſas omnes, propter quas humana ſocietas inſtituta ſit, præterire.

Contrarium. Hæc conſilia qui negligunt, quique inconſultè cuivis ſociorum, ut primum arriſit, lepidiorque atque humanior viſus eſt, dexteram injiciunt non modò nihil ex ejuſmodi ſocietate præſidii, verùm & incommodi plurimum, non raro accipiunt. Qua in re juvenum quàm ſenum

pronior esse solet offensio. Senes cunctantius in consuetudinem accedunt, verùm & constantius; adolescentum, ut repentina sæpe, ita inconstans familiaritas est. Illi ex honestate & commodis; hi ex voluptate plerumque societatis bonum metiuntur. illi hac firmant rempublicam, pacem fovent, concordiam stabiliunt, negotiationem alunt, privatæ communique saluti consulunt: hi illâ ad lusus, otia, compotationes, Venerem non rarò abutuntur. Nec alia tum diversi exitus ratio est, quàm quod illi prudenti delectu frugi hominum societatem amaverint; hi tales, quos cupiditas potius, quàm ratio socios obtulit, sine cunctatione, sine sensu, sine consilio admiserint.

(*Simile*) Prudens ovium pastor, si quas in consortium totius gregis admittat, eo consilio accepit, ut communi fruantur ductu, pabuloque alantur: pari, quo grex totus, defendantur præsidio, & adversus fures luposque tutæ sint. ita par illis pratum, par in societate custodia, par tutela adhibetur. qui si tamen quascunque alias etiam scabie inquinatas citra delectum patiatur accedere, facile totum gregem infecerit, unius contagione in plures sparsa. Parem, quis non intelligat, inter homines consuetudinis rationem esse? Bonorum societas ad mutuam defensionem salutemque spectat; immixta pravorum consuetudo, hoc, quod integrum est, facilius eadem peste afflat, quàm remediis ullis persanatur. Quod nos pluribus verbis, hoc Poëta non invenustus paucioribus est complexus, dum inquit,

——— Grex totus in agris
Unius scabie cadit & prurigine porci,
Uvaque conspectâ livorem ducit ab uva. Juvenal. Sat. 2. v. 20.

Exemplum. Illustre hujus in D. Johannis Apostoli vita exemplum nobis relictum est. Adolescentem ille probè institutum, sibique ob indolem admodum carum Episcopo omni studio curaque educandum tradidit, cui quidem Episcopus principio singularem vigilantiam atque industriam impendit. Christianis sacris piè imbuit, sed cum deinde oculos animumque minus adverteret, societate improborum captus primò, sensimque adeò depravatus est juvenis, ut rebus per luxum dissipatis, prædonum etiam antesignanus factus

ctus sit. quâ re intellecta Apostolus, gravissima oratione Episcopi negligentiam castigavit, & per avia silvasque assecutus denique juvenem, verbis amore plenissimis, ad scelerum pœnitudinem, obsequiumque pristinum ægrè inflexit. Quæ tam repentina ejusdem adolescentis mutatio? humana videlicet societas, quæ & honestatis studium inter bonos; & voluptatis rursus amorem inter malos facilè persuasit. Unde probus ille sanctusque adolescens in proborum consortio probus, in sceleratorum familiaritate perditus fuit. Tanti refert quibuscum, & quo fine jungaris cum aliis. Ad conservandum genus humanum, ad salutem privatam communemque stabiliendam societas conflanda est, ad perniciem nulla concilianda.

Testimonium.) Præclarè, ut in cæteris, ita hic etiam Seneca. *Hominem* (ait de benef. l.4. cap.18.) *non unguium vis, nec dentium terribilem cæteris fecit, nudum & infirmum societas munit.* Hæc tam utilis, quàm honesta societatis mutuæ causa est, data atque accepta defensio. Nulla hanc cupiditas, nulla voluptas corrumpat, cum æquis honestisque ad par virtutis studium sociemur, & laudabilis futura societas est. Rem quidem arduam inculco adolescentibus, *quorum omnis amicitia* (ut Aristoteles loquitur, lib.8. Eth. c.3.) *voluptatis causa instituta est.* verùm tamen necessariam suadeo, nisi virtutis juxta salutisque curam abjiciant.

(*Conclusio.*) Quocirca si hominum sapientium consiliis obsequi, si parere rationi, si proborum imitari exempla volumus, si nobis utilitas, si virtus, si propria salus cordi est; omni studio diligentiaque in sociorum delectu utamur, ne improbis malo errore conjungamur. & rem præstantissimam ad salutem mortalium à Deo institutam, ad nostrum aliorumque vertamus interitum.

Sententia, vel Chria III. Verbalis.

INVENTIO.

Exordium. *Verum vetusque dictum est*, homo homini Deus est. homo homini lupus.

Expositio. *Quo pacto significare voluerunt, hominem alteri homini & prodesse maximè, & rursum obesse.*

Causa *hac est, quod ex proba fidaque hominum consuetudine maxima hominis in hac vita felicitas pendeat, ob voluptatem, utilitatem, honestatemque, quam ex illa colligit.*

Contrarium. *Secus vero evenit, ubi socios parum probos, filiosque nactus est, qui & opes, & famam, & conscientiam facilè profligant.*

Simile. *Vt enim illi, qui ex opobalsami officina prodeunt gratum odorem, quo delectamur; contra ex cerdonum domo ingratũ adferunt: ita qui ex consuetudine proba, improbave veniunt.*

Testimonium. *Verè Horat.* Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu, *lib. 1. Epist.*

Exemplum. *Suo illud exemplo Augustinus docuit, qui eo improbitatis per socios pravos deductus est, ut puderet non esse impudentem.*

Conclusio *Cautiores igitur adolescentes ipsius periculo cognito esse convenit, & homines adeo noxios devitare.*

ELOCUTIO.

Exordium. Multa sunt, quæ ad humanæ societatis commendationem faciunt, nec pauca, quæ ad illius reprehensionem detorquentur, ut non immeritò quidam dixisse memoretur.

Homo homini Deus, homo homini lupus.

Cujus ego quidem sententiæ, ut gratiam, quæ in brevitate atque energia est, veneror, ita etiam veritatem amplector, illamque omnium mentibus, præsertim adolescentum, defixam cuperem, ne in quorumlibet promiscuè, sibi licet blandientium, familiaritatem irruerent; sed ex honestate atque utilitate societatis, illius æstimationem facerent.

(*Expositio.*) Nihil enim hoc dicto magis nobis suadetur, quàm ingens esse discrimen humanæ societatis. Magna esse quorundam hominum erga alios beneficia, quorundam offensiones etiam in alios gravissimas, ut illi officium Dei, hi luporum occupasse videantur.

(*Causa.*) Et sanè si originem cùm felicitatis nostræ, tum infelicitatis præcipuæ hac in vita spectemus, ab homine illa in hominem, ex mutua conversatione potissimum existit. Quæ enim causa, cur felices nonnulli, & multi infelices, nisi, quòd hi cum malis, cum probis illi socientur? siquidem

dem hoc bonorum consuetudini proprium est; quod jucunditatem pariat, quod utilis, atque honesta sit; ut proinde in usu fructuque ipsius magna pars humanæ felicitatis consistat: Ecquid enim homini volupe magis, quàm habere in cujus sinum secreta animi sui depromat, excipiatque vicissim aliena; habere qui suas opes communicet, & cujus vicissim facultatibus fruatur; habere cujus nitatur in adversis præsidio, & in secundis lætitia non destituatur. tolle ejusmodi ex humana vita societatem: ex societate jucunditatem, & magnam felicitatis quoque partem sustulisti. Jam quis vilitatem ex eadem natam sat dignis verbis deprædicet? quæ terra vasta adeò fertilisque est, quæ ad humanos usus pariat universa? quæ urbs, quæ agrestium non egeat præsidio, qui agrestes, qui urbium emolumentis non fruantur? quæ familia sic ad suam necessitatem colleg t omnia, ut alterius familiæ commodis non sustentetur? quid de artium officiorumque commerciis d fferam, mutua hæc cuncta ope fulciuntur, & sine societate, sine fide, sine amicitia hominum non possunt in stabilem fidamque communicationem coalescere. De honestate porrò ejusmodi societatis illud dicam, & verè dicam, quod si qua virtus politica decus existimationemque inter homines mereatur, ea scit integram cum hominibus fidem colere, veritatem amare, candidum nudumque in amicitiis pectus ferre, proximi non minus quam suum ex consuetudine emolumentum quærere, nunquam irrogare alteri, quod sibi factum non optet, hæc sunt quæ humanam societatem sine vitio conflant, & sine pernicie cujusquam conservant, quæ florem urbibus, agris quietem, pacem civibus, honestatem universo populo conciliant. Ejusmodi verò societas, tam sancta, tam honesta, tam utilis, tam jucunda, nisi cum probis sperari non potest. Ut hi soli sint, à quibus hæc beneficia consuetudinis, hac in vita, exspect mus.

(*Contrarium.*) Faciamus tamen hominem esse (qualem reperire non sit diffic le) qui cum sine delectu societates init, parum probatæ vitæ socios nactus sit. Cum il is, ut solet, sua etiam flagitia communicet, nec timidè, quæ in eisdem intuetur, & laudari etiam audit, scelera perpetret. Quæ potest esse tali in vita ac societate, syncera constansque jucunditas? An omnino alia, quàm quæ ex turpi ac flagitiosa vita,

non sine acerbo conscientiæ vulnere ac futurorum metu percipitur? ridenti sæpe vultu, exultantibus verbis, dissoluto gestu, læditur, jocatur, plauditur; ut arcanus animi mœror, qui omnem jucunditatem inficit, ficta aliqua lætitia obruatur; sed veram tales liquidamque, quæ ex pura fluit conscientia, voluptatem nunquam occupabunt. Jam verò quæ ex eadem familiaritate exspectetur utilitas? Neque enim alia facilè de causa hæc inter sceleratos conflatur, qua ut sua quisque emolumenta, suam ex illa capiet voluptatem, quæ si quando negetur, aut differatur, impatiens animus facilè in indignationem dissolvitur, societatis atque amicitiæ jura conculcat, offensionesque tantò sæpe graviores suscipit, quantò antè major erat familiaritas. Hinc videas in repentinas dissensiones, pugnas, duella, parricidia has subitò divelli societates, amorem abrumpi odiis, ac sanguine funestari. Nec ipsa fratrum caritas, nec cognatorum fides, aut parentum observantia, ad officium revocat, ubi illam semel consuetudinem rupit indignatio, quam proprii amor commodi, & improbitas potissimum alebant. Denique honestatis studium ejusmodi planè excludit consortia, quæ verecundiam sensim à mente, ab oculis, à verbis, à manibus excludunt. Liberiora primùm verba, deinde scurrilia, demum prorsus impudica; nec oculi sensim, manusque se continent. quod loqui non puduit, facere postremò, vel hortatu, vel exemplo improborum non erubescunt, ita conscientiæ, virtuti, famæ, & honori obnuntiant; cùm diu latere non possit, quod in societate perditorum geritur, quod inter pocula & vinolentorum gregem perpetratur. Vides igitur, quisquis in hominum dissolutorum familiaritatem sese immittit, quam procul à vera jucunditate abeat, à propria utilitate recedat, à laudabili honestate sejungatur; ad gravem mœrorem, damna ingentia, pudendamque turpitudinem deflectat.

(*Simile.*) Tam durus non sum, ut omnem adolescentibus societatem dissuadeam, talem suadeo, quæ isti, quam memoro, dissimillima sit, quæ inter probos, quæ studiorum gratia coalescat, quæ ab omni turpitudine abhorreat; ut ex contactu bonus odor potius, quàm fœtor adhærescat. Longè enim diversus eorum odor est, qui ex aromatum atque opobalsami officina prodeunt, quàm illorum, qui cerdones inter & alutarios habitant.

(*Testi-*

(*Testimonium.*) Neque fefellit Horatium similis experientia, cum eodem spectans caneret.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. lib. 1. Epist.

(*Exemplum.*) Suo hoc exemplo Augustinus illud Africæ atque Ecclesiæ totius lumen, testatum nobis reliquit, ingenuè is libereque, scripto de se Confessionum libro secundo cap. 3. profitetur, eò per improbam denique malorum societatem sese prolapsum impudentiæ, ut dum virtus & probitas inter sodales ridetur, laudantur ac prædicantur scelera, *puderet non esse impudentem.* Deum immortalem, quænam hæc non à virtute tantùm, sed ab omni humana ratione aversio est! Hominem cœlo natum, Deique insignitum imagine, ad hanc profligatæ vitæ turpitudinem devolvi posse, ut jam non solum virtutis neglector, sed & contemptor, non modò sectator flagitiorum, sed & prædicator existat, in honestatis studiis erubescat, in turpitudine glorietur? Attamen eò deductum se Augustinus propalam fatetur. Qua via? qua aberratione? qua tanta dementia? Unius depravatæ societatis deductio & crimen fuit. Huic tantum scelus væcordiamque imputat. Atque utinam vel solus, vel inter paucos ille ad hunc adolescentiæ scopulum navim impegisset, utinam non mille alii, & plerique in prima naufragantium innocentia, ad eandem scyllam deferrentur.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Felix, quisquis Augustini lapsu territus, pedem retrahit, ne fortè eodem cum illo luto provolutus, non eadem felicitate ex sordibus resurgat. Multi illum sequuntur labentem, non multi, tam egregia fortitudine, perniciosæ societatis vincula abrumpentem. Facilis in hunc labyrinthum ingressus est, at difficilis reditus.

(*Conclusio.*) Intueantur hoc igitur tanti viri exemplum adolescentes, querelas ipsius & gemitus, quo lapsum deplorat, audiant; labores doloresque, quos in tam arduo sustinuit reditu, matura deliberatione expendant. attendant, quantum in proborum societate ad virtutem omnem præsidii sit, quantum in malorum consuetudine detrimenti. Teneat illos verecundia, trahat utilitas, honestas provocet, neque tam levibus fluxisque periturae voluptatis momentis, quæ ex improborum consortio speratur à tam certis verisque bonis abducantur.

Chria

Chria IV. realis, seu facti.

INVENTIO.

Exordium. *Dionysius Siciliæ Tyrannus, cum hostem suum Dionem egregiè ultum vellet, filium ejus molliter in prava aulæ societate educatum, corrupit.*

Causa *erat: quod nulla re magis perverti, & in extium trahi, quàm depravata societate adolescentes Tyrannus sciret. ut hujus expositione facti, eventuque probatum esse docebis.*

Similia. *Ex veste candida, speculo nitido, & flore intacto, quàm facilè contrectata labem trahant, ostendes.*

Exempla. *Filiorum Heli, Absolonis, & Roboami ex consortio aliorum secuta corruptio satis idem demonstrat.*

Testimonium *Seneca hoc ipsum testatur.* Epist. 7.

Concludes *cum eodem Seneca, malos esse devitandos, bonis adhærendum.*

ELOCUTIO.

Quanta fuerit Dionysii, Siculâ tyrannide famosi, Regis, & ad æmulos subvertendos vafricies, & ad perdendos homines malitia, uno hoc facto non obscurè cognoveris. Dionem ille ex regni proceribus oderat, neque illas, quas voluit de fugitivo pœnas, sumere poterat. Ergo in filio ulturus patrem, non aliud vindictæ genus acerbius reperit, quàm ut filio in aulam accersito, omnium inter æquales faceret voluptatum copiam. Nec fefellit ultio. Filius enim in hac libertate educatus, cum deinde ad patrem rediisset, neque par illi fieret, aut licentia, aut peccandi impunitas; patrem vitamque tam duram execratus, ex alto sese egit præcipitem, ac spe successionis mœstum genitorem destituit, exspectatoque Dionysium gaudio cumulavit.

(*Causa* cum *expositione* facti & *contrario.*) Siquidem non ignorabat ille tyrannorum vaferrimus, nihil esse quod ad tantam desperationem rerum omnium præcipitaret adolescentiam, quod tantum bonorum everteret, malorumque conciliaret quantùm soluta in pravos mores luxumque ac libertatem vitæ societas. Si quam enim ad hanc ætatem prudentiam

natura

naturaadfert, si quam animi magnitudinem vigor juvenilis subjicit, si quam justitiæ & pietatis æstimationem recta suadet institutio, si qua temperantiæ pulchritudo sensum stimulat, totum hoc, quantumcunque est, quod natura, quod ratio, quod institutio, quod Deus inculcat, unius corruptæ Societatis consuetudine, primùm quidem obscuratur, deinde vilescit, postremò etiam contemnitur. è diverso illa vitiorum deformitas, illa sceleratorum hominum infamia, illa conscientię per flagitia temeratæ obluctatio, ille imminentiū sceleribus pœnarum horror, principio quidem nonnihil retardat, & quandoque fluctuantem animum ad saniora consilia revocat, verùm sensim sine sensu, consuetudo improborum, ac vitiorum exempla hunc rigorem molliunt, pulchriorem habitum flagitiis induunt, negligere docent infamiam, conscientiæ vulnera leniunt, pœnarum cogitata, aut submovent, aut ad incerta rejiciunt, donec cupiditate jam victrice a efferente signa, de virtutibus triumphant vitia, de honestate turpitudo, de providentia temeritas, de veritate mendacium, de religione impietas, de observantia despectus, de modestia superbia; prodigalitas de frugalitate, ebrietas de abstinentia, libido de continentia, impudentia de pudore.

Proponite vobis, obsecro, adolescentem illum Dionis filium ex paterna domo, ab illo domesticæ disciplinæ cultu, rectæ institutionis Schola, studiorum palæstra, ab illo honestæ exercitationis labore, majorum observantia, virtutis & veræ gloriæ æstimatione ad aulam Dionysii & dissolutorum adolescentum contubernium transeuntem, quam serena frons, modesti oculi, submissus vultus, gestus compositi, incessus moderatus, vox adstricta & cogitata. Videte, ut primùm verecundè limen augustum subeat, ad consortia deinde lususque gregalium timidè accedat; ut ad illam libertatem, strepitumque ac licentiam aulicorum juvenum hæret, ut stupet, ut admiratur! Hæc igitur (ita secum loquitur) qualis demum vita? qualis rerum facies? quam ab illa, quæ paternæ domus fuit, dispar? quam multa hic illorum factis juvenum probantur, quæ nec domi quidem cogitare fas erat? quam hic verba profusa, quam actus liberi! quantùm ludorum, quanti apparatus, quis luxus, inter patrios hactenus lares nec auditus quidem! quantum ab istis me deliciis abesse pater voluit, quando per varias artes laboresque educatum,

ad

ad similia animi laxamenta, non nisi rarò & perparcè admitti voluit! Sanè illius disciplina ad omnem propius virtutem duxit: hic vitiorum amplissimus campus est. Inter ista dum cunctatur, dum secum pugnat, dum reditum circumspicit; adsunt æqualis ævi nobilitatisque socii, blandiuntur, illiciunt, invitant: mœrorem intempestivum arguunt, ætate, occasione, gaudio omnibus innoxio frui jubent: monent, ne tam demens sit, qui solum se credat sapere, tot exemplis dignam se vitam apprehendat, probatam tot hominibus, ipsique adeò Regi, voluptatem non respuat: sine hac libertate placere in aula neminem posse. Paulatim ad hæc adolescens benevolas aures adhibuit, atque illam animi frontisque severitatem inflexit, solutiora primum verba & admittere cupidius, & liberius reddere, leviculis in rebus jocari, &, ceu pila; mollioribus dictis ludere, exporrigere frontem ad vibratas ex Veneris officina sententias, quarundam etiam explicationem deposcere. Meditari pares in sermone argutias venustatesque, incomptas jacere fœminas oculos, dictisque jocosis lacessere ac prompta his deferre obsequia. Formæ vestiumque, quibus his placeat cogitare illecebras, familiare ambire consortium, illic crebro stare, ubi inter lusus & convivia, inter vina & pocula, inter comites adolescentulas otium falleret, & pasceret amorem. Qualis ad hoc, quam diversus à nupero juvenis! explicata nuper frons nunc cincinnis inumbrata: nativus capillorum color, nunc fuco odoratisque pulveribus tinctus; vestis patrio cultu nitens, nunc peregrinis coloribus, lemniscis, formâque dissoluta: par gestus, totiusque corporis hab tus, nihil in oculis, verbis, gestu, incessu moderatum; ut nonnemo hunc prudentior conspicatus, hoc versu in illum luderet.

Tam subitò corvus, qui modò Cygnus eras?

Rediit demum in Siciliam pater, revocatur adolescens, petenti restituitur, at,

——— *O quantum mutatus ab illo!*

Totus ad profligatæ aulæ speciem compositus, pristina illa morum indoles, vultus modestia, observantia in patrem, obsequendi promptitudo jam prorsus evanuerant. In horum locum subierat levitas in gestu, in oculis procacia, in verbis arrogantia, in obsequio contumacia. Obstupuit hæsitque attonitus pater, neque quæ Medea, aut Circe ita hunc in-

tasset, demutassetque filium, satis superque poterat admirari, præsentem ille adolescentis habitum, cum pristino conferebat, spem unicam posteritatis atque aviti nominis, tanta nuper exspectatione florentem, tam repentè, malâ afflatam depravatæ societatis voluptatisque aura, dolebat emarcescere, tam exitialem Tyranni artem ingeniumque execrabatur. Agnovit denique vulnus, quod in filio accepisset. Traditam olim puero vivendi disciplinam, honestatis leges, virtutis commendationem, scelerum turpitudinem subjiciebat animo pater; sed surdo fabulam, jam ad ista mens obtorpuetat, longeque diversis capiebatur affectibus. Verius ad blanditias genitor, nihil quod lenem amantemque suæ prolis parentem decere possit intentatum reliquit, ingentibus promissis lactare juvenem, honoribus ad exemplum Majorum propositis excitare, decus familiæ, opes, famæ propagationem ad posteros ostentare, licitas quoque voluptates opportuno loco ac tempore polliceri. Qui cum minus ex voto animadverteret cedere, magis etiam ad hæc patris blandimenta intractabilem reddi filium, autoritate usus patria, juvenem vigili septum custodia, severisque correctoribus traditum, à sociis, à ludis, à luxu, ac voluptatibus prohibuit, ut is denique rigidioris disciplinæ impatiens, cum improbis desideriis ex voluntate obsequi non posset ad ultimæ desperationis remedia confugerit, vitam sibi, atque exspectationem patri, ex ædium fastigio, præceps abruperit, & mori turpiter, quam honestè vivere maluerit. Tantum probis adolescentibus ab improba societate metuendum est.

(*Simili a.*) Speculum in prima innocentia adolescens purum est, vestis candida est flos illibatus. Ubi speculum vitioso afflaris anhelitu, ubi sordidis attrectaris manib⁹ vestem, ubi florem infixo ungue carpseris, speculum suum amittet fulgorem, vestis candorem, flos integritatem. Adeò pulcherrimarum sæpè rerum jactura est facilis.

(*Exempla*) Non solus hoc suo in filio Dio expertus est. Alii sanctiorbius etiam legibus imbuti juvenes ubi libertatem nacti, atque ad societatem parum se dignam admissi sunt, non dispari se parentesque exitio multarunt. Celebris ille Judaici populi Antistes Heli, dum filiis indulgentior fœminarum consortio non interdicit, dum gulæ illorum pro suprema autoritate non obnititur, dum serius denique, verbisque

mollio-

mollioribus ad officium revocat, & sacrorum thesaurus area, & filii ab hostibus occupati, & pater cervice fracta, hanc luunt væcordiam. Quid Absolones sub optimo parente Davide, sub Davidide sapientissimo Roboamos memorem? hos tales tantosque sola libertas ac societatis improbæ perversitas in ruinam præcipitavit. Exemplis nihil ad persuadendam improbitatem validius est. Reliqua tantum ad scelus alliciunt, hæc etiam impellunt. Facilius hac via itur, quâ multi incesserunt.

(*Testimonium.*) Senecæ, hac in re non imperiti judicis, voces sunt (Epist 7.) *Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ multum facit. Convictor delicatus paulatim enervat & emollit: vicinus dives cupiditatem irritat: malignus comes, quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit: quid tu accidere his credis, in quos publicè factus est impetus?*

(*Conclusio.*) Concludam cum eodem. *Necesse* igitur *est, ut aut imiteris* malos, *aut oderis. Utrumque autem devitandum est: ne vel similis malis fias, quia multi sunt; neve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes. Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores.*

Chria V. mixta, ex verbali & reali.

INVENTIO.

Exordium. *S. Ioannes Apostolus Balneum ingressus, cùm Cerinthum illic hæreticum conspexisset, subito regressus.* Fugiamus, *inquit*, ne ipsa in nos balnea corruant, in quibus Cerinthus lavatur.

Expositio. *Sensit magni rem periculi esse, cum improbis sociari.*

Causa *Et merito, quia pleraque, quæ innocentes etiam homines, premunt mala, ut sunt morbi, tempestates, bella, à Deo ad improborum punitionem immittuntur. Quibus boni involvuntur, quia immixti sunt.*

Contrarium. *Quam multi non periissent, si ab his fuissent separati!*

Exempla. *Sodoma & Gomorrha igne cœlesti, Solyma bello, fame & vastitate consumta, quam multos simul parvos, & innoxios involvit.*

Simile. *Ut igitur prudentis nautæ est illos vitare Scopulos, ubi multi naufragium passi sunt. Ita & probi Christiani tales socios, per quos multi perierunt.*

Testimonium. *Breve, sed verum dictum est.* Fide, sed cui vide.

Conclusio. *Ille sapiet, qui cum Apostolo malos devitabit.*

ELOCUTIO.

(*Exordium.*) Quanto nobis studio pravorum hominum societas declinanda sit, suo nobis exemplo ille dilectus Servatori nostro Apostolus Joannes declaravit. Balneum is fortè ingressus, quosdam illic conveniendi gratia, in quo cùm Cerinthum, hominem non moribus minus, quàm doctrinâ corruptum deprehendisset; subitò pedem retulit, atque ad comites versus, *fugiamus*, inquit, *ne ipsa in nos balnea corruant, in quibus Cerinthus lavatur.* Mirentur sanè in Joanne castimoniam alii, quâ Christo inprimis placuisse memoratur; amorem alii, quo & Servatorem ipse suum amplexus est; & ab illo vicissim ad arcana quæque, ipsumque adeò sinum Numinis admissus est, sapientiam alii divinarumque rerum cognitionem, quâ non præsentia modò; sed & futura post se tempora ac summam æternæ felicitatis habitationem penetravit; ego in hac ejus circumspectione, & integritatem, quâ corrupti etiam hominis consortium horruit, & amorem, quo Dei legem est prosecutus, & sapientiam, quâ periculum societatis improbæ abundè perspexit, veneror.

(*Expositio.*) Sensit enim non leve discrimen adire homines, si non salutis, certè pœnarum improbis imminentium, qui eorum consortio immiscentur.

(*Causa.*) Et meritò ita sensit. Dei enim hostis est, quisquis à virtute, & honestate aversam vitam agit; Dæmonis, capitalis generis nostri inimici, amicus est; ut quidquid vel ille malorum inferre voluerit, vel hic potuerit, hoc improbis jure sit formidandum. Quibus obsecro, Deus tot tamque gravia bellorum infligit fulmina, præterquam sceleratis hominibus, quæ cum integræ sæpe urbes, nationes, ac regna devastantur, probos juxta improbosque involvunt: quibus tam violentæ regionum inundationes, tam repentina urbium

diversarum incendia, tot tamq; graves anni tempestates, cœlique, aut sicci nimium, aut frigidi, aut etiam humidioris injuriæ, per varios latè populos divisæ intentantur, nisi Dei æquitatisque hostibus, & nefando flagitiorum cœno irretitis? neque tamen omnes quotquot harum calamitatum participes sunt, sunt etiam ejusdem impietatis. Quibus diræ per orbem fames, pestilentesque morbi, & tot hominum sæpe unà occumbentium lues nascitur, nisi moribus antè perditis, quàm morte perdendis mortalibus? qui tamen eadem secum contagione etiam insontes abstrahunt, docentque latius sæpe cladem, quam crimen spargi. Vitavit igitur Apostolus, & cautè profligatæ vitæ hæreticum vitavit, ne fulmen in perditum hominem justo Dei judicio aliquando destinatum, illo fortassis feriret tempore, quo Apostolus accessisset, satisque Deo ad pœnam innocentis etiam videretur, cum nocente sociari.

(*Contrarium.*) Quàm multi improvisâ morte fulminati non jacerent, nisi improbis societate juncti fuissent! O si isti tam felices forent, ut ex sepulchris rursum ad vitam emergere possent, si retrò ad statum pristinum fata viam indulgerent, quanta illi orationis vi, in perniciosa hæc consortia detonarent, quot scopulos offensionum aperirent, quot pœnarum acerbitates detegerent. Quantum in hac societate insidiarum, quantum latere calamitatum ostenderent. Sub illius umbraculis suas Dæmonem explicare artes, machinationes recondere, spicula tentationum figere, vulnera malorum infligere, sepulchra, atque utinam non etiam infernum, hominibus implere docerent. Sed cur à mortuis vocem exspectamus, quando tot in vita, atque omni retrò historia testes suppeditantur, ut contra experientiam solemque ipsum clarissimæ veritatis pugnare censendus sit, siquis hæc ausit inficiari.

(*Exempla.*) Quot *Gen.* 19. in Sodoma ac Gomorrha infantes nullo scelere pollutos, quot in generali illa orbis eluvione innocentes fuisse creditis, quando ex istis unius Lothi, ex hac unius Noë familia tantum est conservata. Illic Deus igne rapuit, hic aqua suffocavit, quidquid sceleratorum consortio immistum erat: non illos ætas, non integritas à crimine, non divina mansuetudo subduxit, permixtum flagitiosis esse, etiam sine flagitio, satis ad communis

exitii

exitii calamitatem incurrendam fuit. Quot Solyma insontium Judæorum complectebatur, quando à Tito Vespasiano quinque mensium obsidione pressa, interceptaque est! Confluxerat solennioti festo multitudo ad urbem ingens, ac repentè milite & vallo 8 Stadiorum cincta, eo inediæ redacta est, ut ad obscœnos quosque cibos, & humanæ etiam carnis esum verteretur. plusquam quingenti transfugarum, atque interceptorum, indies ex crucibus suffixi miserandum urbi præbuere spectaculum, & Christi olim innocenter crucifixi reduxêre memoriam. Denique eò Judæorum clades, urbe jam occupata, pervenisse censa est, ut undecies centena millia pereuntium; venditorum sub corona haud infra decem millia numerata sint. Quot hic, innoxii nocentium calamitatibus involuti perierunt! quot vivere atque extra periculum subsistere poterant, si Joannis exemplo cautiores, improbæ Pharisæorum sectæ temerè nō adhæsissent! Placuit illi Noë potius; Lothique vestigiis inhærere, qui cum moniti sceleratorum hominum societati primò quidem obsisterent, deinde etiam absisterent, sibi securitatem, aliis exemplum resistere, quo periculosum esse societati flagitiosorum immisceri, posteri agnoscerent.

(*Simile.*) Etenim ut nautæ imprudentis est, ea non declinare loca, quæ aliorum esse naufragiis didicit esse infamia, sic hominis inconsulti est, ea minimè consortia devitare, quæ cum salutis discrimine frequentantur. Et tantò quidem hic illis stultior habendus, quantò salus animæ, opum vitæque conservatione est potior. Pereunt naufragio merces, & possunt instaurari, innocentiæ nulla reparatio est: quæ cum semel perit, æternum perit. Navis colliditur, & alia superest, vita etiam quandoque amittitur, & restat probis melior: salutis jactura in pravorum societate facta, non rarò perennis est, cum difficile sit, ab his semel Sirenibus abducto, atque ad hanc Scyllam adhærenti retrò pedem ad tutiora subducere. Minora his pericula Joannes cum Cerinthum fugeret, timuit, & tamen fugit, satis illi ad declinandum hoc consortium fuit, quod turpe esset etiam innocenti cum improbis occumbere; ut turpe nautæ est in Scopulum impingere, plurimorum jam naufragiis celebratum.

(*Testimonium.*) Breve argutumque Poëtæ dictum est, *Fide, sed cui vide.* Non tibi negavit fidem alteri dandam, non

prensandam societatem, non abjiciendam amicitiam. Delectum habere voluit; ut cui te adjungeres, quam boni nominis, laudatæque vitæ homini, hoc inprimis omni studio provideres, ne in syrtes, aut scopulos impingas, ne virtutis inimicum amplectaris, & exemplo Amasæ inter perfidæ cujusdam Joabi brachia, dum oscula exspectas, pugione inflicto confodiaris. Illud lubens repeto, Fide, sed cui vide.

Conclusio. Ille profectò sapit, qui tutissimo Apostoli consilio utitur, & ab improborum consortio pedem subtrahit, nec eodem quidem tecto, dum licet, moratur. Nec vindicem Dei iram, ejus sæpe hostibus imminentem, experiatur. Siquidem

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo. Horat.

CAPUT XXII.

De partibus Chriæ, ac sententiæ expositæ.

DE singulis Chriæ partibus quædam etiam observare libet, ut copia & varietas tractandi adolescentibus suppeditetur, qui nisi à perito Magisto regantur, iisdem pleraque coloribus solent depingere, & in unius Chriæ formam res universas transfundere.

De exordio ejusque tractandi varietate.

Sive dictum, sive factum aliquod Chriæ legibus amplificandum sumpseris, Exordium atque expositio brevis esse debet; cum sint tantùm ingressus quidam, ac veluti præparatio ad rem ipsam. Quare stultum sit, cum Philosophi alicujus, aut Historici dictum, aut factum viri principis exornandum susceperis, velle in laudem Philosophiæ, historiæ, principatus, aut singulares etiam virtutes illorum concurrere, quam ad rem venias præsentem. Rursum velle sententiarum utilitatem, exemplorum vim, aliaque id genus universè laudando prosequi, ac deinde ad singulare dictum factumque descendere, ut nonnulli de Chriis præcipiunt, nimium est puerile, nec à Scriptoribus usurpatum. Cicero, licet

cet Oratorum facilè copiosissimus, ad ejusmodi tamen theses, seu infinitas dissertationes, ab hypothesi, vel rarò, vel omnino strictim transgreditur.

Primo igitur ordiri potes à laude authoris, e g Horatii Poëtæ, qui (ut supra) dixit, *rarò antecedentem scelestum*, &c. idque varie.

1. Horatium multis aliis Poëtis veterum in gravium sententiarum sapienti usu præferendo, quibus ille tanquam illustribus quibusdam stellis poësin suam exornarit.

2. *Comparando eundem in doctrina secum, ita ut dicas:* multa quidem præclaro scribendi ornatu ac nitore cōplexum suâ in poësi Horatium, nullo tamen perinde cultu, quàm luminibus sententiarum illucescere.

3. *Virtutes moresque scribentis cum aliis conferendo. Vt,* quod multis Christianorum homo gentilis nullaque veri Numinis cognitione imbutus, facem ad virtutes præferat, incitamenta & stimulos subjiciat, pœnis scelerum terreat, ut præsenti sententia præclarè factum.

4. *Secum rursum in moribus conferendo, quod dupliciter fieri poterit, vel laudando tantùm, ut si dicas.* Horatium multos quidem proposita virtutis gloria ac honestate ad illius amorem provocasse, acrius tamen pœnis flagitiorum expositis, à sceleribus mortales revocasse. *Vel laudando partim, & partim reprehendendo. Vt si dicas,* Horatium quidem in sua poësi quibusdam favisse scribendo vitiis, & velut Sirenes vasto in mari errantes sparsisse, his tamen locis declinandum, atque illic audiendum, ubi sapienter fortiterque calamum in flagitia mortalium distrinxit.

5. *Doctrina etiam cum moribus autoris, vel cum aliis, vel inter se ita conferri poterit, ut alterum alteri vel æquetur, vel præferatur. Vt si dicas,* Vixisse quidem Horatium inter vina cyathosque more veterum poëtarum liberius, ea tamen calamo docto juxta sapientique exarasse, quæ posteritatem totam, non modò rectè loqui, sed & vivere doceant.

Secundo. Ipsa sententia ejusque vis, cùm universè, tum sigillatim maximè juxta causas, effecta, vel attributa quædam expendi poterit. quod erit ex re ipsa & causæ visceribus exordium depromere. Vt de prædicta Horatii sententia.

1. Universè *vel à forma, ut,* Magnum in omni vita brevium sapientiumque dictorum pondus est, cum paucis animo veritatem subjiciant, & ad honestæ rei studium amorem-

que, velut quasdam faces, admoveant. Qualibus Venusini Poëtæ scripta passim collucent. *Vel etiam à materia, ut,* Veterum ego Poëtarum scripta, illa cumprimis in manibus adolescentum probo quæ suis expurgata sordibus, Veneris non exhalant odores; sed gravibus ad virtutem monitis implentur, qualem hodie in Orthodoxæ fidei assertorum manibus Horatium intuemur, &c. *Vel à fine, ut,* Cum omnis scribendi ratio, eo potissimum consilio suscepta sit, ut posteritatem, vel in bonarum artium, vel morum disciplina erudiamus, docto illud utilique Poësios genere inprimis Horatius præstitit, in quo cùm multa illustria documenta reliquit, tum certè illud omnibus sceleratis jure perpendendum, &c.

2. *Sigillatim ab illius, quam proponis, sententia attributo aliquo, vel effectu. ut,* quod illius dicti magna, vel utilitas, vel honestas sit. quod memoria illius per quam homini, ad vitam, sine gravi Numinis offensione traducendam, salutaris, quod horrorem illa justum periculorum incutiat, &c. *Quæ universa exemplis stabilire longum sit, & hominis alieno nimium ingenio diffidentis.*

De Expositione, seu paraphrasi.

Expositio in re clara atque enucleatè satis proposita locum non habet, in aliis, quæ vel parum integrè vel certè obscurè proponuntur, adhibenda est. Quæ tam brevitate, quàm claritate suam laudem meretur, cum quisque doctrinam propositam, quàm citissimè brevissimeque apprehendere desideret, moraque & circuitus hic omnis fastidiosus sit, Quare illa, quæ supra in Chriis dedimus exempla, consulas. Ubi reperies in illo Pythagoræ obscuriori: *ne cuivis injicias dexteram,* plus verborum adhibitum, cum inclusa sententiæ comparatio simul evolvenda esset. Expositionis igitur varietatem res ipsa secum adfert.

De Causa, seu ratione.

Hanc jam suprà ostendimus ex omnibus fontibus inventionis, per locos proprios, seu intrinsecos peti posse, quos in lib. 1. hoc versu complectimur.

Quid? per quæ? quale est? effecta, junctaq; pestis.

Hoc

Hoc fundamentum totius esse discursus debet, & ante omnia investiganda est, tum deinde loci communes universi ad hanc ornandam adhiberi poterunt, nec illi solum, quos Aphthonius assignat, sed quotquot ego altero versu complexus sum.

Contra. par, testes, leges, cum Iudice fama.

Toties igitur una Chria, vel sententia, aut factum variari poterit, quoties alia, atque alia ratio ex locis propriis deprometur. Quod quemadmodum ac quoties fieri possit, tradidi lib. 1. cap. 3. per fontes quinque. Ubi ex uno fonte diversas in eadem de ebrietate materia rationes manare docui.

Has autem exornari omni Rhetorum artificio posse, ac pro re nata ab excellenti Oratore debere, non est qui dubitet. Quanquam ab adolescentibus, in progymnasticis hisce exercitationibus, summa perfectio, ardentioresque figuræ non postulentur.

Communis autem facillimusque rationem diducendi modus est, per enumerationem partium. Sive rerum ad eundem rationem concurrentium, ut nos Chria 3. 4. & 5. fecisse observabis.

Quandoque etiam propositiones sententiarum, vel adeò universales, vel certæ sunt; ut ratio, nisi ab experientia, & singularium per inductionem enumeratione, peti non possit. Ita Biantis unius ex septem Græciæ Sapientum effatum erat, οἱ πλείονες κακοὶ, *plures mali.* Cujus rationem non aliunde rectius quàm ab experientia petiturus es. Ergo per inductionem vel partium materiæ, seu, ut Philosophi loquuntur, subjecti, hoc est, hominum; vel formæ aut prædicati, hoc est, diversorum scelerum, quæ à malis perpetrantur, hoc thema probabis. Inter homines numerabis divites, pauperes, adolescentes, senes, gentiles, Christianos, nobiles, ignobiles, &c. inter scelera, quidquid vitiorum per hos patrari noveris.

De contrario.

Contrarium hoc, *vel* sententiæ, *vel* rationis, seu causæ, *vel* utriusque esse poterit. Exempla diversitatis in Chriis à nobis datis suppeditantur. Nam in Chria 1. utriusque, sententiæ & rationis oppositum usurpatur, in 2. sententiæ: in 3. & 5.

rationis contrarium adhibetur. in 4. verò singulari tractandi methodo, contrarium in ipsius causæ & sententiæ expositione miscetur. Quare perquam facilis est inventio diductioque contrarii, postquam ratio inventa atque amplificata est: eam ex diversis illis contrariorum generibus, de quibus lib. 1. cap. 13. egi, facilè unum ad oppositionem inducendam convenit. Ideoque contrarium plerumque non minus latè pateat quàm causa ipsa.

De simili.

Simile alteri dicimus, quod in aliqua proprietate rerum, cum altero, ad cujus illustrationem adhibetur, convenit; in cæteris dissidet.

Quæ convenientia tantò est gratior, quantò in rebus magis natura separatis reperitur. Variè autem, ut nos in præmissis exemplis, adhibetur.

1. *Una & simplex res per protasin in comparationem adducitur. Et illud, cui comparatur per apodosin, subjicitur. Quæ est obvia communisque similium usurpandorum ratio. Ut protasis est*, quemadmodum vestis candida sordidis contrectata manibus maculas contrahit; (ita *sequitur apodosis*,) adolescens innocens improborum consortio delectatus facilè corrumpitur.

2. *Communi aliquo dicto utrisque conveniente protasis & apodosis concluditur; ut*, quod candida vestis in manibus sordidorum, hoc adolescens innocens in consortio improborum, utrumque inficitur, suamque puritatem amittit.

3. *Apodosis cum protasi miscetur, ut*, adolescens innocens candidæ par vesti est. Hæc facili contactu sordidarum manuum inficitur, ille improbæ societatis contagione vitiatur.

4. *idem simile à contrario induci poterit, ut si dicas.* Pura vestis quamdiu à puris manibus caute tractatur, haud facile maculis sordibusque inquinatur; at ubi in sordidas illotasque manus delapsa est, nitorem inter has pristinum facilè amittit; ita adolescens, &c.

5. *A dissimili, ut*, illa auri gemmarumque vis est, ut inter nebulas sordiumque purgamenta, nitorem virtutemque pristinam haud facilè amittant; verùm hoc quis sibi de tenera innoxiaque adolescentium ætate, ubi in sordidam improbo-

rum

rum societatem incidit, ausit polliceri? mollior illa prorsus est, & propinquam contagionem ab exemplo trahit; aurum esse desinit, ubi in has sordes delabitur, &c.

6. Plura inter se similia, vel etiam dissimilia unà cum similibus permiscere poteris. Ut à nobis in exemplo Chriæ IV. factum est.

De Exemplo.

Eadem penè hujus, quæ similis, est inducendi ratio ac varietas. Consistit enim in convenientia quoque cum sententia aut facto alterius, licet ab hominibus tantùm petatur, suoque eventu, id quod in causa affirmamus, stabilit. Accipiamus in supra nobis usurpato themate, quod prava societas noxia sit adolescentibus, Roboami Salomonis filii exemplum, qui, spreto senum consilio, juvenes secum in deliciis nutritos secutus, cum aggravare statuisset jugum Israelis, ab eo desertus est.

1. *Historia protasis loco recitari potest, ut sententia apodosis partes expleat, ut*, Roboamum accepimus jam defuncto Salomone Patre, inter aulicos juvenes, quos in deliciis & voluptatibus habebat socios, regni quoque moderandi consilia, at successu parum felici, agitasse. Querebantur subditi gravioribus sese, quàm par esset, tributis opprimi, ideoque abs Rege novo, mitius, quàm Salomon in senio gesserat, regnum sperabant; Igitur supplices ad pedes Roboamus cum cerneret, senumque consilio moderatius agendum intelligeret: plus tamen apud illum inconsulta juvenum, quibus assueverat, temeritas valuit; quam senilis maturitas: neque rejectis solùm precibus spem omnem præscidit clementiæ, verùm etiam graviora interminatus supplicia; se usurum illic scorpionibus asseruit, ubi pater flagellis tantum in illos animadvertisset. Nec mora, indignati Israelitæ jugum Roboami excussêre, suisque deinde Regibus à Juda divisi sunt. Roboamus exutus regno serò didicit improborum adolescentum societate & consilio, sese actum præcipitem, honore majorum & regno patrio excidisse. Prava enim societas diu constanterque culta, in exitio plerumque repentino concluditur, blanditur primùm, illâ, quàm ostentat vitæ libertate, animum deinde sui amore occupat, postremò sanum omne

rationis consilium aspernatur. Quæ scena aliter, quàm infelici, ut in Tragœdiis solet, exitu non terminatur.

2. *Sententiæ, sive ejusdem rationis expositio generali aliquo pronunciato comprehensa, & præmissa, per exempli nudam appositionem confirmatur, ut*, multos inconsulta adolescentum familiaritas repentina calamitate perstrinxit. Testis Roboamus amplissima regni hæreditate à Salomone patre donatus, quod neglecto senum consilio, præcipiti juvenum, cui adhæserat, temeritate evertit.

3. *Contrarium illius thematis, quod tracto, per exemplum illustratur, ut.* gravium prudentiumque hominum societate utatur, quisquis inter alios, atque ex aliorum consilio vitam instituit, magis ab omni discrimine abfuturus est. Quod utinam consilium Roboamus olim secutus esset, fidisque ac recta suadentibus senioribus obsecutus, regno non excidisset, &c.

4. *Utrumque oppositorum in eodem exemplo conjungi potest, ut*, Multos prudens societas conservavit, perdidit inconsulta. Roboamus utriusque exemplum esse potest. Dum sub prudentissimi parentis Salomonis disciplina atque institutione agit, dumque seniorum sibi adjunctorum consilia sequitur, cessère ex voto omnia, ipse ex tanto prolium regiarum numero solus regni hæreditatem adiit, solus à tot subjectis nationibus Rex adoratus est; at cum ad juvenum inconsultorum monita aurem animumque inflexit, cum præcipiti illorum furori, quàm senum mansuetudini obsequi maluit, felicitate pristina excidit, regnum evertit, &c. Tanti refert, quorum ad rectè imperandum societate ac consilio utaris.

5. *Per exemplum dissimile idem thema stabiliri potest, ut si in materia proposita dicas*, Salomon optimorum principum in juventute exemplar optimum, cum à Davide patre ad omnem scientiarum disciplinam, & æqui honestique amorem, inter suæ ætatis adolescentes, educatus esset, dignam magno Principe sapientiam potius, quàm aurum opesque à Deo postulare didicit, moderato suos onere subditos pressit, gratus omnibus, invisus nemini, pacis opulentiæque huic junctæ possessor felicissimus. Quam sortem rectæ Parentis institutioni, morumque Magistris & incorruptæ aliorum societati potissimum debuit. Nunquam tantâ regnaturus inter suos gloriâ, si illa defuissent.

6. Plura

6. Plura etiam exempla, vel similia, vel dissimilia, vel generis utriusque per oppositionem collata adhiberi possint, idque aut brevius, aut quibusdam etiam prolixius, reliquis verò præteritione sola memoratis. ut in quibuslibet ferè dissertationibus obvium est. Non etiam in superioribus, quamvis breviter, Chria 4. & 5. fecimus.

Hoc autem in exemplorum inductione cumprimis elegans est, si sententioso aliquo epiphonemate concludantur, ut in 4. fecimus, & Valerio Maximo familiare est.

De Testimonio.

Testimonii & exórdii in Chria magna affinitas est, nec obstat quo minus usurpentur eadem, præsertim illa, quę de attributis personæ sententiæque singularibus disseruntur; nam ad generalia hic transire illaudabile fuerit.

Quod si etiam obscurius testimonium sit expositione, aut paraphrasi illustrari debet. Obscurus enim, aut minus explicatus testis, parum valde urget. Poterit verò per testimonium, vel ipsa sententia, vel ejus ratio, vel etiam oppositum confirmari, verbo quidquid ad universam causam facit. Ita ut nonnunquam & ipsum simile stabiliatur. Ut Chria 3. à nobis supra factum est. In singulis autem Chriis diversam penè testimonii inducendi rationem secuti sumus.

In 1. & 2. plura dedimus, quæ causam confirmarent, testimonia. Nihil enim vetat idem pluribus firmari testibus. In 4. nudum Senecæ testimonium per se satis explicatum subjecimus exemplis, quod eorum veritatem roboraret. In 5. per brevem sententiam, quæ testimonii loco esset, ipsum Chriæ factum probatur.

De Conclusione.

Conclusio, *vel* simpliciter fit, cum repetitione sententiæ in exordio propositæ. Ut, prudens igitur illa fuit Apollonii ad Deos instituta oratio, quâ precabatur, ut bonos nosse & malos devitare posset.

Vel cum rationis brevi inductione, ut nos in Chria 1. fecimus.

Vel etiam exempli imitatione, aut evitatione proposita, quâ nos Chria 3. usi sumus.

Vel plerorumque quæ in Chria tractata sunt, compendiaria repetitione, ut in Chria 2. factum intelliges.

Vel alicujus sententiæ claræ, quæ ad præsens institum rectè concludendum faciat recitatione, ut Chria 4. conclusum videbis.

Vel postremò sententiæ aut rationis in Chria propositæ repetitione, per aliam gnomen, tanquam epiphonema, conclusâ, ut Chria 5. à nobis factum est.

De Transitionibus, seu connexione partium.

Ad magnam varietatem in Chriarum tractatione adhibendam, juverit Transitiones illas Oratoribus familiares, quibus ab una parte ad aliam, cum ornatu aliquo, aut figurá dictionis idoneâ transitur, habere perspectas. Hinc enim illud ad eloquentiam emolumenti adolescens capiet, ut rem eandem licet sæpius recurrentem, alio tamen alioque semper modo cultuque pertractare noverit, & rebus etiam simplicibus minime simplicem induere habitum. Has autem Transitiones qui in Chria semel apprehenderit, quavis deinde Orationis parte opportunè usurpabit. Dedi illas primo lib. de Elocutione cap. 31. & seq. quo studiosum Lectorem remitto.

Nunc Veteres, suam huc quoque conferentes symbolam, audiamus.

CAPUT XXIII.

Veterum autorum Chriæ.

Chria Verbalis I.

Majus malum dedecus, quàm dolor est.

Ita Brutus apud Cicer. lib. 2. Tusc. qq. n. 27.

1. *Orditur à Bruti sententia, quòd juxta illam, honesti ratio virtusque dolorem vincat.*

2. *A contrario docet, virtutem illic deesse, ubi dolor superat.*

3. *A com-*

3. A comparatione minorum per exempla tradit, dolorem à Philosopho vinci posse.

4. Rationem adfert, ob quam dolorem fortiter esse ferendum concludit.

1. SAtis mihi dedisti, Brute, cum respondisti, majus tibi videri malum dedecus, quam dolorem. Hoc enim si tenebis, intelliges quantum obsistendum sit dolori.

Hoc enim proposito tantùm excellet illud, quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus (quod idem interdum virtutis nomine complectimur) ut omnia, præter ea, quæ bona corporis & fortunæ putantur, perexigua & minuta videantur: nec malum quidem ullum, nec si unum in locum collata omnia sint, cum turpitudinis malo comparandum.

Quare si, ut initio concessisti, turpitudo pejus est, quam dolor, nihil est planè dolor. Nam tum tibi turpe, nec dignum viro videbitur, gemere, ejulare, lamentari, frangi, debilitari, dolere; tum honestas, tum decus aderit, tuque in ea intuebere, & te continebis. Cedet profectò virtuti dolor, & animi inductione languescet.

2. Aut enim nulla virtus, aut contemnendus est omnis dolor. Prudentiamne vis esse, sine qua nec intelligi quidem ulla virtus potest? Quid ergo? ea, patieturne te quicquam facere, nihil proficientem, & frustra laborantem? An temperantia sinet te immoderatè facere quicquam? an coli justitia poterit ab homine, propter vim doloris, enuntiante commissa, prodente socios, multa officia relinquente? Quid fortitudini, comitibusque ejus magnitudini animi, gravitati, patientiæ, rerum humanarum despicientiæ, quomodo respondebis? afflictusne, & jacens, & lamentabili voce deplorans, audies, *O virum fortem!* Te verò ita affectum, ne *virum* quidem dixerit quisquam. amittenda igitur fortitudo est, aut sepeliendus dolor. Num fortem virum, num magno animo, num patientem, num gravem, num humana contemnentem potes dicere Prometheum aut Philocteten illum? A te enim molo discere, sed ille certè non fortis, qui jacet in lectulo humido,

Qui ejulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando, multum flebiles voces refert.

Non

Non ego dolorem, dolorem esse nego, cur enim fortitudo desideraretur? sed eum opprimi dico patientia; si nulla est, quod exornamus Philosophiam? aut quid ejus nomine gloriosi sumus? pungit dolor, vel fodiat sanè. Si nudus es, da jugulum: sin tectus Vulcaniis armis, id est, fortitudine, resiste. hæc enim te, nisi ita facies, custos dignitatis relinquet & deseret.

3. Cretum quidem leges (quas sive Jupiter, sive Minos sanxit) de Jovis quidem sententia, ut Poëtæ ferunt, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Spartæ verò pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus è visceribus sanguis exeat, nonnunquam etiam, ut, cum ibi essem, audiebam, ad necem: quorum non modò nemo exclamavit unquam; sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt? & quod mos valet, ratio non valebit?

Hoc Spartiatæ etiam in fœminas transtulerunt, quâ cæteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur: illi autem voluerunt: nihil horum simile esse apud Lacænas virgines: Quibus magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia, studio est, quam fertilitas barbara. Ergo his laboriosis exercitationibus & dolor incurrit nonnunquam: feriuntur, impelluntur, abjiciuntur, cadunt; & ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori. militiam verò nostram dico, non Spartiatarum (quorum procedit ad modum, & tibiam, nec adhibetur ulla sine anapæstis pedibus adhortatio) quam laboriosa est? nostri exercitus primum unde nomen habeant, vides; deinde qui labor, quantus agminis. ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre siquid ad usum velint: ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, ut si usus foret, abjectis oneribus expeditis armis, ut membris pugnare possint. quid exercitatio legionum? quid ille cursus, clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in præliis paratus ad vulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem: mulier videbitur. Cur? tantum interest, inter novum & veterem exercitum, quantum experti sumus. ætas tyronum plerumque

que melior; sed ferre laborem, contemnere vulnus, consuetudo docet, &c. ergo hæc veteranus miles facere poterit: doctus vir sapiensque non poterit: ille viro melius, ac non paulo quidem. Sed de consuetudine adhuc exercitationis loquor, nondum de ratione & sapientia. aniculæ sæpe inediam biduum ac triduum ferunt. subduc cibum unum diem athletæ, Jovem Olympium eum ipsum, cui se exercebit, implorabit: ferre se non posse clamabit. consuetudinis magna vis est. pernoctant venatores in nive, in montibus, uri se patiuntur. inde pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem. Sed quid hos, quibus olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi homines, aut barbari, quas plagas perferunt? quomodo illi, qui benè instituti sunt, accipere plagam malunt, quàm turpiter vitare? quam sæpe apparet nihil eos malle, quàm vel domino satisfacere, vel populo? mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant, quid velint? si iis satisfactum non sit, se velle decumbere, quis mediocris gladiator, ingemuit? quis vultum mutavit unquam? quis non modò stetit. Verùm etiàm decubuit turpiter? quis cum decubuisset ferrum recipere jussus, collum contraxit? tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. Ergo hoc poterit: *Samnis spurcus homo, vitâ illa dignus locoque:* vir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione & ratione corroboret? crudele gladiatorum spectaculum, & inhumanum nonnullis videri solet: & haud scio, an ita sit, ut nunc fit. cum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multæ, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem & mortem disciplina.

4. De exercitatione & consuetudine, & commentatione dixi: age sis, nunc de ratione videamus: Sitne igitur malum dolor, necne, Stoici viderint, qui contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis, nec ad sensus permanantibus effici volunt, non esse malum dolorem. ego illud, quicquid sit, tantum esse, quantum videatur, non puto: falsaque ejus visione & specie moveri homines dico vehementius, doloremque ejus omnem esse tolerabilem. Unde igitur ordiar? an eadem breviter attingam, quæ modò dixi, quo facilius oratio progredi possit longius? Inter omnes igitur hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiam indoctos:

virorum

virorum esse fortium, & magnanimorum, & patientium, & humana vincentium, tolerantes dolorem pati: nec verò quisquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. quod ergo & postulatur à fortibus, & laudatur, cum sit, id aut extimescere veniens, aut non ferre præsens, nonne turpe est? atqui vide, ne, cum omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium: sed ab ea una, quæ cæteris excellat, omnes nominatæ sint, appellata est enim à viro virtus: viri autem propria maximè est fortitudo: cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius, si viri volumus esse, quoniam à viris virtus nomen est mutuata.

IMITATIO.

In militari virtute, vel etiam Christiana fortitudine laudanda, qua per gladios hostiles & vulnera, ad palmam contendit, spretis generosè doloribus, servire hac Chria imitaturo poterit. Quare ad M. Attilii Reguli, aut Scævolæ, aut Martyris etiam Christiani alicujus laudem hæc referri possunt.

Chria Verbalis II.

Beatam vitam in Phalaridis Taurum descensuram. Ita veteres Philosophi.

1. *Exorditur à Peripateticorum sententia, docetque turpe esse virtutem dolori succumbere.*
2. Exemplo & comparatione *puerorum apud Lacones, Mulierum Indarum & Ægyptiorum, denique & bestiarum dura sustinentium, ostendit dolorem posse superari.*
3. *Concludit fieri non posse, ut sapiens in dolore beatam vitam amittat.*

Cicero ad Brutum Tuscul. q. lib. 5. n. 76.

1. Me quidem autore Peripatetici veteresque Academici balbutire desinant aliquando, aperteque & clarâ voce audeant

audeant dicere; *beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.* Sint enim tria genera bonorum, dum corporis & externa jaceant humi · & tantummodo quia sumenda sunt, apellentur bona; alia autem divina illa (*virtutum bona*) longè lateque se pandant, cœlumque contingant.

Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius, is ardentes faces intentat; is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. huic igitur succumbet virtus? huic beata sapientis, & constantis viri vita cedet? quam turpe! ô Dii boni!

2. Pueri Spartiatæ non ingemiscunt verborum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedæmone vidimus ipsi incredibili contentione, certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique ut exanimarentur, priusquam se victos faterentur. Quæ barbara India vastior, aut agrestior? in ea tamen gente primùm ii, qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi nives, hiemalemque vim perferunt sine dolore: cumque ad flammam se applicuerint, sine gemitu aduruntur: Mulieres verò in India, cùm est cujusque earum vir mortuus, in certamen, judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerint. plures, singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, unà cum viro in rogum imponitur: illa victa, mæsta discedit. Nunquam naturam mos vinceret, est enim ea semper invicta. Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus: opinionibus, maloque more delinitum mollivimus. Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes privatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent: quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recusent.

De hominibus loquor. quid bestiæ? nonne frigus, nonne famem, nonne montivagos, atque silvestres cursus lustrationesque patiuntur? nonne pro suo partu ita repugnant, ut vulnera excipiant? nullos impetus, nullos ictus, reformident? omitto, quæ perferant, quæque patiuntur ambitiosi, honoris causa: laudis studiosi, gloriæ causa: amore incensi, cupiditatis: plena vita exemplorum est. Sed adhibeat oratio modum, & redeat illuc, unde defluxit. Dabit, dabit, inquam, se in tormenta vita beata: nec

justitiam, temperantiam, inprimisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta, cum tortoris os viderit, consistit; virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores, (ut ante dixi) limenque carceris.

Quid enim ea fœdius, quid deformius sola relicta, comitatu pulcherrimo segregata? quod tamen fieri nullo pacto potest, nec enim virtutes sine beata vita cohærere possunt, nec illa sine virtutibus.

3. Itaque eam tergiversari non sinent, secumque rapient, ad quemcunque ipsæ dolorem, cruciatumque ducentur. Sapientis est enim proprium, nihil quod pœnitere possit, facere, nihil invitum: splendidè, constanter, graviter, honestè omnia: nihil ita exspectare, quasi certò futurum: nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum, ac novum accidisse videatur: omnia ad suum arbitrium referre: suis stare judiciis. Quo quid sit beatius, nihil certè in mentem venire non potest.

IMITATIO.

Serviet de patientia, constantia, contemptu doloris, fortitudine in rebus adversis, ut in morbo, bello, injuriis, &c. scripturo: Latissimus enim hujus materiæ campus est.

Chria Verbalis III.

Quidam nunquam minus otiosi sunt, quam cum sunt otiosi.

Cic. lib. 3. offic. ubi pro exordio libri hac Chria utitur.

Cicero ad M. fil.

(*Exordium.*) P. Scipionem, M. fili, eum qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ferè ejus æqualis, *nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset.*

(*Expositio sententiæ, & applicatio ad seipsum.*) Magnifica

verò

vero vox, & magno viro, & sapiente digna, quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret; itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium & solitudo. Vellem & nobis hoc idem verè dicere liceret: sed, si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certè proximè accedimus. nam, & à Reipublicæ forensibusque negotiis, armis impiis, vique prohibiti, otium persequimur: & ob eam causam urbe relicta, rura peragrantes, sæpe soli sumus. Sed nec otium hoc cum Africani otio; nec solitudo cum illa comparanda est. ille enim, requiescens à reipubl. pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando, & à cœtu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat: nostrum autem otium negotii inopia, nec requiescendi studio, constitutum est. Extincto enim senatu, deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis, aut in curia, aut in foro agere possimus? Ita, qui in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & sæpe soli sumus.

Ratio, cum exemplo & comparatione Africani.

Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni; propterea & otio fruor, non illo quidem, quo debet is, qui quondam peperisset otium civitati; nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non voluntas. Quanquam Africanus majorem laudem, vel meo judicio assequebatur; nulla tamen ejus ingenii monumenta mandata literis, nullum opus otii, nullum solitudinis munus extat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, investigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum, nec solum unquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à solitudine abstrahamus, ad hanc scribendi operam omne studium curamque converti-


vertimus. Itaque plura brevi tempore, eversâ, quam multis annis, stante Republ. scripsimus. Sed cum tota Philosophia, mi Cicero, frugifera & fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tamen nullus ferocior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis: à quibus constanter honestèque vivendi præcepta ducuntur.

Conclusione hortatur filium, ut honestè vivendi officia audiat, & sequatur.

Quare, quanquam à Cratippo nostro, Principe hujus memoriæ Philosophorum, hoc te assiduè audire atque accipere confido; tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare, nec eas, si fieri possit, quicquam aliud audire. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi volunt; tamen haud scio, an nemini potius, quàm tibi. Sustines enim non parvam exspectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus præterea grave, & Athenarum, & Cratippi: ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem & urbis auctoritatem, & magistri; quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si dicendi labor est potius, quam voluptas) tantum fac, ut efficias; neve committas, ut cum omnia suppeditata sint à nobis, tibi defuisse videare.

IMITATIO.

Conveniet, si otium religiosi hominis, aut in contemplatione Dei rerumque divinarum, aut certè in studiis liberalibus sacrisque positum, cum labore profanorum hominum sæpe otioso atque inutili comparabis.



Chria

Chria Verbalis IV. reprehensiva.

Si violandum est jus, regnandi gratia violandum est

Ex Euripide Cic. lib. 3. offic.

1. *Negat exemplo Pompeji, qui augendæ potentiæ causa Cæsaris filiam, non optimi nominis, duxit. improbosque Euripidis versus rejicit, Cæsari familiares.*

2. *Regem fuisse Cæsarem popul. Rom. per nefas factum, sed infelicem, & ipsius conscientia, & exitu declarat.*

3. *Contra C. Fabricium commendat, quod legatum Pyrrhi hostis, proditorem sui Domini, captam remiserit; ne parum honestè hostem superasse videretur.*

Cicero ad M. fil.

Exordium.

Nulla res tanti est, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni splendorem ac nomen amittas. Quid enim est, quod adferre tantùm utilitas ista (quæ dicitur) possit, quantùm auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem justitiamque detraxerit? Nam quid interest, utrum ex homine se convertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ? Quid? qui omnia recta & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur; nonne id faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? utile enim videbatur plurimùm posse alterius invidia. Id quàm injustum in patriam, quàm inutile, quàm turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Græcos versus Euripidis de Phœnissis habebat: quos dicam, ut potero; inconditè fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi.

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Expositio & Ratio.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum solum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hæreditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? ecce tibi, qui Rex populi R. dominusque omnium gentium esse concupierit, idque patefecerit. Hanc cupiditatem si quis honestam esse dicit, amens est: probat enim legum & libertatis interitum, earumque oppressionem terram & detestabilem, gloriosam putat. Qui autem fateatur, honestum non esse, in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile, qua nunc objurgatione, aut quo potius convitio à tanto errore coner avertere? Potest enim, Dii Immortales, cuiquam esse utile fœdissimum, & teterrimum parricidium patriæ; quamvis eo, qui se obstrinxerit, ab oppressis civibus parens nominetur. Honestate igitur dirigenda utilitas est: & quidem sic, ut hæc duo verba inter se discrepare, sed tamen unum sonare videantur. Nunc abeo ad vulgi opinionem.

2. Ab Exemplo.

Quæ major utilitas, quàm regnandi esse possit? nihil contra inutilius ei, qui id injustè consecutus sit, invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. Possunt enim, cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni & nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima? *multi iniqui atque infideles regno, pauci boni sunt*, inquit Attius: at cui regno? quod à Tantalo & Pelope proditum jure obtinebatur. Nam quantò plures ei Regi putas, qui cum exercitu Pop. Rom. populum ipsum Romanum oppressisset, civitatemque non modò liberam, sed etiam gentibus imperantem sibi servire coëgisset? Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera? cujus autem vita ipsi potest utilis esse, cum ejus vitæ ea conditio sit, qui eam eripuerit, in maxima gratia futurus sit, & gloria.

3. A Con-

3. *A Contrario.*


Quod si hæc utilia non sunt, quæ maximè videntur, quia plena sunt dedecoris, ac turpitudinis; satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit. Quanquam id quidem. cùm sæpe aliàs, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio Consule iterum, & à Senatu nostro judicatum est. cùm enim Rex Pyrrhus Pop. Rom. bellum ultro intulisset; cumque de imperio certamen esset, cum Rege generoso ac potente; perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus: si præmium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque ejus factum à Senatu laudatum est. Atqui, si speciem utilitatis, opinionemque quærimus; magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adversarium imperii sustulisset; sed magnum dedecus & flagitium, qui cum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. Utrum igitur utilius, vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit; vel Senatui nostro, qui nunquam utilitatem à dignitate sejunxit? armis cum hoste certare, an venenis.

4. *Conclusio.*

Si gloriæ causa imperium expetendum est: scelus absit, in quo non potest esse gloria.

IMITATIO.

In pari materia hic locus serviet, si doceas Regem, qui publicæ utilitatis causa reipubl. præpositus est, non debere privatis commodis à suo officio retardari. vel, turpe esse, si suis regatur cupiditatibus, qui aliis hominibus imperat. vel, si quid patiendum sit, regni cœlestis causa patiendum esse, quod hoc regnum vim patiatur.



Chria V. Activa.

Socrates rectè mortem contempsit.

Cicero 1. Tuscul. q. n. 17.

1. *Exorditur ab ipsa* ratione, *quod animus simplex atque incompositus, corpore soluto interire non possit; sed cœlum petat, si hic integrè vixerit.*

2. Simili *à Cygno vicina morte læto*, & Magistratu *discessum imperante res illustratur.*

3. *Altera ratio à brevitate vitæ sumpta per* similitudinem *bestiolæ unius diei declaratur.*

4. Exemplo *Theramenis generoso mortis contemptu, venenum bibentis, & Socratis oratione (quæ ex societate justorum in futura vita sese solatur) mortem minimè timendam esse tradit.*

I. *Propositio cum ratione.*

In animi cognitione dubitare non possumus (nisi planè in Physicis plumbei sumus) quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certè nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptus earum artium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

Ab exemplo & autoritate.

His & talibus adductus Socrates, nec patronum quæsivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit: adhibuitque liberam contumaciam, à magnitudine animi ducta, non à superbia, & supremo vitæ die, de hoc ipso multa disseruit, & paucis ante diebus, cum facilè posset educi è custodia, noluit: & cum penè in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cœlum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaque disseruit: duas esse vias, duplicesque cursus animorum è cor-

è corpore excedentium, nam qui se humanis vitiis contaminassent, & se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati velut domesticis vitiis, atque flagitiis se inquinassent, vel in republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis demum quoddam iter esse, seclusum à concilio Deorum. Qui autem se integros, castosque servavissent, quibus minima fuisset cum corporibus contagio, sese que ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam comitati Deorum: his ad illos, à quibus essent profecti, reditum facilè patêre.

A similibus.

Itaque commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur, quâ providentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur; sic omnibus, & bonis, & doctis esse faciendum. Nec verò de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis sæpe usu venit, qui acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omninò amitterent. Sic mentis acies se ipsam intuens, nonnunquam hebescit: ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, [illegible]sitans, multa adversa reverens, tanquam ratis in mari immenso, nostra vehitur oratio.

Sed hæc & vetera, & à Græcis. Cato autem sic abiit è vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare, cum verò causam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: næ ille, medius fidius, vir sapiens, lætus, ex his tenebris, in lucem illam excesserit: nec tamen illa vincula carceris ruperit. Leges enim vetant. Sed tanquam à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo evocatus, atque emissus exierit. Tota enim Philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, cùm à voluptate, id est, à corpore, cùm re familiari, quæ est ministra, & famula corporis, cùm à republica, cùm à negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum advocamus, secum esse cogimus, maxmeque à corpore abducimus?

ducimus? secernere autem animum à corpore, nec quidquam aliud est, quàm emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos à corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile; & cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minùs tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cùm soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt, quo cùm venerimus; tum denique vivemus. Nam hæc quidem vita mors est, quam lamentari possem, si libêret.

3. *Ratio altera à simili.*

Apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant. Ex his igitur, hora octava, quæ mortua est, profecta ætate mortua est: quæ verò occidente sole, decrepita; eò magis, si etiam Solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum brevitate, quâ illæ bestiolæ, reperiemur. Contemnamus igitur omnes ineptias. Quod lævius huic levitati nomen imponam? totamque vim bene vivendi in animi robore, ac magnitudine & in omnium rerum humanarum contemptione, ac despicientia, in omni virtute probamus. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effœminamur, ut, si ante mors adventet, quam Chaldæorum promissa consecuti sumus, spoliati magnis quibusdam bonis, illusi, destitutique videamur. Quod si exspectando, & desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur; proh, dii immortales, quam optabiliter iter illud jucundum est, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit.

4. *Ab exemplis & autoritate.*

Quam me delectat Theramenes, quamque elato animo est? Etsi enim flemus, cum legimus; tamen non miserabiliter vir clarus emoritur, qui cum conjectus in carcerem, triginta jussu tyrannorum, venenum ut sitiens ebibisset, reliquum sic è poculo ejecit, ut id resonaret, quo sonitu reddito,
ridens

sidens, propino, inquit, hoc pulcro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sint. Lusit vir egregius extremo spiritu, cùm jam præcordiis conceptam mortem contineret: vereque ei, qui venenum præbuerat, mortem est eam auguratus, quæ brevi secuta est.

Quis hanc animi maximi æquitatem in ipsa morte laudaret, si mortem, malum judicaret? Vadit in eundem carcerem, atque ad eundem, paucis post annis, Scyphum, Socrates, eodem scelere judicum, quo tyrannorum, Theramenes. Quæ est igitur ejus oratio, quâ facit eum Plato usum apud judices, jam morte multatum? magna me, inquit, spes tenet, judices, bene mihi evenire, quòd mittar ad mortem. Necesse est enim, si alterum de duobus, ut aut sensus omninò mors omnes auferat, aut in alium quendam locum, ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem affert; dii boni, quid lucri est emori? aut quàm multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis est futura perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beatior? sin vera sunt, quæ dicuntur, migrationem esse mortem, in eas oras, quas, qui è vita excesserunt, incolunt; id multò jam beatius est, te, cum ab iis, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui verè judices appellentur. Minoem, Rhadamanthum, Æcacum, Triptolemum. Convenireque eos, qui justè, & cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri potest? ut verò colloqui cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem æstimatis? equidem sæpe mori, si fieri posset, vellem, ut ea, quæ dico, mihi liceret invenire, quanta delectatione autem afficeret, cùm Palamedem, cùm Ajacem, cùm alios, judicio iniquorum circumventos convenirem! tentarem etiam summi Regis, qui maximas copias duxit Trojam, & Ulyssis, Sisyphique prudentiam: nec ob eam rem, cum hæc exquiram, sicuti hic faciebam, morte damnarer. ne vos quidem Judices ii, qui me absolvistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo, ne mortuo; Nec unquam ejus res à Diis immortalibus negligentur, nec mihi ipsi hoc accidit

cidit fortuitò, nec verò iis, à quibus accusatus sum, aut à quibus condemnatus, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt.

IMITATIO.

In quorumvis Martyrum constantia, mortisque contemptu, & fortitudine dignis laudibus celebranda, hujus loci imitatio perquam utilis futura est: cum non paria tantùm Socrati aliisque mortis contemptoribus aggressi sint, sed longe etiam majora ausi.

Chria VI. Mixta.

Anaxagoras filii mortem æquo ferens animo dixit:

Sciebam me genuisse mortalem.

Cicero lib 3. Tusc. q. n. 30.

1. *Exorditur à dicto Anaxagoræ, cujus rationem exponit, confirmatque sententia Terentii, & moribus Socratis.*

2. *Tradit provisione mala levia fieri, contra opinionem, Epicuri.*

3. *Epicureos refutat, simulque* rationibus *solidis propriam firmat sententiam.*

4. *Virtutum præsidio dolorem mitigari ostendit, per elegantem* testimoniorum *Pythagoræ. Socratis, & Platonis introductionem.*

Cicero ad Brutum.

Propositio.

Anaxagoram ferunt, nuntiatâ morte filii dixisse, *Sciebam me genuisse mortalem*. Quæ vox declarat, iis esse hęc acerba, à quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non est dubium, quin omnia, quæ mala putantur, sint improvisa graviora. Itaque quanquam non hæc una res efficit maximam ægri-

ægritudinem: tamen quoniam multum poteſt proviſio animi, & præparatio ad minuendum dolorem, ſint ſemper omnia homini humana mediata. Et nimirum, hæc eſt illa præſtans & divina ſapientia, perceptas penitus, & pertractatas humanas res habere: nihil admirari, cùm acciderit, nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari.

A teſtimonio.

Quamobrem omnis, cum ſecundæ res ſunt maximè.
Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam ærumnam ferant:
Pericula, damna, exilia. peregrè rediens ſemper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc: fieri poſſe, ut nequid animo ſit novum.
Quidquid præter ſpem eveniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Ergo hoc Terentius à Philoſophia ſumptum, cum tam commodè dixerit, nos, è quorum fontibus, id hauſtum eſt, non & dicemus hoc meliùs, & conſtantius ſentiemus.

Ab exemplo.

Hic eſt enim ille vultus ſemper idem; quem dicitur Xantippe prædicare ſolita in viro ſuo fuiſſe Socrate, eodem vultu ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo, & revertentem, nec verò frons erat, quæ M. Craſſi illius veteris, quem ſemel ait in omni vita riſiſſe Lucilius: ſed tranquilla, & ſerena. Sic enim accepimus. Jure autem erat ſemper idem vultus, cum mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio.

Quare accipio equidem à Cyrenaicis hæc arma contra caſus, & eventus, quibus eorum advenientes impetus diuturna præmeditatione frangatur: ſimulque judicio, malum illud, opinionis eſſe, non naturæ. Si enim in re eſſent, cur fierent proviſa leviora.

A contrario teſtimonio.

1. Sed eſt, iiſdem de rebus, quod dici poſſit ſubtiliùs, ſi prius

si prius Epicuri sententiam viderimus: qui censet, necesse esse omnes in ægritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa, exspectata sint, sive inveteraverint. Nam neque vetustate minui mala, nec fieri præmeditata leviora: stultamque etiam esse meditationem futuri mali, aut fortasse nec futuri quidem: satis esse odiosum malum omne, cùm venisset: qui autem semper cogitavisset, accidere posse aliquid adversi, ei fieri illud sempiternum malum: si verò ne futurum quidem sit; frustra suscipi miseriam voluntariam: ita semper angi, aut accipiendo aut cogitando malo. Levationem autem ægritudinis in duabus rebus ponis, avocatione à cogitanda molestia, & revocatione ad contemplandas voluptates. Parêre enim censet animum rationi posse, &, quò illa ducat, sequi. Vetat igitur ratio intueri molestias: abstrahit ab acerbis cogitationibus. Hebetem aciem ad miserias contemplandas: à quibus cum cecinit receptui, impellit cursum, & incitat ad conspiciendas, totaque mente contrectandas varias voluptates: quibus ille & præteritarum memoria, & spe consequentium, sapientis vitam refertam putat.

Ratio cum adversariorum refutatione.

3. Hæc nostro more nos diximus, Epicurei dicunt suo. Sed, quæ dicant, videamus quo modo negligamus. Principio malè reprehendunt præmeditationem rerum futurarum. Nihil est enim, quod tam obtundat, elevetque ægritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod accidere non possit: quàm meditatio conditionis humanæ: quam vitæ lex commendatioque parendi, quæ non hoc affert, ut semper mœreamus, sed ut nunquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitæ varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, mœret cum hæc cogitat, sed tum vel maximè sapientiæ fungitur munere. Utrumque enim cōsequitur, ut & considerandis rebus humanis proprio Philosophiæ fruatur officio, & adversis casibus triplici consolatione sanetur. Primum, quod posse accidere diu cogitaverit, quæ cogitatio una maximè molestias omnes extenuat, & diluit: deinde, quod humana ferenda, intelligit: postremò, quod videt nullum malum esse, nisi culpam, culpam autem nul-

nullam esse, cùm id, quod ab homine non potuerit præstari, evenerit. Nam revocatio illa, quam affert, cum à contuendis nos malis avocat, nulla est, non est enim in nostra potestate fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio, vel oblivio. Lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinunt. Et tu oblivisci jubes, quod contra naturam est? quod à natura datum est auxilium, extorques, inveterati doloris? est enim tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas, & dies. Jubet me bona cogitare, oblivisci malorum. diceres aliquid, & magno quidem Philosopho dignum, si ea bona sentires esse, quæ essent homine dignissima.

Ab autoritate ratio firmatur.

4. Pythagoras mihi sic diceret, aut Socrates, aut Plato? Quid jaces? aut quid mæres? aut cur succumbis, cedísque fortunæ? quæ pervellere te forsitan potuerit, & pungere: non potuerit certè vires frangere: magna vis est in virtutibus, eas excita, si fortè dormiunt. Ita tibi aderit princeps fortitudo, quæ te tanto animo esse coget, ut omnia, quæ possint homini evenire, contemnas, & pro nihilo putes. Aderit temperantia, quæ est eadem moderatio, à me quidem paulò ante appellata fragilitas: quæ te turpiter, & nequiter facere nihil patiatur. Quid est autem nequius aut turpius affœminato viro? ne justitia quidem sinet ista facere, cui minimum esse videtur in hac causa loci: quæ tamen ita dicet, dupliciter te esse injustum, cùm & alienum appetas, qui mortalis natus, condicionem postules immortalium, & graviter feras, te, quòd utendum acceperis, reddidisse. Prudentiæ verò quid respondebis, dicenti virtutem se esse contentam, quo modo ad bene vivendum, sic & ad beatè? quæ si extrinsecus religata pendeat, & non oriatur ex se, & rursus ad se revertatur, & omnia sua complexa, nihil quærat aliunde: non intelligo, cur aut verbis tam vehementer ornanda, aut re tantoperè expetenda videatur. Ad hæc bona me si revocas, Epicure, pareo, sequor, utor te ipso duce, obliviscor etiam malo, ut jubes, eoque facilius, quod eo ne in malis quidem ponenda censeo.

IMITATIO.

In consolatoriis literis orationibusque sive ob mortem, sive ob aliam calamitatem institutis imitanti hæc servient. Erit etiam locus imitationi, si viri, aut facti cujuspiam, generosi, patientis, fortis, in ferendis præsertim adversis, laudes prosequaris.

SENTENTIA.

Quid honestum sit, id solum bonum esse.

Cicero Paradoxo I.

Quâ sententiâ probatâ, opes & voluptates negat in bonis esse habendas.

Exordium cum propositione.

Vereor ne cui vestrûm ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc videatur oratio: dicam tamen quod sentiam: & dicam breviùs, quam res tanta dici possit. Nunquam me Herculè ego, neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maximè adstricti sunt, voluptates, in bonis rebus numerandas esse duxi.

Ratio.

Quippe cùm viderem, homines rebus his circumfluentes, ea tamen desiderare maximè, quibus abundarent. Neque enim unquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis: neque ea solùm, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum, Majorum nostrorum, sæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla, & commutabilia pecuniæ membra, solo verbo bona putaverint appellanda; cum re ac factis longè aliter judicavissent. Poteſtne bonum cuiquam malo esse, aut potest quisquam, in abundantia bonorum,

bonorum, ipse esse non bonus? Atqui ista omnia, talia videmus, ut etiam improbi habeant, & obsint probis Quamobrem licet irrideat, si quis velit: plus apud me vera ratio valebit, quam vulgi opinio. Neque ego unquam illum bona perdidisse dicam, si quis pecus, aut supellectilem amiserit.

A testimonio.

Nec non sæpè laudabo sapientem illum Biantem; ut opinor, qui enumeratur inter septem Sapientes: cujus cum patriam Prienem cepisset hostis, cæterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent: cum esset admonitus à quodam, ut idem ipse faceret: Ego verò, inquit, facio. Nam *omnia mea porto mecum*: Illa hæc ludibria fortunæ, ne sua quidem putavit, nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quæret aliquis, bonum? si quid rectè fit, & honestè, & cum virtute, id bene fieri & rectè dicitur: &, quod rectum & honestum, & cum virtute est, id solum opinor bonum.

Ab exemplis.

Sed hæc videri possunt obscuriora, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur. Vita atque factis illustranda sunt summorum virorum hæc, quæ verbis subtilius, quàm satis est, disputari videntur. Quæro enim à vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc remp. tam præclarè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut argenti ad avaritiã, aut amœnitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque Regum. Vultis, incipiam à Romulo? vultis post liberam civitatem, ab iis ipsis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in cœlum: iisnè, quæ isti bona appellant? an rebus gestis, atque virtutibus? Quid autem Numa Pompilius? minusvé gratas Diis immortalibus capedines, ac fictiles urnulas fuisse, quàm delicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos: sunt enim omnes pares inter se, præter superbum, Brutum verò si quis roget, quid

egerit, in patria liberanda: si quis item reliquos ejusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis existat, cui voluptas, cui divitiæ, cui denique, præter officium fortis, & magni viri, quidquam aliud propositum videatur? Quæ res ad necem Porsennæ Q. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suæ? Quæ vis Horatium Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quæ patrem Decium, qui filium devovit, atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabritii, quid tenuitas victus M. Curii, sequebatur? Quid duo illa propugnacula belli Punici, Cn. & P. Scipiones, qui Carthaginensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Africanus major? quid minor? quid inter horum ætates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? nam domesticis exemplis abundamus. An putamus quemquam horum cogitasse quidquam in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse, & præclarum videretur? Veniant igitur irrisores hujus orationis, ac sententiæ: & jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis; qui cælato auro, & argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint.

Objectio.

Atque hæc quidem, quæ modò huc, modò illuc transferuntur, facilè adduci solent, ut in rebus bonis esse negent: illud tamen accuratè tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quæ quidem vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cùm tibi, sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius: sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquid putes interesse? Quidquamné bonum est, quod non eum, qui possidet, meliorem faciat: Ut enim quisque est maximè boni particeps, ita & laudabilis maximè: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habet, honestè possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? Melioremné efficit, aut laudabiliorem virum? an

an quisquam in potiundis voluptatibus gloriâ sese, & prædicatione effert.

Conclusio.

Atqui si voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est: eaque, quo est major, eò magis mentem è sua sede, & statu dimovet: profectò nihil est benè, & beatè vivere, nisi honestè, & rectè vivere.

IMITATIO.

In mundi, opum, honoris, voluptatis contemptu, virtutumque atque æternæ felicitatis consequendæ studio collaudando, sive etiam honesto fine actionum nostrarum commendo, hic locus utiliter legetur.

Appendix & observatio.

Hæc petita è priscis exempla sufficient, quibus facilè intelliges, quis qualisque apud Priscos fuerit Chriarum & sententiarum usus; quis in continua oratione, unde hæ pleræque deprompatæ sunt, hodiedum esse possit.

Porrò eadem ratione leges latas, aut etiam Symbola à sapientibus atque heroicis viris lemmate aliquo sententioso expressa, vel apophthegmata ornare atque amplificare poteris. Pono exempli gratia septem Græciæ Sapientum pronuntiata, singula singulis propria, quæ Ausonius his versibus complexus est.

Septenis patriam sapientum, Nomina, Voces
Versibus expediam, sua quemque monosticha dicent.
CHILO, *cui patria est Lacedæmon,* nosse seipsum.
PERIANDER *trepidam* moderare *Corinthius* iram.
Et Mitylenæis, nimium nil, PITTACUS *oris.*
Mensura optimum, *ait* CLEOBOLUS *Lyndius* in re:
Et spectare SOLON finem *docet ortus Athenis.*
Plures *esse* BIAS pravos *quem clara Priene*
Mileti, fugisse THALES vadimonia, *alumnus.*

Hæc ex pluribus, quibus omnes passim libri implentur, exempla ob celebre horum Sapientum apud scriptores nomen, suppeditare volui.

Cæterum in *Palæstra styli* de sententiis non pauca quoque subministravi, quibus hac de re acquiesco. In *Exercitationibus orator.* plura etiam Chriarum & sententiarum non inamœna exempla reperies.



Palæ-



Palæstræ Oratoriæ
LIBER III.
De propriis Rhetorum, & Oratorum exercitationibus.

CAPUT I.

Quid in hoc libro autor, & quo fine, usuque studiorum tractet.

IAm ad suprema denique hujus oratoriæ palæstræ exercitia mentes manusque aptandæ sunt. Leviora decurrimus. Non hic istis amplius velitationibus præludendum est, aut in campo Martio ad rudimenta militiæ juventus erudienda est, sed ipsa in acie standum, plenisque manipulis concurrendum est, rationes pro telis, figuræ pro arte pugnandi futuræ sunt, impellendi tamen animi, non corpora; occupanda voluntas, non regio est, vincit, non qui sternit invitos, sed qui persuadet volentibus. Mitior omnino hæc victoria sine vulnere ac sanguine est, triumphus sine cujusquam ignominia gloriosior.

Huc avidum oratorem deduco, arte quidem non inexplorata hactenus, sed ea, qua melior ratione, nondum omnino hactenus tentata. Totus in Ciceronem imitatione exprimendum feror. Huic uni exercitio posthabeo omnia. Sed usu non promiscuo, ut hodie amant: labore longo, & sæpius sterili. Valde à seipso Cicero diffidet, magis quidem jejunitate materiæ, quam orationis. In spinosos sæpe campos, ita causa urgente, impellitur, huc velle passim absque delectu consequi, tempus studiumque prodigere est. Illuc inhærendum pascendusque animus est,

 ubi

ubi rebus faventibus læta efflorescit oratio. Hunc ego laborem, aliorum laboribus sublevandis adii. Delectuque instituto illud egi, ut ornatissima lectissimaque dicendi exempla, cuique eloquentiæ studioso ad manus essent.

Sed & corporis in oratione totius rationem habendam duxi, ut non minus constaret, quâ argumentorum velut in aciem ad pugnandum digestorum, dispositione Cicero usus esset, quam quâ dicendi arte eadem instruxisset. Illud tamen minoris longè est operæ, quanquam judicii plerumque majoris. Ætas inveniendi rationem facilitas, artem ornatè eloquendi vix subministrat. Quia tamen elocutio sine inventione vana est, inventio sine elocutione contempta. Utrumque oratori studium est excolendum. Dispositioni etiam, quamvis captu facilis sit, suus honor cultusque tribuendus: ne rationes, tanquam indigestus in aciem miles, pugnent sine victoria.

Dedi igitur operam ut hæc omnia ex M. Tullio, velut in brevi tabella, magis exemplis, quàm præceptis inculcarem. In orationibus Ciceronis totam argumentorum seriem, sub una generali quæstione vel argumentatione complexus sum, ut tam fundamentum illius, quam rationum inventio, & dispositio prima fronte occurreret, lectorque atque imitator totius vim orationis intelligere, penetrare, ac sequi imitando posset.


Iterum, ut majori studiorum compendio, optima quæque atque ad elocutionem maximè profutura scribendo sectaretur, habito delectu in ordinem illa digessi, quo utiliter per eadem imitando ferri studiosus eloquentiæ possit; tum verò magnum etiam Magistris, ad idoneam scribendi materiam discipulis suppeditandam, emolumentum attuli. Quod si, evoluta rerum historia, explicatius aliquantò illorum calamo, & ad Ciceronem accommodatè subjecerint, ac deinde per varia imitandi genera, quæ in *Palæstra styli*, dedi, sequi jusserint, brevi, experientur, quantò ad eloquentiam progressu maturiores incedant. Illud affirmare expertus possum, uno anno alterove, quo hac methodo usus sum, tam luculento quosdam ad eloquentiam profecisse scribendi genere; ut facili magnaque copia calamum ducerent, ac sæpe difficile mihi esset, illorum scriptionem à Tulliano

liano stylo discernere. Me vero tum etiam anteacti laboris tædere cœpit, quo alia illa diu, ac ne quicquam, viâ tentassem, quod tam expeditâ ipsi essent assecuti. Ita discipulorum exemplo nonnunquam Magistri discimus.

Hunc igitur sequar ordinem. Ut primò orationes Ciceronis illâ, quâ vulgantur per volumina tria distributione, in sua resolvam principia, quo facilius ea legendo penetrare studiosus possit, subjecta etiam censura, ut quæ imitatione dignissima sint meo judicio obiter signem.

Deinde præcipua orationum genera & partes illas, quibus potissimum studioso adolescenti immorandum, exemplis lectissimis & imitationi opportunis ita decurram, ut quæ plus habent difficultatis, pluribus etiam exemplis ex Cicerone Plinioque Secundo (qui in encomiasticis illi tam propinquus laude, quam dissimilis oratione est) illustrentur. Brevi semper & explicatione præmissa, & applicatione subjecta, ut hinc facem ad intelligendum præferam, inde ad imitandum calcar addam.

Denique hoc agam, ut quæ eloquentiæ primum debet esse fundamentum inventio, semper quibus ex fontibus petita præcipuè sit, non ignoretur. Si qua enim ad eloquentiam aspiranti cura adhibenda est, illa inprimis esse debet. Ut non tantum intelligat, quibus ex fontibus inventio argumentorum petenda sit, verùm etiam quemadmodum deprompta illinc ratio diducenda & amplificanda. Cujus summum in Ciceronis distinctione artificium est.



CAPUT II.

Quemadmodum his tam Magistri, quàm Discipuli ad profectum in eloquentia uti possint.

DEdi instituti mei rationem ordinemque, nunc quemadmodum docendo Magistri, Discipuli verò discendo, hoc in suum vertere commodum possint, videamus.

Principio Magister inventionis curam pro Discipulis prolixiori aliquantò scriptionis argumento subeat, digito tamen semper in fontem unde argumentum hausit intento, ut hoc ipsi exemplo sequi discant, eandemque pari in re viam terant.

Deinde hoc à discipulis potissimum studium deposcat; ut quam subjecit calamo materiem rudem incultamque, hanc illustrioribus figuris, (quas etiam verbo præscribet) ad ornatum Rhetore dignum excolant. Neque de verborum figuris magnopere laborandum erit, aut sententiarum omnes operosè urgendæ sunt. Etenim vulgares spontè affluent, satisque has erit solo, ut ita dicam, nomine ac vultu dignoscere. De nobilioribus cogitandum est sæpius, ut hæ in familiaritatem traducantur. Quarum expeditum variumque usum Transitiones nostræ oratoriæ lib I. suppeditabunt. Sed hic labor cum facilis sit, diuturnus esse non debet. Mensis unus ad omnem figurarum apparatum & noscendum & comparandum etiam nimius est. Paucæ sunt, quibus hæc cura debeatur, & tam raræ pleræque ut sensum feriant, & bis terve usurpatæ in consuetudinem admittantur.

Judicium suo loco adhibendi ætas acuet, & lectio Tulliana limabit. In hoc verò exercitio, juverit nonnunquam illa, quæ ex Cicerone deprompsimus exempla, aut siquæ in manibus adolescentum sunt alia, verbis phrasibusque, quantùm licet, retentis, alio tantum figurarum induere habitu. Magnum enim hinc ad omnem imitationem accedet scribenti emolumentum; cum figurarum promptior omninò sit, quam verborum phrasiumque, permutatio.

Ter-

Tertiò ad ipsam inveniendi disciplinam ita adolescens traducendus est, ut & illa quæ in quovis dicendi genere maximè per distributos à me fontes, investiganda sint apprehendat, & quemadmodum ex quibusque copiosè hauriendum sit fontibus, non ignoret. In his enim duobus tota copiosè ac victoriosè disserendi ratio continetur. Solo enim verborum & figurarum lenocinio non perfringes animos præsertim obluctantes, vi ac pondere rationum contendendum est. quibus cum habilis ornataque dicendi facultas accesserit, quidvis obtinebis. Hanc ad rem serviet inprimis illa œconomia orationum Ciceronis: sub una ferè propositione à me exhibita Ut hic velut in tabella ostendas, quemadmodum Cicero, per diversa idem urserit propositum argumenta, & quibus illa fontibus deprompserit, tum deinde ad unius facti, argumentique à me exhibiti exemplum transeas, & qua illud ratione uno pluribusve ex locis amplificaverit, demonstres primò, ac simili postea materià (qualem ferè subjeci) jubeas imitando sectari. Via nulla ad eloquentiam expeditior est. Huic igitur exercitio, per omnes orationis partes, studiosè immorandum, huc omnis conferenda industria, cùm Magistris, tum discipulis est. Nihil verò Magistris hac ratione poterit esse promptiùs, quodque minori ipsi labore præstent, discipuli tractent utiliore.

Nam & ipsi orationes, quæ in manibus adolescentum ex more sunt, omnes facili expositioue decurrent, summam rerum inculcando, nobiliora passim loca, transmissis minus illustribus, imitationi, præfigendo: & discipulo nihil eorum fugiet, quæ in illis observatione digna recondantur, cum aliàs scientiam omnem in libris, tanquam clausum in vagina gladium gerant. quos principio anni assumant, in fine, parvo ad eloquentiam emolumento, rursum deponant.

Quartò præcipua discipulorum cura sit, in scholis advigilare, quemadmodum idem ex Tullio prototypon, diverso à diversis imitanti labore ac colore expressum est, quidque in cæteris Magister inprimis probet, quid emendet, ác de suo adijciat.

Quod si etiam attulerit Magister suo Marte elabora-

ctus, & solers instructor, absolutissima docendi disciplina redditur.

Porrò & illud laudaverim, quod magna studii commendatione à nonnullis vidi præstitum, ut nonnunquam aliam, vel ex Livio causam, belli domive inter diversas partes agitatam, vel ex ipso etiam Cicerone pro rostris, aut in curia ventilatam producerent, tum deinde veteres ex Rosino aliisve depromptos ritus, leges, habitumque, jucunda priscorum temporum imagine, spectatoribus objicerent: illorum, quantum liceret, verbis sententiisque dicentium uterentur. Qua quidem exercitatione non intelligo, quid eruditis spectatoribus possit esse jucundius, quid adolescentibus utilius, quid ipsis facilius Præceptoribus? e. g. Agitur contra Verrem repetundarum à Siculis postulatum. Instruitur Romani judicii forma, Actor, Judices, Testesque Siculi suo quisquis habitu, sua dicendi ratione audiuntur. Quodque Tullianæ orationi, aut adjunctum, aut interpositum fuisse creditur, hoc Magistri ingenio ac labore suppletur. Aliàs deliberatio ex iisdem autoribus instituitur, e.g. de Ciceronis domo, rectene illa fuerit Libertati a Clodio consecrata? hic Pontifices adsint, & testes, qui de ritibus consecrationis male adhibitis, Cicerone provocante, doceant. Augeres explorent, num auspicatò Dea Libertas efferri, ac Cicero reduci possit? utrumque judicetur, ac fiat. Operarii etiam à Senatu mittantur, qui diruta rursum exstruant. Pontifici summo felicem Ciceroni reditum præcanti. Aliàs gratulatio publica, e. g. Ciceroni in urbem recepto per omnes Italiæ ordines præstita instituatur, cui deinde ipse Gratiarum actionem subjiciat. Aliàs ex Livio bellum aliquod solenni ritu per feriales denuncietur, ultro citroque Legatorum orationes pro bello aut pace audiantur, consuetisque hæc ritibus peragentur.

Quod si tamen quippiam ex posterioribus sumptum temporibus atque imitatione expressum fuerit, usu quoque legibusque temporum res gerenda est. Quocirca hodiernos judiciorum ritus, præter veteres de Antiquatibus in *Palæstra styli* adjeci; ut & his aptari causæ possent, ac veluti per quendam eloquentiæ ludum, sicut in tesseris pueri lite-

litterarum signa, ita adolescentes hanc satis implicatam judicandi rationem capere.

Certè ut pleræque Ciceronis Orationes judicium spectant, ita minimè difficilis fatura est illa rituum legumque præsentium introductio, si causæ causis, tempora temporibus permutentur.

His ad communem quâ Magistrorum, quà discipulorum instructionem præmissis, ad ipsam Tullianarum Orationum expositionem venio, ut & legere has adolescens cum judicio, & imitari cum fructu possit.

CAPUT III.

Ratio & ordo, in artificio Tullianarum Orationum exponendo, & ad imitationem proponendo, observatus.

QUod in Palæstra Eloquentiæ ligatæ, in Virgilio Poëtarum Principe, tanquam idea perfectissima, exponendo, præstiti: dum conceptus, amplificationemque argumentorum brevi methodo complexus sum, aliaque simul imitationi idonea suggessi; hic non censui omittendum: ne in præcipua eloquentiæ parte, tanquam epilogo instructionis meæ, quâ facilitatem copiamque omnibus ad hæc studia comparare conatus sum, remissius videar, pro illorum emolumento, desudasse.

Age igitur, mi Lector, & velut in parva imagine optimi Oratoris Tullii lineamenta pulcherrima expressa accipe.

1. Quidem totius Orationis locum, tempus, actores, & auditores, ex quibus judicium facies de accommodata non rebus tantum, sed & temporibus personisque dictione, quæ ratio prudenti cuivis Oratori est observanda.

2. Intelliges argumentum, seu quæstionem propositam, cujus summam tibi plenius, cum suis adjunctis historia Ciceronis à me superius data exponet.

3. Argumento universali totam Orationis vim, & quasi

ctus, & solers instructor, absolutissima docendi disciplina redditur.

Porrò & illud laudaverim, quod magna studii commendatione à nonnullis vidi præstitum, ut nonnunquam aliam, vel ex Livio causam, belli domive inter diversas partes agitatam, vel ex ipso etiam Cicerone pro rostris, aut in curia ventilatam producerent, tum deinde veteres ex Rosino aliisve depromptos ritus, leges, habitumque, jucunda priscorum temporum imagine, spectatoribus objicerent: illorum, quantum liceret, verbis sententiisque dicentium uterentur. Qua quidem exercitatione non intelligo, quid eruditis spectatoribus possit esse jucundius, quid adolescentibus utilius, quid ipsis facilius Præceptoribus? e. g. Agitur contra Verrem repetundarum à Siculis postulatum. Instruitur Romani judicii forma, Actor, Judices, Testesque Siculi suo quisquis habitu, sua dicendi ratione audiuntur. Quodque Tullianæ orationi, aut adjunctum, aut interpositum fuisse creditur, hoc Magistri ingenio ac labore suppletur. Aliàs deliberatio ex iisdem autoribus instituitur, e.g. de Ciceronis domo, rectène illa fuerit Libertati à Clodio consecrata? hic Pontifices adsint, & testes, qui de ritibus consecrationis male adhibitis, Cicerone provocante, doceant. Augeres explorent, num auspicatò Dea Libertas efferri, ac Cicero reduci possit? utrumque judicetur, ac fiat. Operarii etiam à Senatu mittantur, qui diruta rursum exstruant. Pontifici summo felicem Ciceroni reditum præcanti. Aliàs gratulatio publica, e. g. Ciceroni in urbem recepto per omnes Italiæ ordines præstita instituatur, cui deinde ipse Gratiarum actionem subjiciat. Aliàs ex Livio bellum aliquod solenni ritu per feriales denuncietur, ultro citroque Legatorum orationes pro bello aut pace audiantur, consuetisque hæc ritibus peragentur.

Quod si tamen quippiam ex posterioribus sumptum temporibus atque imitatione expressum fuerit, usu quoque legibusque temporum res gerenda est. Quocirca hodiernos judiciorum ritus, præter veteres de Antiquatibus in *Palæstra styli* adjeci, ut & his aptari causæ possent, ac veluti per quendam eloquentiæ ludum, sicut in tesseris pueri lite-

litterarum signa, ita adolescentes hanc satis implicatam judicandi rationem capere.

Certè ut pleræque Ciceronis Orationes judicium spectant, ita minimè difficilis fatura est illa rituum legumque præsentium introductio, si causæ causis, tempora temporibus permutentur.

His ad communem quâ Magistrorum, quà discipulorum instructionem præmissis, ad ipsam Tullianarum Orationum expositionem venio, ut & legere has adolescens cum judicio, & imitari cum fructu possit.

CAPUT III.

Ratio & ordo, in artificio Tullianarum Orationum exponendo, & ad imitationem proponendo, observatus.

QUod in Palæstra Eloquentiæ ligatæ, in Virgilio Poetarum Principe, tanquam idea perfectissima, exponendo, præstiti: dum conceptus, amplificationemque argumentorum brevi methodo complexus sum, aliaque simul imitationi idonea suggessi; hic non censui omittendùm: ne in præcipua eloquentiæ parte, tanquam epilogo instructionis meæ, quâ facilitatem copiamque omnibus ad hæc studia comparare conatus sum, remissius videar, pro illorum emolumento, desudasse.

Age igitur, mi Lector, & velut in parva imagine optimi Oratoris Tullii lineamenta pulcherrima expressa accipe.

1. Quidem totius Orationis locum, tempus, actores, & auditores, ex quibus judicium facies de accommodata non rebus tantum, sed & temporibus personisque dictione, quæ ratio prudenti cuivis Oratori est observanda.

2. Intelliges argumentum, seu quæstionem propositam, cujus summam tibi plenius, cum suis adjunctis historia Ciceronis à me superius data exponet.

3. Argumento universali totam Orationis vim, & quasi

ctus, & solers instructor, absolutissima docendi disciplina redditur.

Porrò & illud laudaverim, quod magna studii commendatione à nonnullis vidi præstitum, ut nonnunquam aliam, vel ex Livio causam, belli domive inter diversas partes agitatam, vel ex ipso etiam Cicerone pro rostris, aut in curia ventilatam producerent, tum deinde veteres ex Rosino aliisve depromptos ritus, leges, habitumque, jucunda priscorum temporum imagine, spectatoribus objicerent: illorum, quantum liceret, verbis sententiisque dicentium uterentur. Qua quidem exercitatione non intelligo, quid eruditis spectatoribus possit esse jucundius, quid adolescentibus utilius, quid ipsis facilius Præceptoribus? e. g. Agitur contra Verrem repetundarum à Siculis postulatum. Instruitur Romani judicii forma, Actor, Judices, Testesque Siculi suo quisquis habitu, sua dicendi ratione audiuntur. Quodque Tullianæ orationi, aut adjunctum, aut interpositum fuisse creditur, hoc Magistri ingenio ac labore suppletur. Aliàs deliberatio ex iisdem autoribus instituitur, e.g. de Ciceronis domo, rectène illa fuerit Libertati à Clodio consecrata? hic Pontifices adsint, & testes, qui de ritibus consecrationis male adhibitis, Cicerone provocante, doceant. Augeres explorent, num auspicatò Dea Libertas efferri, ac Cicero reduci possit? utrumque judicetur, ac fiat. Operarii etiam à Senatu mittantur, qui diruta rursum exstruant. Pontifici summo felicem Ciceroni reditum præcanti. Aliàs gratulatio publica, e. g. Ciceroni in urbem recepto per omnes Italiæ ordines præstita instituatur, cui deinde ipse Gratiarum actionem subjiciat. Aliàs ex Livio bellum aliquod solenni ritu per feriales denuncietur, ultro citroque Legatorum orationes pro bello aut pace audiantur, consuetisque hæc ritibus peragentur.

Quod si tamen quippiam ex posterioribus sumptum temporibus atque imitatione expressum fuerit, usu quoque legibusque temporum res gerenda est. Quocirca hodiernos judiciorum ritus, præter veteres de Antiquatibus in *Palæstra styli* adjeci; ut & his aptari causæ possent, ac veluti per quendam eloquentiæ ludum, sicut in tesseris pueri

lite-

litterarum signa, ita adolescentes hanc satis implicatam judicandi rationem capere

Certè ut pleræque Ciceronis Orationes judicium spectant, ita minimè difficilis fatura est illa rituum legumque præsentium introductio, si causæ causis, tempora temporibus permutentur.

His ad communem quâ Magistrorum, quà discipulorum instructionem præmissis, ad ipsam Tullianarum Orationum expositionem venio, ut & legere has adolescens cum judicio, & imitari cum fructu possit.

CAPUT III.

Ratio & ordo, in artificio Tullianarum Orationum exponendo, & ad imitationem proponendo, observatus.

QUod in Palæstra Eloquentiæ ligatæ, in Virgilio Poëtarum Principe, tanquam idea perfectissima, exponendo, præstiti: dum conceptus, amplificationemque argumentorum brevi methodo complexus sum, aliaque simul imitationi idonea suggessi; hic non censui omittendum: ne in præcipua eloquentiæ parte, tanquam epilogo instructionis meæ, quâ facilitatem copiamque omnibus ad hæc studia comparare conatus sum, remissius videar, pro illorum emolumento, desudasse.

Age igitur, mi Lector, & velut in parva imagine optimi Oratoris Tullii lineamenta pulcherrima expressa accipe.

1. Quidem totius Orationis locum, tempus, actores, & auditores, ex quibus judicium facies de accommodata non rebus tantum, sed & temporibus personisque dictione, quæ ratio prudenti cuivis Oratori est observanda.

2. Intelliges argumentum, seu quæstionem propositam, cujus summam tibi plenius, cum suis adjunctis historia Ciceronis à me superius data exponet.

3. Argumento universali totam Orationis vim, & quasi

ctus, & solers instructor, absolutissima docendi disciplina redditur.

Porrò & illud laudaverim, quod magna studii commendatione à nonnullis vidi præstitum, ut nonnunquam aliam, vel ex Livio causam, belli domive inter diversas partes agitatam, vel ex ipso etiam Cicerone pro rostris, aut in curia ventilatam producerent, tum deinde veteres ex Rosino aliisve depromptos ritus, leges, habitumque, jucunda priscorum temporum imagine, spectatoribus objicerent: illorum, quantum liceret, verbis sententiisque dicentium uterentur. Qua quidem exercitatione non intelligo, quid eruditis spectatoribus possit esse jucundius, quid adolescentibus utilius, quid ipsis facilius Præceptoribus? e. g. Agitur contra Verrem repetundarum à Siculis postulatum. Instruitur Romani judicii forma, Actor, Judices, Testesque Siculi suo quisquis habitu, sua dicendi ratione audiuntur. Quodque Tullianæ orationi, aut adjunctum, aut interpositum fuisse creditur, hoc Magistri ingenio ac labore suppletur. Aliàs deliberatio ex iisdem autoribus instituitur, e.g. de Ciceronis domo, rectene illa fuerit Libertati à Clodio consecrata? hic Pontifices adsint, & testes, qui de ritibus consecrationis male adhibitis, Cicerone provocante, doceant. Augeres explorent, num auspicatò Dea Libertas efferri, ac Cicero reduci possit? utrumque judicetur, ac fiat. Operarii etiam à Senatu mittantur, qui diruta rursum exstruant. Pontifici summo felicem Ciceroni reditum præcanti. Aliàs gratulatio publica, e. g. Ciceroni in urbem recepto per omnes Italiæ ordines præstita instituatur, cui deinde ipse Gratiarum actionem subjiciat. Aliàs ex Livio bellum aliquod solenni ritu per feriales denuncietur, ultro citroque Legatorum orationes pro bello aut pace audiantur, consuetisque hæc ritibus peragentur.

Quod si tamen quippiam ex posterioribus sumptum temporibus atque imitatione expressum fuerit, usu quoque legibusque temporum res gerenda est. Quocirca hodiernos judiciorum ritus, præter veteres de Antiquatibus in *Palæstra styli* adjeci, ut & his aptari causæ possent, ac veluti per quendam eloquentiæ ludum, sicut in tesseris pueri lite-

litterarum signa, ita adolescentes hanc satis implicatam judicandi rationem capere.

Certè ut pleræque Ciceronis Orationes judicium spectant, ita minimè difficilis fàtura est illa rituum legumque præsentium introductio, si causæ causis, tempora temporibus permutentur.

His ad communem quâ Magistrorum, quà discipulorum instructionem præmissis, ad ipsam Tullianarum Orationum expositionem venio, ut & legere has adolescens cum judicio, & imitari cum fructu possit.

CAPUT III.

Ratio, & ordo, in artificio Tullianarum Orationum exponendo, & ad imitationem proponendo, observatus.

QUod in Palæstra Eloquentiæ ligatæ, in Virgílio Poëtarum Principe, tanquam idea perfectissima, exponendo, præstiti: dum conceptus, amplificationemque argumentorum brevi methodo complexus sum, aliaque simul imitationi idonea suggessi; hic non censui omittendum: ne in præcipua eloquentiæ parte, tanquam epilogo instructionis meæ, quâ facilitatem copiamque omnibus ad hæc studia comparare conatus sum, remissius videar, pro illorum emolumento, desudasse.

Age igitur, mi Lector, & velut in parva imagine optimi Oratoris Tullii lineamenta pulcherrima expressa accipe.

1. Quidem totius Orationis locum, tempus, actores, & auditores, ex quibus judicium facies de accommodata non rebus tantum, sed & temporibus personisque dictione, quæ ratio prudenti cuivis Oratori est observanda.

2. Intelliges argumentum, seu quæstionem propositam, cujus summam tibi plenius, cum suis adjunctis historia Ciceronis à me superius data exponet.

3. Argumento universali totam Orationis vim, & quasi

CAPUT II.

Quemadmodum his tam Magistri, quàm Discipuli ad profectum in eloquentia uti possint.

DEdi instituti mei rationem ordinemque, nunc quemadmodum docendo Magistri, Discipuli verò discendo, hoc in suum vertere commodum possint, videamus.

Principio Magister inventionis curam pro Discipulis prolixiori aliquantò scriptionis argumento subeat, digito tamen semper in fontem unde argumentum hausit intento, ut hoc ipsi exemplo sequi discant, eandemque pari in re viam terant.

Deinde hoc à discipulis potissimum studium deposcat; ut quam subjecit calamo materiem rudem incultamque, hanc illustrioribus figuris, (quas etiam verbo præscribet) ad ornatum Rhetore dignum excolant. Neque de verborum figuris magnopere laborandum erit, aut sententiarum omnes operosè urgendæ sunt. Etenim vulgares spontè affluent, satisque has erit solo, ut ita dicam, nomine ac vultu dignoscere. De nobilioribus cogitandum est sæpius, ut hæ in familiaritatem traducantur. Quarum expeditum variumque usum Transitiones nostræ oratoriæ lib I. suppeditabunt. Sed hic labor cum facilis sit, diuturnus esse non debet. Mensis unus ad omnem figurarum apparatum & noscendum & comparandum etiam nimius est. Paucæ sunt, quibus hæc cura debeatur, & tam raræ pleræque ut sensum feriant, & bis terve usurpatæ in consuetudinem admittantur.

Judicium suo loco adhibendi ætas acuet, & lectio Tulliana limabit. In hoc verò exercitio, juverit nonnunquam illa, quæ ex Cicerone deprompsimus exempla, aut siquæ in manibus adolescentum sunt alia, verbis phrasibusque, quantùm licet, retentis, alio tantum figurarum induere habitu. Magnum enim hinc ad omnem imitationem accedet scribenti emolumentum; cum figurarum promptior omninò sit, quam verborum phrasiumque, permutatio.

Ter-

Tertiò ad ipsam inveniendi disciplinam ita adolescens traducendus est, ut & illa quæ in quovis dicendi genere maximè per distributos à me fontes, investiganda sint apprehendat, & quemadmodum ex quibusque copiosè hauriendum sit fontibus, non ignoret. In his enim duobus tota copiosè ac victoriosè disserendi ratio continetur. Solo enim verborum & figurarum lenocinio non perfringes animos præsertim obluctantes, vi ac pondere rationum contendendum est. quibus cum habilis ornataque dicendi facultas accesserit, quidvis obtinebis. Hanc ad rem serviet inprimis illa œconomia orationum Ciceronis: sub una ferè propositione à me exhibita Ut hic velut in tabella ostendas, quemadmodum Cicero, per diversa idem urserit propositum argumenta, & quibus illa fontibus deprompserit, tum deinde ad unius facti, argumentique à me exhibiti exemplum transeas, & qua illud ratione uno pluribusve ex locis amplificaverit, demonstres primò, ac simili postea materiâ (qualem ferè subjeci) jubeas imitando sectari. Via nulla ad eloquentiam expeditior est. Huic igitur exercitio, per omnes orationis partes, studiosè immorandum, huc omnis conferenda industria, cùm Magistris, tum discipulis est. Nihil verò Magistris hac ratione poterit esse promptiùs, quodque minori ipsi labore præstent, discipuli tractent utiliore.

Nam & ipsi orationes, quæ in manibus adolescentum ex more sunt, omnes facili expositione decurrent, summam rerum inculcando, nobiliora passim loca, transmissis minus illustribus, imitationi, præfigendo: & discipulo nihil eorum fugiet, quæ in illis observatione digna recondantur, cum aliàs scientiam omnem in libris, tanquam clausum in vagina gladium gerant. quos principio anni assumant, in fine, parvo ad eloquentiam emolumento, rursum deponant.

Quartò præcipua discipulorùm cura sit, in scholis advigilare, quemadmodum idem ex Tullio prototypon, diverso à diversis imitanti labore ac colore expressum est, quidque in cæteris Magister inprimis probet, quid emendet, ac de suo adijciat.

Quod si etiam attulerit Magister suo Marte elaboratum

tum quippiam atque ad ideam Ciceronis expressum, hoc prælectum observatumque magis etiam profuturum est. Et hæc observatio non vulgarem in discipulis profectum habet, cum limitata cujusque intra certos prototypi terminos scriptio, neque in quodcunque amplificationis genus effusa, certiorem audienti cognitionem præstet, & faciliori judicio æstimetur, ut inter illos, qui eâdem currunt viâ, quàm qui diversâ, quantum quisque antecellat, faciliùs intelligitur.

Quintò neque Magistro, neque discipulis hac in meta subsistendum est. Quæ Suada favente exarata sunt, cultuque elegantiore ornata, hæc in libros scriptorios referenda sunt, atque etiam nonnunquam recolenda, quò & quondam abs te natis delecteris, & sæpius repetitis eloquentiam nutrias. Etenim & hæc, sicut pleraque omnia, neglectu veterascit, ac rubiginem contrahit, nisi retractetur. Magistri igitur solertis est, unâ alteráve septimanâ lapsâ, suis in armis lustrare hunc militem, & cavere ne hastam clypeumque Palladis abjiciat; ne stylum adolescens desidiosè verset, ne dormitet in Pluteo Cicero, imitatio jaceat, nihil dignum in adversaria referatur.

Sextò in theatrum quandoque producendus est, exercenda memoria, excolenda vox, mores ad honestam actionem, dissertationemque formandi. Plurimum hæc exercitatio ad perfectam eloquentiæ rationem conferet. Minus enim longè eloquendi decus est, quod intra solum animi secretum calamique tantum vocalis ductum concluditur, quàm quod ex ore diserto fluit, quod linguam, manus, oculosque per Reginam, & dominatricem affectuum eloquentiam moderatur. Quod in sacris exedris, quod in Regum & Principum aulis, quod in consiliis & legationibus, quod in omni communitate hominum quendam occupat dominatum, inflectit, trahit, retrahit, impellit animos longè potentiori imperio, quàm supremi etiam tyrannorum sibi queant vendicare. Ad hoc igitur decus flexilem habilemque inprimis juventutem provocare industrii Præceptoris est.

Demus verò nonnullos inter adolescentes parum idoneos; paucos tamen in hac exercitatione præteriri cupiam.

piam. Est sæpe informe principio lignum, unde expolitus denique formatur Mercurius. Hoc igitur dicendi onus in plures divisim partiatur, idemque etiam pluribus memoriæ tradat mandandum, capaciores verò ex his, & maximè idoneos in publicum producat, reliquisque spem faciat, propediem alia inter rudiores dictione palmam relaturos, digniorésque futuros publicò: plusculum adhuc exercitationi tribuendum, ne cum rubore scenam ingrediantur. Plurimum hæc industria & Magistro & discipulis est profutura. Illi quidem, ut idoneos plerumque in theatrum producat, delectu ex melioribus habito: his, quòd ab hoc exercitio nemo excludatur: omnes, si minus ad dicendum prodeant, certè memoriam excolant, & non parva eloquentiæ præsidia animo complectantur: prout etiam aliquam saltem ad rectè pronuntiandum agendumque instructionem hausisse, quam maturius deinde judicium facilius perficiet.

Verùm hic providendum inprimis Præceptori est, ne quid minus apta dictione excultum discipulis & publico committat. Indignum enim est adolescentes inutilium ad eloquentiam rerum exercitatione ita occupari, ut qui plurimum sæpe agendo distinentur, cæteris deinde imperitiores sint. Hoc sanè esset artem hanc facultatemque evertere, non adstruere. In eloquentiæ præsidium hæc exercitatio reperta est, non in detrimentum, nec ita in actione formandus est, ut artis cognitio, quæ animi est, negligatur: nec frigidis ac malè concinnatis dissertationibus memoria fatiganda, mens occupanda est, quando tot hominum eloquentium opera provisum est, ne opportuna differendi materia desit. Præstat vel magis occupatum, vel minus expeditum eloquentiæ Magistrum, aliena, quàm minus culta producere. Fructu hæc discipulorum, non magistri æstimatione definienda sunt. Sat eruditus Magister, qui eruditos discipulos educat. Mediocrium in docendo solertia, nonnunquam disertissimorum in erudiendo felicitatem superat, & à minus docto Magistro, doctiores prodeunt discipuli. Tantum sæpe refert, non à quo, sed quo modo instruatur. Cum utrumque jungitur, & do-

ctus,

ctus, & solers instructor, absolutissima docendi disciplina redditur.

Porrò & illud laudaverim, quod magna studii commendatione à nonnullis vidi præstitum, ut nonnunquam aliam, vel ex Livio causam, belli domive inter diversas partes agitatam, vel ex ipso etiam Cicerone pro rostris, aut in curia ventilatam producerent, tum deinde veteres ex Rosino aliisve depromptos ritus, leges, habitumque, jucunda priscorum temporum imagine, spectatoribus objicerent: illorum, quantum liceret, verbis sententiisque dicentium uterentur. Qua quidem exercitatione non intelligo, quid eruditis spectatoribus possit esse jucundius, quid adolescentibus utilius, quid ipsis facilius Præceptoribus? e. g. Agitur contra Verrem repetundarum à Siculis postulatum. Instruitur Romani judicii forma, Actor, Judices, Testesque Siculi suo quisquis habitu, sua dicendi ratione audiuntur. Quodque Tullianæ orationi, aut adjunctum, aut interpositum fuisse creditur, hoc Magistri ingenio ac labore suppletur. Aliàs deliberatio ex iisdem autoribus instituitur, e.g. de Ciceronis domo, rectène illa fuerit Libertati à Clodio consecrata? hic Pontifices adsint, & testes, qui de ritibus consecrationis male adhibitis, Cicerone provocante, doceant. Augeres explorent, num auspicatò Dea Libertas efferri, ac Cicero reduci possit? utrumque judicetur, ac fiat. Operarii etiam à Senatu mittantur, qui diruta rursum exstruant. Pontifici summo felicem Ciceroni reditum præcanti. Aliàs gratulatio publica, e. g. Ciceroni in urbem recepto per omnes Italiæ ordines præstita instituatur, cui deinde ipse Gratiarum actionem subjiciat. Aliàs ex Livio bellum aliquod solenni ritu per feriales denuncietur, ultro citroque Legatorum orationes pro bello aut pace audiantur, consuetisque hæc ritibus peragentur.

Quod si tamen quippiam ex posterioribus sumptum temporibus atque imitatione expressum fuerit, usu quoque legibusque temporum res gerenda est. Quocirca hodiernos judiciorum ritus, præter veteres de Antiquatibus in *Palæstra styli* adjeci; ut & his aptari causæ possent, ac veluti per quendam eloquentiæ ludum, sicut in tesseris pueri lite-

litterarum signa, ita adolescentes hanc satis implicatam judicandi rationem capere.

Certè ut pleraque Ciceronis Orationes judicium spectant, ita minimè difficilis fatura est illa rituum legumque præsentium introductio, si causæ causis, tempora temporibus permutentur.

His ad communem quâ Magistrorum, quà discipulorum instructionem præmissis, ad ipsam Tullianarum Orationum expositionem venio, ut & legere has adolescens cum judicio, & imitari cum fructu possit.

CAPUT III.

Ratio & ordo, in artificio Tullianarum Orationum exponendo, & ad imitationem proponendo, observatus.

QUod in Palæstra Eloquentiæ ligatæ, in Virgilio Poëtarum Principe, tanquam idea perfectissima, exponendo, præstiti: dum conceptus, amplificationemque argumentorum brevi methodo complexus sum, aliaque simul imitationi idonea suggessi; hic non censui omittendùm: ne in præcipua eloquentiæ parte, tanquam epilogo instructionis meæ, quâ facilitatem copiamque omnibus ad hæc studia comparare conatus sum, remissius videar, pro illorum emolumento, desudasse.

Age igitur, mi Lector, & velut in parva imagine optimi Oratoris Tullii lineamenta pulcherrima expressa accipe.

1. Quidem totius Orationis locum, tempus, actores, & auditores, ex quibus judicium facies de accommodata non rebus tantum, sed & temporibus personisque dictione, quæ ratio prudenti cuivis Oratori est observanda.

2. Intelliges argumentum, seu quæstionem propositam, cujus summam tibi plenius, cum suis adjunctis historia Ciceronis à me superius data exponet.


3. Argumento universali totam Orationis vim, & quasi

quasi pectus complexus sum, ex qua, tam illius artificium, quàm distributionem facilè comprehendas, quæ suas deinde per partes, rationibus subjectis probetur, & amplificetur, parique in materia, sine difficultate, exprimi possit.

4. Ab exordio, ad epilogum usque, totum orationis corpus brevi imagine comprehendo, ut quid in singulis actum partibus, quemadmodum cohæreſcant, rudiores etiam queant intueri, atque imitatione, cum opus, reddere, in quo numeris Alexandri Scot adhærere placuit, qui si desint lectori, facilè ex ordine locum assequetur.

5. Censuram dictionis rudem, pro lectoris diligentia, ad optimorum quorumque observationem, exacuenda adjiciam; cùm omnes omnibus, aut non vacet, aut non lubeat inhæreſcere; & constet, non ubique Ciceronem eundem esse; alibi festinantem neglectumque, spinosum alibi; sæpe & humilem, submissumque, ad vulgi aures animumque penetrandum. Hic tamen non idem omnium sensus est. Nos in Palæstra styli regulas dedimus, ad quas liceat dissentientes expendere.

6. Materiam imitationi idoneam denique, ad utilissimam juventutis exercitationem, subjicio, nihil enim adolescentes, multarum præceptionum hac in arte minus capaces, facilius expeditiusque ad eloquentiam provexit, quàm illa ad imitationem instituta exercitatio, ut hæc una omnium præceptorum instar haberi possit.



CAPUT

CAPUT IV.

Oratio I. Voluminis Ciceronis.

ORATIO I.

Pro P. Quinctio.

HAbita eſt à Cicerone anno ætatis ſuæ 26. Urbis Cond. 672. M. Tull. Decula & Cn. Corn. Dolabella Coſſ. in Comitio juxta Curiam.

Quæſtio judicialis, ſive controverſia eſt.

An Sex. Nævius bonorum P. Quinctii ex edicto Prætoris poſſeſſor & Dominus factus ſit?

Cicero pro Quinctio adverſus Nævium *negat*. contra affirmat Hortenſius, Judex C. Aquilius datus eſt, Aſſeſſoribus L. Lucullo Quinctilio & M. Marcello.

Argumentum, quod orationis totius diſtributionem, & artificium continet, illo enthymemate comprehendimus.

Nævius neque cauſam habuit poſſeſſionem à Prætore ex edicto poſtulandi, neque adire ex illo potuit, ut cujus verbis comprehenſus non eſſet; nec denique legitimè adiit. Ergo *nulla ratione poſſeſſor ac Dominus factus eſt.*

Exordium ad benevolentiam Judicis captandam totum fertur à perſona ſua, cui eloquentia & tempus deſit; Quinctii, cui amici, & æquitas hactenus defuerit; Judicis, quem æquitati, & homini miſerè jactato defuturum non ſperet.

Narratio à n. 11. uſque ad 35. ſtylo familiari culta eſt; exponitque qua ratione in Galliis ſocietas inter Quinctium & Nævium coaluerit, & hujus fraude & cupiditate illa ſit diſſoluta.

Propoſitio à n. 35. uſque ad 37. tres in partes ſupradictas orationem partitur.

Confir-

Confirmatio positum supra argumentum per tres partes probat. I. *Quod Nævius causam non habuerit postulandi ex edicto Prætoris, ut in bonorum Quinctii possessionem immitteretur,* sic probat : quia nihil illi Quinctius debuit, cum intra annum & sex menses nihil sit postulatum ; neque vadimonium deseruit, quale illi cum Nævio non intercessit : aut si deseruisset, ad hoc extremum non erat Nævio descendendum. usque ad n. 60. Hic *locus communis* est *de jactura famæ*, quæ fit in proscriptione bonorum à n. 49. usque ad n. 55. II. pars, *quod edicto Prætoris comprehensus non sit Quinctius.* probatur : quia nec latuit, nec solum vertit, nec indefensus fuit. usque ad n. 73. III. pars, *quod legitimè non audierit Nævius.*

Probatur 1. quia non vendidit bona Nævius, nec Sponsores creditoresque reliqui, ut moris, non convenerunt.

2. Ipse Quinctius à Nævio ut socius emptionis adhibitus est, in bonis Sex. Alpheni emendis.

3. Ipse secum Nævius pugnat, quia post Prætoris edictum Romæ postulatum nuntius in Galliam ad Quinctium transire intra biduum non potuit, post quod tamen Quinctius bonis dejectus est. vi igitur edicti dejici non poterat usque ad n. 85.

(*Peroratio*) principio destituta, 1. *enumeratione* brevi præcipuas rationes colligit, usque ad n. 91. Deinde *amplificatione illustri* per comparationem, incrementum, & deprecationem extollit calamitatem Quinctii, & Judicis misericordiam potenter implorat.

CENSURA.

Hæc oratio adhuc juvenile minusque excoctum ad maturitatem Ciceronis ingenium redolet, fractis minutisque exultat sententiis, & figuris quibusdam affectationem non vitat. Exordium & peroratio plus laboris ostendunt, & eloquentiæ, quibus locus unus alterque communis, magis adolescentibus observandus accedit.

IMITATIO.

In simili Orationis conceptu & materia.

Universè de imitatione observandum est, quod alibi in

in Palæstra styli tradidimus, eam vel rerum, vel verborum esse, & utramque, vel proximam, vel remotam. De verborum imitatione illic actum fusius; de rebus hic etiam solliciti erimus. Res autem propinquæ censentur, quando sub eodem sunt rerum genere; ut cum sacrilegium sacrilegio, parricidium parricidio comparatur, remotæ sub diverso sunt genere, ut cum sacrilegio blasphemia in Deum, quæ est quoddam divini honoris furtum, aut cum parricidio peccatum quodvis mortiferum confertur, quia animam hominis occidit. Illa igitur imitatio in propriè, hæc in translatè similibus consistit, ideoque plus artis ingeniique complectitur; illa rudiorum, hæc perfectiorum; ab illa incipiendum, in hac desinendum est. Quo rectè expenso, difficile non erit in utroque genere materiam reperire imitationi idoneam, nisi planè antiquitatis & historiarum ignarus ad hunc laborem accesserit.

Orationem *pro Quinctio* imitari licebit, propinquè atque eodem in genere, in defensione Ecclesiasticorum, quos per Europam à novarum religionum sectariis avitis possessionibus exclusos videmus: aut eorum, quos belli iniquitate circumventos ejectosque conspicimus. In priori materia, Romanus actor contra Anglum, vel Germanum, Cæsare Judice, tale formare orationis argumentum ad imitationem Tullianæ poterit.

Qui causam non habuit ex edicto Cæsaris possessionem Ecclesiasticorum bonorum postulandi; neque adire ex illo potuit, ejus verbis comprehensus; nec denique hac via legitimè adiit: hic verus possessor habendus non est. Sed quilibet sectariorum, nec causam habuit adeundi, nec ex edicto adire potuit; nec legitimè hac via adiit. Ergo *non est factus verus possessor.*

Propositio major certa est, ideoque illius probatio ut in Quinctio (ubi idcirco solo enthymemate totum argumentum complexus sum) prætermissa est, ita & hic, tanquam fundamentum differendi supponitur, confirmatur

Assumptio igitur, per suas partes, ad Tullianam quoque ideam justis erit rationibus, & stabilienda, & amplificanda. Sed in his rationibus modus tranctandi magis,

gis, quàm res ipsa (quâ non raro diffident) spectandus est.

Confirmabit primam partem *quod causa postulandi defuerit:* quòd Ecclesiastici *neque debuerint* Sectariis bona sua, *neque* hæc universè tanto numero Ecclesiarum, quanto ab illis occupata sunt *deseruerint.* Partem alteram firmabit, cum dicet, edicto Imperatoris, si quod fuerit, non comprehendi iniquos invasores, sed qui titulo justo occuparint. Deinde juri Romani Pontificis, quem superiorem hac in re agnoscat, non potuisse derogari, cum hic, neque hanc causam subterfugerit, nec reliquerit indefensam. Partem alteram, quò legitimè non adierint, stabiliet, quòd nemo hæc bona emat; ideoque tacito sensu omnium, velut iniqui obtentores damnentur. Deinde, quòd alii sectariorum meliori vel pari jure sibi illa deberi titulo religionis contendant, ut inter illos verus hoc nomine Dominus non possit distingui. Denique cum vi atque armis citra Judicis sententiam, occuparint, illegitimè obtinent. Ergo veri esse possessores nequeunt.

En confirmationem quâ Romanus causam suam imitando queat tueri, (nihil enim, post inventam expositamque quæstionem, seu controversiam, prius debet) qui deinde perorationem, tum ab enumeratione rationum, tum amplificatione, & exaggeratione calamitatum Ecclesiæ veteris facilè subnectet, ac postremò ad Exordium se transferet, ubi à Romanæ Ecclesiæ dignitate, à priscis Germanis cum imperio suscepta & defensa, ab illius nunc miserè jactatæ discerptæque specie, à causæ ipsius æquitate, auditorum ac Cæsaris captabit benevolentiam. Et sic denique totum orationis corpus absolvet.

Quod si deinde & remotam imitationem, sub diverso genere, placeret instituere: assumatur illud, quod Protestantes reponunt: nimirum Ecclesiastica bona se non abstulisse viris dignis; sed ad hos, qui Christi Ecclesiam bonis moribus, & præceptis veræ fidei reformarent, transtulisse, erectam à se rursum jacentem, non prostratam esse. Hinc, inquam, formetur hæc controversia inter easdem partes.

Quæ-

Quæstio.

An Germani Ecclesiam juxta legem Christi jam collapsam instauraverint?

Neget Romanus hoc argumento.

Qui nec causam ex pracepto Christi Ecclesiam ipsius instaurandi habuit, nec illo pracepto comprehensus est, ut instauraret, nec denique instauravit, sed destruxit, is immeritò sibi hoc officium vendicavit.

Protestantes neque causam habuerunt, neque ullo pracepto comprehensi sunt, nec denique instaurarunt, Ergo *immeritò hoc sibi munus vendicant.* Hujus syllogismi assumptio cùm tantùm negetur, majore propositione supposita; uti tribus constat partibus, sic per easdem ordine erit probanda, quòd in illa sola causæ judicatio, seu crinomenon contineatur.

(Confirmabit) itaque partem 1. quia nondum Christus deseruit Ecclesiam, aut Ecclesia Christum, ut reducendus ab his novis Apostolis fuerit; aut si deseruisset, ab impuris atque ad carnem degenerantibus hominibus reduci non poterat, cum Apostoli ut Christum sequerentur, uxores relinquerent, hi primùm quærerent, &c. Deinde Ecclesia his parere, ac subesse, non debuit; cum non posset scire cujus venirent nomine, qui, ut omnes prisci hæretici, verbum Dei ore præferrent, & opere destruerent.

2. Pars probabitur, quod Deus nullis nisi supremis Ecclesiæ Episcopis hanc instaurandi potestatem dederit, aut certè Prophetis, vel Apostolis, per operum miracula suam legationem testantibus, quorum neutrum illis septentrionis Prædicantibus conveniat.

3. Quod non instaurarint, sed destruxerint Ecclesiam patet 1. ex confusione omnium religionum, & summa libertate cùm fidei tum scelerum passim, ipso Luthero teste, introducta. 2. Ex cultus divini cùm neglectu, tum despectu ubique consecuto, qui inter Catholicos noctu diuque per Ecclesiam magna dignitate apparatuque continuatur. 3. Ex proscriptione consiliorum Evangelico-

rum Christi, & enormibus mendaciis, quibus Catholicos onerant; ut plurimi his deprehensis ad mentem ab errore revocentur. Vi igitur legis divinæ, talem instaurationem auspicari Protestantes non potuêre.

In Peroratione atque Exordio facilis erit, ut visum supra, imitandi ratio.

En prolixius aliquantò datum, cùm propinquæ, tum remotæ imitationis exemplum; ut noveris in cæteris pari via Ciceronis vestigiis insistendum esse. ubi brevitatis causa mihi lectorique satis fuerit, solam materiam idoneam imitationi paucis designasse: ne alieno studio rem tantillam non videar detulisse. Nolim tamen in hujus tè orationis imitatione diu morari, at solis dignioribus tantùm insistere. Locus ille communis de *jactura famæ*, contra desertores & apostatas nostræ religionis serviet, inter suos alienosque contemptim habitos.

ORATIO II.

Pro Sex. Roscio Amerino.

Dicta in foro, anno Cicer. 27. Urbis Cond. 673. Cornel. Sulla & Q. Cæcil. Metello Consulibus.

Quæstio duplex est.

An Sex. Roscius patrem suum interfecerit? & an eo nomine bona ejus ab adversariis justè occupata sint?

Negat Cicero, affirmat Erutius, cum duobus Rosciis Capitone & Magno, tum Chrysogono Syllæ liberto. Judex M. Fannius, cum assessoribus, Ciceroni assensi sunt, ut Plutarchus memorat.

Argumentum ad quæstionis negatæ partem primam tale est,

Sext. Roscius neque voluit, neque potuit occidere patrem. Ergo *est innocens.*

Contra Tit. Roscius & voluit & potuit. Ergo *hic nocens præ illo habendus est.*

Alteram quæstionis negatæ partem hoc argumento fundat

dat: *Bona Sex. Roscii nullo jure vendi poterant.* Ergo *injustè sunt à Chrysogono aliisque occupata.*

Exordium ad benevolentiam captandam dispositum est, à persona Tullii reliquis se Oratoribus posthabentis usque ad n. 5. Adversarii Chrysogoni, ut cujus potentia & postulatio improba sit: Sex. Roscii omni auxilio in sua innocentia destituti, usque ad n. 10. denique & persona Judicis, in cujus æquitate, tum Cicero, tum Roscius, in tam atroci causa, confidat, usque ad. n 14.

(*Narratio*) illustrem rei gestæ, hoc est Sex. Roscii patris occisi, filii verò tanquam parricidæ, ac aliis Rosciis, & Chrysogono bonis paternis dejecti, expositionem continet. usque ad n. 35.

Propositio tria esse præstanda docet 1. crimen parricidii ab Eurutio objectum diluendum, 2. audaciam Rosciorum infringendam 3. & Chrysogoni potentiæ resistendum. primum sibi, alterum tertiumque Judicibus maximè impositum esse declarat, usque ad n. 37.

Confirmatio I. partis (cui admiscetur *Refutatio* adversarii) quòd Sex. Roscius *non voluerit patrem occidere*, probatur ex gravitate flagitii, quòd homo incorruptus (ut Sextus erat) patrare non voluerit. Neque obstare aut declarare odium, (ut Erutius objicit) quòd ad agros colendos Sextus à parte amandatus sit: cum utilitatis & jucundioris vitæ gratia illud à parte factum, aliorum exemplo, & à filio admissum fuerit, ubi à num. 48. usque ad 52. *Laus vitæ rusticæ* in priscis Rom extollitur. Alterum adversarii argumentum, quod pater Roscius filium exhæredare statuerit, negat Cicero, vel causis scelerum datis, vel certa testificatione ab Erutio probari, accusatoris hac in re officio malè perfungenti. ubi illustri comparatione, ab anseribus & canibus Capitolii ducta, *accusatorum munus exponit* à n. 55. ad 58. ac deinde Erutium contemptorem sui exagitat, postremò n. 63. ad illud, unde inceperat, *parricidii scelus exaggerandum* ab exemplis, à conscientiæ obluctatione, à pœnis denique gravissimis, revertitur; & sic primum primæ partis argumentum concludit n. 73. Deinde *non potuisse Sex. Roscium occidere suum patrem*, sic probat. vel enim per se, vel per alios id potuisset; per se

 non

non potuisse manifestum est, cùm Romæ non fuerit, & vita rustica tantam malitiam non suadeat, neque ut n. 77. per servos factum, cum id non probetur ab adversariis, qui tamen abstractos à Sexto famulos in manibus habeant; ut nec ab his Sexto ipsi, de cædis autoribus, liceat investigare. Postremò n. 80 sensim *declinat ad retorquendum* in ipsos adversarios parricidii crimen *transitione illustri.*

Pars altera argumenti fundamentalis primi, *quod Tit. Roscius & voluerit & potuerit occidere* sic probatur, à n. 84. *Voluit*; tum quia magnum Tit. Roscii ex ea morte commodum, tum quia egens, avarus, audax, interfector inimicissimus n. 86. usque ad 90. ubi rursus Erutium accusatorem canis omnes allatrantis similitudine per digressionem exagitat, usque ad n. 92.

Deinde *potuit* occidere, quia & Romæ fuit, & Sicarius de societate Chrysogoni sectoris, hoc est, emptoris bonorum à Sulla damnatorum n. 39. sed & occidisse meritò visus est, cum Glaucia cliens Titi, & sceleris patrator, una nocte admissum parricidium, Româ Ameriam excurrens, Roscio Capitoni complici nuntiaverit, præterito Sex. Roscio interfecti filio, usque ad n. 99. ubì ex sceleribus Capitonis, ac deinde & Tit. Roscii ostendit, illos testes in propria causa (quod nec Scipio Africanus sibi arroget) esse non posse, usque ad n. 104. Deinde ex consequentibus idem confirmat; ut nuntio intra quatriduum ad Chrysogonum in castra Syllæ translato, bonorumque participatione ad quam T. Roscius & Capito sunt admissi, ac denique Capitonis studio, ne rem Sylla per legatos sibi adjunctos cognosceret. ubi n. 111. *de fide legatorum* præsertìm amicorum per digressionem agit, atque ex ea, per Capitonem tanto scelere violata, facinus exaggerat, usque ad n. 119. Postremò ex servis Sex. Roscii à quæstione per adversarios subductis criminis suspicionem auget, usque ad n. 123

Pars 3. *Quod bona Sexti jure vendita sint*, cum nec ex adversariis Syllæ occisis fuerit, nec ex proscriptis (quorum bona venierunt) quin & alio tempore, atque infra pretium, vendita sint, quæ si non animadvertit Sylla; non mirum

mirum, si in tanto imperio quædam illum effugerint, cùm nec Jupiter sit omnibus idem, usque ad n. 132.

Deinde Chrysogoni potentiâ in capitis etiam periculum, post erepta bona, Sextum adduci queritur, *luxumque ejus modesticum, & fastum describit* à n. 133. usque ad 136. denique si per bellum Syllanum tantùm improbis hominibus liceat in inocentes, oppressum pop. Rom. per illud asserit. usque ad n. 143.

Peroratio inducit 1. Sex. Roscium per *prosopopœiam* Chrysogonum orantem, *ut* sibi jam saltem omnibus rebus *spoliato ac cedenti vitam liceat retinere*, usque ad n. 146. Deinde per Apostrophen idem urget Cicero, illius crudelitatem & aliorum defendentium miserationem extollens, usque ad n. 150. Postremò Judicum misericordiam hac in causa implorat, ex cujus iniquitate etiam proscriptorum liberi erunt opprimendi.

CENSURA.

Oratio planè illustris est, narratione gravis, descriptionibus ac digressionibus in locos communes amœna. Eminet laus vitæ rusticæ. n. 49. Accusatoris officium descriptum est. n. 56. gravitas parricidii exaggerata n. 64. Fides in legatis requisita n. 112. Luxus & fastus hominis aulici n. 134. Spoliato vitam adimendam non esse n. 144 egregie declaratur.

IMITATIO.

Digna est quam plerisque locis diligenter sæpiusque imiteris.

In eodem genere propinquè imitari poteris, si causam filiorum Herodis ex Mariamna, Alexandri & Aristobuli; Pheroras contra Antipatrum (ejusdem Herodis ex Doride filium) accusatorem suscipiat, ostendatque illos neque voluisse, neque potuisse, utpote Romæ absentes, hunc verò & voluisse, utpote hæreditati jam illi collatæ inhiantem, & potuisse, utpote præsentem, parricidium moliri. Postremò & Doridem, propter potentiam ac conspirationem cum filio, in suspicationem criminis vocet. Vnde & tripartita, uti pro Roscio, constituetur oratio. Historia verò ex Saliano, aut aliis cognosci poterit.

Remotè eandem imitaberis, si ostendas, præcipuorum in Anglia aut Germania bellorum Sectarios novarum religionum; non verò Clericos aut Religiosos, autores esse, cum illi & velint, & possint; hi nequaquam id agant. Postremò illorum fastum & cupiditatem, quâ Ecclesiasticis bonis inhiant, licebit describere, Chrysogonos enim plures reperies.

ORATIO III.

Pro Roscio Comœdo imperfecta.

Dixit hanc Cic. in Comitio anno ætatis 31. Urbis 677. Cn. Octavio & C. Scribonio Coss.

Quæstio.

An Roscius Fannio ex societate debeat.

Negat Cicero, affirmat pro Fannio P. Saturius, Judex est C. Calphurnius Piso cum Adsessore M. Perpenna.

Argumentum tale est, *Roscius ex tabulis, & verbis propriis, de obligatione convinci non potest.* Ergo *nihil debere ex societate censendus est.*

(*Confirmationis pars.*) Argumentum probatur. Quia & Fannii tabulæ fide carent; & nomen Roscii non in tabulis, sed adversariis tantùm, quibus longè minor est fides, reperitur, usque ad n. 8. Deinde ipsius Fannii testimonio Roscius absolvitur, usque ad n. 16. Postremò nihil Fannio promisit, nihil igitur debebit.

Refutatio rationum appositarum. *Prima* erat, quod Roscius, ut histrio, nulla religione duceretur. Cicero igitur illustri utriusque comparatione probum Roscium esse demonstrat. à n. 17 usque ad 22. *Altera*, quod Roscius auri cupidus, fefellisse censendus sit, negat Cicero, cùm neque egestate, nec ære alieno ad hanc cupiditatem concitetur; imò multa neglexerit, quæ honestè consequi posset, usque ad 24. *Tertia*, quod fraudarit, negat, cùm de fraude, juxta formulam Prætoris, non insimularit, usque ad 27. *Quarta*, quòd Panurgum famulum utrique communem Roscius solus, pecuniâ acceptâ, vendi-

vendiderit, refutat; cùm si institutio spectetur solius Roscii Panurgus fuerit; is tamen solam tantùm partem ex societate debitam sibi acceperit, nulli injurius, usque ad n. 56. & finem.

CENSURA.

Hæc oratio ut mutila est, & solam confirmationis partem cum refutatione habet; sic præter elegantem probi cum improbo à n. 18. usque ad 21. comparationem nihil habet magnoperè observandum.

IMITATIO.

Servire poterit imitanti in commerciorum & societatis fide commendanda, quæ nisi cum probitate jungatur, sæpe fallit. In remotiori materia serviet, si Actor suum Advocatum, aut Paterfamilias Villicum, aut Princeps aliquem Præfectorum, ob causam, aut rem malè administratam, in judicium vocet, sibique deberi eo nomine contendat, quem tamen Orator, ut Cicero Roscium, tueatur.

ORATIO IV.

Divinatio in Verrem.

Sequuntur aliquot Actiones in Verrem Prætorem Siciliæ avarissimum & crudelissimum, quas præcedit hoc judicium divinatorium. In quo, pluribus ad eundem accusandum confluentibus, quasi divinando, quæri solebat; quis, tanquam maximè idoneus, assumendus esset?

Quæstio.

An Cicero C. Cornel. Verrem repetundarum à Siculis delatum, An Q. Cæcilius Niger, Verris Quæstor, potius accusare debeat.

Admittendum se esse ostendit Cicero, Judice ac Prætore M. Glabrione præsidente, cum pluribus Adsessoribus,

Argumentum, quo probat, tale est. *In causa patronus assumendus est potius, quem volunt ii, qui injuriam passi sunt, & quem nolunt, qui injuriam intulerunt, quàm contra.*

Sed Ciceronem volunt Siculi injuriam passi, nolunt Cæcilium, Verres injuriæ illator, Cæcilium mavult, quàm Ciceronem.

Ergo *Cicero præ Cæcilio admittendus est.*

In Exordio causam dat Cicero, cur accusationem Verris susceperit, cum hactenus defendere tantum alios solitus sit, tum quòd Siculos sibi ex quæstura amatissimos, contra injurias tueatur (usque ad n. 6.) tum quod Reip à tam infami Prætorum & neglectarum causarum nomine vindicandæ causa hoc officium recusare non possit. usque ad n 19.

Propositione se ostensurum dicit, quod Siculi Ciceronem velint, quem Verres recuset, usque ad 12.

In confirmatione, Propositione argumenti, tanquam certam, præteritâ, Assumptionis 1. partem, quod Siculi Ciceronem malint, quàm Cæcilium, probat ex Siculorum legatis præsentibus, idque pro suæ causæ defensione obnixè postulantibus. Ubi *Siciliæ* n. 20. & 21. *introducta prosopopœia* observanda est. 2. partem quod Verres cum Hortensio ejus propugnatore Cæcilium malint, quàm Ciceronem, probat ex eo, quod multa ipsi ad accusandum deesse norint; quæ in accusatore bono requirantur, integritatem, nempe & veritatem: ut qui Verris Quæstor in iisdem cum ipso criminibus versatus sit, (quem locum à n. 32. ad 35.) Deinde agendi facultatem, quæ ad tot tamque diversas res (usque ad n 42.) in tanto populi concursu, adversus disertissimum oratorem Hortensium requiratur, ut cum Allieno Declamatore non videatur posse subsistere. usque ad n. 55.

In Confutatione hæc objecta diluit. Primum n. 55. quòd Verres injuriam Cæcilio fecerit; secundùm n. 58. quòd inimicitia intercesserit, ideoque causæ defuturus non sit. Sed Cæcilium, & à pecunia iniquè occupata per Verrem dejectum esse docet; & rediisse postea cum eodem in gratiam. Denique n. 59. & seq. quod Verris Quæstor fuerit, ut conveniat, hunc accusationem instituere, ita Cicero diluit, ut ostendat hoc nomine ab accusatione etiam arcendum, quòd justæ necessitudinis causa minimè violanda intercesserit. usque ad n. 70.

In

In peroratione Accusatorem constituendum illum tradit, qui præ cæteris de laude, honore, ac fama, sollicitus futurus sit, qualem se præ Cæcilio illorum negligente, fore contendit Cicero.

CENSURA.

Mediocris eloquentiæ est. Confirmatio præ reliquis imitatione dignissima.

IMITATIO.

Imitaberis, si de Iudice quopiam, aut Pastore digno animarum eligendo agatur, quem abesse ab eis decet vitiis, quæ in aliis reprehendit, illa verò præditum cognitione, quæ ad hoc officium requiritur.

Reliquæ Verrinæ, majoris eloquentiæ, quàm, in materiæ dispositione, artificii, obiter à me expositæ satis imitaturis patebunt.

ORATIO V.

Actio I. in Verrem.

In foro ad ædem Castoris, Glabrione Judice, dicta est. Qua Cicero novam accusationis formam, per testes introducendos urget. Verremque hac ratione judicii territum, in exilium egit, reliquis libris Actionum tantùm scripto relictis.

Actio hæc sive procemium accusationis corruptionem Judicum, à Verre spectatam, Rom. Senatui tanquam infamem, subterfugiendam tradit. In exordio præcipuè ac peroratione eminet. Serviet hæc *imitanti*, ad omnem corruptelam, præsertim judiciorum, justa reprehensione perstringendam. Remotior tamen etiam imitatio locum inveniet, si quis potentia, vel autoritate judiciorum æquitatem immeritò labefactari demonstret.

Actio II. seu liber I. in Verrem crimina libidinis & avaritiæ exponit, quæ in sua quæstura & legatione per Phrygiam, Pamphyliamque, tum etiam Prætura urbana Romæ

Actio V. seu liber IV. in Verrem, *planè eximia est*, ob singularem eloquentiam, quâ multa Verris sacrilegia in domesticis fanis templisque spoliandis, post medium præsertim orationis, exagitat. *Eminent* verò in cæteris quæ de *Rege Antiocho, Segestanis Tyndaritanis & Ennesibus* adducit.

Imitaberis, *præcipuè in hæreticis Iconoclastis describendis, si illa quæ vel olim illi sub Græcis Imperatoribus in Oriente, vel superiore ætate in Germania ac Belgio sacrilegè egerint, prosequaris.*

Actio VI. in Verrem *admirabili prorsus eloquentia* omni loco dominatur, ac præter libidinem, & avaritiam Verris præcipuè crudelitatem, in Siculos & Romanos exercitam, prosequitur. Eleganti allusione ad boni Imperatoris in bello nomen & officium, quod illi non raro ironicè tribuit, & castris magis Veneris, quàm Martis aptum censet.

Imitaberis *parte prima improbos quosdam duces aut milites describendo, qui libidine, crudelitate, avaritia fructum belli ac victoriæ amiserunt, hostibus & amicis ludibrio, quales olim in Hungariam & terram S. contra Turcam profecti sunt. In altera parte, vel Tyrannorum veterum, vel hodiernorum hæreticorum, in Christianos sævitiam, licebit describere.*

IMITATIO.

Verrinarum.

Universè si quis has Verrinas uni cuipiam imitando applicare velit. Calvinus, e.g. vel Henricus VIII. Rex Angliæ, aut etiam ex Veteribus Arius, vel Mahometes proponi queat. Quorum historia vitæ copiosam scribenti materiam sufficiet. Nos Luthero primo hujus temporis Ecclesiæ Rom. & Pontificis hosti, paucis applicemus.

In Divinatione disceptetur; an Lutherus idoneus actor sit, & Judex, qui Pontificem & Rom. Ecclesiam erroris arguat, & condemnet? negeturque. Quòd nec Pontifex, nec Ecclesia talem admittat. à Deo autem ad hoc delectum nullo argumento legationis suæ probare possit.

Hic syllogismus formari poterit, quo tota orationis ratio circumscribatur, ut supra in Divinatione factum.

Propos.

Propos. Ille actor & Judex de erroribus assumendus est, quem Ecclesia injuriam passa, vel Deus manifestis ad hoc signis eligendum declarat.

Assump. Sed Lutherum neque Ecclesia ad corrigendos errores deligit; neque manifestis argumentis Deus vocat:

Complex. Ergo ad hoc institutum Lutherus admittendus non est.

Actio I. Seu Procemium Accusationis, serviet primò ad scelera Lutheri breviter perstringenda, ut odium erga Pontificem & alios religiosos conceptum, ob negatum sibi Indulgentiis promulgandis quæstum, arrogantiam, quâ se omnibus Ecclesiæ Doctoribus suo judicio prætulit; libidinem, cui opportunitate data palam habenas laxavit, &c. deinde potissima orationis pars in eo versabitur, ut ne patiantur Ecclesiæ proceres, unius hominis audacia, scripturam S. & Verbum Dei tot locis corrumpi, tot libris mutilari, Veteresque atque incorruptos illius interpretes ab hoc judicio submoveri.

Artificium Verrinæ hoc enthymemate continetur:

Anteced. Verres est homo sceleribus multis coopertus, qui Judices magno ære corrumpere conatur, jamque aliquos suam in partem traduxit, ut testibus certis convincam.

Illatio, Ergo severâ religiosaque sententia, ipsius sceleribus occurrendum est. Ita imitaberis.

Anteced. Lutherus est homo multis sceleribus coopertus, qui S. literas, quibusdam locis corrumpere, aliis mutilare aggressus est, jus Canonicum Veteris Ecclesiæ proscribit, Sanctos Patres, scripturæque priscos interpretes aspernatur

Illat. Ergo severâ religiosaque Veteris Ecclesiæ sententia ipsius conatibus est obsistendum.

Actio II. in Verrem impietatem Lutheri complectetur, quâ ingratus Ecclesiæ & Romano Cæsari Lutherus, erga nutricem & conservatores suos, vim injuriamque omnem usurpaverit, Deo devotos profanaverit, bona Ecclesiastica rapinæ & avaritiæ cupidorum Principum exposuerit, &c.

Hujus rursum orationis ambitum, uno enthymemate, quem-

quemadmodum Cicero facit in Verrina, complecti poterit. Quæ ratio in sequentibus etiam Verrinis servatur; quia Cicero in hypothesi de Verre plerumque consistit, ad thesin (quæ in propositione syllogismi exprimitur) raro transit.

Actio III. & IV. quia in paucis illustres sunt locis, & nimium profusæ, exprimi in partibus, ab imitatore possunt. In prima tamen describere licebit Germaniam, ac præcipuè Saxoniam, quantumque ad Catholicam Ecclesiam emolumenti attulerit demonstrare, tum denique quàm iniquis atque inconstantibus Lutheri, de fide, ac lege Dei judiciis depravata sit, ostendere.

Altera Lutherum declarat innocentem esse debere, si Ecclesiæ pravos mores velit corrigere, Apostolorum vitam ipsius moribus opponat. Deinde perstringat illius facinoris improbitatem, quo bona Deo Ecclesiæque à majoribus consecrata, ipso autore, in profanum usum multis locis traducta sunt. Denique quam depravatæ educationis, & solutæ vitæ exemplum posteris reliquerit, expendatur.

Actio V. Sacrilegas Monasteriorum & templorum violationes, Lutheri auspiciis, per Germaniam cœptas, multis exemplis, ex historia superioris seculi, cognitas prosequetur.

Verrina oratio uno hoc enthymemate stringitur.

Anteced. Verres ob varia sacrilegia & simulacra sublata, Diis hominibusque injurius fuit.

Illatio, Ergo repetundarum reus, & jure puniendus est.

Ubi hoc observandum, quod & in cæteris plerisque Actionibus deprehendes, Illationes, non nisi paucis tangi: quia antecedente probato, illatio per se consequitur.

Luthero sic applicabis.

Antec. Lutherus ob varia sacrilegia, Monasteria se autore eversa, violatas Deo consecratas Virgines, templa spoliata, &c Deo hominibusque injurius fuit.

Illat. Ergo & ipse, & doctrina, ex qua tot malorum principia damnanda sunt.

Actio

ſam ære alieno Galliam probat, quòd neq; à Romanis verſuræ factæ ſint, ut amici Maſſilienſes & Narbonenſes teſtantur, quibus præ inimicis fides habenda eſt num. 1. & ſeq.

II. Ex viarum munitione quæſtum non fecit, cum præfuerint alii, ipſo per negotia graviora impedito n. 5. & c.

III. Negat vini portorium ab eo inſtitutum, tantoque graviorem hanc calumniam eſſe, quo crimen majus eſt, num. 10. & ſeq.

IV. Gallicorum teſtium fidem egregia diſcuſſione exagitat, docetque cupidis, iratis, conjuratis, & religione vacuis nihil credendum eſſe. n. 11. &c. præſertim cum optimi etiam viri, ut nunc Fontejus, olim Piſo fuit, malevolorum quoque obtrectationi pateant.

Peroratio illuſtris, ad impetrandam à judicibus miſericordiam, Fontei exponit virtutes ac merita, obligationem reip. tales, præſertim bello idoneos, ſervandi. Deinde adverſariorum audaciam, Maſſilienſium preces, lacrymas etiam Matris ac præcipuè ſororis veſtalis mirificè extollit.

CENSURA.

Duobus hæc oratio eminet, uno, quo teſtium Gallicorum fidem elevat, altero etiam magis, quo perorando miſericordiam, præcipuè per Virginem Veſtalem, implorat.

IMITATIO.

Imitaberis præcipua hæc loca in ſenibus refellendis adverſus Suſannam teſtantibus, aut etiam Iudæorum autoritate contra Chriſtum infringenda.

ORATIO XII.

Pro Aul. Cæcina.

Circa idem ferè tempus quo ſuperior acta eſt.

Quæſtio.

An Cæcina ab Æbutio dejectus fundo ſit, quando accedere prohibitus eſt, ideoq; ex interdicto unde vi, ſit reſtituendus?

Affirmat Cicero, negat Æbutius, apud Recuperatores, Judices à prætore Dolabella conſtitutos.

Argumentum tale est, *qui vi prohibitus est adire fundum suum, quem per villicos adhuc possidebat, hic vi dejectus à suo est, ideoque interdicto, unde vi, restitui jubetur. Ita prohibitus est Cæcina,* Ergo *est restituendus.*

In exordio, ex oppositione personarum Æbutii & Cæcinæ, factorumque utriusque illi invidiam, huic favorem conciliat, & Recuperatores sui officii commonefacit.

Narratio exponit quemadmodum Æbutius procurator viduæ Cesenniæ ejusdem hæreditatem dolo adierit, agrum, quem pecunia Cesenniæ emerat, sibi vendicando; excluso Cæcina (qui viduam duxerat) hærede post mortem Cesenniæ n. 10. & seqq.

Confirmatio refutatione mixta, n. 24. & seq. testes inducit, quibus armata vi prohibitum Cæcinam probat. Quo admisso, n. 34. quærit, an non aliqua actio contra hanc vim detur; & quæ alia, quàm de interdicto, unde vi: neque ex eo quod cædes facta non sit, (n. 42.) sequi vim factam non esse, cum in fugam conjecti sint, cùm Cæcina non potuit ad villam, quo voluit, penetrare. n. 48. Neque obstare, quod dejectus non sit ex agro propriè, in quo non steterit, nam si hæc verborum proprietates exigatur, dejectus non dicetur, nisi ex alto præcipitatus, ideoque pro his tantum interdictum foret, num. 50. sententia igitur Prætorum & interdicti spectanda est, num. 55. aut omnis lex vacillabit, uti pluribus verbis expensis, demonstrat. usque ad num. 87. *Unde* igitur declarat tam locum à quo, quam ex quo dejiceris; nam si quæras unde Galli dejecti sint? rectè à capitolio dicturus es. Denique & reipsa Cæcinam possedisse contendit. n. 94. &c.

Peroratione brevi tam Cæcinam, quàm ejus causam Recuperatoribus commendat. n. 103.

CENSURA.

Iuridica argutè à Cicerone discussa causa est, disputationi magis, quàm declamationi idonea.

IMITATIO.

In oppugnatione hæreticorum serviet, qui Catholicos vi & armis

armis probibent, ne ad antiquas possessiones Ecclesiasticorum bonorum, unde injuria exclusi sunt, redeant, falsa scripturarum interpretatione, & religionem suam, & vim tuentes; cùm tamen hæc ex Veterum orthodoxorum Patrum sensu definienda sit.

CAPUT V.

Orationes secundi Voluminis.

ORATIO II.

Pro lege Manilia.

HAbita anno Cicer. 41. urbis 687. Æmilio Lepido & Luc. Volcatio Coss.

In foro pro rostris, hoc est, in templo rostris Antiatarum navium ornato.

Genus orationis partim deliberativum, partim demonstrativum est.

Quæstio duplex est.

1. *An contra Mithridatem bellum gerendum sit?*

2. *An juxta plebiscitum seu legem (Manilii Tribuni plebis eidem Pompejus, cum summo imperio, præficiendus sit?*

Affirmat utrumque Cicero. Q. Catulus, & Hortensius, viri Consulares, ultimum negat Populus Judex.

Argumentum ad 1. quæstionem est. *In hoc bello agitur de gloria, salute, vectigalibus populi Rom. de bonis etiam civium, estque sua magnitudine periculosum*, Ergo *est suscipiendum.*

Argumentum ad 2. quæst. *In Pompejo est singularis rei militaris scientia, virtus, autoritas, felicitas*, Ergo *præ reliquis, juxta legem, est eligendus.*

Exordio perbrevi declarat se hactenus nondum publico idoneum, privatis in causis substitisse, nunc autoritate à populo concessa fretum, comparere, usque ad num. 5.

Propositione ostendit de genere & magnitudine belli cum Mithridate & Tigrane suscepti, tum de Imperatore ad hoc, post Lucullum, deligendo, agendum esse, usque ad num. 6.

Confirmationis pars prima probatur. Agitur enim de gloria populi Rom. I. quia tot civium Rom. cædes, tota Asia à

ſpes populi ſit, reſpondet, ſummo homine, dum per vitam licet, fruendum. Rurſum majorum inſtituta opponenti, n. 60. ait, novos caſus temporum novas, conſiliorum rationes poſcere, ſingulares Pompeii virtutes, præ cæteris aliquid mereri (uſque ad num. 64.) quibus ſi nuper imperium ſummum feliciter conceſſerint, jam non eſſe negandum, præſertim homini priorum Imperatorum ex cupiditate infamiam temperantiæ laude apud exteros reparanti, uſque ad num. 69.

Concluſione brevi laudat Manlii ſententiam, ſeque prætoria illi autoritate non Pompeii, ſed reip. gratia, adverſus æmulos adfuturum pollicetur.

CENSURA.

Mediocri ſtylo efflore ſcit, at in ſecunda confirmationis parte, de Pompeii, tanquam boni imperatoris, laudibus, planè eſt ſingularis, & decies lectionem imitationemque meretur.

IMITATIO.

Sub eodem cauſarum genere imitaberis. ſi, e. g. quæras, ſitne Chriſtianis adverſus communem hoſtem Turcam bellum ſuſcipiendum, & quinam illi duces, cum ſummo imperio, præficiendi? Sub diverſo genere; ſi quæras, ſitne pax Hiſpanos inter Galloſque, & cujus potiſſimùm conſilio atque autoritate conſtituenda, ſublatis aliquando rerum tam diu controverſarum offendiculis? An converſio quorundam populorum ad fidem Catholicam ſuſcipienda, & qui maximè ſua doctrina, virtute, ac felicitate ad hoc præſtandum idonei ſint?

ORATIO II.

Pro Aul. Cluentio parricidii reo.

Acta eodem anno, loco, Conſulibus, quibus ſuperior.

Quæſtio duplex.

1. *An Aul. Cluentius Avitus Vitricum ſuum Oppianicum, ſeu Statium Albium, juſtè accuſarit, & ille damnatus ſit?*
2. *An Cluentius Oppianicum veneno denique ſuſtulerit?*

Primum Cicero affirmat, alterum negat, contra accuſato-

rem T. Atticum Pisaurensem, Judice Q. Voconio, Prætore Nasone.

Argumentum prioris est. *Hic scelestus est, & præjudicia de illo facta sunt. Iudicesque tentavit corrumpere*; Ergo *jure accusatus & damnatus est.*

Argumentum posterioris. *Cluentius scelerum objectorum reus non est; & Vitricum nec odit, nec metuit, nec opportunitatem veneni in pane dandi habuit; imò Vitricus naturali morte defunctus est.* Ergo *non est parricida habendus, sed matri hæc sceleratissima commenta imputanda sunt.*

Exordium sumit à distributione causæ in duas partes, quarum priorem de judicio Oppianici, cum invidiæ plenam agnoscat, Judicum adversus illam æquitatem implorat, & benevolentiam postulat, usque ad n. 9.

Propositio de priori parte, Oppianici damnati, hæc est, quod & Oppianicum justè damnatum, & judicium non à Cluentio, sed contra, illum, corruptum esse, docere velit. usque ad num. 11.

Confirmationis parte prima ostendit I. exponendo occasionem odiorum ex Sassiæ Matris libidine, cui Cluentius resistebat, natam; quod illa, propriâ filiâ à toro conjugali exclusâ, cum Melino genero improbè consuesceret. Unde Oppianico jam tradita, hunc ad omne nefas promptum scelerata mulier magis incitavit. Nam cum præter alios Aurium Sassiæ maritum sustulisset, tum deinde filios susceptos, matrimonium inter illos contractum est, quin & uxor Cluentia fraterque Oppianicus ejus uxorem Auriam veneno interfecit. Cn. Magii prolem in utero uxoris, avaritiâ victæ, peremit, Asinium necavit, tabulasque corrupit, solâ hæreditatum cupiditate, usque ad n. 42. hunc igitur cum & suæ insidiari vitæ certò Cluentius Avitus (vel Habitus) comperisset, accusare coactus est, ut salvus esset. usque ad n. 49.

II. Præjudicia ostendunt justè damnatum, cum & Scamander servus & Fabricius Medicus, hic ob præparatum, ille ob deportatum venenum damnatus sit, justius autor veneni præparati damnabitur, usque ad n. 63.

III: Oppianicus potius quàm Cluentius Judices corrupit, tum quia Staleno uni Judicum improbissimo ad reliquos corrumpendos pecuniam dedit, quam cum is totam

tam retinuisset, exacta à damnato rursum est, tum quia is potius corruptione Judices tentaverit, qui sibi ob scelera metueret, quàm qui innoxius ipse accusaret, usque ad num.88.

Quod actius objiciat, quædam judicia adversus Cluentium pronuntiasse, hæc neque fuêre legitima num. 89. neque contra Cluentium n. 97. sed pro illo num. 99. imò omnino judicia non sunt ut variorum testimonio constat. num. 117.& seq.

Confirmationis pars altera refutatione mixta est. In qua primo dat rationem, cur non defendat Cluentium, juxta lelem Syllæ, de pecuniis repetundis latam; quòd nec Cluentius hoc desideret, neque Actius legem servet, quam pro solis senatoribus latam, ad alios etiam ordines, transferat. Denique nihil hinc ad rempubl. periculi derivetur, usque ad n.160. Deinde probat

I. Cluentio crimen de Vibio occiso, atque Oppianico adolescente imputari, quòd illum naturali morte defunctum Pletorius Senator testetur; hunc ex intemperantia occubuisse constet. n.164. & seq.

II. Mors Oppianici Vitrici Cluentio non est tribuenda: tum quòd causæ odii metusque defuerint; tum quòd illud per Asellium sibi offensum daturus venenum non fuisset. Denique nec in pane, cum aliter commodius posset, à n.169. usque ad 174.

III. Oppianicus ex via æger cum extinctus domi esset, Sassia, ex emptitiis quibusdam servis, per tormenta, suspicionem veneni in Cluentium frustra derivare conata, per stratonem Medicum sceleratum desperatumque hominem, dati veneni confessionem se obtinuisse finxit, quæ, eo in cruce mortuo, producta est, usque ad n.188.

Peroratio exaggerat crimen Matris erga Cluentium, ut illi indignationem, huic miserationem conciliet, precesque vicinorum cum lacrymis etiam oratoris magna dicendi vi admovet.

CENSURA.

Multa variis disceptationibus involuta in hac oratione, & à lectore, & ab imitatore negligi poterunt. In exordio de invi-

psalis, tum Pompeii manubiis, quod ille privatorum sit, & Pompejo pro relictis manubiis, vectigalia Rullus auferat ad Decemviros translata, usque ad n. 14.

Parte 3. Breviter emptionem agrorum iniquam fore ostendit. Nam Rullus & Decemviri; vel ement (& sibi quidem quantum volent) ab injustis ex proscriptione Syllana possessoribus; vel non ement, & sibi retinebunt pecuniam, à n. 14. ad 6.

Parte 4. Diductionem Coloniarum improbat.

I. Quod in lege non exprimatur, quò quorumque hominum deducendæ sint, usque ad 19.

II. Capuam, quod Rullus spectat, Coloniam diduci, est subsidium annonæ reipubl. Romanæ eripi, & alteram excitare Romam, in prioris excidium usque ad n. 23.

In Peroratione ad populum hac in causa Tribuno plebis provocat, monetque, ut se consulem pro salute reip. sollicitum sequantur.

ORATIO IV.

Quæ est 2. Agraria ad populum.

Cicerone comitante senatu ad concionem in forum descendit.

Quæstio & responsio eadem est. Oratio planè illustris.

Argumentum tale est. *Lex hæc simulatione largitionis populi libertatem minuit, vendit optimam imperii annonam, nocet reipubl. & tyrannidem spectat*, Ergo *toleranda non est.*

Exordium ad captandam benevolentiam, per insinuationem aptum est, cum gratias pro honore à Romanis in se collato refert, atque insignem beneficii magnitudinem extollit, seque ex nomine non simulatè, ut nonnulli hodie, sed verè popularem, hoc est pacis & libertatis defensorem futurum ait, usque ad n. 12.

Narratione exponit quomodo se excluso legem conceperint, & (cum *præclara* Rulli *ethopœja*) quemadmodum is ad legem ferendam in concionem prodierit, lex denique promulgata & ad se delata fuerit ad n. 14.

Propositione aperuit suum affectum erga bonum reip. & quod ostensurus sit, quantum ei mali ab agrariæ legis conditoribus instaret. ad n. 16.

Confirmationis pars prima, quod libertas minuatur.

Probatur I. quia magnam populi partem suffragio in creandis decemviris privat, cum à novem tantùm tribubus creari velit, qui à 35. creati fuêre, ut ad suam delectas tribus voluntatem habebat, neque ipse excludatur, ubi n. 22. *egregia Rullum complexione* irridet.

II. Quia nullum à decemviratu excipit, præter absentes, quo facto quoslibet indignos admittit, Pompejum reliquis digniorem excludit. n. 23.

III. Ita comitiis curiatis Magistratum hunc confert, ut si Prætor non creaverit Decemviros, eodem tamen jure sint, quod plebs designarit, quo qui optima lege creati sunt, quod est comitia tollere, & Reges, non Decemviros constituere. à num. 26. ad 31.

Denique IV. ostendit, quod tyrannicam illis potestatem conferat, ut eripi hæc invitis nequeat, num. 32. &c. Ad quæ magis tegenda obscuram legem Rullus condiderit. num. 36. &c.

Pars secunda, cum agris optimam imperii annonam vendi.

Prob. I. quia absoluta potestate vendunt, quos volunt, pro sua igitur cupiditate audebunt omnia. num. 38. &c. ipsa vectigalia vendent. n. 47. Pompei, quem vafrè excipiunt, vires accident; ex cujus laudibus Rullo auget invidiam. n. 48. usque ad 56.

II. Ipsos agros, quos excipit, ut Recentoricum & Hyempsalis, in republ. Rom. detrimentum, non sine suo emolumento excipit; cum uterque publicus Rom. populi esse videatur, usque ad 62.

Pars tertia, quod emptio reipubl. noxia sit:

Patet *I.* quia omnis ager qui arari potest, ut lex habet, emi poterit, usque ad n. 67.

II. Emet agros ex proscriptione Syllana occupatos, præsertim à Socero, invidia plenos usque ad n. 72.

Pars quarta, tyrannidem spectat Coloniarum deductio.

I. Quia nullum locum excipit, neque ducuntur, ut sint propu-

propugnacula imperii; sed ut suis opibus Decemviri Italiam obsideant, usque ad 75.

II. Optimus ager Italiæ Campanus reipubl. subtractus, privatorum cupiditati & novæ potentiæ serviet. *Summa eloquentia hac amplificat*, è definitionibus conglobatis. n. 79. ab exemplis n. 80. &c. à comparatione consiliorum, quibus Capuam Majores presserunt, num. 87. &c. Hanc rursus erectam Romæ metuendam esse, à communi arrogantia Capuanorum, majorum opinione, & exemplis cognatam probat, à n. 90. usque ad 97.

Peroratio. Rullum per apostrophen omnium hujus legis incommodorum enumeratione exagitat, suamque erga rempubl. fidem, nullius metu à populi commodis, in pace & concordia positis, retardandam promittit.

ORATIO V.

Perbrevis, quæ est 3. Agraria.

Habita ad Populum est altero die, qua ad concionem Rullum simul provocat, simulque etiam Rulli calumniam diluit, ac causam totam obtinet.

Quæstio.

An Cicero Syllanæ tyrannidi [ut Rullus objecerat] *faveat?*

Negat Cicero, ipsumque hoc Rullum facere demonstrat, ex legis articulo recitato.

Exordio, petit Cicero à Rulli fautoribus, ut pristina voluntate audiant, fore ut intelligant, possessiones à Sylla ereptas magis etiam hac lege stabiliri.

Confirmatio sumitur ex lege Rulli, quæ bona omnia post Marium & Carbonem Coss. (qui ante Syllam fuerunt) occupata, eo esse jure concedit, quo privata; ut hanc legem Valgius gener Rulli Syllana proscriptione ditatus, statuisse pro se videatur, & deinceps quacunque ratione translata bona jure repeti non possint, usque ad n. 13.

Conclusio introducit Rullum invidiosè generi sui iniquas posses-

tur, & in hac seditione pro reipubl. salute arma cum aliis sumpsit. Iure igitur *absolvendus est.*

Exordium à suo officio & studio tuendi rempubl. ob quam Rabirii causam, multò gravissimam, susceperit, ducit, usque ad num. 6.

Confirmatio à confutatione brevi criminum inchoatur, negat enim, aut violata ab ipso delubra, quod inimicus objiciat, aut peculatus crimen admissum, quo socii absoluti sunt, &c. à 7 ad n. 10. Posthæc digressione, se præ Labieno popularem esse contendit. ad n. 18.

Alteram partem, quod justè arma sumpserit Prob. I. quia sumpsit pro salute communi, ut etiamsi occidisset, gloriari liceret; neque se commoveri quorundam clamoribus testatur, n. 18. Deinde sumpsit cum voluntate Senatus, & cum optimis quibuscunque viris reipubl. n. 20. contra Saturninum hostem reipubl. judicatum, ut etiam Sex. Titius, quod illius imaginem domi habuerit, condemnatus sit. n. 24. aut igitur clarissimi reipubl. viri, ut Q. Catulus, M. Scaurus, L. Crassus, C. Marius, &c. simul damnandi, aut Rabirius absolvendus n. 26. &c. Præmium igitur potius facti, quàm pœna exigenda est. n. 31.

Peroratio deest, fortè quia nec dicendo absolvit, nam Q. Metellus augur vulso signo populi scitum irritum fecit, quod Rabirio saluti fuit.

CENSURA.

Oratio lectione atque imitatione digna est, omnibus partibus laudanda, in qua Cicero se in omni genere amplificationis exarsisse dicit in Bruto Cic.

IMITATIO.

Imitaberis in defensione illorum, qui pro republ. vel etiam Ecclesia Dei adversus hostes tuenda, lacessiti cladem hostibus intulere. Serviet quoque pro D. Petro, gladio Malchum percutiente, aut pro Hispanis Indias studio religionis expugnantibus.

In diverso etiam genere D. Paulum mutata voluntate, pro Christo adversus Iudæos, zelo religionis, pugnantem tueri poterit.

ORA-

ORATIO VII.

Quæ est I. in Catilinam.

Habita est anno Cic. 44. V.C. 690. coram Senatu in æde Jovis Statoris Cicerone & Antonio Coss. ipso Catilina præsente.

Quæstio deliberativa est.

An Catilina conjuratus patriæ hostis occidendus, an in exilium dimittendus?

Cicero, quamvis mortem promeritum, in exilium tamen illum mavult discedere.

(*Argumentum; Catilinæ conjuratio patet, ideoque omnibus bonis invisus est, à rebellibus verò foris exspectatus.* Ergo *meritò discedit, & rectè ei parcitur, ut suos secum conjuratos educat.*

Confirmatio (nam in re nota & atroci statim rem ipsam aggreditur) per Apostrophen Catilinam ob manifesta conjurationis indicia aggreditur. & I. morte esse dignum ostendit, exemplis aliorum occisorum, ut T. Gracchi. Sp. Melii, C. Gracchi, &c. se tamen justa de causa vitam illi servare, usque ad n. 6. Deinde conjuratorum nocturnos conventus, & conciliabula suis locis, & temporibus habita aperit, usque ad n.10. ideoque excedere jubet urbe, cum sociis, ut respub. metu liberetur, usque ad n.13.

II. Describit scelera, & vim Consulibus intentatam, ob quæ invisus omnibus, & ingratus Senatui sit, ejus consessum fugienti; ut patria universa illum submotum cupiat (cujus elegans hoc loco num. 18. prosopopœja notanda est) ipse suspectum se non diffiteatur, Senatus optet abesse, usque ad 22.

III. Ostendit, Catilinam non cogitare exilium, sed excessum ab urbe ad castra Manliana, ubi inter suos liberè in omni facinore cum voluptate bacchetur, & patriæ exitium meditetur, quæ iccirco à Cicerone postulare videatur, ut occidat potius, quàm dimittat. Hanc tamen prosopopœjam ac postulationem patriæ, rationibus allatis cur parcendum sit, rejicit, usque ad n,32.

Epilo-

Epilogo hortatur conjuratos ut exeant, ac rempub. bonosque insidiis & metu liberent, Jovemque, ut urbi suæ adsistat, precatur.

ORATIO VIII.

Quæ est II. Catilinaria.

Habita ad populum est postridie, cùm urbe Catilina ad Manlii castra excessisset, à Cicerone territus.

Quæstio deliberativa.

An timendus Catilina sit cum sociis, & non potius bello premendus?

Primum negat, alterum affirmat Cicero.

Argumentum. *Catilina est homo sceleratus, qui perditos & enervatos flagitiis habet domi forisque socios. Hi* igitur *timendi non sunt, sed fortiter premendi.*

Exordio, exultat Cicero, urbe à Catilina, spontè excedente, liberata, judicatque tutius ita dimissum, quàm occisum esse, quod timendus cum suis non sit, usque ad num. 4.

Confirmatione ostendit I. Exercitum ipsius foris imbellem esse (ad num. 6.) intus verò latentibus minitatur, nisi sceleratissimum suum Ducem, perditissimi (quorum mores à num. 6. ad 11. graphicè depingit) sequantur, usque ad num. 12.

II. Digreditur ex eo, quod nonnulli (quamvis falsò) sentiant Catilinam Massiliam exulatum ire, duro nimium Ciceronis imperio; ostenditque quantam invidiam, si occidisset, suscepturus apud illos fuerit, qui exilium etiam culpant, usque ad num. 17.

III. Fautores Catilinæ contemnendos asserit, quocum sex genera describit, obæratorum, honores prensantium, agricolarum, turbulentorum, inertium, sicariorum, & luxuriosorum, quibuscum fortes duces, & milites Rom. comparat, usque ad num. 26.

Peroratione. Bonos jubet pro republ. domi vigilare, à se

conferendo, ad n.26. Hujus igitur tanti beneficii perennem memoriam petit, ſeque populo pro urbe excubantem commendat.

ORATIO X.

Quæ eſt IV. Catilinaria.

Habita non multò poſt in Senatu, poſt auditas ſingulorum de reis ſententias.

Quæſtio deliberativa.

An conjurati morte plectendi ut Syllanus, an perpetuis carceribus, ut C. Cæſar, judicabat?

Cicero, in Syllani partes propendens, *ſeveriſſimè judicandum ſuadet.*

Argumentum eſt, *ſummum ſcelus pœna digna plectere, non eſt crudele, faciendum igitur cum facilè poſſit, omni ordine favente.*

Exordio gratiam captat, à ſua perſona, & periculis pro republ. aditis, tum civium erga ſe ſtudio & cura. Verum hos jubet de republ. potius eſſe ſollicitos, pro qua ipſe familiam negligat, & mortem non defugiat, cum tam grave crimen delatum ſit, uſque ad n.6.

Propoſitio hinc Syllani, inde C. Cæſaris ſententiam complectitur ad n.9.

Confirmatione oſtendit I. minus quidem in Cæſaris ſententia ſibi imminere periculi, verùm utilitatem communem præponendam eſſe. Lege Sempronia civibus quidem Rom. cautum, at hoc facinus pluſquam hoſtium eſſe ubi num. 12. per hypotypoſin oculis ſubjicit cogitatum à Catilinariis urbis excidium, ad criminis gravitatem augendam, ut crudele non ſit in tales animadvertere, ſed parcere, cum tanto ſuorum diſcrimine, uſque ad num. 4.

II. Quorum timorem rebellionem metuentium ſublevat, omnium ordinum ſtudia ad reipubl. defenſionem

parata ostendens, usque ad num. 20. suum verò periculum, ob magnitudinem gloriæ, quam de servata republ. habeat, & contemnit, & aliorum bonorum præsidio satis discuti existimat, usque ad n. 23.

Peroratione brevi, pro omnibus Senatus in se, & suis in rempubl. studiis gratam tantam memoriam rogat; & si ab improbis opprimeretur, filium commendat: cæterùm pro republ. jubet liberam fortemque sententiam pronuntiare.

CENSURA.

Orationes Catilinariæ (ut bilis ingenium acuit) summa dicendi vi, & copia pollent. Prima & ultima omnibus excellunt partibus, in illa prosopopœja, in hac hypotyposis perquam illustris. In altera exordium, moresque Catilinæ & sociorum, in confirmationis principio à num. 7. ad. 12. in ultima quædam à num. 24. ad 26. eminent. Tertia præter exordium aliquod, & perorationem satis præclaram, pro confirmatione, laudatæ narrationis specimen, nobis exhibebit.

IMITATIO.

Imitaberis sub eodem genere contra quoscunque proditores, vel conjuratos agendo, ut contra Absalonem, aut Semei, &c.

Poterit & adversus innocentem, à nocentibus in diverso genere usurpari, ut à fratribus Iosephi in fratrem, à Iudæis in Christum, à Romanis in Petrum & Paulum, & universè à Tyrannis in Christianos. Rectius tamen ab Orthodoxis adversus hæresiarchas eorumque asseclas. Nos ad Calvinum applicemus. Similes quæstiones atque argumenta formando.

Quæstio 1. (primæ Catilinariæ respondens)

An Calvinus Ecclesiæ hostis occidendus, an in exilium dimittendus sit?

Argumentum pro parte ultima tale sit. *Cum Calvini hæresis manifesta sit, ideoque ille omnibus bonis invisus, à patria ejiciendus potius est, quàm occidendus, ut conjuratos ejusdem perfidiæ socios secum trahat.*

Poterit & alius ad imitationem ejusdem orationis contrariam

trariam tueri ſententiam, quod præſtet hanc perniciem religionis auferri, quàm transferri.

Quæſtio 2. (quæ alteræ Catil. reſpondet) eſſe poteſt. *An timenda ſit Calviniſtarum ſecta, & non omni ratione oppugnanda?*

Argumentum, quo prius negetur, alterum affirmetur, tale ſit. *Calvinus homo ſceleratus eſt* (ut à Bolſeco deſcribitur) *qui perditos enervatoſque flagitiis & turpitudinibus* (ut de Beda aliiſque Apoſtatis Monachis, conſtat) *habet domi foriſque ſocios, non igitur timendus, ſed fortiter autoritate verbi Dei, & rationibus erit premendus.*

Quæſtio 3.

An ob detecta nefaria Calvini & ſociorum in Galliis conſilia, ipſoque regno pulſo, ſociis in vincula abſtractis, Deo referendæ ſint gratiæ?

Argumentum hoc ſit. *Agendas eſſe Deo gratias, non minus ob conſervatam multorum ſalutem, quàm primum datam, cum ſine ſingulari Dei ope id fieri non potuerit*, ubi Origo deprehenſi erroris Calviniani, & ſectariorum in Gallia comprehenſorum machinationes exponi poterunt.

Si quis tamen malit inducere hiſtoriam rei geſtæ ab Henrico III. Galliarum Rege, quando conjuratione Calviniſtarum procerum, in urbe comperta, quoſdam ſuſtulit, quoſdam carceribus mancipavit, facilè applicabit. Ut & illam, quâ Pariſiis jam propè à Navarræo Calviniſtarum Principe oppreſſis, à Parmenſi ex Belgio ſubventum eſt.

Quæſtio 4.

An conjurati in perniciem Catholicorum morte plectendi, an perpetuis carceribus includendi ſint?

Argumentum in priorem inclinans partem tale ſit. *Summum hæreſeos ſcelus pœna digna plectere non eſt crudele, cùm tot animarum periculis caveatur, neque tam difficile, cùm tot Eccleſiæ Principes faveant,* igitur *non eſt negligendum.*

ORATIO XI.

Pro Muræna de ambitu conſulatus reo?

Habita adhuc Cicerone conſule anno U.C, 690. apud Judices.

Quæstio.

An Muræna, in petendo consulatu, ambitus reus factus sit?

Negat Cicero cum Hortensio, & M. Crasso patronis. Affirmat Serv. Sulpitius in consulatu petendo æmulus, & cum eo M. Portius Cato & Cn. Posthumius.

Argumentum tale est. *Muræna dignior Sulpitio est, nihilque contra leges, in petendo consulatu, admisit, quo ambitus convincatur.*

Ergo *periculosis reipubl. temporibus à consulatu, propter aliorum æmulationem, cum insigni contumelia, rejiciendus non est.*

Exordium à Murænæ, & sua inprimis persona ducit Nam postquam precatus est, ut reipubl. electio Murænæ Consulis feliciter eveniat, Catoni sibi adversanti, quod & legem de ambitu tulisset Cicero, & severus Con ul videri vellet; tum etiam Sulpitio causas suæ defensionis reddit Cicero, quòd jure Consul defendat Consulem; innocentem, & amicum, & afflictum, nisi nefarius, superbus, & crudelis haberi velit, usque ad n. 11.

Propositione partitur in tres partes orationem accusationi respondentes, quia 1. vitam Murænæ, 2. dignitatem, 3. ambitum perstrinxerant.

Confirmationis partem primam à refutationee vitiorum objectorum ducit. Negat 1. in Asiam luxus gratia profectum, sed strenuum illic ex jussu patris egisse militem ad num. 13. Negat 2. saltatorem fuisse, qui nec ebrius quidem compertus sit, ad num. 15.

Altera parte ostendit, Murænam jure Sulpitio præferri, nam 1. licet genere & quæstura pares sint, reliquis tamen vitæ officiis Muræna superat; cum ille miles & legatus; Sulpitius tantùm Jurisconsultus & Rhetor, ubi à num. 22. ad 31. scientia rei militaris juris cognitioni & eloquentiæ, insigni contentione præfertur, bellumque in quo Muræna versatus est, contemnendum fuisse negat, usque, ad num. 35. Deinde nihil obstare docet, quod prior in Prætura Servius fuerit, cum populi voluntas sæpe mutetur, & Murænæ favor militum virtute comparatus sit, usque ad num. 41. Deinde quòd prætura Murænæ læta & felix, hujus tristis & atrox fuerit usque ad num. 43. Denique quod populi studium

dium ex modestia consulatum petendi, & liberali ludorum donatione provocatum sit, cum Sulpitius accusationi competitoris intentus, curam præ se ferre petendo non videretur, quam afflicta per Catilinam respubl. postularet, usque ad num. 54.

Tertiam partem confirmationis de ambitu, *à refutatione* adversariorum orditur, quos ait, immerentem in summum discrimen omnis fortunæ adducere, ad num. 57. Catoni igitur universè respondet (nam Posthumii & Sulpitii refutatio intercidit) non debere gravitatem accusantis alterius obesse innocentiæ, cum Scipionis Africani autoritas L. Cottæ non obfuerit, nec Sergio M. Catonis proavi. Deinde num. 60. laudat naturam Catonis, sed Stoicæ disciplinæ studium, ex quo deflectat, ob ineptiam sententiarum, num. 61. reprehendit. Academicorum moderationem, num. 65. præfert, qui & diversa esse delictorum genera, & ignosci quibusdam posse tradant, in quibus præter Scipionem, Lælium, ipsum M. Catonem proponit, quorum comitate severitatem nimiam suadet esse temperandam, usque ad num. 67. Deinde speciatim objecta refutat, & 1. negat crimen esse clientibus & sectatoribus affluere, cùm lege tantùm prohibeatur, tales mercede quærere, non meritis. Spectacula etiam & prandia ab amicis more modoque facta asserit, usque ad num. 74. 2. negat crimen esse, quod moderatis epulis sibi benevolentiam Muræna conciliarit, ad num. 78. Deinde 3. ait, si Cato in accusando Muræna reipubl. bonum spectarit, se illud magis defendendo facere, qui contra reliquias Catilinæ ipsi etiam Catoni metuendas fortem Consulem requirat, usque ad num. 86.

Peroratio miserationem excitat, à pristina Murænæ fortuna, cum præsenti comparata, ab illius precibus, matris squalore, fratris afflictione, ipsiusque Ciceronis obtestatione, pro rei salute, interposita.

CENSURA.

Nobile, & primis jure accensenda oratio est. Exordium & peroratio clara sunt, & plurium imitationi idoneæ. Altera pars confirmationis ex comparatione boni militis, & docti, sive militaris scientiæ, & jurisprudentiæ, deinde & inconstantiæ

vulgaris favoris n.35.insignis est. Tertia pars gravitatis nimiæ, & severitatis Stoicæ præclaram reprehensionem continet.

IMITATIO.

In eodem genere imitaberis, cum diversi ad eosdem honores petendos concurrunt, & de militum, jurisconsultorum, Oratorum & Philosophorum prælatione disceptatur. In diverso genere, si, e.g. Ecclesiasticus quispiam ad prælaturam Ecclesiæ religiosum potius, sacerdotem & doctum, quàm profanum indoctumque assumendum contendat. Aut seculari adolescenti, de statu vitæ eligendo anxiè disquirenti, solitudinem potius religiosam, quàm vel Ecclesiasticæ vitæ libertatem, vel militiam, forum, aut dignitatem in republ. suadens.

ORATIO. XII.

Pro L. Flacco repetundarum reo.

Habita est anno Cic.48.U.C.694. M. Calphurnio & Bibulo Coss. in foro juxta gradus Aurelios.

Quæstio.

An L.Flaccus, ex Asiæ prætura avarè administrata, sit repetundarum reus?

Negat cum Hortensio *Cicero* contra D. Lælium. Judice L.Lucullo, adsessore T.Vettio aliisque.

Argumentum. *Flaccus probatæ vitæ homo est, qui à testibus universè levibus, tum singulatim nefariis, nulloque argumento subnixis: accusatur*: Ergo *absolvendus est.*

Exordium à L.Flacci, Catilinæ oppressore, meritis in rempubl. ducit, ostenditque quanti reipubl. & cujusque ordinis intersit, talem, à Lælio temerè oppugnatum, secum tueri, usque ad n.6.

Propositione dicit se 1.de universo testium genere, 2. de singulis acturum.

Confirmatio potissimùm *refutatione* testium nititur. *Prima parte*, universè testium Asiaticorum levitatem arguit, quæ Flaccum Romæ in jure dicendo omnibus probatum, subitò post annum arguat, usque ad num. 9. Et 1. quidem Græcos, licet doctos, tamen ex communi proverbio sensu-

que

que perfidos esse tradit, Romanorumque fidem cum illorum levitate componit, usque ad num. 13. Deinde à Lælio premiis, metu, spe, errore collectos testes, ideoque minimè audiendos docet, usque ad n. 20. Denique tabulas rationum contra Flaccum corruptas asserit, quod illæ, quæ intra triduum ad Prætorem deferri debebant, trigesimo vix die relatæ sint, & in hostium potestate fuerint, ad n. 23. Quare universè indignum esse docet, tam incertis testimoniis, contra probatæ vitæ hominem, assentiri, ad n. 27.

Pars altera conf. de testibus sigillatim est, docetque exactam jure pecuniam à Flacco nomine classis imperatam, ad num. 34. Deinde singularum civitatum testes refutat: Æmonensium unum Asclepiadem, ut hominem sceleratum, & sine tabulis ac sociis prodeuntem, rejicit. ad n. 39.

II. Dorylensium testibus illudit, tum quod tabulas se amisisse in via ridiculè asserant, tum quod inepti, dolosi, impudentes sint, usque ad n. 52.

III. Miratur Trallianos causam suam testimonio sordidi hominis commisisse, pecuniam verò ab his acceptam patris fuisse & hæreditatis nomine Flacco debitam, usque ad 60. Deinde universè Asiaticorum erga Rom. perfidiam refricat, hisque Atheniensium aliorumque Græcorum, cum totius Græciæ laude, & Asiæ contemptu, testimonia pro Flacco opponit, ad n. 64.

IV. Edictum Flacci, ne ex Asia pecunia Hierosolymam exportaretur, ex Senatus consulto, ut rectè factum laudat, usque ad n. 70.

V. Prolixius aliquantò Rom. civium querelas expendit, & primò Decianum, contra quem de agris Flaccus decreverat, ob avaritiam, crudelitatemque in alios exercitam, ludificationem à Pergamenis acceptam, deridet, usque ad n 84. Deinde Sextilium, de hæreditate uxoris suæ à Flacco adita, rejicit: quòd jure bona adierit ab intestato morientis. Neque Lurconi contra Flaccum stanti, tanquam irato, multùm docet esse tribuendum, usque ad num. 90. Denique Falcidio de 50. talentis Flacco datis, parum esse credendum ait; quòd, & absens solis literis testetur, cui præsenti juratoque vix fides sit, & prodigus ipse pecuniam malè consumpserit.

Peroratio, ab eodem argumento, quo exordium, de

Catilinæ per Flaccum oppressione, ducta, & à periculis reipubl. nisi obstitisset una secum, diducta; denique obtestatione Ciceronis, & filii parvi inductione conclua, admirabiles potentesque ad miserendum affectus complectitur.

CENSURA.

Exordium & peroratio hujus orationis eximia est. Pro testium fide infringenda plures locos communes habet; Observandusque ille principio confirmationis qui Græcos universè perstringit, tum qui parte altera n. 61. & seq. Athenienses aliosque Græcorum Asiaticis testibus præfert.

IMITATIO.

Imitaberis sub eodem genere, quando in judiciali causa contra, vel etiam pro testibus dicendum erit; nam quæ adversantur, pro iisdem, si abesse demonstres, facient. Extra judicium etiam, in genere diverso & rebus controversis, quæ autoritate dictorum, vel scriptorum nituntur, eadem servient. Ut si hæretici contra veteres, aut hodiernos Ecclesiæ Rom. scriptores, sua testimonia, & sacrarum scripturarum interpretationes producant. Hi enim sua levitate, inconstantia, improbitate mutuaque dissensione, facilè ab imitatore refellentur.

ORATIO XIII.

Pro P. Sylla.

Habita est anno Cic. 45. Urb. C. 691. L. Licin. Muræna & D. Junio Syllano Coss.

Quæstio.

An P. Sylla cum Catilina conjuraverit?

Negat cum Hortensio *Cicero*, adversus L. Torquatum Syllæ æmulum, qui eundem ante triennium consulatu deturbarat.

Argu-

Argumentum. P. *Sylla convinci non potest conjurationis per testes, estque vir bonus.*

Ergo *ut innocens, jure à Cicerone defenditur, & in judicio absolvitur.*

Exordium perbreve sumit ab afflicti Syllæ fortuna, & sua lenitate ac miseria, quam Consul, in noxios severus, nunc in innoxios cupiat ostendere, usque ad n. 3.

Confirmationis partem primam Cicero in se defendendo ponit contra Torquatum. Negatque se Catilinariæ factionis homines tueri, sed eum, quem Hortensius aliique viri clarissimi innoxium censeant, idque sibi non minus vitio, quàm illis vertendum esse, cum quibus alios conjuratos, ut Varguntejum, Autronium, Ser. Syllam, &c. oppugnarit, usque ad num. 11. Deinde negat se tueri Syllam in illa conjuratione, quæ Lepido & L. Tullo Coss. inita dicitur, hoc enim illorum temporum conscium præstitisse Hortensium, scire verò, quòd ad se consulem Sylla delatus non sit, Autronium verò per Allobroges aliosque delatum, ut iccirco huic defensionem postulatam negaverit, illi obtulerit, usque an num. 20. Denique se neque regium quid affectasse, cum senatorum semper steterit arbitrio, nec peregrinum habendum, licet ex muncipio oriundus sit, nisi plerique Rom. atque ipse etiam Torquatus peregrinis accensendi sint, ad num. 26. postremò insigni digressione in præsentes suas pro republ. curas laboresque præteritos, & patris etiam Torquat. laudes, cum vellicatione degenerantis filii, excurrit: cujus tamen vitia laudes patris obtegant ad num. 35.

Pars altera objecta Syllæ refutat. & I. dicit falli testimonio Allobrogum Torquatum, cum nihil certi de eo attulerint à Cassio. ad n. 40.

II. Negat aliter à se relatum in tabulas, quàm delatum à testibus, cum senatu præsente, conscii nominati signatique sint. Ubi egregiè ab obtestatione Deûm hominumque præsentium, tum silentio Torquati, hanc calumniam retorquet, monetque se nolle in adolescentem & amicum eloquentiæ vires depromere, pleraque ipsius objecta levi manu discutit, inimicitias verò ex hoc capite dicit esse inconsultè ab illo susceptas, ad num. 51.

III. C. Cornelii filium malè illi conjurationem obji-

cere, probat; quòd illo tempore Romæ Sylla non fuerit, neque cum Catilinæ sociis alibi. Gladiatores ab illo quidem emptos, sed simul etiam à L. Cæsare, & Q. Pompejo asserit. ad num. 56. Cincium etiam, Syllæ familiarem, negat quicquam, conjurationis gratia, in Hispania molitum; cum neque mores id hominis ferant, & alibi rectius potuisset, nec Pompejanos denique à Sylla concitatos adversus colonos, cùm neutri id sentiant, usque ad n. 62.

IV. Legis rogatio, quam L. Cæcilius de ambitu in gratiam Syllæ tulit, nihil ad conjurationem facit, cum neque Sylla illam pro se ferri voluerit, & Autronii, in honore competitoris, improbitate dejectus sit. ad n. 67.

Tertia parte, ex vita & moribus Syllæ, probat illum à conjuratione alienum fuisse. Et I. quidem perditis Catilinæ, Lentuli, Cethegi, Autroniique conjuratorum moribus, Syllæ mores longè diversos opponit, ut hic illis adhærere non potuerit à n. 69. ad 78.

II. Quæstiones servis intentatas, minus, quàm vitam Syllæ, certitudinis afferre, eleganter contendit. ad n. 80.

III. Autoritatem denique & Senatorum & suam, qui Syllam defendant, cùm tamen detestentur Catilinarios, à Torquato lædi asserit, quod levitatis omnes arguere videatur. usque ad n. 86.

Peroratione ad misericordiam implorandam egregiè disposita, 1. testatur superos, se, ut nocentes pro reipubl. salute oppugnavit, ita innocentem Syllam tueri. 2. calamitate, quam per Torquatos, à Consulatu dejectus, sustinuit, & quâ in extremum mœrorem conjectus est, jubet adversarios acquiescere illâque Judices ad miserationem commoveri; quam & ipse orator denique suis lacrymis intercedens implorat.

CENSURA.

Suis hæc partibus illustris oratio est, partis primæ finis n. 2. & seq. insignis est, partis alterius medium n. 41. & seq. eminet. parte 3. comparatio Catilinariorum cum Sylla, & quæ de servorum quæstionibus n. 78. sequuntur, diligentiam lectoris promerentur. Peroratio verò prorsus est admirabilis.

IMI-

IMITATIO.

Imitaberis sub eodem genere, in defensione Religiosorum, qui inimicis suæ religionis suspecti fuerunt, sæpius de collusione cum hostibus; cùm tamen nec idonei testes producerentur, nec ipsorum vitæ institutum moresque ejusmodi machinationes patiantur. Vel sub diverso genere, si illorum vitam non adversariam Evangelicæ perfectioni; sed maximè conformem, neque Pontificis dignitatem regiam, aut peregrinam in Ecclesia esse, sed ejus præcipuam hactenus autoritatem stabilitatemque tueri, tum ex veterum Patrum testimoniis, tum ex ipsa vivendi ratione ad Christi institutionem exacta, demonstres quibus Acatholicorum mores universè licebit componere.

ORATIO XIV.

Pro A. Licinio Archia Poëta.

Habita anno Cic. 46. Urb. C. 692. Pisone Messana Coss.

Quæstio.

An Archias civis Romanus habendus sit?

Affirmat Cicero, contra Gracchum Accusatorem, apud Prætorem Judicem.

Argumentum. *Archias Heraclea, in fœderata Romanis urbe, adscriptus, juxta legem, professus suum apud Prætorem nomen est, dignaque Romano cive poësi excellit, eorumque gesta celebravit, à civibus igitur excludendus non est.*

Exordio, profitetur, omni se eloquentia Archiæ subvenire debere, à quo puer institutus, hujus principia hauserit. Deinde veniam postulat, si in hoc judicio novo dicendi genere de studiis humanitatis disserat. ad n 4.

Confirmationis 1. *pars*, *narrationem* vitæ & studiorum Archiæ complectitur, & quemadmodum ex Græcia in Italiam, Romamque, jam celebris, translatus. Mario & Catulo Coss. atque à Lucillis receptus fuerit, exponit, usque ad n. 6. A. L. Lucullo verò Heracleæ adsctiptus Archias, cœpit, juxta legem Syllani & Carbonis, Romanus, cum Heracliensibus, civis esse, quorum, licet tabulæ bello incensæ perie-

perierint, tamen muncipii integerrimi, & Lucullorum testium fides audienda est, quin & in tabulas Metelli ejus nomen Romæ relatum est, & hæreditatem Rom. legibus adiit, &c. usque ad n. 12.

2. *Parte* 1. universè dicit, se archia ob humaniorum studiorum communionem delectari, ad num. 15. his verò studiis magnopere bonam multorum naturam, ut in Africano, Lælio, Catone compertum sit, ad raram gloriam excoli, ad num. 18. Archiam verò iisdem excellere, ut si pro Homeri patria olim inter plures certatum sit; hunc, qui Romanorum Ducum, ut Marii Lucullique res gestas versibus Græcis complexus sit, ultrò etiam esse accersendum, ad n. 24. præsertim, cum magni viri, ut Alexander, Pompejus, Sylla, Metellus, Decius tanti poëtas fecerint, quanti ipse nunc Cicero. Archiam res, à se in consulatu gesta, etiam versibus complexum ad num. 28. Hanc laudis, æternæque gloriæ mercedem non esse bene meritis subtrahendam, ad num. 21.

Peroratione, enumerat strictim rationes, ob quas Archias sit in urbe conservandus.

CENSURA.

Oratio facilis est mitioribusque figuris efflorescit; altera verò corfirmationis parte, quæ demonstrativi est generis, planè eximia, deciesque ab eloquentiæ studiosis cùm legenda, tum imitatione reddenda.

IMITATIO.

Imitaberis, si ostendas scholis Romanæ eloquentiæ Poëtas submovendos non esse, quod illos & doctissimi quique legerint, magnum ad eloquentiam præsidium adferant. Vel etiam si universè de Græcis literis cum Romanis jungendis disseras. Si humaniorum studiorum emolumenta, & ad nominis virtutisque gloriam præsidia extollas. Si de aliis artificibus, e. g. Pictoribus, aut Musicis ad urbem aliquam, vel Academiam, recipiendis; si de certo, vel religiosorum, vel Ecclesiasticorum instituto, virisque ad Ecclesiam admittendis, deliberetur.

ORA-

ORATIO XV.

Post reditum Ciceronis exulis.

Ad Quirites.

Habita est anno Cic 50. C. Urb. 696. P. Cornel. Lentulo & Q. Cæcilio Metello Coss.

Gratias ob suam restitutionem *Cicero* Romano populo *agit*.

Argumentum tale est. *Majus beneficium hac restitutione accepi, quàm à parentibus, Diis, atque ipsis ante hac Romanis acceptum est.* Ergo, *gratiæ mihi referendæ sunt.*

Exordio perbrevi lætatur votum suum, quo se unum pro reipubl. salute ita obtulisset, ut in calamitate essent, qui sui miserentur, à Diis exauditum esse, usque ad num. 2.

Confirmationis parte I. extollit beneficii magnitudinem, 1. quod familiæ, liberis, fratri, Italiæ, pristinisque dignitatibus, restituatur; quæ quanta sint, carendo magis didicerit, ad num. 5.

II. Quòd quantùm parentes nascendo, Dii tribuendo, Romani ante sigillatim dando contulerint, tantum uno nunc simul beneficio retulerint.

III. Comparat reductionem suam cum Metelli, Marii, Popilii reductione, illosque sanguine junctorum potentia & opibus, se verò tantùm C. Pisonis generi & fratris (cujus amorem singularem describit num. 8.) lacrymis adjutum, cæterum totius populi fretum favore, ut 20. millia hominum vestem mutarint, Senatus de se constituerit, municipia Italiæ intercesserint, nulla cujusquam cæde, altero Consulum non resistente, Lentulo verò etiam summè contendente; nullo ante hac pari restitutionis exemplo, reductum esse, usque ad num. 13.

IV. Digreditur ad turbatissimum reipubl. statum per Catilinæ reliquias inductum propter quem cesserit, quod P. Lentulum secuturum Consulem provideret, cujus benevolentiæ Pompeii Serviliique autoritas, pro se, accesserit, usque ad num. 18.

Patra

Parte 2. Suum erga tam benevolam remp. ſtudium, nihil hac injuria immutatum, pollicetur, exemplo Marii reſtituti; cum quo tamen inimicos non ſit armis, ſed pietate ulturus, malos remp. hanc gerendo; perfidos nihil credendo; invidos virtuti ſtudendo; avaros ad rationes revocando, præſertim cum de gratia potius optimè meritis, quam odio malè meritis rependendo cogitandum ſit, ad num 24.

Peroratiene brevi memoriam beneficiorum ſempiternam, ſtudiumque in remp. pollicetur.

CENSURA.

Tota hæc oratio planè illuſtris eſt, ſtudiumque diligentiſſimum meretur.

IMITATIO.

Imitaberis, in eodem genere, ſi quem ex ſimili calamitate ereptum oſtendas, ut ſi Ioſephus Deo ac Pharaoni etiam gratias referat, quod ſe ex priori calamitate ereptum ad tantos regni honores extulerit. Si Moyſes Iſraëlitico populo & ex Ægyptiaca ſervitute educto, aut Ioſue illo jam ad terram promiſſionis traducto gratias Deo rependat. In diverſo genere, ut ſiquis ex hæreſi, in quam ſuo, vel parentum errore, prolapſus ſit, ad Eccleſiam reductus ſit. Aut ſi Henrico IV. Galliarum Regi Societatis JESU, *pro honorifica illius reductione; vel etiam Senatui Veneto, aut Pontifici Alexandro VII. pro reſtitutione in Venetam rempubl. gratias agat.*

ORATIO VII.

Poſt reditum ad Senatum.

Ejuſdem ferè temporis ac propoſiti eſt, niſi quod hic liberius adverſarios ſuperioris anni Conſules, Gabinium & L. Piſonem perſtringat. Dicta de ſcripto eſt, ut ipſe pro Plancio fatetur. n. 74.

Argumentum orationis tale eſt. *Ingens beneficium Patrum eſt imprimis Lentuli & Metelli Coſſ. tum Pompeji & aliorum: qui me duorum improbiſſimorum Coſſ. Gabinii & Piſonis conſiliis deſertum & proditum reſtituerunt. T. verò An-*

Annii Milonis Sextii Sextilii aliorumq; contra Tribunitium furorem armatorum non impar beneficium est, Ergo, *gratiæ omnibus referendæ sunt.*

Exordium, & propositionem à re ipsa jam nota ducit, & beneficium restitutionis cum parentum & Deorum, ut supra, beneficiis confert, ad n. 3.

Confirmatione exponit I. quemadmodum referente L. Mummio Tribuno pleb. P. Lentulo & Metello Coss. unà cum Pompejo adjuvantibus, cum omnia in republ. muta essent, ac velut mortua in foro curiaque jacerent, adversus improborum conatus, restitutus fuerit, ad n. 9.

II. Describit sceleratissimos duos superioris anni Consules, per quos pulsus fuerat, & inprimis Gabinium Luxuriosissimum nepotem, cum quo miratur affinem suum L. Pisonem sociasse consilia, seque pulso etiam domum despoliasse, usque ad n. 18.

III. Titi Annii Milonis, Sextii aliorumque in se restituendo virtutem deprædicat ad n. 20. ac deinde sigillatim ad illa, quæ Lentulus in totius Italiæ convocatione, quæque Metellus ab inimico amicus, quæ Senatores 410. uno solum discedente, quæ Cn. Pompejus, quæ T. Annius Sextiusque egerint commemoranda descendit, ad num. 29. postremò ad universos reversus, se eos Deorum in numero habituros adfirmat, ad num. 31. Cessisse se turbis reipubl. ne fortè secum multi boni resistendo perirent, nunc secum ubertatem salutemque, ad afflictam rempubl. revertisse, ad num. 35.

Peroratione ostendit se pristina libertate rempubl. defensurum, qui nullis propinquorum auxiliis, aut aliis, ut alii, nisi fortè lacrymæ fratris aliquid egerint, sed autoritate senatus Italiæque totius voluntate redierit.

CENSURA.

In hac oratione omnem Cicero, in Gabinio præsertim exagitando, eloquentiæ vim depromit, à num. 9. igitur usque ad 18. eminet.

Imitationi *supradictæ materiæ, modò in adversarios simul exerantur aculei, servient.*

ORA-

ORATIO XVII.

Pro domo sua ad Pontifices.

Habita anno Cic. 50. U. C. 696 Lentulo & Metello Coss.

Quæstio duplex.

Prima incidens. *An Cicero rectè suaserit Pompejum rei frumentariæ præficiendum esse?*

Altera propria. *An domus Ciceronis à Clodio consecrata, expers religionis, & restituenda Domino sit?*

Vtrumque Cicero, adversus Clodium, *affirmat*, & obtinet.

Argumentum quæstionis 1. in Clodii refutatione consistit.

Quod pro reip. salute, consulum & sanatus autoritate tuenda, tum plebis tumultu, in fame, sedando, ad senatum & Capitolium venerit, & Cn. Pompejum dignissimum rei frumentariæ præfecerit, reprehendi non potest, neque Pontifices offendere, cum sit è re omnium.

Argumentum quæst. 2. *Clodius legitimè consecrare non potuit, quia & tribunatus ejus nullus est, & lex irrita: & domum injustè evertit, & ritu consueto non consecravit.*

Exordium ab officio Pontificum & causæ gravitate; quod cavendum sit, ne improbi sua scelera religionis obtentu velent; egregiè ducit, ad n. 3.

Propositione docet, quod priusquam rem propositã aggrediatur, Clodii criminationibus, quibus gesta per hosce dies à se in senatu videlicet, occurrendum sit.

Confirmatione igitur *quæst.* 1. occurrit convitiis Clodii: ostenditque 1. se per illa quæ gessit in Senatu, non timere Pontificum alienationem, qui tanquam venti non mutentur. 2. se, cum à republ. absens desideratus sit, nefariè à Clodio exturbatum. 3. se abstinuisse senatu, dum, Clodius tumultuaretur, venisse denique à Consulibus vocatum ex officio boni senatoris, ut novæ seditioni per Clodium, ejusque & Catilinæ facinorum socios, Lollium, & Sergium occasione famis concitatæ, occurreret, adfuisse Deos, &

& suo consilio Cn. Pompejum rei frumentariæ præfectum, & annonam, quæ à se publicè flagitabatur, appulsam esse, ad num. 18. Denique 4. admirabili vi & eloquentia demonstrat, se rectius uni extra ordinem Pompejo rei frumentariæ summam credidisse, quàm M. Catonem ipse præfecerit bello contra innocentem Ptolomæum Cypri Regem (ad num. 23.) quamque sceleratissimum ille Gabinium proconsulem Syriæ, aliisque liberis populis L. Pisonem, lege Sempronia violata; quam denique Sextum Clodium, sanguine junctum, rei eidem frumentariæ, unde ad hanc famem deveniatur, præfecerit, usque ad num. 17. Postremò monet frustra ipsum aliosque conari, ut suam Pompeiique amicitiam & studia pro republ. dissocient, si quid intercesserit diffidentiæ, se errore divulsum esse, nunc ipsius rursum benevolentiam in restitutione expertum; non ultra divellendum, usque ad n. 32.

Confirmationis quæst. 2. ostendit domum restituendam, quòd illegitimè consecrata sit.

I. Quia Tribunatus ipsius nullus sit, propter adoptationem inter plebejos illegitimam, ut quæ, & juri repugnet publico, ad n. 43.

II. Licet staret tribunatus, lex tamen Clodiana concideret; cùm & legibus, & formæ judiciorum adversetur, ad n. 53. praxi denique legis ferendæ sine vi, ubi vim furoremque, in se suosque, tum bonos omnes sibi faventes; usurpatam, lata elegantique descriptione, usque ad n. 101. prosequitur, docetque, se indemnatum à populo (si factiosos demas) esse urbe depulsum, semperque etiam absentem in testamentis bonorum, pro cive habitum, neque suas jactare laudes, nisi convitiis lacessitum quibus respondeat, &c.

III. Domum suam injustè eversam breviter tradit, cùm sceleratorum tantum civium, quales Metii, Spurii, Cassii Manlii, Flaccique condemnati fuerint, eversa sit, ad num. 103.

IV. Dedicationem ex vitio dedicantis illegitimam esse, prolixius docet; quia ab autore scelerato, sine Deorum voluntate, simulacro meretricis pro Dea libertatis illato, oppressa jam urbe, sine Pontificum autoritate, sine postis apprehensione, & verbis solennibus facta est,

usque ad n.122. Deinde legem dedicationis iniquam, ipsiusque Clodii exemplo irritam, nullum consecrationis verbum continentem, non cum Pontificibus cum Populo ac viris bonis (ut Cassius signum Concordiæ in curia statuens fecit) communicatam. Postremò vitiosissimè consecrationem peractam esse ostendit, usque ad n.142.

Peroratio Apostrophen Ciceronis 1. ad Pontifices continet, ut autoritatem revocantis patriæ suo judicio, Ciceronem domui propriæ restituendo, confirment; Deosque obtestatur, ut si pro patria, & illorum templis pugnarit, faveant.

CENSURA.

Oratio vehemens & incitata, strictis Clodium interrogatiunculis contemptim refutat, & lacessit. Maximè verò in principio, & confirmationis primæ parte ultima, à num.18. tum etiam parte altera à num.44. ad 66. & à num. 103. ad 115. cum peroratione, vi atque efficacia, eminent.

IMITATIO.

Imitabitur Romanus quispiam, si contendat. 1. Summum Pontificem ad providendum moribus, & disciplinæ Ecclesiasticæ consensionique omnium, rectè universæ Ecclesiæ præfici. 2. Bona Ecclesiastica ab hæreticis occupata, nondum religione vacua, quod Deo legitimè dedicata sint, illegitimè à profanis hominibus teneri: alia contra ab hæreticis Deo dicata nulla religione obstringi, quod sine Deo, sine lege, autoritate, nihil queat consecrari.

ORATIO XVIII.

De Aurispicum responsis.

Habita anno Cic.51. U.C.697. C. Corn. Lent. Marcello & L. Marc. Philippo Coss. contra Clodium, qui recepta abs Cicerone domo, docuit in Concione Aruspices tradere, Deos ob loca sacra profanata urbi offensos esse; idque in Ciceronis domum consecratam detorquebat, at Cicero converso argumento Clodium hac ira peti, ob sacra fidemque violatam, &c. docebat. Unde tam *quæstio*, quam *argumentum* patet.

Exor-

Exordio describit præteritæ diei impudentiam, quâ Clodius coram egerit, digressusque justam suam indignationem conciverit, quem tamen semper à violatis Bonæ Deæ sacris odio sit prosecutus; quòd videret, quantam respubl. pestem foveret, ominatur T. An. Miloni hujus pestis opprimendæ gloriam, præ se, deberi, ad n. 8.

Propositione, per irrisionem dicit, Clodium à sacris Bonæ Deæ prodeuntem, de religione Domus Ciceronianæ, concionatum esse, qui propediem etiam, à thalamo sororis egressus, de pudicitia dicturus videatur. Nunc se pro sua domo responsurum, ad n. 11.

Confirmationis parte 1. refutat Clodium ex Aruspicum responsis in illum retortis.

I. Docendo suam domum religione magis liberam, quàm cujusquam urbe tota; quòd de nulla tale judicium senatus, tale Pontificii totius collegii habitum fuerit, quo libera decerneretur, usque ad n. 18.

II. Tradit ludos Megalesiorum pollutos non esse, nisi per Clodium ædilem vim furiosæ plebis inferentem, ad num. 30.

III. Loca sacra profanata, non in domo sua (quam Clodius profanus consecrare non potuit) sed à Clodio, qui Telluris sacellum invaserit, ad n. 34.

IV. Oratores violatos (ut Aruspices dicebant) & ab aliis, ne solus improbus videatur, & à Clodio, qui per Medicum uni venas inciderit, asserit, ad n. 36.

V. De jurejurando violato, ait, & reum esse Clodium, ad n 37.

VI. Sacrificia vetera occultaque polluta, per Clodium sacra Bonæ Deæ violantem affirmat, ideoque justa Deæ pœna in omnia scelera non oculis quidem, ut Appius abavus erat, sed mente cæcum, proruere ad n. 4.

Confirmationis parte 2. expanduntur Aruspicum monita.

I. Cavendum ne per optimatum discordias principum cædes oriatur. At Cicero gravissimam discordiarum facem unum modò ostendit esse Clodium, cujus sceleratam, discordiarumque amantem vitam, per omnes ætatis, & officiorum gradus, ad præsens tempus, eloquentissimè deducit, ad n. 54.

II. Cavendum ne in unius imperium res recidat. Hoc me-

metuendum jure Cicero asserit; quòd hic ferè Principum dissidentium finis sit, ut Mario & Sylla, Octavio & Cinna dissidente visum est.

III. Cavendum, ne occultis consiliis respubl. lædatur, qua in re Clodium asserit metuendum ad n. 56. & ne repulsis deterioribus honos augeatur: qualem, citra controversiam, ait esse deterrimum hominem Clodium, usque ad n. 60. Postremò ne reipubl. status immutetur, providendum, quod perquam difficile in labefactata autoritate Principum, & senatus, esse agnoscit, ad n. 61.

Peroratione excusat se à graviore oratione, quam religionis causa susceperit, omnesque à Diis portentis vicinorum agrorum præmonitos; ad concordiam hortatur.

CENSURA.

Hæc oratio, licet pauculis locis demissior, magnam tamen ingenii & eloquentiæ vim in Cicerone demonstrat cum quæ sibi adversari visa sunt Aruspicum responsa, ita in Clodium regessit, ut is unus maximè reus videri posset. Exordium post principium ejusque propositio eximia sunt. Confirmationis pars 1. inprimis eminet n. 33. & à num. 38. ad 40. à quo per alteram partem confirm. ad 54. num. usque, disertissimè in Clodium se se effundit.

IMITATIO.

Serviet in examinandis legum, testamentorum, decretorum, vaticiniorumque denique & sacræ Scripturæ verbis sententiisque pro nobis in adversarios retorquendis.

ORATIO XIX.

Pro Plancio, ambitus reo.

Dicta est anno Cic. 53. U. C. 699. Domitio Ænobarbo, & Ap. Claudio Pulchro Coss.

Quæstio.

An Cn. Plancius ambitu ædilitatem consecutus sit?

Negat Cicero, contra M. Juventium Laterensem & L. Cassium, Judice C. Flavio.

Argu-

Argumentum, *Cn. Plancius diligentia gratiaque atque integritate vitæ populi suffragia potiora obtinuit, neque quicquam adversus legem commisisse convinci à Laterense aliisque potest. Non* igitur *ambitu, sed jure illi prælatus est.*

Exordio benevolentiam captat à persona Plancii, cui plurimùm, ut salutis suæ conservatori, obligetur, tum etiam causæ æquitate, quâ subnitatur, ad n. 6.

Propositione dicit, se, & de meritis Plancii, & ipsius innocentia dicturum, quanquam grave sit Laterensi amico hac in re adversari, ad n. 6.

Confirmationis quatuor veluti partes facit: *Prima* docet Plancium si non generis dignitate, attamen diligentia populi favorem præ Juventio meritum esse, populo igitur, qui rogari & sollicitari amat, imputandum, quod Plancius prælatus sit. Ubi n. 12. scitè populum hanc Juventio negligentiam exprobrantem inducit, ac deinde ipse comitiorum incertitudinem per Apostrophen urget ad n. 17. Deinde genus utriusque confert, municipumque favorem. Se etiam sua intercessione Plancio, bene de se exule merito, profuisse tradit, ad num. 27. denique laudatam ipsius vitam breviter ab adolescentia prosequitur, ad n. 30.

Altera parte Confirm. objecta Laterensis confutat. ut I. Negat libidine notatum, etiamsi ex more Mimam rapuerit; nec, quod scelestum ex carcere dimiserit, crudelem, sed humanum potius habendum; nec filio obesse debere dictum Patris liberius in Magistratum jactum, quod honestus pater filio obstare nequeat, præsertim cùm dolore extortum fuerit. Liberum quidem (ut & aliorum sæpe) non tamen asperum dictum, ad n. 36.

II. Negat (quod objiciebatur) ambitum esse admissum. Neque enim id factum in Judicum editione, contra legem Liciniam, cùm ipse Laterensis hos delegerit ex tribubus maximè Plancio infestis, qui ex amicis & corruptis à Plancio legendi, juxta illam legem, fuissent, ut testes iidem esse possent, ad n. 45.

Neque decuriatio tribulium, & suffragia largitione comparata sunt, cum de hoc, ut & de coitione, & nummorum divisione, nil probetur; beneficia tribubus præ-

ſtita etiam laudentur; gravitas Laterenſis gratiam non meruerit, uſque ad n. 58.

Parte tertia confirmationis, ad Caſſii objecta plura reſpondet ſtrictim. 1. Negat populum meminiſſe, quod ex Laterenſis familia primus ædilis fuerit Juventius. 2. Dicit etiam Ciceronis filio, non profuturum ad honores Patris conſulatum, niſi ipſe advigilet. 3. Quod licet Plancius ex Scipionis filiis non ſit, aut non triumpharit, aut minus eloquens doctuſque ſit, hoc non impedire, modò virtutem ad ædilium munus requiſitam adferat, ad num. 63. Denique 4. ad laudes Laterenſis à Caſſio propoſitas, ait, ſæpe populum has ignorare, ut, Lepido exemplo, ſibi ex quæſtura Sicilienſis Romam redeunti eventu cognitum eſſe, memorat. 4. Fatetur ſe pluribus quam Plancio, ipſique etiam Laterenſi obſtrictum. Sed hoc tempus ſibi perſolvendæ gratiæ Plancio oblatum jure impendere. ad num. 72.

Parte quarta confirmationis, ad quaſdam Laterenſis in ſe objectiones redit. & 1. Negat ſe quicquam Plancii temporiſque gratia fingere; ſed verè obſtrictum, qui gratias eidem redux publicè in Senatu dixerit, ad n. 75. Deinde jure ſe in defenſione Criſpii amici & propugnatoris ſui lacrymatum dicit. 3. quod licet in tribunatu ſibi Plancius non adfuerit; poſtea hoc exuli præſtitiſſe, ut etiam Senatus ei gratias habuerit; ſe igitur ingratum eſſe non poſſe, nec refugere nomen miſericordis & defenſoris ut Laterenſis ad num. 86. Denique 4. quod ipſe timidè reipubl. aliorumque auxiliis ſubduxerit, quodque mortem formidarit, ait, conſultò factum; cum manens nec vincere, nec vinci ſine reipubl. clade potuerit; mori autem cum reipubl. clade noluiſſe ad num. 91. Poſtremò, quòd Laterenſis ſe in republ. liberum eſſe, Ciceronem verò à reditu talem eſſe negaret, ac denique in Plancio defendendo, ex cloaca arcem inſtruere; reſpondet ad primum, ſe favere Laterenſi libertatem, & propriam non deſerere, dumque amicos & inprimis Cn. Pompejum, deinde, C. Cæſarem laudet, facere hoc quod totus Senatus facit; & ſi videat, navem non impelli in portum, quem velit, occupare, quem poſſit. Cn. verò Plancium ſibi à pleriſque deſerto Dyrrachium

etiam

etiam mutato habitu occurrentem excipientemque supra meritum non amplecti, ad n. 101.

Peroratio brevis, sed ad motum vehementissima, ex Plancii in Ciceronem affectu ducta, & mutuo publicè complexu, lacrymisque cùm Ciceronis, tum Judicum absoluta est.

CENSURA.

Pleraque humiliori charactere, ut in disceptationibus solet, exarata sunt. Notanda tamen ingeniosa Laterensis exagitatio est, qua negligentiam ipsi & fiduciam nobilitatis exprobrat. à n. 12. ad 17. Est tamen, & pars ultima confirmationis, in fine præsertim observanda, & universè exemplum modestæ refutationis, cùm laude adversariorum, tum epilogus planè admirabilis diligenter considerandus erit.

IMITATIO.

Imitari in Ionatha, amicum Davidem coram Saule patre defendente, licebit, illis, quæ à Patre de ambitione regni objici poterant, refutatis, & argumentis de militiæ præfectura in bene meritum conferenda propositis. Serviet Iudæ etiam ad defensionem fratris Iosephi, aut Pilato ad Christum è manibus Iudæorum asserendo. In Danielis quoque defensione adhiberi multa poterunt.

CAPUT VI.

Orationes Tertii Voluminis.

Oratio pro P. Sextio de vi accusato.

HAbita est anno Cicer. 51. Urb. C. 697. P. Cornel. Lentulo, Marcellino, & L. Mart. Philippo Coss.

Quæstio.

An. P. Sextius, cum de Cicerone reducendo ageretur, vim fecerit?

Negat Cicero, cum Hortensio, contra M. Tull. Albinova-

novanum accuſatorem, & Vatinium teſtem, abſoluto Sextio.

Argumentum. *Sextius & vir bonus eſt, & pro ſalute patriæ pugnavit, & vim illatam repulit: non igitur de vi injuſta accuſandus eſt.*

Exordio adverſariis odium conciliat, & Sextio benevolentiam, quod improbi jam Romæ paſſim exurgant in probos & reipubl. defenſores, ut quos ferro non potuêre, accuſatione & judiciis opprimant, quibus ſe profitetur reſiſtere, ad num. 4.

Propoſitione, oſtendit ſe primo de vita Sextii, deinde & rebus illius ad remp. pertinentibus acturum.

Confirmatio duabus partibus continetur. *Prima* vitam tractat. ut quod I. egregio patre natus, carus adoleſcens ſuis, Scipionis ſoceri, afflicti & exulis, conſolator, Quæſtor ſe conſule C. Antonii collegæ, celeri expeditione Catilinam oppreſſerit. ad n. 14.

II. Quod Trib. plebis factus naufragam remp. reſtituerit, ubi per longam digreſſionem, ſceleratiſſimos duos Conſules, Gabinium & Piſonem, quorum opera Clodius Ciceronem & remp. evertit, graphicè deſcribit, uſque ad num. 31. Denique afflictum urbis lugentis Cicer. ſtatum proſequitur, ad n. 56. cui ſe ob Clodii incredibilem furorem, rectiùs quam Q. Metellus Mario ceſſerit, ſubduxiſſe conſulto, Cæſare adverſante; memorat, ne in ulterius diſcrimen remp. ſua oppoſitione, pertraheret, ad n. 53. Addit quemadmodum a Clodio deinde Gabinio & Piſoni decretæ Provinciæ fuerint. Rex Cypri Ptolomæus hoſtis decretus ſit, M. Catoni (ut à republ. abeſſet) cum imperio ad hunc opprimendum amandato, ad n. 70.

Confirmationis parte ſecunda docet, mutatis poſt annum Coſſ & Tribunis plebis Sextium pro ſe, ad Cæſarem inflectendum, profectum eſſe; Lentulum Conſulem ad Senatum retuliſſe; primumque L. Cottam ſententiam rogatum dixiſſe: nihil contra Ciceronem jure & more majorum actum eſſe, cui, cum Pompejo, reliqui aſſenſi ſunt, præter Gavianum intercedentem. Unde dilata die, adverſarii hanc multa cæde impedire conati ſunt, denique & Sextium Tribunum pleb. ſe defenſurum, in templo Caſtoris præſentem aggreſſi, multis afflictum vulneribus, pro mortuo

tuo reliquerunt, nullum itaque aliud ipsius crimen, quàm quòd non perierit, cui se mortuo pro republ. jure statua deberetur, ad n.85. quod si igitur Milo ob defensionem adversus Clodianos susceptam laudatur; cur reprehendatur Sextius pari jure usus? ad n.96.

Postremò ad quæstionem Albinovani; *Quinam Optimates essent*? respondet, illos esse, qui nec nocentes, nec improbi civitatis principes rempubl. tranquillè, etiam cum sui capitis discrimine moderantur, quales Scaurus, Catulus, Metellus, Lentulus, quo autore revocatus sit. Contra alios, ut Cassium, Gracchumque populare nomen affectasse, legibus noxiis in populi favorem latis, quibus concussa republ. His nunc Gallum, Clodium, aliasque reipubl. pestes accessisse, qui emptitiis magis sicariis, quàm populi favore grassentur.

Illis non minus fortes reipubl. Romanæ Principes nunc opponi, quàm apud Athenienses olim, proscriptione atque exilio etiam neglecto. Quos suadet imitandos, ad num.144.

Peroratio ad misericordiam composita est, ex proposito squalore latrymisque lugentis Sextii, Milonis, Lentuli, quas ob suam calamitatem (quam breviter subjicit) dicit susceptas; ut nisi illi, nisi hic Sextii filius luctu miserabilis, subleventur, ipse salvus esse non possit.

CENSURA.

Oratio prorsus eximia est, acrique dicendi genere inflammata: exordio tamen & peroratione, tum præcipuè prima confirmationis parte excellens.

IMITATIO.

Imitaberis quemcunque demum pro patria, ecclesia, aut salute amicorum, vel propria, contra improborum conatum, arma sumentem defenderis. Ubi illæ seditiones, quæ superiori seculo, per religionis orthodoxæ Novatores, Europam oppressere, Catholicis multis locis contra vim armatis, Locum invenient. Dabitque Anglia, Belgium, Gallia, Germania, Polonia, Suecia non unum imitandi argumentum.

ORATIO II.

Seu interrogatio in Vatinium testem.

Vatinium, qui contra P. Sextium testis steterat, Cicero hac oratione ita seorsim exagitat, ut Diis hominibusque plaudentibus, execratus discesserit, ut ipse ad Quinct. fratrem epist. 4. Tempus, Consulesque iidem sunt, qui pro Sextio.

Quæstio.

An Vatinio testi credendum sit?

Argumentum negantis tale est. *Vatinius immerito defensionem culpat, testis que est turpis, nefarius, ac sibimet contrarius*, Ergo *non audiendus.*

Exordio à Vatinii turpitudine, communique odio, mentiendi licentia, atque atrocitate sibi benevolentiam auditorum conciliat.

Confutationis duæ sunt partes. *Prima* se tuetur, Cicero, ut I. quod C. Cornelium rectè defenderit, aliis approbantibus, à quibus mox ipse Consul electus fuerit. II. quod reipubl. conservandæ gratia prudenter exularit; ut deinde tanto populus studio; & honoris testificatione revocarit, qui tamen Vatinium detestetur, ad n. 11

Secunda parte confut. strictis illum interrogationibus acerbè insectatur. I. adolescentia breviter perstricta, quæsturam avaram, Hispaniensem legationem perversam notat, ad num. 13. II. tribunatum sceleratè gestum, magicas artes, auspicia sublata, legem Æliam Fusiamque violatam, ad n. 21. Consulem in vincula abductum, necemque Principibus urbis, ficto crimine, intentatam, ad n. 29. Opum arrogantiam, & insolentem, epularum violationem, quibus atratus interfuit, persequitur, ad n. 33. III. Post tribunatum, ostendit insigni impudentia, & novitate ad Tribunos plebis provocando judicia disturbasse, repulsamque eidem & odium aliorum exprobrat, usque ad n. 40.

Conclusione, seu *interrogatione* ultima, illius inconstantiam arguit, quâ Milonem & laudet, & falsò arguat, Sextium

&

& accusandum fuisse neget, & condemnandum cum Milone putet.

CENSURA.

Eloquentia vulgaris, modo tamen exagitandi adversarium singularis est. Prima orationis pars, usque ad 2. partem confut. inprimis legi meretur.

IMITATIO.

In exagitanda illorum testium improbitate, atque inconstantia, qui contra Veterem Ecclesiam insurgere ac testimonium dicere ausi sunt, multis ipsi sceleribus contaminati, atque inter suos etiam auditores despecti, serviet.

ORATIO III.

Pro M. Cælio parricidii reo.

Acta anno Cic. 51. Urb. C. 697. P. Corn. Lentulo Marcellino, & P. Marc. Philippo Coss.

Quæstio.

An M. Cælius homo improbus, aurum à Clodia acceperit, & ne reddere cogeretur, veneno illam sustulerit?

Negat cum M. Crasso *Cicero* adversus Atratinum, Herennium, Balbum, Prætore & Judice Cn. Domitio.

Argumentum; *M. Cælius falsis criminibus petitur, neque aut aurum accepisse, aut venenum dedisse probatur,* Ergo *habendus est innocens.*

Exordio & propositione docet se festo die ludisque publicis, propter gravitatem objecti criminis defendere injuria accusatum, ad n. 3.

Confirmationis seu *confutationis parte prima* vitam Cælii ab objectis vitiis purgat. Patrem impiè à filio tractatum negat, quod ipsæ nunc patris pro filio lacrymæ testentur, nec probro esse, quod equitis Rom. sit filius, ad n. 25. Municipibus ingratum non esse, cum Puteolani summos illi honores etiam absenti habuerint. In luxuriæ verò suspicionem,

cionem, ob liberalem formam pertrahit, id tamen malè objici, non probari ab Aratino adolescente honesto, in cujus etiam verbis pudor debeat elucere, ad num. 10. Catilinæ singulari familiaritate adhæsisse negát, sed primùm Ciceroni prætori, deinde quidem Catilinæ nondum sua vitia prodenti, etiam secum favit, ut uterque in hoc delectu erravit, conjurationis iccirco socius non fuerit, ad num. 16. Ambitum & æs alienum frustra objici, cum de ambitu alios accusarit, debita tabulæ non testentur, ad num. 18. Discessisse à patre non tantùm invito, sed etiam consulente; nulli Senatorum per vim, nullique uxorem alienatum fuisse injurium, testibus pecuniâ conductis parum esse tribuendum, ad num. 23. Seditionis Neapolitanæ immeritò accusatur; cum P. Ascitius adjutor, judicio liberatus sit. Denique si luxuria eidem ab Herennio & Balbo objiciatur, aliquid dandum ætati primæ, à qua se multi ad bonam frugem receperint, usque ad n. 30.

Parte secunda confirm. Aggreditur de familiaritate quæ Cælio cum Clodia fuit Clodii sorore, & ut falsè Cicero ait, marito, contra quam egregia prosopopœja Appium cæcum ex proavis excitat, ipsius lævitatem increpantem, ac deinde & Clodium fratrem hos Cælii amores mutare suadentem introducit, denique & senem comicum Cælium reprehendentem, quod vicinitatem tam levis fæminæ, unde fama ejus petatur, non devitarit, ad n. 39. Postremò docet paucos hoc tempore tam severos esse, qui omnem à juventute voluptatem arceant, modò sine cujusquam injuria, & aliis volentibus eâ fruatur, quanquam illud dicendi studium, in quo Cælius versatur, immodicas voluptates non admittat, in Clodia etiam omnibus vulgata (ut rectè arguit) nihil magnopere deliquerit, ad num. 51. Porrò aurum non accepisse à Clodia, datum L. Luceii servis ad interimendum legatum hospitem Dionem, patet, vel enim dixit, cur aurum peteret, & sic Clodia non minus reà erit; vel non dixit, & credibile est Clodiam non fuisse daturam, accedit nullius nisi leviculæ illius testificatio, contra verò Luceii viri integerrimi pro Clodio jurata autoritas, usque ad num. 55.

Pars tertia confirm. Venenum Clodiæ instructum à Cælio negat. Fingit enim irata & procax meretrix, dicuntur

ſervi ipſius adhibiti, nimium certè familiares Clodiæ, ut hæc illis res credi non potuerit; ubi Q. Metelli viri ipſius ſubitam mortem per hypotypoſin oculis ſubjicit, ut Clodiam in ſuſpicionem veneni advocet, ad num. 61. Deinde explodit hiſtoriam, quâ Licinium à Clodio ſubornatum dixerant, ut venenum ad baluéa deferret, deprehenſumque effugiſſe, quod multi fortes ex inſidiis (ut ajebant poſitis) hunc facilè intercipere potuiſſent, hos verò teſtes & depoſcit, & turpitudinis paris cum Clodia ſugillat, ad n. 70.

Peroratio, à repetitione vitæ Cælii, ejuſque ſtudiis pro reipubl. defenſione ſuſceptis, túm denique ſenectâ miſerabilis patris intercedentis, miſericordiam concitat.

CENSURA.

Oratio hæc plus eloquentiæ ingeniique, quam pudoris ſapiente viro digni, adfert. dum nimium juventuti indulget, & favet luxurioſæ adoleſcentiæ. Cæterùm pars ſecunda & tertia confutationis, à maturiori & ſolidioris virtutis ætate magis, quam adoleſcentibus utiliter volvi poſſunt.

IMITATIO.

Imitaberis in excuſatione prolapſi nonnunquam adoleſcentis, qualis ille Evangelicus eſt prodigus ad frugem reverſus. Vel etiam oppoſita in ſpecie, ſi Ioſephum Patriarcham, à muliere nequicquam ad libidinem provocatum, raris laudibus extollas, cum aliorum facilè prolabentium oppoſitione, à quibus ipſe deflexerit. Idem vel in Auguſtino reſipiſcente; vel in Thoma Aquinate muliebrem procaciam generosè repellente ſerviet.

ORATIO IV.

Pro L. Cornelio Balbo.

Acta anno Cic. 51. U. C. 697. P. Corn. Lent. Marcellino, & P. Marc. Philippo Coſſ.

Quæſtio.

An Cornel. Balbus jure ſit civitate donatus?

Poſt Pompejum alioſque Oratores *Cicero affirmat*, & obtinet, ut lib. 8. ad Att. Epiſt. 24.

Argu-

Argumentum. *Balbus à Pompejo ob virtutem juxta leges, exemplaque, & consuetudinem civitate donatus est.* Ergo, *jure est civis Romanus.*

Exordio tradit se post eloquentissimos Oratores Pompejum & Crassum, ex Pompeji voluntate, Balbi, cui plurimum debeat, suscipere defensionem, ad n.5.

Narratio exponit quemadmodum gravissimis balbus in bellis. cum Metello, Memmio, ac denique Pompejo fuerit, qui eum civitate ob merita donarit, ad n.7.

Confirmatione I. laude insigni Pompejum ornat, ut meritò adlectus Balbus censeri debeat, cum à tanto viro adscriptus est, usque ad n.17.

II. Petit ne Balbi virtuti fortunæque invideant, cum nihil adversus legē Gelliam Corneliamque peccatū sit, neq; fœderati populi, tum cum Romanis utile est, excludendi sint; cum enim Romano liceat esse Gaditanum, cur Gaditano Romanum esse non liceat? semper enim licuit Romanis aliunde fortes cives admittere, nisi fortè, ut in Germanorum fædere, exceptum sit, quod è fædere Gaditano frustra elicitur, ad n.38.

III. Docet Gaditanos factum probare, neque hos deteriori esse jure posse, quàm Afros, Sardos, Hispanosque, qui civitate donantur, jusque hoc illorum defendendum esse, quos C. Cæsari inprimis ornarit, ad n.44.

IV. Fecisse Pompejum, quod C. Marius, Pompejus Pater, L. Sylla, M. Crassus, Q. Metellus, qui alios plures civitate donarunt, ut Sylla quidem etiam Gaditanos, ad n.52.

V. Denique, hanc & Judicum in hisce causis sententiam, & populi Rom. sensum, & senatus antehac fuisse judicium & consuetudinem declarat. ad n.56.

Peroratione, quibusdam objectiunculis leviter discussis, ostendit: Pompeji invidos malè Balbum impetere, suadetque has cum viris summis inimicitias esse deponendas, & suo exemplo deterret, qui mollius etiam pro Cæsare sententiam dixerit, acerbum etiam Cæsari fore, si hunc amicum suum afflictum sentiat. Illo igitur jure, quod tot clarissimi viri populique approbarint, Balbum tutò frui patiantur.

CEN-

CENSURA.

Illustri principio de Pompeii laudibus, ad num. 17. oratio surgit, sua etiam peroratio virtute nitet; cætera mediocritatem non vincunt.

IMITATIO.

Licebit pari ratione contendere Romanæ religionis viros liberis Romani Imperii urbibus nullo jure arceri posse, sed priscis Rom. Imperii legibus ubique admittendos & sicubi injuria exclusi sint, postliminii jure, recipiendos. Quod & Cæsaris admittentis autoritate, lege possessionis antiquæ, ex eorum meritis, politica etiam fide, vitæ probitate, aliorum exemplis, & jure potiori quam aliæ sectæ adferant, poterit stabiliri.

ORATIO X.

De Provinciis Consularibus.

Habita in Senatu anno Cic. 51. U. C. 697. Marcellino & Philippo Coss.

Quæstio.

An Provincia Macedoniæ Pisoni, Syriæ, Gabinio, & utriusque Galliæ C. Cæsari relinquenda sit?

De prioribus negat Cicero, de Cæsare affirmat, & obtinet.

Argumentum contra Pisonem & Gabinium est, *Quod injustè acquisiverint & administrent*, pro Cæsare est, *quia sic judicet expedire reipubl. ad Galliam subjugandam.*

Exordio ad odium declinandum dicit gaudere se, quod in Provinciis decernendis, hoc reipubl. utilitas requirat, & sentiant cum Servilio & alii, ut Gabinio & Pisoni eæ derogentur: ex dolore ipse suo hæc tantum suadere videatur, ad num. 3.

Confirmationis parte prima, docet Pisonem, & Gabinium à provinciis ob malam administrationem revocandos, &

& Pisonem quidem, tum quia ejus negligentia Provincia à barbaris infestata est, tum milites Rom. variè afflicti, denique & insigni avaritia, libidine, & crudelitate in ea grassatus sit, ad num. 9. Gabinium verò, quod ipsius iter truculentum, ac minister cædis Ariobarzanis fuerit; quòd adventus in Syriam calamitosus, equitatu amisso, quodque avarè & crudeliter in publicanos; civesque juxta & socios Rom. grassatus sit, ad num. 12. Denique utramque hanc pestem à provinciis jure submovendam asserit, quæ scelere Clodii immissa jam principio movenda erat. Gabinio præsertim tam inviso, ut nec ipsius de victoria literis fides habita, aut supplicatio decreta sit, ad num. 17.

Pars altera confirmat. Cæsari utramque Galliam, ob reip. commodum (quòd magis ipse, quàm privatas olim cum Cæsare inimicitias spectet) jure relinqui. ubi ex amore patriæ exemplo Marii, se Cæsarem amplecti asserit, ipsiusque laudes & victorias prosequitur, totius spem Galliæ ejus virtute ac felicitatè subjugandæ facit, quam ipso revocato minimè censet esse abrumpendam, ad n. 36.

In confutatione negat convenire, ut Cæsari vel provincia imminuatur, quod hoc ejus dignitati adversetur, vel prorsus auferatur ex gravissimi Consulis sententia, *ne homo popularis nimia sibi indulta potentia ad reipubl. perniciem abutatur*; quod hoc à Cæsare non putet timendum; cui tum propter veterem ámicitiam (quamvis Clodiani furoris communione interruptam) tum propter novum in reductione favorem, jure addictus sit usque ad num. 47.

Peroratione brevicula ostendit, se, licet inimicus Cæsari foret, tamen reipubl causa sentire, revocandum non esse.

CENSURA.

Nihil in hac oratione singulari eloquentia illustre est. Pars tamen altera confirmationis, præ reliquis eminet.

IMITATIO.

Imitaberis eodem in genere, si de officio, vel administratione cuipiam, aut conferendo, aut auferendo disseras. In diverso

verso, si inquiras, an profanis Principibus nullo sacerdotio initiatis Ecclesiarum administratio in spirituali jurisdictione concedenda sit? aut, an Franciscus Xaverius, aliusve, ab Indorum, vel Chinarum legatione revocandus in Europam sit? quod ultima magis parti conveniet.

ORATIO VI.

In L. Calphurnium Pisonem.

Habita est anno Cic. 52. Urb. *C.* 698. Cn. Pompejo & M. Licinio Crasso II. Coss.

Post revocationem Pisonis à Provincia. Piso enim redux in Ciceronem invectus fuerat, cui hac acerbissima reprehensione occurrit Cicero.

Prothesis.

Pisonem jure ex Provincia revocatum esse.

Ratio, sive Argumentum. *Piso est homo facinorosus, cujus abitus in provinciam acerbus, reditus ignobilis, vita & commemoratio turpis fuit*, Ergo, *jure est revocatus.*

Exordium, à persona Pisonis ex abrupto ducit (fortè, quædam desunt) illumque de suis honoribus gloriantem, hos non virtute; sed nobilitate majorum dicit assecutum, ad num. 3.

Confirmatione, se cum Pisone confert I. in gesto consulatu, quem ipse & omnium consensu assecutus sit, & ita gesserit, ut Pater patriæ sit appellatus. Piso verò consulatum à ludis compitaliciis, à lege Ælia & Fusia, censoriaque dignitate per Clodium eversa, orsus est, templum Castoris sceleratis armis violavit, Ciceronem domo expulit, Pompejum inclusit, ut his se jure subducenti turbis Cicerone, omnia scelere everteret, domum etiam Ciceronis inflammaret, Pompejum trucidaret, ad n. 31.

II. Discessum & absentiam suam, quam vitio illi Piso verterat, cùm illius absentia in provincia, simul & Gabinii, componit, aitque, se cum omnium bonorum desiderio, & cessisse; & abfuisse, illos verò cum ignominia, sine honore. Et sine laureatis literis Pisonem (quod nulli in Macedonia factum) Gabinium verò missis illis quidem, sed contemptis, in Provinciis frustra imperatores proclamatos esse. Ut graviorem suis adversariis despectum pœnamque à Diis preçari non potuerit, ad num. 51.

III. Reditum utriusque inter se confert, aitque se totius Italiæ concursu, Pisonem obscurissimi Mercatoris instar revertisse. Ubi salsè, at eloquentissimè exagitat profitentem, quòd triumphi cupidus non fuerit; qui tamen spe illius provinciam tanto scelere emerit, &, videlicet, par Pompejo, Cæsari, Crasso aliisque triumphatoribus videri nolit, ad num. 64.

IV. Vitam ejus turpem, & à Græci Philosophi & Poëtæ Epicurei societate sordidam, atque infamem describit, ad num. 73. deinde suum versum, *cedant arma togæ*, ita tuetur; ut neget se hoc ad Pompeii aliorumque Imperatorum glóriam oratoribus postponendam; sed pacem bello præferendam dixisse, ad num. 75. profitetur se jure magis Pisonem, quam Pompejum aut Cæsarem insectari; non quod hos magis metuat, sed Pisonis improbitatem oderit, horum virtutem amplectatur, ad num. 83. Quare cum Cæsaris rebus gestis Pisonis in provincia scelera, inertiam, crudelitatem, avaritiam, ambitionemque immeriti honoris opponit, usque ad n. 94.

Peroratione judiciorum illi impendentium ob provinciam malè administratam, omniumque hominum, Romanorum, Provincialium, militumque commune odium, timorem injicit; suumque testatur gaudium, quòd ex Pisonis despectu & abjectione hauriat.

CENSURA.

Admirabili prorsus eloquentiâ, vim ingenii adversus hostem acuente indignatione, hæc oratio insurgit, ultima tantum de vitiis Pisonis pars, à num. 64. ad 75. strictius, negligentiusque tractata est.

IMITATIO.

Imitaberis in cujusque improbi cum probis facta collatione, ut Carolostadii, Zvvinglii aliorumque in nova Evangelii prædicatione, cum veteri Apostolorum & sanctorum Patrum, illorum libidines cum horum continentia, avaritiam cum paupertate, crudelitatem & bella cum humanitate, & pacis studio conferendo. Magnorum quoque per Europam Principum ad Ecclesiam reditus mansuetudine, demissione, continentia,

pace,

pace, pietate insignis, cum aliis ab ea propter libidinem, avaritiam, aut ambitionem, per bella, regnorumque aut libertatis noxia cupiditatem deficientibus, componi jure poterit.

ORATIO VII.

Pro Tit. Annio Milone parricidii reo.

Anno Cicer. 55. Urb. C. 701. pro Milone Cicero dixit, Pompejo III. sine collega Consule, sed cum armato milite forum interturbaret, animus, oratio & causa illum destituit, Milo exul factus, hanc orationem scripto oblatam accepit.

Quæstio.

An Clodius à Milone jure occisus fuerit?

Argumentum asserentis tale est. *Qui vim vi repellit, non occidit injuria alterum,* sed *Milo vim à Clodio illatam vi repulit,* igitur, *non occidit illum injuria.*

Exordium ducit ab inusitato judicii genere per milites obsessi, timoremque suum corrigit, cum hos præsidio adesse nuntiat, Judicesque contra furorem Clodianorum pro salute fortissimi civis & bono reipubl. fortes jubet persistere, ad num. 6.

Propositione docet, se, insidias Miloni factas esse, luce clarius demonstratum, ad n. 7.

Confirmationis parte prima, Thesin illam probat, quod nonnunquam hominem, præsertim vim inferentem, occidere liceat, nam I. judicio populi Rom. absolutus Horatius est propriæ sororis interfector, probata mors T. Gracchi, & aliorum se Consule, legibus etiam 12. tabul. nocturnum licet furem occidere, quid ni igitur vi invadentem, cùm eo potissimum fine arma ferantur? ad n. 12.

II. Quod objiciunt, Senatum judicasse Clodii cædem contra remp. esse, negat, cùm vix quinque in Senatu repertisint, qui Milonis causam non probarent, licet incendium curiæ; aliaque adversari reip. jure senserint, ad num. 15. negat & Pompeii rogatione, qua de cæde inquirendum judicavit, quicquam adversus Milonem decerni, cum sola

inquiſitio decernatur, quanquam hic tempori Pompejus deſerviat, cum de Druſi & Africani morte, in ſuis ædibus interfecti, nulla quæſtio à Senatu decreta ſit. Ubi ad invidiam Clodio conciliandam, ſubjicit, ſi eam in manibus ſervi Clodiani in templo Caſtoris deprehenſam, ſeque toties Clodii telis appetitum, & nullam hac de re quæſtionem decretam eſſe. Pompejum igitur ne Clodio malè conciliatus videretur, hanc de jure facti quæſtionem, ſed apud æquiſſimum Judicem L. Domitium, alioſque inſtituiſſe, quibus ſe vim Clodii probaturum confidat, ad num. 24.

Parte ſecunda confirmationis. Narrat I. conſilia Clodii & inſidias Miloni ſtructas, apparatum, pugnamque, ac deniqque cædem Clodii, ad n. 32.

II. Probat Clodium, & voluiſſe, & potuiſſe inſidiari; ideoque, ob ſperatam utilitatem ex cæde; auſum eſſe, cum tamen Miloni & obſit mors Clodii, & potuerit ſæpe occidere, ſemperque noluerit, nihil unquam vi compertus adverſus Clodium agere, cum vi omnia ille auderet, & ſæpè occaſio illius occidendi populo grata fuerit, ut cum adverſus omnes, ſe reſtitutioni Ciceronis opponeret, Cn. Pompejo, & M. ntonio reſiſteret, an igitur cum periculo credibile eſt occidere voluiſſe, quem ſine periculo poterat, idque eo tempore, quo conſulatum candidatus prenſaret? uſque ad n. 44.

III. Ex adjunctis, ut quòd Clodium arguat impunitatis ſpes, quòd minæ, quod notum, iter Milonis Lanuvium profecturi, quòd nocturna profectio, quòd locus ad inſidias opportunus, quòd comitatus mulierum excluſus, ad num. 59.

IV. Negat obſtare Miloni dimiſſionem ſervorum, aut eorum confeſſionem ab Appio dolo extortam: ſecuram potius conſcientiam, quâ ad urbem ſubitò redire, adverſariorum calumnias ſuſpicioneſque negligere (qui novum in eo Catilinam adverſus Pompejum, & rempubl. fingere viſi ſunt) prodeſſe oportere, ad n. 73.

Parte tertia confirmationis Clodiana flagitia, eloquentia prorſus admiranda, exagitat. I. per proſopopœjam inducens Milonem profitentem de cæde Clodii ſceleratiſſimi hominis, ne per unum jus, leges, pudor, libertas, reſp.

respul. opprimeretur, quæ vivo Clodio jacuissent, ad num. 80.

II. Fingit Clodium reviviscere, & Romanos Pompejumque quærit, hocne seriò optent? negat verò optare, ideoque quærit, cur Milonem damnare velint, de cujus etiam, ob hanc cædem, præmiis cogitandum esset, quod tali peste rempubl. liberarit? Quanquam non tam Milonis virtute, quàm Deorum nutu, qui rempubl. salvam, improbam puniri voluerunt, hanc cædem factam sentiat; ne Milone per insidias sublato, impunè omnia everteret, ad num. 93.

Peroratione misericordiam Judicum gravissimis dicendi figuris, à suis & Milonis in patriam meritis implorat; illum & virum fortem immotumque; se ut lacrymis fractum exhibet; illum patriæ Ciceroniquè à se servato valedicentem, factorumque se potius honore, quam præmiis virtutum solantem inducit; se gravissimè hoc vulnere, ab amicis etiam accepto, dolentem, obstantemque pro tali viro, per quem ipse servatus sit, ad varias lacrymas convertit.

CENSURA.

In hujus orationis postrema parte à n. 73. vim illam dicendi promit Cicero, quâ vix quicquam potest absolutius cogitari. Cæteræ partes intra mediocritatis terminos subsistunt. Quare Quintilianus, qui hac oratione nihil esse nobilius credidit, de ultima potissimum parte est intelligendus.

IMITATIO.

Imitari poteris in Ioabo coram Rege Davide defendendo, quod Absalonem Patris vitam, & insidiis, & vi appetentem, occiderit, magno patriæ bono. Vel contra Davidem minimè Saulis vitæ insidiatum, tot occasionibus cædis neglectis, post regnum etiam à Deo oblatum, laudatiori imitatione poteris ostendere.

Eadem quoque oratio, pro & contra Anglos Regis sui interfectores servire, in utramque partem differentibus, poterit. Etiam pro Regibus Galliæ Francisco & Henrico Hæreticorum, Ecclesiam persequentium, oppressoribus faciet. In Herode ejusque filiis locum quoque inveniet.

ORATIO VIII.

Pro C. Rabirio Posthumo repetundarum reo.

Habita anno Cic. 53. Urb. C. 699. L. Domitio Ænobarbo, & Appio Claudio Pulchro Coss.

Quæstio.

An Rabirius Posthumus corruptionis gratia, pro Gabinio, à Rege Ptolomæo pecuniam acceperit?

Negat Cicero adversus Memmium. *Ratio* est, *quia nihil in legitimo judicio probatur.*

Exordium ducit ab imprudenti facto Rabirii & *Narratione* quemadmodum Regi Ptolomæo Romæ exuli crediderit pecunias, non tantùm suas, sed & amicorum.

Confirmatione, vel *confutatione* potius, Memmium causam adferre dicit, quæ neque ad Senatum pertineat; cum non teneatur illi rationem dare Rabirius, quomodo ista pecunia Ptolomæus usus sit; neque ad causam Gabinii corrupti, cum hæc jam sit judicata, & Rabirius nullis testibus, tabulis, aut rationibus particeps esse convincatur. Deinde, ait, Equites lege Julia (quæ est in eos, qui pecunias ab aliis repetundarum damnatis acceperint) non teneri, cum & nova sit, & lata Senatoribus, ut lex M. Drusi ab illis admissa non est. Denique Gabinium si quam accepit pecuniam, non impulsu Rabirii, sed lucri causa admisit, ad num. 22.

II. Diœceten, seu regium procuratorem, Ptolomæi fuisse Rabirium negat; sed hac occasione regiæ inclusum custodiæ, mortisque objectum periculis, quædam necessitate fecisse asserit, quæ & sapiens, ut Plato, Callisthenes, Demetrius, non potuerunt devitare, ad n. 25. Quod pallium contra Rom. mores sumpserit, Regis gratia, cui omnes suas fortunas crediderat, faciendum fuit, exemploque L. Syllæ, Scipionis Asiatici Rutiliique defenditur. Quin & morte, nisi turpi, hanc effugere Regi obsequendi necessitatem non poterat, ad n. 30.

III. Do-

III. Docet Rabirium ne quidem accepisse pecuniam, nam si accepisset, id ratione decumarum, ut ajunt, factum esset; at hic illi 11. talenta non 10. ut ait Mummius, accipienda fuissent. Deinde testes Alexandrini nihil contra Gabinium adferunt, tantumque in rem militarem pecuniam accepisse dicunt; mirumque esset, si is, cui propriam Rex Ptolomæus pecuniam non reddat, ei dandam Gabinio credat, & Rabirius, præsertim extremè egens, Pro Gabinio pecunias occultè transportarit, ad n. 41.

Peroratione, docet tenuissimas Rabirii res à sola Cæsaris benevolentia sustentari, qui majorem laudem hac miserarum ope & propugnatione, quam expugnatione hostium mereatur; cum Rabirii bona nec sestertio quidem æstimanda sint, ut iccirco pro tam afflicto suas etiam lacrymas Cicero interponat.

CENSURA.

Et obscura satis, & vulgaris disserendi est ratio, nullo singulariter loco, nisi quid tribuas perorationi, eminet.

IMITATIO.

Imitaberis in defensione eorum, qui cum pecuniam multam Principibus, in defensionem patriæ, vel religionis contulerunt, eam denique ex bellicis prædis, aut occulta compensatione recipiunt; vel etiam pro laboribus, aut opibus reipubl. vel Ecclesiæ impensis honestam remunerationem exigunt; modò Simoniæ crimen submoveatur.

ORATIO IX.

Pro M. Marcello restituto.

Habita in Senatu anno Cic. 61. Urb. C. 707. C. Jul. Cæsare I. & M. Æmil. Lepido III. Coss. Postquam Cæsar Marcellum Pompeii fautorem in gratiam receperat. Generis est demonstravi.

Prothesis.

Iure C. Iul. Cæsari agendæ sunt gratiæ ob Marcellum in fidem receptum.

Ratio seu argumentum est. *Tam singularis clementia Cæsaris, quæ inimicis etiam parcit, singulari prædicatione digna est, & iccirco Cæsari minus etiam de insidiis metuendum erit.*

Exordium ducit à persona sua, dicitque se diuturnum silentium in tanta Cæsaris clementia, quâ optimum virum Marcellum, unâ secum, in fidem gratiamque receperit, amplius tenere non posse, quanquam eloquentia hanc digna nequeat exornare. ad n.5.

Confirmationis parte prima, clementiam Cæsaris per comparationem cum fortitudine & bellica ipsius gloria confert. Hanc summam in illo agnoscit; sed illam longè majorem, tum quod nihil sibi ex illa tribuni, aut milites vendicent, tum quod seipsum, quàm hostem vincere longè sit & gloriosius, tum quod viros dignos pacisque amantes reipubl. conservarit, quosdam etiam si posset ab inferis revocaturus, ut bello hoc pacem salutemque reipubl. quæsisse videatur, quæ usque ad num. 21. eloquentissimè diducit.

Parte altera suspicionem insidiarum Cæsari eximere conatur, quod amici insidiaturi non sint, inimici si qui fuerint, sint reconciliati. Monet itaque his vocibus, quibus sat diu se vixisse testetur, abstinendum. Hoc agendum prius, ut respubl. legesque jam armis turbatæ, bonis rursum legibus ac pace firmentur, sine quo consilio factoque gloriam ipsius minus plenam, firmamque inter posteros, futuram auguratur. Quod cum omnes cupiant, Cæsarem etiam tuebuntur, ad n.34.

Peroratione brevicula, rursum & suo & omnium nomine, pro Marcello sibi longè carissimo, reipubl. & suis restituto, gratias agit.

CENSURA.

Eloquentissima hæc gratiarum actio, non raro ab eloquentiæ studioso & volvenda, & animo inscribenda, & imitatione sæpius exprimenda est.

IMITATIO.

Latissimus imitandi campus est, nam & in omni gratiarum actione, imò in cujusvis virtutis descriptione, similis ferè poterit comparatio institui. Sigillatim fratres Iosephi Patriarchæ pro clementia & injuriarum obliteratione ei gratias referre potuerunt, cum fide omni imposterum promissa, aut etiam Sauli conciliato David, aut Davidi Abselon.

ORA-

ORATIO X.

Pro Ligario.

Habita est ad Cæsarem an Cic. 61. U. C. 707. Cæsare & M. Æmil. Lepido Coss.

Causa hæc est. Ligarius in bello civili Considii proconsulis partes in Africa provincia explebat, hic Tuberonem ad Provinciam venientem, ut Cæsari eam adjungeret, exclusit, quo nomine à Tuberone postea accusatus est,

Quæstio.

An Ligario ignoscendum, quod Tuberonem Africa excluserit?

Argumentum Cic. affirmantis est. *Ligarius à Tuberone gravioris etiam criminis reo, & quidem injustè, accusatur. Igitur absolvendus est.*

Exordio Metum ex gravitate criminis simulat, ut accusatorem Tuberonem, quem pari scelere dicit obligatum, terreat, num. 1.

Confirmatione narrando I. exponit, quomodo Ligarius, Africanis postulantibus, à Considio discedente, in Provinciâ relictus sit, belloque interea civili nato adversus P. Attium Varum imperium provincia quorundam studio affectantem, substiterit, qua in re minus crimen, quàm ipse Cicero, qui contra Cæsarem Pompejo adhæsit, quamque etiam Tubero hujus partes secutus, admiserit, reperiatur, usque ad n. 11.

II. Prodigio igitur simile, quod talem accuset Tubero, qui in causa eadem minus nocens reperiatur: & Cæsarem, in victoria, adversus alios supplices deprecantesque clementem esse nolit, qui ipse talem expertus est, usque ad num. 19.

III. Ipse Cæsar non accusat Cn. Pompeii, aliorumque scelus; sed fuisse de dignitate contentionem seditionemque agnoscit, in qua pars quælibet salvam esse voluerit rempubl. ad n. 20.

IV. Docet Ligarium, à Senatu consentiente, extra civile bellum, Tuberonem Patrem, ab eodem jam dissentien-

te, minus legitimè constitutum. Deinde Tuberonem admissum, non Cæsari, sed Pompejo provinciam traditurum fuisse; cum ad hunc quærelas, de se excluso detulerit; caussam denique magis suam, quàm reipubl. spectet, ad num. 39.

Peroratione longiori ad clementiam Cæsaris, tanquam patris, convertitur, quanquam se, æquitate causæ fretum, illum ut Judicem non reformidare ostendat, orat, ut Brochorum Ligariorumque, pro Cæsare stantium, dolorem attendat, ex quorum concordia judicare possit, pro quo Ligarius steterit, quorum precibus aliquid debere videatur, præsertim cum M. Marcello magnâ suâ gloriâ veniam fecerit, tanta clementiæ laude, quâ ad Deos proximè accedat.

CENSURA.

Plus hæc defensio ingenii, quàm eloquentiæ (quâ tamen mediocris est) possidet, cum pleraque accusationis tela in adversarium retorqueat, & quocunque se verterit Tuberonem premat.

IMITATIO.

Imitari universè licebit in redarguendis illis, qui alios accusant, cum in partibus ipsi, vel majoribus etiam criminibus, rei sint: ut hæretici plerumque sunt, qui Catholicos de vi, de alienis occupatis possessionibus, de perfidia, arguunt, ipsi jure accusandi. Utque scelerati plerique, qui festucam in oculo proximi observant, trabem in proprio non vident.

ORATIO XI.

Pro Dejotaro Rege Gallogræciæ.

Habita privatim coram Cæsare an. Cic. 62. U. C. 708. Solo Cæsare Consule.

Quæstio.

An Rex Dejotarus Cæsari insidias struxerit?

Argumentum negantis est. *Reconciliatus Cæsari per beneficia*

ficia Rex est, Deosque timet, ac probatis est moribus, cujus famulus fidem non meretur, facta nil tale praeferunt. Ergo *Caesari insidiatus non est.*

Exordio suum timorem declarat, quod in Regis discrimine, quod contra perditos accusatores, quod apud eum Judicem, cujus capiti insidiari feratur, quodque remotus à populo huic Regi addicto causam agat, Cæsaris demum æquitate confidit, ad n 8.

Confirmatione I. exponit quomodo Cæsar Dejotaro principio offensus fuerit, iccirco quod partes Pompeii secutus sit; hanc tamen offensionem deinde positam, & jure quod autoritate viri illius ductus sit, quam plures fuere secuti, denique tamen post Pharsalicam pugnam deseruerit, seque etiam Cæsari in bello Alexandrino junxerit, ad num. 15.

II. Docet tantum facinus in Regem hospitalem & amicum cadere non potuisse, ut tantum virum toti orbi admirandum in conspectu Deorum penatium occideret, cujus probitas moresque longè aliud testentur, ad n. 17.

III. Ex facti adjunctis negat probabile videri, quàm enim stultè per armatos in balneo occideret, qui per venenum facilè id domi posset? quam stolidè servum conscium sceleris, cujus fratres haberet Rex in vinculis, Romam ad Cæsarem liberum dimisisset? ad n. 22.

IV. Exercitum, non comparasse adversus Cæsarem docet, cum tantùm pro finibus tuendis militem aleret, Cæsari deinde nullâ se perfidiâ in Africano bello junxit, pecuniam multam dedit, neque gavisus ipsius clade est, aut turpi saltu jam senex lætitiam prodidit, qui adolescens quoque tam moderatus vixit, ut nepotem Castorem (quo autore reus est) imitatorem habere potius, quàm accusatorem mereatur, ad n. 30.

V. Perstringit Castorem, quod avum Regem, per quem familia ipsius emersit è tenebris, per corruptum servum, exemplo Romanis non tolerato, in discrimen adducat, & convitia è trivio collecta, fingat in Cæsarem à regiis vibrata, ad num. 35.

VI. Docet Regem Dejotarum à Cæsare non magis quàm Antiochum magnum à Scipione alienum videri, licet uterque parte aliqua regni multatus sit; quòd cætera benefi-

cio

cio illi Cæsaris confirmata sint, à populo Rom. sæpe ornatus fuerit, vita ipsius cum virtute semper traducta, aliud testetur, usque ad num. 39

Peroratione denique veterem Dejotari Regis erga se benevolentiam memorat, Cæsarisque illi clementiam promptam fore ominatur, quæ cum privatis etiam hominibus ultro delata sit, Regibus (quorum nomen Romanis sanctum sit) non erit deneganda.

CENSURA.

Prior orationis pars usque ad n. 17. nonnihil eminet, reliqua vulgari ferè eloquentia absolvitur.

IMITATIO.

Serviet imitanti in simili criminum purgatione, ut si quis Davidem coram Saule de insidiis & affectatione regni, Iosephum coram Domino de libidine accusatum, tueatur.

Orationes Philippicæ Ciceronis in M. Antonium.

Oratio I. in Senatu habita est an. Cic. 63. Urb. C. 709. M Antonio & P. Corn Dolabella Coss.

Quæstio.

An supplicationes Cæsari mortuo decernendæ, ejusque acta probanda?

Ad primum *negat Cicero* Ratio ejus est, *quia mortuis supplicationes non decernuntur.*

Alterum *admittit*, modò Antonius sua pro Cæsaris actis non supponat. Ratio ejus est, *quia hujus ad pacem videntur facere, Antonii verò iniqua sunt.*

Exordio abitus sui ex urbe, reditusque ad eandem causas exponit. Et illas quidem esse asserit, quod Antonium principio æquum & alienum à tyrannide, sensim hanc cerneret affectare consulibus pressis, populo dominante: has, quod intelligeret Antonium, remissis Provinciis Galliæ, ad senatus autoritatem rediturum, ad n. 11.

Confirmationis parte prima dicit: iniquè sibi heri ex itinere lan-

re languido vim intentatam, quâ ad ſenatum cogeretur, ut de ſupplicationibus Cæſaris ſententiam diceret. Nunc ſe adeſſe, libereque adverſus omnium, præterquam unius Piſonis; ſententiam, pronuntiare: has admitti non debere, cum inſolens ſit pro mortuo, & ita mortuo, ſupplicationes decernere, ad n. 16.

Parte altera I. optat Antonium præſentem, negatque ipſius acta, & quæcunque Cæſaris chirographa, ſed leges in æs inciſas, de provinciis, judiciiſque, quæ negliguntur, non illa malè promulgata, quæ de vi & majeſtate damnatis provocationem concedit ad populum, qua acta etiam Cæſaris reſcinduntur, ad n. 25 Magis verò etiam indignum eſſe, quod probari velint leges Cæſaris, nondum cognitas, ſed promulgandas, quanquam tam iniquis rebus Dolabellam favere non ſentiat, Antonii iram non ſperet, cum pro reip. ſalute loquatur, ad n. 29.

II. Dolabellam, & Antonium, licet abſentem, ad ejuſmodi facta, quæ reipubl. bonum, & veram illorum gloriam ſpectent, hortatur. Monet hunc, ut qua cœpit viâ inſiſtat, avi ſui exemplum imitetur, C. Cæſaris exitum conſideret, populi affectum plauſuſque expendat, ad n. 38.

Peroratione brevi dicit, ſe hunc fructum reverſionis ſuæ cœpiſſe, quod quicunque caſus ſequantur, liberum conſcientiæ ſuæ teſtimonium dederit.

Oratio II. Philip.

Hæc non in ſenatu, ut quidàm putant habita, ſed ſcripto tantum relicta, adverſus declamationem Antonii eſt, cui primò reſpondet, deinde par pari rependit, omnibus eloquentiæ viribus in Antonium depromptis.

Exordio brevi oſtendit ad odium Antonio conciliandum, omnes per 20. annos reip. hoſtes, ut Catilinam & Clodium ſibi bellum indicere, quibus nunc pejor accedat Antonius. Cujus maledictis ſe reſponſurum aſſerit.

Confirmationis parte prima refutat. Antonii criminationes. Ut 1. quòd contra ſocrum Antonii in judicio ſteterit, ait, ſe injuriæ refellendæ gratia feciſſe, 2. quod diſcipulus Ciceronis fuerit, 3. quòd auguratum beneficio Antonii acceperit, quorum illum quidem Antonio ait optandum;

dum; hoc se negat agnoscere. 4. quòd post Pharsalicam pugnam cum occidere posset, Ciceroni pepercerit; hoc, ait, beneficium se tanquam à Latrone accipere 5. quòd Antonii facta reprehenderit, oratione, literisque ad amicos, hoc ait, se officio fecisse, ad num. 11. Deinde 6. quod malè consulatum gesserit, negat, cùm ex sententia Senatus, & approbatione optimorum gesserit. 7. quod Lentulum Antonii Vitricum sepeliri passus non sit, hoc, ait, parum in laudem Antonii cedere, quòd apud talem educatus sit, 8. quod Carmen illud, cedant arma togæ, jactarit, hoc ait, eventu probatum, & Antonium rudem non intelligere. 9. quod Clodium suo consilio interfecit, negat; lætatum esse non abnuit, ad n. 23. Denique negat se aut belli civilis innocentem, aut Cæsaris interfecti causam, quam objectionem ingeniosè pro se urget & contra Antonium; ut si laudabile sit reipubl. tyrannum sublatum esse, ejus laudis non recuset esse particeps, si reprehendendum, magis Antonium participem videri, ad quem honor & opes Cæsaris translatæ sint, ad n. 37. Postremò non diffitetur se Pompejo adhæsisse, idque reipubl. causa factum asserit, negat eum sermonis libertate alienatum, negat, aut jocos, aut mœrorem fuisse immoderatum; negat etiam nullas ad se ab amicis hereditates, ob alienationem, devenisse, optatque pauciores sibi delatas esse, ita enim amicorum plures viverent. Malis artibus se cum Antonio, qui nec patris quidem hereditatem obtinuit, alienas hereditates non adiisse, facilè concedit. Irridet verò quod hanc in se orationem à Rhetore Leontino compositam duobus mil. jugerum campi emerit. ad n. 44.

Pars secunda confirmat. à puero usque ad consulatum gravissima oratione Antonii flagitia perstringit. 1. puerilis & infamis vitæ licentiam, in Curionis prodigi adolescentis consortio. 2. Clodio in tribunatu sociatum asserit, à Cæsare tamen sibi literis è Gallia commendatum, quæsturam adiisse, Clodio penè in gratiam Cicer. interfecto. 3. & tribunatu potitum dicit, in quo se opposuit senatui in gratiam Cæsaris, & reipubl. est hostis declaratus, ad Cæsarem denique confugiens, belli civilis adversus Pompejum aliosque Rom. suscepti autor fuit. Condemnatos reipubl. restituit, neglecto patruo, Italiam, Leonum

&

& Mimæ ſocius, excluſâ matre, peragrando vexavit, ad num. 62. Deinde 4. Magiſter equitum Cæſare abſente factus, rapinis liberè, ad omnem luxuriam & ebrietatem, uſus eſt, bonorum Pompeii dilapidator, omnibus deteſtandus Helluo, *quod factum mira eloquentia exaggerat*, dicitque Cæſare & Dolabella reliquias Pompejanorum in Hiſpania debellantibus, hunc domi rebus ſuis & luxuriæ intentum hæſiſſe, & ſimulata profectione, quaſi impeditum, ſubſtitiſſe, occurriſſe deinde venienti & ad conſulatum, excluſo Dolabella, emerſiſſe, ad num. 85. Poſtremò in conſulatu Lupercus Cæſari turpiſſima adulatione in roſtris diadema obtulit, quod is tamen recuſavit, à Cæſaris nece, primùm dum timeret omnibus æquus, ſublato timore, reipubl. immunitates vendidit, bona diripuit, atque, in Gynæceo conſcriptis ſyngraphis, alienat, Cretam Provinciæ onere liberat, Dolabellam obſiſtentem ſceleratè etiam infamat, acta Cæſaris pro arbitrio confingit, Varronis fundum publicat, omnia in libidinem, ebrietatem, ſcorta profundit, denique ad hæc flagitia crudelitas Syllanâ gravior accedit, ut nec inter ſuos quidem niſi armatus poſſit vivere, ad num. 113.

Peroratione, Antonium metu terret, ad pacem, primaque poſt cædem Cæſaris conſilia adhortatur, oſtendit, quanto Cæſar illo ad imperium dignior, qui tamen ambitione ſua perierit, ſuadet in gratiam cum rep. redeat, ſe morti paratum offert, modò moriens rempubl. liberam relinquat.

CENSURA.

Prima oratio, ut ſubita, ſic re nulla ſingulari eminet, altera ut meditatus ſcripto concepta, ita plus laudis præſertim in medio obtinet, ubi facta Antonii eloquentia ſumma perſtrinxit, atque inter Philippicas, minori cura quam copia profuſas, præcipuè eminet.


IMITATIO.

Imitaberis primam orationem ſi, e. g. de Herode mortuo quæras, ſitne illi à tota patria ut Regi parentandum? &, an crudelis ipſius voluntas de proceribus interficiendis explenda ſit?

alteram,

alteram, si vel Herodis, vel Antiochi, vel Iuliani apostatæ criminationes adversus Iudæos, aut Christianos refutes, simulque improbam illorum vitam Ciceronianis illis coloribus adumbres.

ORATIO III.



Philip. eodem tempore ad Senatum habita.

Prothesis.

Antonium ut hostem reipubl. Octavii & Bruti armis, Senatus autoritate confirmatis, reprimendum esse.

Argumentum. *Quia Octavius Cæsar fortis adolescens, Martiâ & Quartâ legione Cæsaris fretus, egregiè rempl. contra Antonium tuetur, ut & Brutus Galliam.*

Exordium ostendit oportuisse jam dudum Senatum cogi, ad consulendum reipubl. & vim bellumque Antonii propulsandum, ad n.3.

Propositione & confirmatione, Laudat primò raram Octavii adolescentis virtutem, qui subitò comparato exercitu, fortissimaque legione Martia & Quarta sibi adjuncta, Antonii furorem à republ. prohibuerit, eamque autoritate Senatus muniendam suadet, ad num. 18. Deinde non minus D. Brutum, quod Antonium reprimat, quàm L. Brutum quod Tarquinium superbum Regem non tulerit, laudandum, retinendumque in Gallica Provincia docet; quod hanc pop. Rom. contra Antonium, servet; ad num. 18. Postremò edicta Antonii, quibus Octavium perstrinxit (de quo tanquam hoste nihil ad senatum referre ausus sit) tanquam malè natum, & Q. Ciceronis fratris sui filium, tanquam patris patriæque hostem, denique & alia plura inconsultè effutiit, variè exagitat, atque ad Octavium laudandum rediit, usque ad n.29.

Peroratione longiore omnes ad libertatem reipubl. secum defendendam adversus improba Antonii & L. Fratris ipsius arma; tum ad urbem Octavio Cæsari, Galliam Bruto commendandam extimulat.

ORA-

ORATIO IV.

Quæ ejusdem argumenti est, Populum ad eandem libertatem defendendam excitat.

Exordio benevolentiam captat, & cum grata populi acclamatione significat Antonium à Senatu hostem esse reipubl. existimatum. ad num. 3.

Confirmatione laudat Octavium, & D. Brutum, reprehendit verò Antonium. ad n. 11.

Peroratione amissam libertatem populo Rom. fortiter esse recuperandam, tum à majorum exemplis, tum facilitate vincendi suadet.

CENSURA.

Mediocri hæc utraque stylo nitet, non excellit.

Imitationi tamen serviet, si vel Ecclesiæ adversus illius hostes patrocinemur; vel Davidi adversus Saulem, e. g. patrocinemur.

ORATIO V.

Philippica.

Habita est in Senatu anno Cic. 64. Urb. C. 710. Pansa & Hirtio Coss.

Quæstio.

An legati ad Antonium mittendi sint, an potius acta Antonii in Consulatu rescindenda, & præmia reip. defensoribus decernenda sint?

Cicero primum negat, *quia turpe & inutile*: affirmat cætera, *quia acta ipsius iniqua, præmia æqua sunt.*

Exordio brevi gaudium suum ob novos Consules, & consensum Senatus testatur, ad n. 3.

Propositione & Confirmatione, ostendit primò Cicero legatos ad Antonium mittendos non esse, nisi prius arma ponat & deprecetur; cum illos turpe sit deserere, qui pro republ. contra Antonium arma ceperint, ad num. 7.

 Deinde

Deinde acta Antonii consulatu, rescindenda asserit, ut quæ contra auspicia, mores Majorum, magno reipubl. incommodo, ex Julii Cæsaris fictis commentariis producta sint, ut immensam acervaret pecuniam, ad num. 12. Leges Judicesque ab eo improbos constitutos affirmat, vi per armatos obsessam civitatem, opes possessionesque omnium violatas, ad num. 22. Denique, cùm milite adversus rempubl. Octavium Cæsarem, & Brutum collecto, omnes oppugnet, negat legatos ad tam manifestum hostem mittendos, quì si arma poneret, tamen impunè recipiendus non esset. Bellum igitur omni censet diligentia parandum, Consulibusque permittendum, ut provideant, ne quid respubl. capiat detrimenti, ad num. 35. Postremò D. Bruto obconservatam in fide Galliam, M. Lepido verò ob egregiè defensam adversus tyrannidem rempubl. tum denique Octavio Cæsari ob repressum Antonium & habendas gratias, & illi quidem statuam equestrem, huic exercitum cum imperio, licet adolescenti, decernendum censet, ad num. 54.

Concludit brevissimè celeritate ad bellum rectè conficiendum opus esse.

ORATIO VI.

De eadem re Cicero ad populum refert.

Exordio refert, in Senatu quidem, plures secum principio sensisse, bellum potius parandum, quam legatos ad Antonium mittendos, sed hanc denique prævaluisse sententiam, ad num. 3.

Deinde ostendit ex sceleratis Antonii consiliis fore ut legatos non audiat, etiamsi hæc Ciceronem prævidisse & jactasse palam noverit, serò deniq; adhuc bellum eligendum esse, & futurum populi hostem, qui se statua jactitet, ad num. 15.

Denique concludit, suamque adversus Antonium operam pollicetur, populi verò consensum prædicat.

CENSURA.

Hæ stylo aliquantum ad sublimius dicendi genus assurgunt, nulla tamen vel inventionis, vel figurarum claritate fulgent.

Quare

Quare cum & reliqua Philippica argumento faciles sint, & de eodem Antonio, anno supra dicto, sint habita, nec singulari dicendi ornatu fulgeant, strictim illas tantùm ad imitationem lubet proponere.

Imitaberis, si, e.g. deliberet Carolus V. Rom. Imp. aut Philippus II. Hisp. Rex, armáne in confœderatos Germaniæ, aut Belgarum Principes summenda sint, an potius legatione ad pacem provocandi?

Septimâ Philip. Cicero pacem cum Antonio, fautoribus illius confutatis, dissuadet?

Imitaberis hanc in discussione illius sententiæ; an cum illis, qui à Catholica digressi Ecclesia, adversus illam omnia moliuntur hostilia, pax honesta, minimè periculosa, ac diuturna sperari possit?

Octavâ, quâ Cicero seditionem hanc, belli non tumultus nomine, contra quosdam, vult appellari, & Galenum pacis autorem, aliosque pro conciliatione Antonii perstantes acriter refutat.

Imitanti serviet, qui pro, vel contra bellum cum hæreticis sustinendum, in Gallia præsertim, differit, ubi oppositis hæc causa sententiis jam diu agitata est.

Nonâ Cicero Sulpicio in legatione apud Antonium mortuo, tum ob insignes illus virtutes, & juris scientiam, tum quod pro republ. mortem oppetierit, statuam erigendam decernit.

Imitaberis in Tillio, e.g. hujus seculi heroe, qui, post militiam unitorum Principum præclarè administratam, contra Suecum denique pro religione & patria occubuit, in quo, jurisprudentiæ loco, scientiam rei militaris laudabis. Contra, Gustavo Suecorum Regi, poteris, ex imitatione per oppositum, negare statuam deberi, quod alieni imperii invasor, religionisque oppressor fuerit, quamvis multis Rege dignis virtutibus præditus.

Decimâ, quâ Fusio Galeno adversante, M. Bruti potentiam reipubl. utilem esse, contra Antonium contendit, neque veteranum jure militem hac offensum iri.

Serviet, si, e.g. ostendas, adversus quosdam dissentientes, convenire ut Romanus Imperator instructum in imperio militem habeat, ut externis hostibus resistat, ac reipubl. consulat, neque liberas urbes Principesque hac re jure offendi posse, quod communis libertas hoc pacto defendatur.

Vndecimâ Dolabellæ Asiam, cum Trebonii cæde, hostiliter pro Antonio, invadenti M. Brutum & Cassium Cæsaris percussores opponendos, hâc Provinciâ decretâ, tradit. Ubi *illustri expositione Trebonianæ cædis indignitas exaggeratur.*

Imitaberis, e.g. si, damnata Regis Antiochi crudelitate, in Eleazarum aliosque 2. Mach. c.6. & 7 exercita, adversus illius Duces, Iudam Macchabæum deligendum, mittendumque esse contendas.

Duodecima Cic. legatos ad Antonium Mutinam obsidentem mittendos negat, se verò inprimis ob pericula retinendum. *Decima terria* pacem cum tam nefario homine, ipsius literis productis confutatisque dissuadet.

Imitaberis, si, e.g. in materia antea proposita ostendas Iudæis cum Antiocho pacem esse non posse. Pars verò posterior orationis ultimæ exemplum confutandi breviter aliorum scripta, libello, ut solet, apologetico, tibi proponet.

Decima quarta, qua Cicero, victo Antonio, supplicationem victoribus 50. dierum decernit, victosque solatur, *insignem locum habet, de victoribus ornandis ante perorationem.*

Serviet pro Iuda etiam Macchabæo, aut Martyribus adversus tyrannum invictis. Poterit & illa tractari Pauli sententia, nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. *Si primò tradis, nobis in hac vita arma deponenda non esse: deinde hostem salutis nostræ mundum & carnem esse, quibus semper resistendum sit; denique gratias Superis, pro victoria, semper referendas esse, certamque victoribus coronam exspectandam.*

Hæc ad orationes Ciceronis cùm intelligendas, tum imitandas sufficere studioso adolescenti poterunt, si illam quæ de vita est Tullii historiam adjecerit. Cætera, quæ sua obscuritate moram legenti injicere poterunt, & magnum ad eloquentiam momentum non adferent, & Magistrorum, cum opus est, studio lucem accipient. Nunc ad ipsas Rhetorum exercitationes accedamus.

CAP.

CAPUT VII.

Prævia Oratoris novitii exercitatio, in figuris dicendi illustrioribus, practicè ordinata.

PRæliminaris aliqua de figuris exercitatio Rhetoribus necessaria, est priusquam ipsam Eloquentiæ palæstram & arcem subeat.

Noverit jam futurus orator alias in verbis, & eas quidem levioris operæ studiique figuras reperiri: alias in sententiis, quæ majus, & orationi pondus adferant, & conatum scribentis requirant. His autem figuris tanquam diverso orationem habitu cultuque nitescere: ut cum etiam idem dicitur, aliud tamen figurarum beneficio dici videatur.

Discat igitur 1. Observandum Oratori, quo genere dicendi utatur. Nam in exornativo illo, quod ad solam oblectationem instituitur, figuræ verborum, atque illæ inprimis, quæ ex similitudine nascuntur, locum reperiunt; in aliis verò ad persuasionem motumque comparatis pauciores verborum figuræ, præter repetitiones, polisyndeta, & asyndeta, usurpantur, quæ faciles cognitu sunt, magnam tamen orationi vim conciliant. Universè autem verba figurari, si vel præter usum vulgarem adjicias, vel detrahas quippiam; vel certâ inter se lege compares ac componas.

Discat 2. Sententiarum figuris præcipuum inesse pondus, atque has in illo potissimum consistere, ut orator in omnes se partes dicendo verset, hoc est, nunc alios, nunc seipsum, nunc Deum & inanimas etiam res compellet, interroget, invitet, admittat, aut rejiciat: contraque illis etiam orationem tribuat, ut interrogetur, provocetur, atque etiam respondeat, affectus moresque, vel suos orationi, timendo, deprecando, optando imprimat. Quæ ubi semel universim candidatus eloquentiæ apprehenderit, nihil ad quascunque figuras in orationem inducendas reperiet difficultatis, modò aliquibus Ciceronis exemplis ad hanc rem instructus accesserit.

I.

Exemplum exercitationis in figuris verborum.

Praxis verò exercendi hæc esse poterit. Primò Magister rē scribendam aut dictet, aut narret sine illo figurarum, quem à discipulis requiret, ornatu: hi verò exceptam ornare, ex regulis jam præscriptis, aut prælectis Ciceronis exemplis non dissimilibus contendant.

Do exemplum in figuris verborum, suadet his verbis pacem.

Consul qui popularis videri & esse desiderat, si rempubl. nactus fuerit, quæ timore malorum impendentium turbata sit, & in qua perversi homines in foro ac curia dominentur, fidem tollant, ac judicia violent, regnum & imperia moliantur; ille pacis studio libertatis amore, & otii jucunditate omnes foveat ac recreet, &c.

Jubet verò Magister hæc figuris verborum acrioribus, hoc est, repetitionibus, polisyndetis, aut asyndetis ornare simul & amplificare, ac postquam labores discipulorum inspexerit, quæque rectè, aut minus aptè usurpata sint, monuerit, illud Ciceronis exemplum proponat, quo is *contra Rullum in Agra. 2.* usus est, *post princip.*

„ Ego qualem acceperint rempubl. Quirites, intelligo, „ plenam sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat „ mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi „ exspectarent, omnia turbulenta consilia contra hunc „ reipubl. statum, & contra vestrum otium partim iniri, „ partim nobis Consulibus designatis inita esse dicebantur. „ Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ cala„ mitatis, sed suspicione ac perturbatione judiciorum: „ novæ dominationes, extraordinaria non imperia, sed „ regna quæri putabantur. Quæ cum ego non solum „ suspicarer, sed planè cernerem (neque enim obscurè „ gerebantur) dixi, in Senatu, hoc magistratu me po„ pularem consulem futurum. Quid enim est tam popu„ lare quàm pax? quâ non modo ii, quibus natura sen„ sum dedit; sed etiam tecta atque agri mihi lætari viden„ tur. Quid tam populare, quàm libertas? quam non solum

ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtiis expeti, atque ‹
omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare ‹
quàm otium? quod ita jucundum eſt, ut & vos & majores ‹
veſtri, & fortiſſimus quiſque vir maximos labores ſuſci- ‹
piendos putet: ut aliquando in otio eſſe poſſit, præſertim ‹
in imperio & dignitate.

Vides hanc orationem tam aſyndeto, ſeu diſſolutione, quàm repetitione ejuſdem ſententiæ non mediocriter ornari atque incitari.

Monendi tamen erunt adoleſcentes, ne nimia hic frequentia, aut etiam affectatione quadam repetitionis offendant. Quod mihi non omnino hac eadem in oratione vitaſſe Cicero videtur, quando ſic Rullum exagitat.

Quis legem tulit? Rullus, quis majorem partem popu- ‹
li ſuffragiis privavit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, ‹
vocavit, nullo cuſtode ſortitus? Rullus. Quis decemviros, ‹
quos voluit, renuntiavit? idem Rullus. Quem Principem ‹
renuntiavit? Rullum.

Hic ego ultimam abeſſe repetitionem, & reliquas nonnullas paulò longioribus intervallis in verbum idem malim recidere.

Rurſum de elegantia ſingulari, quam oppoſitio repetitioni immiſta conciliat, doceri poterunt. Ut pro Roſcio Amerino Cicero.

Accuſant ii, qui fortunas ejus invaſerunt; cauſam di- ‹
cit is, cui nihil præter calamitatem reliquerunt. Accu- ‹
ſant ii, quibus occidi patrem Sext. Roſcii bono fuit; cau- ‹
ſam dicit is cui non modo luctum mors patris attulit, ‹
verum etiam egeſtatem. Accuſant ii, qui hunc ipſum ‹
ſummè jugulare cupierunt; cauſam dicit is, qui etiam ‹
ad hoc judicium cum præſidio venit, ne hic ibidem ante ‹
oculos veſtros trucidaretur. Denique accuſant ii, quos po- ‹
pulus poſcit, cauſam dicit is, qui unus relictus ex nefaria ‹
illorum cæde reſtat. ‹

II.

Exemplum exercitationis in figuris ſententiarum levioribus.

Aliud exemplum in figuris iis ſententiarum, qui ad

delectationem, potiſſimùm comparatæ ſunt, producam. In quibus præcipuè eminent communicatio ſermonis cum alio, objectionum præoccupatio, & vel conceſſio vera, aut ironica; vel rejectio, aut correctio, vel ſubjectio. Sit igitur hoc Magiſtri argumentum.

Quamvis adoleſcentiæ magis aliqua ad luſum libertas conceſſa ſit. Hac tamen illi moderatio ſervanda eſt, ne vel pudorem cujuſquam, vel honorem lædat. Et ſi nonnunquam ad inanes adoleſcentiæ cupiditates deflexerit, ad frugem & curam reipubl. ſeſe recipiat. Neque tamen quiſquam exiſtimet, me probare talem adoleſcentiæ libertatem, quâ ad vitia ac voluptates deflectit; potius omni laude dignum cenſeo, priſciſque etiam Camillis ac Fabriciis comparandum, quem remiſſio illa, ludi, & convivia tum cætera ejus ætatis voluptates non aliquando abripiunt.

Hæc ejuſmodi ſententiarum figuris, quibus orationem ad alios convertimus, & vel iiſdem aliquid tribuimus, vel negamus, vel eorum dicta inducimus, atque expendimus, exornare licebit. Ex Cicerone etiam locum reperies, ubi facem hac in ſententia illuſtranda prætulit, ſic enim *pro Cælio* illum poteris loquentem paucis mutatis inducere.

„ Detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia „ denegentur. Dummodo illa in hoc genere præſcriptio „ moderatioque teneatur: parcat juventus pudicitiæ ſuæ, „ ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore „ trucidetur, ne incurrat in alterius domum atque fa„ mam, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bo„ nis inferat, ne quem interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere „ careat.

„ Poſtremò cum dederit aliquid temporis ad ludum æta„ tis, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, revo„ cet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, rei„ publicæ; ut ea, quæ ratione antè non perſpexerat, ſatietate „ abjeciſſe, experiendo contempſiſſe videatur.

„ Dicet aliquis, hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſti„ tuis adoleſcentes? ob hanc tibi cauſam hunc puerum „ parens commendavit, & tradidit, ut in voluptatibus ado„ leſcentiam ſuam collocaret, & hanc tu vitam & ſtudia „ defenderes? Ego, ſiquis Judices, hoc animi robore,

atque

atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, ut respueret omnes voluptates, omnemque vitæ suæ cursum in labore corporis atque in animi contentione conficeret; quem non quies ad æqualium studia, non ludi, non convivia delectarent: nihil, in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum, hunc mea sententia divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnesque eos, qui hæc ex minimis tanta, fecerunt.

OBSERVATIO.

Vides hic principio concessionem, deinde prolepsin, seu præoccupationem hoc argumentum scriptionis ornasse, per quas illustrius longè gratiusque est redditum. Invenies plura horum exempla, ubi de Refutatione agemus inferius.

III.

Exemplum exercitationis in figuris sententiarum gravioribus.

Tertium de gravioribus figuris sententiarum, quæ non tantum delectant, sed & movent, exemplum propono, ut sunt hypotyposis, ethopœja, prosopopœja, & Apostrophe, quibus alios acrius compellamus, mores, affectus, vocesque illorum exprimimus. Sit hoc Magistri thema, quo fœminam leviculam objurget, ac deinde & adolescentem quod à consortio suspecto non abstineant.

1. *Quo te modo compellem, ô mulier, ut ab hoc adolescentis consortio abstraham? optarem certè ex proavis tuis superesse virum laudatissimum Appium, qui alia tibi præcepta daturus esset. Cogita quantæ dignitatis virum nacta sis, quibus parentibus, quo genere, quâ familia orta sis, & potius laudatissimæ famæ cognitas tuas Claudias, quam dissoluta vita fratrem imitare, noli obscurare gloriam fortissimi viri proavi tui Appii, qui æternam suorum factorum posteris memoriam reliquit, sive cum adversus hostes pugnaret, sive cum magnificis domi operibus ornaret rempubl.*

2. Sed quam insanum hoc tuum est facinus, quod accusatores hujus adolescentis à te subordinati, ut huic noceant, tua convivia in balneis instituta, & scelera non dissimulent, quæ si quidem vera sint, apparet nihil tibi esse credendum.

3. Denique non intelligo cur hujus, licet formosi, adolescentis consuetudinem ambias, cum & durum parcumque habeat patrem, & ipse tuos amores respuat, ac dona etiam aspernetur.

4. Quibus enim verbis talem filium pater compellasset, an non illius apud Cæcilianum patris vehementis ac duri? Cur te in istam vicinitatem meretriciam contulisti, &c.

Hoc argumentum rursum ex Cicerone pro Cœlio desumptum est, adversus Clodiam P. Clodii (gravissimi hostis Tulli) sororem. Quod iccirco in his exemplis præstiti; ut quemadmodum ipse Cicero per illustres hoc figuras tractasset, facilius innotesceret.

Quod si tamen idem in diversis personis argumentum tractare potius ac proponere studiosis lubeat, facilè reperies simile, ut in Phœdra Hippolyti Noverca, aut Putipharis uxore casti Josephi consuetudinem prensante.

Postquam igitur adolescentibus imperaris, ut primam hujus, aut similis argumenti partem, inductâ defuncti avi Prosopopœjâ exornent, & amplificent: alteram verò Apostrophe ipsius Oratoris: tertiam nova Prosopopœja fratris adhuc superstitis ad sororem: quartam denique Apostrophe cum admixta prosopopœja ad ipsum adolescentem immeritò traductum. Videbis primò ut suas quisque partes egerit, probanda laudabis, emendanda corriges, ac postremò Ciceronis ipsis exemplum propones, quod pro Cœlio, circa medium, tale est.

M. Tul. Cicero pro Cœlio, circa medium.

„ 1. Muliebres mihi nunquam inimicitias gerendas, pu-
„ tavi, præsertim, cum ea, quam omnes semper amicam
„ omnium potius, quàm cujusquam inimicam putave-
„ runt, sed tamen ex ipsa quæram prius, utrum me secum
„ severè, & graviter, & priscè agere malit, an remissè, ac
„ leniter, & urbanè? Si illo austero more, ac modo: ali-
„ quis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non

hac

hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis, & imaginibus videmus: qui objurget mulierem, & pro me loquatur, ne ista mihi fortè succenseat. Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimum cœcus ille: minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Qui profectò si extiterit, sic aget, & sic loquetur. Mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares: aut tam inimica: ut venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum, non avum, proavum, atavum audieras consules fuisse? non denique modò te Q. Metelli matrimoninm tenuisse sciebas, clarissimi & fortissimi viri, patriæque amantissimi? qui simul ac pedem limine extulerat, omnes propè cives virtute, gloria, dignitate superabat? cui, ex amplissimo genere, in familiam clarissimam, nupsisses, cur tibi Cœlius tam conjunctus fuit? Cognatusne? affinis? viri tui familiaris? nihil horum. Quid igitur fuit, nisi quædam temeritas, ac libido? nonne te, si nostros imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, quinta illa Claudia, æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? non virgo illa vestalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem, ab inimico tribuno plebis de curru detrahi passa non est? cur te fraterna vitia potius, quàm bona paterna, & avita, & usque à nobis, cùm in viris, tum etiam fœminis repetita moverunt? ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxi, ut ea tu incestè uterere, ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares? sed quid ego, judices, ita gravem personam induxi, ut & verear, ne si idem Appius repentè revertat, & Cœlium incipiat accusare illa sua gravitate censoria. Sed videro hoc posterius, atque ita Judices, ut vel severissimis disceptatoribus M. Cœlii vitam me probaturum esse confidam.

2. Tu modò mulier, (jam enim ipse tecum nulla persona introducta loquor) si ea, quæ facis, quæ dicis, quæ insimulas, quæ moliris, quæ arguis, probare cogitas, rationem tantæ familiaritatis, tantæ consuetudinis, tantæ con-

conjunctionis reddas, atque exponas, necesse est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bais acta convivia, comessationes, cantus, Symphonias, navigia jactant: iidemque significant, nihil se invita dicere. Quæ tu, quoniam mente, nescio qua, efferata, atque præcipiti in forum deferri, judiciumque voluisti, aut diluas oportet, falsaque esse doceas: aut nihil, neque crimini tuo, neque testimonio credendum esse, fateare.

3. Sin autem urbanius me agere mavis: sic agam tecum: removebo illum senem durum ac penè agrestem, ex hisque tuis sumam aliquem, ac potissimum minimum fratrem tuum, qui est in isto genere urbanissimus, qui te amat plurimum, qui, propter nescio quam, credo timiditatem, & nocturnos quosdam inanes metus, tecum semper pusio cubitavit, eum putato tecum loqui: quid tumultuaris soror? quid insanis? quid, clamores exorsa, verbis parvam rem magnam facis? Vicinum adolescentulum adspexisti: candor hujus te & proceritas, vultus, oculique perpulerunt? sæpius videre voluisti; nonnunquam in iisdem hortis visa nobilis mulier, illum filium-familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti. Confer te alio, &c.

4. Redeo nunc ad te Cœli vicissim, ac mihi autoritatem patriam, severitatemque suscipio illius apud Cœcilianum patris vehementis ac duri. *Cur te in istam vicinitatem meretriciam contulisti? cur illecebris cognitis non refugisti? cur alienam ullam mulierem nosti? Dede te ac disjice, per me licebit: si egebis, tibi dolebit: mihi sat est, qui ætatis, quod reliquum est, oblectem mea.* Huic tristi ac decrepito seni responderet Cœlius, se nulla cupiditate inductum de via discessisse. Quid signi? nulli sumptus, nulla jactura, nulla versura. At fuit fama. Quotusquisque illam effugere potest in tam maledica civitate? Vicinum, ejus mulieris miraris malè audisse, cujus frater germanus sermones iniquorum effugere, non potuit, &c.

OBSERVATIO.

Patria Magistris, ex illustrioribus Cicer. locis, exempla non dee-

deerunt, & nos plura inferius suppeditabimus. Si Prosopopœjam tamen illustrem desideres, Consule Cicer. pro Rosc. Amer. in Conclusione, & in 3 pro lege Agrar. in fine, & in Catilin. 1 num. 18. si Hypothyposin Catilin. 4. n. 12. Ethopœjam, pro lege Agrar. 2 si Apostrophen, pleræque conclusiones dictarum orationum dabunt.

CAPUT VIII.

De Comparatione, ejusque natura & varietate, tum singulari ad amplificandam, & illustrandam orationem virtute.

JAm denique reliquum est nobilissimum futuri Oratoris exercitium, quo uno eloquentia & locupletatur maximè, & suavissimè illustratur. Quod quo ab aliis negligentius tractatum est, nec loco methodoque satis idonea inculcatum, tantò à nobis studiosius per exempla proposita erit cognoscendum, & commendandum impensius.

Exspectas quodnam illud sit? Non diu te morabor. Comparatio est, sive rerum inter se similium, aut dissimilium collatio, ab oratore tanquam illustris quædam rei, de qua disserit, imago introducta.

Sed quemadmodum, inquies, *hæc inter figuras locum reperit, cum inter locos communes tam simile, quàm exemplum, atque etiam contrarium, quod in dissimili intervenit, adeòque omnis comparatio numeretur.*

Dicam, neque hic te patiar hærere. Quamvis comparata universè sumpta & simile, & exemplum, & oppositum complectantur, ut quædam argumentationis sunt sedes, tamen prout his iisdem tanquam luminibus quibusdam illustratur oratio, meritò figuris accensentur. Quin hoc ultimo munere longè nobiliora censentur, cum ab illis invicta raro argumentatio peti soleat, certum semper ornamentum orationi accedat. Verùm sentiamus utrumque egregiè, præstare; & firmare, & ornare dictionem: tantò nobis etiam vigilandum erit acrius, ne hoc præsidio oratio nostra destituatur.

1. *Quid igitur Comparatio est, ut naturam ejus cognoscamus?*

Aphtonius universè hanc rectè describit, quod sit *oratio ex collatione rerum comparatarum aliquid majus, vel æquale declarans*, cum dicit *majus*, tam à minori, quam majori, ut vocant ductam comparationem comprehendit, quia in utraque alterutrum semper majus est, per *æquale* comparationem parium intelligit. Omnis enim res, quæ cum altero confertur, vel major, vel minor, vel æqualis est.

Si materiam comparatorum spectes, res quælibet inter se conferri possunt, etiam mala cum bonis, & parva cum majoribus, & personæ quoque, & res, & tempora, & bruta, &c. (ut ait Aphthonius) idque tam inter se quàm cum aliis.

Si formam, vel per convenientiam, vel per oppositionem, aut utrumque simul id fieri poterit, idque per partes omnes, sive Physicæ illæ sint, sive Metaphysicæ, sive ethicæ, perque omnes inventionis fontes, utrumque collatorum ita diduci poterit, ut vel natura naturæ, attributa attributis, &c. vel certè hæc illis opponantur & æquentur, aut præferantur. Atque hoc præcipuum artificium diducendæ comparationis consistit. Si enim non tantum res ipsæ, sed etiam quæ ad dicendum de utrisque rationes eruuntur, cum rationibus oppositis componantur, ingens differendi campus aperitur, idque præsertim, si res etiam plures & aliæ aliis illustriores in contentionem adducantur. Et hæc de forma quodammodo Physica, quâ res rebus variè conferuntur: nam si de Rhetorica illa, quæ figurarum est, loquamur, manifestum est, hac non minus comparationes variari atque illustrari, quàm orationis corpus universum.

Si finem attendas, comparatio vel ad augendum & illustrandum, vel ad deprimendum illud, de quo dicis; vel certè explicationis gratia adhibetur. In primò genere comparationum, res magnæ, atque omnium existimatione illustres accersendæ sunt: in altero res viles despectæque apud omnes; in tertio res claræ perspectæque universis.

2. Exem-

2. Exemplis verò omnium comparationum formas complecti velle, planè longum sit; cùm vel unam quæ fœcundior sit, per pleraque inventionis loca, perque ea, quibus non tantum componi, sed & opponi possit diducere, orationis non parvæ opus futurum sit. Præterea cum varietas comparationum tanta sit, sive materiam, sive formam spectes, omnes prosequi velle, integri voluminis spatium requiret. Paucis igitur exemplis hoc progymnasma absolvam, tantùmque monebo: quod siquis in comparatione luxuriare velit, rerum tantùm illarum, quas inter se conferet, fontes inventionis proprios excutiat, & copia scribenti affluet. Si factum aliquod cum facto comparabit, hoc etiam carmine expenso rectè utetur. *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis, cur? quomodo? quando?* si personam cum persona, ut Hectorem cum Achille, aut Virgilium cum Homero, aut etiam D. Joannem Apostolum cum Aquila, aut Baptistam cum stella bosphoro, aut Deiparam cum aurora, aut Christum cum sole, vel agno: utriusque originem, naturam, proprietates, effecta & adjuncta expendat, in aliis paritatem, in aliis disparitatem, in nonnullis excessum alterius reperiet, differendi semper copiosam materiem.

Causam igitur cur tantopere amplificet orationem comparatio, nemo non videt; cur verò etiam illustret extollatque opportunè ad omnem affectum in auditore conciliandum facilè patebit. Si animadvertas, hoc potissimum omnem agere comparationem, ut per res notas clarasque rei alterius laudandæ, vel reprehendendæ, vel etiam persuadendæ naturam, ingeniumque ita exprimat, ut altissimè in animo designatur, ejusque intimos sensus penetret.

Ita Cicero illustrissimo pro Marcello exemplo, ut Cæsaris clementiam, quâ devictis parcebat hostibus extolleret, aliis illam virtutibus ipsius præclarisque in bello facinoribus comparavit, quæ cum egregia laude extulisset, & justissimam omnium admirationem ac prædicationem merentur: tamen & ingeniosè, & verè ostendit, unius clementiæ decus in pace majus esse. Quòd ex illa laude bellica multum sibi fortuna, multùm exer-

citus decerperet; at clementiæ laus uni Cæsari deberetur, majusque sit animum, quàm hostes vincere. Quod exemplum cum in plerorumque manibus sit, & in Palæstra styli ex parte recitarim, hic non lubet repetere. Dignum est, quod sæpius scribendo imiteris.

Nonnullas tamen ex Max. Tyrio ac Tullio comparationes, brevi quidem, at nervoso genere scribendi comprehensas proponam. Quarum aliquas locis etiam extrinsecis, hoc est, similibus aliis, exemplisque ornavit, ut intelligas, ne his quidem, cum opportunum fuerit, abstinendum videri.

3. Non adducam breves illos Comparatorum lusus, cum strictim, vel res una, vel etiam diversæ breviter inductis similibus, aut exemplis illustrantur, ut ebrietatem lib. 1. c. 4. fonte 5. ab effectis descripsi, quod sit *mater litium*, &c. à fine, ut quod sit *salutis hostis*, &c à comparatis, quod sit *venenum dulce*, &c. Quæ metaphorica sunt, & comparationem involvunt. Magis apertè sic corruptam adolescentum societatem describes: *Vt à morbo formæ elegantia, ab austro floris vernantis decus, ab aspersis maculis purpuræ ornamentum, à nebulis ac tempestate solis pulchritudo; ita improborum consortio, innocens adolescentum vita corrumpitur.* Vel, *Quod morbus formæ, auster floribus, macula purpuræ, nebula soli, hoc improborum societas adolescentiæ est, corrumpit.* Sed his non lubet immorari, cum ornamenta sint rarius & cautè, ne affectatione offendas, usurpanda Ut enim plus ingenii excellentiæque continent, ita tanquam illustris persona, plurium oculis atque observationi exposita, acutius censentur. Poëtarum illa lusibus scitè usurpantur.

Ita nonnemo cecinit:

Disce creatarum spectacula lubrica rerum,
Quisquis es, ad plausus est tibi scena brevis.
Hora tibi penna, volucris rota volvitur anni.
Vita nitor, flores gaudia; præda dies.

Et alius otii perniciosi insectator.

Quod Segeti rubigo, novis quod floribus auster,
Blatta togæ, ferro luna, teredo rati,

Hoc

Hoc animo tepor est, animi tepor improba pestis
Non intellecto vulnera dente facit.

Sed ad illa veniamus exempla, quæ orationem egregia disserendi facundia amplificant, & pulcherrimis dicendi luminibus illustrant.

4. Ut verò intelligas quâ potissimùm id via & arte fiat, illud memineris velim, similitudinem, seu collationem duorum inter se, vel parium, vel disparium, per plerosque inventionis fontes proprios, non minus, quàm alias rationes inventas diducendas esse. Dum enim quæ insunt, cuique rerum oppositarum expendis, in quo conferas alia atque alia reperturus es: vel ut paria, vel certè ut disparia, ex quibus illa quæ ad propositum tibi finem servient, cæteris rejectis, facilè adhibebis. Sed exemplis, atque eorum imitatione hæc facilius, quàm multis præceptionibus apprehendes. Tyrius ac Cicero facem præferent.

CAPUT IX.

Exempla diversarum Comparationum diversa.

QUandoquidem in comparationibus, vel persona cum persona, vel res cum re, vel factum cum facto, idque, aut in re pari, aut dispari confertur, exempla horum dedimus, primò enim Adulator cum amico, secundo Corpus cum anima, & Respubl. cum Principe, idque geminata comparatione componitur, tertio dedicatio loci sacri cum dedicatione, quæ est facti paris, ac denique crudelia Labieni facinora cum aliorum dispari mansuetudine incomparationem veniunt.

Quin & rationes comparandi exprimuntur diversæ. Nam in primo exemplo, nuda tantum simplexque diversarum personarum, per adjuncta diversa, fit collatio, & oppositio, in altero rationes tum paritatis, tum disparitatis adferuntur, eidemque comparationi fusius insistitur. In reliquis exemplis media quædam conferendi via tenetur, non adeo nuda, strictaque; suis tamen rationibus destituta.

I.

Comparatio disparium, hoc est, Adulatoris & Amici per oppositionem.

Quomodo ab adulatore amicus differat.
Tyrius diss. 4.

Ex proposito usuque & instituto animi, ab amico adulator distinguitur. Sicut uterque & qui virtutis studio, & qui mercedis causa militat, armis utitur, nec tamen de operibus eorum ab externa quispiam actione judicat; cum pro instituti ratione usum utriusque potius distinguat. Alter enim servare amicum solet, quia est amicus: alter se mercede cuilibet addicit. Alter in eo quod agit suæ spontis est, alter venalis. Alter iis fidem servat, cum quibus fœdus contraxit, alter ne iis quidem, cum quibus amicitiam. Eodem adulatorem ab amico differre puta. Ambobus enim sæpius accidit, ut eodem modo agant, eodem modo cum amicis vivant, cum tamen alter ab altero, vel ex usu, vel ex fine, vel ex animi proposito sit discernendus. Amicus enim id quod bonum putat, sive id dolorem postea, sive voluptatem adferat, cum amico communicat & ex æquo fruitur: adulator ex præscripto libidinis suæ, quicquid cum amico agit, ad lucrum suum dirigit. Amicus æqualitatem, proprium bonum spectat adulator. Alter æqualitatem in virtute, alter lucrum in voluptate. Alter paritatem in congressu, alter humilitatem in cultu. Alter veritatem in familiaritate, alter fraudem. Alter emolumentum in posterum, alter in præsens delectationem. Alterius beneficia memorari gaudent, alterius fraus sepeliri postulat. Alter quæ amici sunt, ut communia curat, alter ut aliena consumit. Amici & in secundis rebus familiaritas gratissima est; & in adversis sortem ex æquo fert, adulator, neque secundis rebus expleri potest, neque in adversis usquam apparet. Amicitia laude, vituperio digna est adulatio. Amicitia par pari rependit utrinque, adulatio claudicat, qui enim egestate adductus, ut id consequetur, quod deesse sibi videt, alterum colit, inæqualem se

se fateatur necesse est, quatenus non vicissim ab illo colitur. Amicus si ignoretur, adulator nisi ignoretur, miser est. Amicitia si exploretur, confirmatur, adulatio si exploretur, perit. Amicitia tempore crescit, adulationem tempus convincit. Amicitia nullius unquam eget, alicujus semper adulatio. Quod si aliquid hominibus cum Deo commune est, homo pius amicus Dei est, superstitiosus adulator Dei. Et Beatus quidem vir pius, qui amicus Dei est, miser, superstitiosus. Quemadmodum autem alter virtute sua fretus, sine metu, accedit Deos, alter improbitatis suæ conscientia dejectus, multo cum timore, sine ulla fiducia venit, nec aliter Deos quam tyrannos timet, eodem, ut arbitror, modo coram hominibus spei plena, plena fiduciæ est amicitia, sine spe, & fiducia est adulatio.

IMITATIO.

Hæc ferè consistit hoc loco in applicatione ad singularia, ut si Absaloni hinc parentem recta amicè consulentem, inde Achitophelem improbo consilio adulantem jungas. Aut adolescenti de vitæ statu deliberanti, hinc mundum adulatorem, inde Timorem Dei æqua suadentem associes, &c.

II.

Comparatio rerum parium inter se, & disparium exemplis & similibus illustrata.

Morbus animi, quam corporis gravior est.

Tyrius Dissert. 38.

1. Homo reipubl. similis est, in quo corpus tanquam populus, anima tanquam Princeps, malè aut benè habet. In utroque autem partem meliorem malè affectam esse gravius est.

2. Ratio datur, quod illud semper pejus sit malum, quod meliori bono oppositum est, ubi utriusque, tam animæ, quàm corporis morbus, sanitasque inter se comparantur.

Exemplo ex simili Reipubl. desumpto, ut in Atheniensibus illud probatur, ubi unus Pericles rempubl. afflictam sublevare potius, quod totus populus afflicto magistratu non potuit.

4. *Ratio altera, quod generosa anima morbos facile corporis contemnat, ut Perecydes fecit, contra quam anima degener, similibus illustratur.*

5. *Ratio tertia, quod sana anima in corpore ægro, plus quàm ægra sano in corpore, præstet.*

1. Jam inde antiquitus carmen quoddam circumfertur, quod votum continet hujusmodi.

Divarum Dea Sanitas
Tecum sit mihi vivere,
Vitæ quod superest meæ.

Velim equidem ex autore ipso audire; quænam sit illa sanitas, cujus sibi optat contubernium. Ego quidem & divinam esse rem arbitror, & quæ meritò petatur. Nec enim verisimile est, aut frustra à Poëta celebratam esse, aut sine ratione hoc ab omnibus quotidie cani.

Quod nisi me augurium fallit, veréque de ea judico, respondeat nobis pro Poëta ipsa *ratio*. Duo cum sint, quæ constituunt hominem anima & corpus, & respectu quidem utriusque æquè sanitate opus sit, quæro utrius congruentia salusque augustissima Dearum sit appellanda? Quare ut ex collatione utriusque morbi constet de utroque, uter major sit, hoc modo rem totam decidamus. Homo totus anima & corpus est; illa imperat, hoc paret? ut in urbe interdum magistratus, interdum populus. Non minus autem urbis pars est qui paret, quàm qui imperat. Utrius verò morbus plus urbi nocet? Laboret in statu populari populus, rectè valeat Pericles, Imperator optimus, facilè hunc populi morbum curabit. Laboret Syracusis morbo Tyrannico Dionysius, populus tametsi valeat, rei conservandæ par non est futurus. Quid si igitur populum cum corpore, cum anima conferamus Principem? Hoc fac & in utroque contemplare singula. Major est populus, quam Imperator, & corpus quam anima. Stolidus est populus, tale est & corpus. Populus est multiplex, nec diversa tantum loquitur, sed & sentit. Ex dissimilibus constat populus & variis. Populi ira vehemens, libido violenta, voluptas est dissoluta: mœret sine spe, inflammatur sine

ſine modo. Invenies eadem in corpore. Nam & libidine facilè accenditur, & quidvis petis: nec voluptatem tantùm ſequitur, ſed & impetum. Cum principe viciſſim conferamus animam principem. Princeps imperium ſibi lubenter vindicat, honorem, poteſtatem: princeps naturâ cogitabundus eſt, & ratione abſtrusâ colligit: eodem modo & anima. Quæ cum ita ſint, uter gravior cenſendus morbus, & in urbe, & in homine eſt? An non pars melior affecta plus confert toti? ſalvo enim magiſtratu æger populus nondum libertatem amiſit.

2. Et ut breviter dicam, anima corpori præfertur ab omnibus. Jam quod præfertur, bonum majus eſt. Quod autem majori bono contrarium eſt, majus eſt malum. Sanitas autem animæ corporis ſanitate majus bonum eſt, morbus ergo animæ morbo corporis majus eſt malum. Et corporis ſanitas artis opus eſt: animæ verò virtutis. Animæ morbus eſt improbitas; corporis externa calamitas. Voluntaria eſt improbitas, invito evenit calamitas. Quæ invito eveniunt miſericordia, quæ à volente fiunt, odio proſequimur. Miſericordiam auxilium, odium vero ſequitur ſupplicium. Jam quæ auxilio digna judicamus, meliora; quæ ſupplicio, pejora ſunt. Rurſus ſanitatem utriuſque in utroque videamus. Altera quidem omnibus eget, altera nullo. Altera beatitudini confert omnia: altera infelicitatem ſuſtinet. Altera mali immunis eſt, improbitati ferè contingit altera. Alterius perpetua ſanitas; alterius in diem eſt. Alterius ſolida; alterius incerta eſt. Immortalis alterius, mortalis alterius. Vide & morbos viciſſim. Morbus corporis curatur facillimè; malum animæ lege difficulter reſtituitur. Alter dolore ſuo efficit, ut curari æger deſideret; alter eò redigit, ut & leges contemnat. Alteri ſubſidium à Diis paratum eſt; alteri odium. Nullius unquam belli cauſa morbus extitit corporis, plurimorum animæ. Nemo corporis vitio Sycophantias ſtruit, aut tumulis mortuorum, aut viventium inſidiatur bonis, aut atrox aliquod facinus committit. Ægræ tantummodo parti nocet morbus corporis; animæ, vicinæ quoque.

3. Quod ut magis intelligas, è Republ. aliquâ exem-

plum petamus. Magistratu Athenis Atticis Pericli (quo tempore & populi potestas ea in urbe summa fuit, nec minor hominum frequentia, & tam imperii magnitudine, opumque vi, quàm ducum copia militarium floreret Respubl.) urbem fortè fortuna pestis invasit. Hæc pestis ex Æthiopia ortum sumpsit, per Persiam descendit, Athenis verò quasi statione fixâ desedit, totamque gravissimè urbem afflixit. Huic malo Peloponnesiacum accessit bellum. Ergo & ager ab hostibus diripi, & urbs interire, nec homines tantùm, sed & imperii paulatim deflorescere potentia: totum denique malo suo civitatis corpus succumbere. Restabat urbis anima Pericles ille: qui cum morbo immunis esset ipse, Rempubl. afflictam consisilio erexit, extinctam propemodum excitavit; solus denique cum peste congressus est, & bello. Accipe & alterius exemplum. Cum jam pestis remitteret, populus valeret, Reipubl. de integro floreret potentia, magistratus contra morbo conflictari cœpit gravissimo, & qui parum abesset ab insania. Hic morbus & plebem invasit, & populum contagione sua infecit. Quid enim? Nonne & insaniam Cleonis, & morbum Hyperboli, & ardorem Alcibiadis secutus est populus? donec cum ducibus postremò suis defecit paulatim, interiit. Cum alius aliò afflictam civitatem vocaret;

Huc age Nympha veni, divinaque conspice gesta.

Et ut febricitanti fontes, qui monstrat & puteos, ita Siciliam Alcibiades, Sphacteriam Cleo, alius denique terram aliam ostendit, aut mare. Hæc scelesti gesta vestra sunt, quæ divina dicitis; pernicies manifesta & eversio, mali vis maxima ac fomes morbi. Idem morbus potest animi, si cum corporis morbo conferatur.

4. Fac laborare corpus, torqueri, corrumpi; præsit illi vegeta anima & robusta, facilè morbum contemnit, facilè morbo major est. Non aliter quam Pherecydes cum in capulo decumberet, supra morbum tamen erat: & cum paulatim carnes ejus defluerent, erecta tamen stabat anima, nec aliud quam tempus exspectabat, quo miserrimas has deponeret exuvias. Ausim ego dicere, ne invitâ quidem

quidem, quæ generosa sit, animâ, corpus corrumpi. Ut si vinctum tibi proponas hominem, qui dum carceris sui putrescere paulatim muros videt, & ruinam minari, stat tantisper exitumque è vinculis exspectat, & libertatem: ut è multa illa densaque, in qua sepultus jacet, caligine, cœlum suum videat, puraque luce penitus fruatur. Nisi fortè hominem, qui multis se validisque corporis laboribus ad robur exercuit, laceras cum vestes suas intuetur, commoveri posse animo arbitreris, ac non abjecturum eas potius libenter: ut corpus suum aëri, nudum nudo, amicum amico, liberum libero permittat. Quid autem aliud animæ respectu esse, hanc pellem, hæc ossa, has carnes, quam diei unius penulam, aut pannos tenues, vel scruta arbitraris. Hoc & ferrum scindit, & ignis consumit, & depascuntur vulnera. Præclara igitur multisque & validis subacta laboribus negligit ea anima; nec aliud petit, quam ut actutum exuatur. Ut meritò aliquis, qui fortem virum, corporis in morbo, deprehendit; illud, quod de Ulysse dicitur, de eo usurpare possit.

E pannis quantos genuum pater exhibet orbes!

Degener verò anima sepulta latet in corpore, corpus amat, non secùs, quàm, quæ humi serpunt, lustra sua belluæ. Nec mutat illud unquam, nec eripit, sed comburitur, discerpitur, dolet cum corpore, & exclamat, ut Philoctetes ille,

Ten' pes relinquam?

Tu vero relinque eum, mi homo, nec amicis propterea tuis maledicas, aut Lemniorum terræ infestus esto:

— *O mors malorum medice!*

Siquidem hæc, quasi malum commutaturus cum malo, dicis, votum tuum non accipio. Sin revera existimas mortem non aliud, quàm medicum, vindicemque improbi hujus esse corporis, quod nec expleri unquam potest, nec convalescere, rectè sentis. Perge supplicare, medicum implora.

Verum enim verò ejus, quod probandum erat, exem-

plum ipsa sua sponte nobis suppeditat dissertatio. Vigebant enim inter Græcos infinita tum temporis corpora, quot.

Vere novo frondes, aut flores parturit annus.

Quæ cum valerent optimè, & sine morbo viverent ullo, robore præterea membrisque essent integris, urbem obsidebant novennium, frustra & labore irrito. Nec quicquam effecit Achilles, dum hostes persequitur, nec Ajax, dum sustinet, nec Diomedes dum mactat: non arcu Teucer, non consilio Agamemnon, nec oratione Nestor, nec divinatione Calchas, nec dolis Ulysses. Verum aliud illis consilium dat Deus. Audite præstantissimi, inquit, Græciæ alumni, frustra laboratis, frustra fugatis hostem, frustra sagittas emittitis, frustra consilium initis. Nec enim spes est ulla, hæc ut expugnetis mœnia, nisi auxilium impetretis ab homine, cujus rectè valet anima, corpus verò graviter affectum, malè putet, claudicat, exhaustum est. Parent illi sociumque belli è Lemno adducunt, hominem, cui sana anima, ægrum esset corpus. Jam vice versa, si placet, animæ morbum in sano considera corpore. Voluptatis morbo anima affligitur, liquitur, tabescit. Quid facias hoc ægro? Quid corpus prodest animæ ejusmodi? Hoc morbo Sardanapalus laborat. Gliscit malum, transit ad corpus. Fricat se miserrimus mortalium & depilat: oculi libidine tabescunt, donec de morbo desperat suo, & in ignem semet jacit. Laborat & Alcibiades: magna vehemensque inflammatio similis furori hominem depascitur, mentem turbat, huc illuc impellit. E Lyceo ad concionem abit, è concione ad mare, illinc in Siciliam, è Sicilia Lacedæmonem, Lacedæmone Persiam, è Persia Samum petit. Samo relictâ Athenas, Athenis iterum Hellespontum adit, & quo non tandem? Laborat & Critias, gravi morbo varioque: quam nec sanare medicus, nec ferre urbs potest. His tamen nihilo minus sana concedes esse corpora, membra integra. Quæ tamen mihi non probatur sanitas. Æger sit Alcibiades, dummodo ne in Siciliam Athenienses vehat. Æger sit Sardanapalus: melius enim

enim morbus uret eum, quàm voluptas. Imò funditus potius intereat, cui nova semper suppullulat improbitas. Nam ut vulnera ea, quæ serpunt, corpus si semel invaserint, pergunt semper, partemque sanam corrumpunt, medicisque præbent difficilem, donec fundamentum mali, sedemque ars excidat. Eodem modo, cùm partem aliquam purulenta morboque infecta suo ac corrupta invasit anima, latiusque serpere & afflare vicina cœpit, corporis commoditas partesque sunt tollendæ idoneæ, ut in latrone manus solent, in libidinoso oculi, in helluone venter. Si judicem enim solummodo carceremque adhibere huic morbo paras & tortorem; frustra es. Vivet malum, semperque serpet & gliscet. Inexpugnabilis enim improbitati est velocitas, postquam semel animam occuparit, in eâque dignam se materiam, licentiam nimirum impudentem, atque effrenem invenit audaciam.

IMITATIO.

Serviet mutato nonnihil conceptu in discursu politico, si ex corporis humani affectionibus, membrorumque, ad unius capitis directionem, subordinatione reipubl. aut familiæ alicujus justam administrationem describas.

III.

Dedicatio domus Ciceronis per Clodium ejusque affinem illegitimè facta, ex comparatione *dedicationis alterius ab adjunctis improbatur.*

Cicero pro domo sua *Orat. 29.*
in fine.

1. *Docet C. Cassium simulacrum Concordiæ non ausum fuisse in Curia collocare, nisi prius Pontificum collegium ea de re retulisset, quod Clodius non fecit, cum Libertatis signum in domum Ciceronis transtulit.*

2. *Nec alium quidem idoneum, ut Servilium, aut Lucullum adhibuit; sed affinem adolescentem, earum solennitatum ignarum, ideoque timidè & corruptè administrantem.*

3. *Nec ad populum retulit, ut C. Cassius à Pontificibus jussus erat, ex lege Papiria, igitur illegitimè & corruptè dedicationem hanc peractam esse.*

1. Q. Marcius Censor signum Concordiæ fecerat, idque in publico collocârat, hoc signum C. Cassius censor cùm in curiam transtulisset, collegium vestrum consuluit; num quid esse causæ videretur, quin id signum, curiamque Concordiæ dedicaret? Quæso Pontifices, & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat summâ modestiâ, & gravitate censor: hic tribunus plebis, scelere & audaciâ singulari, tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi & gubernatione positum Senatus; tuum porrò tempus libertate populi R. oppressâ, senatus auctoritate delectâ, res illa plena justitiæ, sapientiæ, dignitatis. Censor enim, penes quem majores nostri (id, quod tu sustulisti) judicium Senatus de dignitate esse voluerunt, Concordiæ signum volebat in curiâ, curiamque ei Deæ dedicare. Præclara voluntas, atque omni laude digna, præscribere enim se arbitrabatur, ut sine studiis dissensionis sententiæ dicerentur, si sedem ipsam, ac templum publici consilii, religione concordiæ devinxisset. Tu cùm ferro, cùm metu, cùm edictis, cum privilegiis, cùm præsentibus copiis perditorum, absentis exercitus terrore, & minis, Consulum societate, & nefario fœdere servitute oppressam civitatem teneres: Libertatis signum posuisti, magis ad ludibrium impudentiæ, quàm ad simulationem religionis. Ille in curiâ, quâ poterat sine cujusquam incommodo, dedicabat: tu in civis optimè de republ. meriti cruore, ac penè ossibus simulacrum non libertatis publicæ, sed licentiæ collocasti. Atque ille tamen ad Collegium retulit: tu ad quem retulisti? Si quid deliberares, si quid tibi, aut piandum, aut instituendum fuisset religione domesticâ, tamen instituto cæterorum vetere, ad Pontificem detulisses. Novum delubrum cùm in urbis clarissimo loco, nefando quodam, atque inaudito instituto inchoares: referendum ad sacerdotes publicos non putasti?

2. At si collegium Pontificum adhibendum non videbatur; nemóne horum tibi idoneus visus est, qui ætate, honore

honore, autoritate antecellunt, ut cum eo dedicationem communicares? quorum quidem tu non contemsisti, sed pertimuisti dignitatem. An tu auderes quærere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo: quorum ego consilio, atque autoritate rempubl. consul ex vestris manibus ac faucibus eripui; quibusnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, civis domum consecrares, deinde civis ejus, cui princeps Senatus, cui etiam ordines omnes, deinde Italia tota, pòst cunctæ gentes, testimonium hujus urbis, atque imperii conservati dedissent? Quid diceres? ô nefanda, & perniciosa labes civitatis: Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi præeatis, postemque teneatis. Et tu quidem cúm audacia, tum impudentiâ singulari; sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, cum te viri, qui sua dignitate personam populi R. atque auctoritatem imperii sustinerent, verbis gravissimis perterruissent, neque sibi esse fas dixissent, furori interesse tuo, idque in patriæ parricidio, & scelere? Quæ cum videres, tum te ad tuum affinem, non delectum à te, sed relictum à cæteris contulisti. Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriæ proditum est, ab isto ipso Hercule perfuncto jam laboribus sacra didicisse, in viri fortis ærumnis non ita crudelem fuisse, ut in viri & jam spirantis caput bustum suis manibus imponeret; qui aut nihil dixit, aut si fecit, omnino pœnam hanc maternæ temeritatis tulit, ut mutam in delicto personam, nomenque præberet: aut si dixit aliquid, dixit hæsitantibus, postemque tremebundâ manu tetigit. Certè nihil ritè, nihil castè, nihil more, institutoque perfecit. Viderat ille Murænam vitricum suum consulem designatum, ad me consulem, cum Allobrogibus communis exitii indicia afferre: audierat ex illo, se à me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. Quare quis est, quis existimare possit, huic novo Pontifici primam hanc post sacerdotii initium religionem instituenti, vocemque mittenti, non & linguam obmutuisse, & manum obtorpuisse, & mentem debilitatam metu concidisse? Præsertim cùm ex collegio tanto non regem, flaminem, non Pontificem

cem videret, fierique particeps alieni sceleris invitus cogeretur, & gravissimas pœnas affinitatis impurissimæ sustineret?

Sed ut revertar ad jus publicum vindicandum, quod ipsi Pontifices, semper non solùm ad suas ceremonias, sed etiam ad populi jussa accommodaverunt, habetis in commentariis vestris C. Cassium censorem de signo Concordiæ dedicando ad Pontificum Collegium retulisse, eique M. Æmilium Pont. Max. pro Collegio respondisse: nisi eum populus R. nominatim præfecisset, atqua ejus jussu faceret, non videri ea posse rectè dedicari. O tempora, ô mores! tum censorem, hominem sanctissimum, simulacrum Concordiæ dedicare Pontifices in templo inaugurato prohibuerunt: pòst autem senatus in loco augusto consecratam eam aram tollendam ex auctoritate Pontificum censuit, neque ullum est passus ex eâ dedicatione literarum extare monimentum: tu procella patriæ, turbo, ac tempestas pacis, atque otii, quod in naufragio reipubl. tenebris offusis, demerso populo Rom. everso atque ejecto senatu, dirueris, ædificaris: religione omni violatâ, reipubl. tantùm nomine contaminaris: in civis hujusce ædibus, & in urbe, quam suis laboribus ac periculis conservasset, monimentum deletæ reipubl. collocaris ad equitum notam, ad dolorem bonorum omnium, sublatoque Q. Catuli nomine, incideris; id sperasti rempubl. diutius, quàm quoad mecum simul expulsa careret his mœnibus, esse laturam? Delatum jam tum est ad vos Pontifices, & pòst omnium sermone celebratum, quemadmodum iste præposteris verbis, omnibus obscœnis, identidem se ipse revocando, dubitans, timens, hæsitans, omnia aliter ac vos in monimentis habetis, & pronunciarit, & fecerit. Quod quidem minimè mirum est, in tanto scelere, tantaque dementiâ, ne audaciæ quidem locum ac timorem comprimendum fuisse. Etenim si nemo unquam prædo tam barbarus, atque immanis fuit; qui, cum fana spoliasset, deinde aram aliquam in littore deserto, somnio stimulatus, aut religione aliquâ consecraret, non horret animo, cùm divinum numen scelere violatum placare precibus cogeretur: quâ tandem istum perturbatione mentis omnium templorum

rum atque tectorum, totiusque urbis prædonem, fuisse censetis, cum protestatione tot scelerum unam aram nefariè consecraret? Non poterat ullo modo (quamquam & insolentia dominatus extulerat animos, & erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac sæpe peccare, præsertim illo Pontifice, & magistro, qui cogeretur docere, antequam ipse didicisset, magna vis est, cùm in Deorum immortalium numine, tum verò in ipsâ republicâ. Dii immortales, suorum templorum custodem ac præsidem sceleratissimè pulsum cùm viderent, ex suis templis in ejus ædes immigrare nolebant: ita istius vecordissimi mentem cura, metuque terrebant: res verò publica, quanquam erat exterminata mecum, tamen obversabatur ante oculos exterminatoris sui, & ab istius inflammato atque ignito furore jam tum me seque repetebat. Quare quid est mirum, si iste metu perculsus, si furore instinctus, scelere præceps, neque institutas ceremonias persequi, neque verbum ullum solenne potius effari?

IMITATIO.

Nihil sacri & religiosi inesse iis ædibus doceat, quæ ab hæreticis hujus ætatis Deo consecrantur, cum nihil legitimum priscisque Patribus usitatum in earum dedicatione observetur. Par ratio de synaxi eorum demonstrari poterit. His aliisque argumentis, hic locus tractandis deserviet.

IV.

A comparatione disparium *ostendit T. Labienum Tribunum plebis crudelem & parum esse popularem, qui pro Rom. civibus crucem erexit.*

Cicero pro C. Rabirio, *post exordium.*

1. *Docet Regibus expulsis, acerba crucis supplicia à republ. submota malè à Labieno reduci, seque in populi studio cum Labieno comparat. Portiamque illi legem Gracchi opponit.*

2. *Cum Gracchi mansuetudine Labieni factum comparat, cum is ne in fratris quidem morte, hanc actionem & hoc suppli-*

cium civibus intentarit, quod in morte patrui Labienus. Quare & se meritò, ait, restitisse; ne Rom. cives servis ipsis deteriores amissa libertate essent.

1. Quid optari potest quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? sed ista laus primum est majorum nostrorum, Quirites, qui expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam; sed lenitate legum munitam esse voluerunt. Quamobrem uter nostrûm tandem, Labiene, popularis est, túne, qui civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere: qui in campo Martio comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi; & constitui jubes: an ego, qui funestari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi Rom. ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico?, qui castam concionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Rom. integrum jus libertatis defendo servari oportere? popularis verò tribunus plebis custos, defensorque juris, & libertatis. Porcia lex virgas ab omnium civium Rom. corpore amovit: hic misericors flagella retulit; Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit, C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Rom. injussu vestro judicaretur, hic popularis à Duumviris, injussu vestro, non judicari de cive Romano, sed indicta causa civem Rom. capitis condemnare coëgit. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, cujusquam denique hominis popularis mentionem facit, qui non modò suppliciis inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem hujus populi, tentare mansuetudinem, commutare disciplinam conatus es? namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant? *Lictor: colliga manus*: quæ non modo hujus libertatis, mansuetudinisque non sunt; sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii: sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi Regis, ista sunt cruciatus carmina: quæ tu, homo lenis atque popularis,

ris, libentisſimè commemoras. *Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Quæ verba, Quirites, jam pridem in hac republ. non ſolum tenebris vetuſtatis, verum etiam luce libertatis oppreſſa ſunt.

2. An verò, ſi actio illa popularis eſſet, & ſi ullam partem æquitatis haberet, aut juris, C. Gracchus eam reliquisſet? ſcilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho. Fratris: & tibi acerbior ejus patrui mors eſt, quem nunquam vidiſti, quam illi; ejus fratris, quicum concordiſſimè vixerat: & ſimilis viri tu ulciſceris patrui mortem, atque ille perſequeretur fratris ſui, ſi iſta ratione agere voluiſſet: & par deſiderium ſui reliquit apud populum Rom. Labienus iſte, patruus veſter, quisquis fuit, ac Tit. Gracchus reliquerat; An pietas tua major, quam Gracchi? an animus? an conſilium? an opes? an authoritas? an eloquentia? quæ ſi in illo minima fuiſſent: tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cum verò his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit: quantum intervallum tandem inter te, atque illum interjectum putas? ſed moreretur prius acerbisſima morte millies Gracchus, quàm in ejus concione carnifex conſiſteret: quem non modò foro, ſed etiam cœlo hoc, ac ſpiritu cenſoriæ leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet, me alienum à commodis veſtris: cum iſte omnes ſuppliciorum, & verborum acerbitates, non ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquiſierit: ego omnibus meis opibus, omnibus conſiliis, omnibus dictis, atque factis repugnarim, & reſtiterim crudelitati? niſi fortè hanc conditionem vobis eſſe vultis, quam ſervi, ſi libertatis ſpem propoſitam non haberent, ferre nullo modo poſſent. Miſera eſt ignominia judiciorum publicorum, miſera multatio bonorum, miſerum exilium: ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod veſtigium libertatis. Mors denique ſi proponitur, in libertate moriemur. Carnifex verò, & obductio capitis, & nomen ipſum crucis, abſit non modò à corpore civium Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolum eventus, atque perpesſio, ſed etiam conditio, exſpectatio, mentio ipſa denique indigna cive Romano,

mano, atque homine libero est. An verò servos nostros horum suppliciorum omnium metu, dominorum benignitas una vindicta liberavit: nos à verberibus, ab unco, à crucis denique terrore, neque res gestæ, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor, & præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, sed regiâ, meo consilio, virtute, auctoritate esse depulsum. Quâ tu in actione, quamquam omnia exempla malorum, omnes leges, omnem autoritatem Senatus, omnes religiones, atque auspiciorum publica jura neglexisti: tamen hæc à me in hoc tam exiguo meo tempore non audies.

IMITATIO.

Ostendes hujus loci imitatione, crudelem suorum civium interfectorem fuisse Zvvinglium, qui quam ratione & veritate non poterat, vi & feritate armorum & suppliciorum hæresin persuadere conatus est.

CAPUT X.

De vi amplificandi comparatorum.

Reliqua quæ sequuntur comparatorum exempla, cum ad orationis amplificationem inprimis faciant, paulò etiam prolixius ex Cicerone fuêre proponenda. Hæc verò amplificatio cum fieri duplici ratione possit, ut nimirum, vel ad idem argumentum orationis diversæ comparationes, ab exemplis, aut similibus petitæ adhibeantur; vel cœptis semel comparationibus per attributa illarum plura orator insistat, utriusque modi exempla dedimus; prioris unum, posterioris è Cicerone duo. Quibus illam quæ comparatis inest amplificandi vim utcunque assequeris.

I.

Exempla à pari per comparationem *& temporis* adjuncta *diducta, & ornata* communicatione sententiæ.

Cicero pro C. Rabirio. *In fine orationis.*

1. *Docet ab adjunctis temporis Rabirium peccare non potuisse, cum*

tum exemplo Coss. C. Marii & L. Valerii totiusq; Senatûs contra Saturnium aliosq; in capitolio armatos, & ipse arma sumpserit, Patruo Labieni flagitiose Saturnino suffragante.

2. *Ostendit à parium comparatione; quod cum Decianus questus de morte Saturnini tantum, & Titius ejus solum imagine usus, condemnati sint, Labienus tamen impunè utrumq; facere, jure sit admirandum.*

3. *Docet rursum à pari, quod præclarissimos reipubl. Rom. viros jam fato functos, tum etiamnum vivos, qui in eadem cum Rabirio causa fuêre; simul cum eo condemnet. Illorum verò gloriam immortalem se Cicero defensurum asserit.*

Cum C. Marius & L. Valerius Coss. adhiberent Tribunos pleb. & Prætores, quos eis videretur, operamque darent, ut imperium pop. Rom. majestásque conservaretur. Adhibent omnes Trib. pleb. præter Saturnium, omnes prætores præter Glauciam, qui rempubl. sálvam vellent, arma capere, & se sequi jubent. Parent omnes, ex ædificiis, armamentariisque publicis arma populo Rom. C. Mario consule distribuente, dantur. Hic jam, ut omittam cætera, de te ipso, Labiene, quæro, cum Saturninus capitolium teneret, armatus esset unâ C. Glaucia, C. Saufejus, etiam ille ex compedibus, atque ergastulo Gracchus: addam (quoniam ita vis) eodem Q. Labienum, patruum tuum: in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus, Coss post cunctus Senatus, atque ille Senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos Patres conscriptos, qui nunc sunt, in invidiam vocatis, quò faciliùs de hoc Senatu detrahere possitis, laudare consvevistis: cum equester ordo: at quorum equitum Romanorum, Dii immortales? patrum nostrorum, atque ejus ætatis, quæ tum magnam partem reip. atque omnem dignitatem judiciorum tenebat, cum omnes omnium ordinum homines, qui in salute reip. salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit: De te ipso, inquam, Labiene, quæro: cum ad arma consules, ex S. C. vocavissent: cum armatus M. Æmilius, princeps Senatus, in comitio constitisset: qui cum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat: cum denique Q. Scævola, confectus senectute, præpeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus, ac debilis, hastili nixus, & animi vim, & in-

firmitatem corporis ostenderet : cum L. Marcellus, Ser. Galba, C. Serrarus, P. Rutilius C. Timbria, Q. Catulus, omnesque qui tunc erant, consulares pro salute communi arma cepissent : cum omnes prætores, cuncta nobilitas, ac juventus occurreret, C. & L. Domitii, L. Crassus, Q. Mutius, C. Claudius, M. Drusus ; cum omnes Octavii, Metelli, Julii, Cassii, Catones, Pompeii : cum L. Philippus, L. Scipio, cum M. Lepidus, cum D. Brutus, cum hic ipse P. Servilius, quo tu imperatore, Labiene, meruisti : cùm hic Q. Catulus admodum tum adolescens, cum hic C. Curio, cum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent : quid tandem C. Rabirium facere convenit ; utrum inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam suam tenebrarum, ac parietum custodiis tegere : an in capitolium pergere : atque ibi se cum tuo patruo, & cæteris, ad mortem, propter vitæ turpitudinem confugientibus, congregare ? an cum Mario, Scauro, Catullo, Metello, Scævola, cum bonis denique omnibus coire non modò salutis, verùm etiam periculi societatem ? Tu denique Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore ? cum ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras impelleret : improbitas & furor L. Saturnini in capitolium accerseret, consules ad patriæ salutem, ac libertatem vocarent : quam tandem autoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parêre potissimum velles ? Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. Quid Pater ? quicum ? quid propinqui vestri equites Romani ? quid omnis præfectura, regio, vicinitas vestra ? quid ager Picenus universus, utrum tribunitium furorem, an consularem autoritatem secutus est ? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruó prædicas, neminem unquam adhuc de sese esse confessum, nemo est unquam inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modò honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. At fuit vester patruus. Fuerit : & fuerit nulla desperatione rerum suarum in ullis domesticis vulneribus coactus ; induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriæ præponeret. Idcircone oportuit C. Rabirium desciscere à republ. non comparere in illa armata multitudine bonorum ? consulum

sulum voci atque imperio non obedire? Atqui videmus, hæc in rerum naturâ tria fuisse: ut aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere mortis erat instar turpissimæ: cum Saturnino esse, furoris & sceleris: virtus, & honestas, & pudor cum consulibus esse cogebat. Hoc tu igitur in crimine vocas, quod cum iis fuerit C Rabirius, quos amentissimus fuisset, si opugnasset: turpissimus, si reliquisset.

2. At C. Decianus, de quo tu sæpe commemoras, quia cum hominem omnibus insignem notis turpitudinis, P. Furium, accusaret summo studio bonorum omnium, queri est ausus in concione de morte Saturnini, condemnatus est. & Sex. Titius quòd habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est. Statuerunt equites Romani illo judicio, improbum civem esse, & non retinendum in civitate, qui hominis hostilem in modum seditiosi, imagine, aut mortem ejus honestaret; aut desideria imperitorum misericordia commoveret, aut suam significaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, unde hanc tu, Labiene, imaginem, quam habes, inveneris, nam Sex. Titio damnato, qui istam habere auderet, inventus est nemo. Quod tu, si per ætatem scire potuisses, nunquam profectò istam imaginem, quæ domi posita, pestem atque exsulium Sex. Titio attulisses, nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudentia laberis. Causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua: quæ causa ante mortua est, quam tu natus esses. Qua in causa tutè profectò fuisses, si per ætatem esse potuisses, eam causam in judicium vocas.

3. An non intelligis, primum quos homines, & quales viros mortuos summi sceleris arguas? deinde quot ex iis, qui vivunt, eodem crimine in summum capitis periculum arcessas? Nam si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, quâ tum fuit: Quint. verò Catulum, partem hujus, in quo summa sapientia, eximia virtus, singularis humanitas fuit; M. Scaurum, illa gravitate, illo consilio, illa prudentia, duos Mucios,

L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra urbem cum præsidio fuit: quorum in hac civitate longè maxima consilia, atque ingenia fuerunt: ceteros pari dignitate præditos, custodes, gubernatoresque reipubl. quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honestissimis viris, atque optimis civibus, equitibus Romanis dicemus, qui tum unâ cum Senatu salutem reipublicæ defenderunt? quid de tribunis ærarii, cæterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt? sed quid ego de iis omnibus, qui consulari imperio paruerunt, loquor? de ipsorum Coss. fama quid futurum est? L. Flaccum, hominem cum semper in republica, tum in magistratibus gerendis, in sacerdotio, cæremoniisque, quibus præerat, diligentissimum, nefarii sceleris, ac parricidii, mortuum condemnabimus? adjungemus ad hanc labem, ignominiamque mortis, etiam C. Marii nomen? C. Marium quem verè patrem patriæ, parentem, inquam, vestræ libertatis, atque hujusce reipubl. possumus dicere, sceleris, ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus? Etenim si C. Rabirio, quod iis ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit: quod tandem excogitabitur in eum supplicium, qui vocavit? Ac, si fides Saturnino data est, quod abs te sæpissimè dicitur: non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit: idemque violavit, si in fide non stetit. Quæ fides Labiene, quî potuit, sine Senatus consulto, dari? Adeòne hospes hujusce urbis, adeòne ignarus es disciplinæ, consuetudinisque nostræ, ut hæc nescias? ut peregrinari in alienâ civitate, non in tua magistratum gerere videaris? quid jam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam sensu & vita caret? Itane verò? tantis in laboribus C. Marius, periculisque vixisset, si nihil longiùs, quam vitæ termini postulabant, spe atque animo de se, & gloria sua cogitasset? At credo cum innumerabiles hostium copias in Italia fudisset, atque obsidione rempubl. liberasset, omnia sua secum unâ moritura arbitrabatur. Non est ita Quirites, neque quisquam nostrûm in reip. periculis cum laude, ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur. Itaque cum multis aliis de causis virorum bonorum mentes divinæ mihi, atque æternæ videntur esse, tum maximè quod optimi & sapientissimi cujusque animus ita præsentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur,

tur. Quapropter quidem & C. Marii, & cæterorum virorum sapientissimorum, ac fortissimorum civium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem, & sanctimoniam demigrasse, testor me pro illorum fama, gloria, memoriam, non secus ac pro patriis famis, atque delubris propugnandum putare: ac si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenuè caperem, quam illi pro communi salute ceperunt. Etenim, Quirites, exiguum vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloria. Quare, si eos, qui jam de vitâ decesserunt, ornabimus: justiorem nobis mortis conditionem relinquemus. Sed si illos Labiene, quos jam videre non possumus, negligis: ne his quidem, quos vides, consuli putas oportere? Neminem esse dico ex iis omnibus, qui illo die Romæ fuerint, quem tu diem in judicium vocas, pubesque tunc fuerit, quin arma ceperit, quin consules secutus sit. Omnes ii, quorum tu ex ætate conjecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis, C. Rabirii nomine citantur.

IMITATIO.

Quod Catholici Helveti non peccarint, armis contra hostes suæ religionis sese invadentes sumptis, sed pro Ecclesiæ defensione hac meritò arripuerint, & Majorum suorum exemplo adversus Zvvinglium pugnantibus, & ipsorummet adversariorum, qui id sibi permissum volunt, ad hujus loci imitationem, facilè probabis.

II.

Historicum exemplum egregia oppositorum collatione & comparatione factorum illustratum.

Cicero in Verrem Actione V. ante finem.

1. *Marcellum Syracusanæ urbis subactorem, cum Verre defensore confert.*
2. *Syracusas describit, ut Verris scelera magis pateant.*
3. *Ad Verris sacrilegia, cum Marcelli continentia comparanda redit.*
4. *Siciliæ tyrannis Verrem intolerabiliorem facit.*

Unius urbis omnium pulcherrimæ atque ornatissimæ, Syracusarum direptionem commemorabo, & in medium proferam judices, ut aliquando totam hujus generis orationem concludam, ac definiam. Nemo ferè vestrum est, quin, quemadmodum captæ sunt à M. Marcello Syracusæ, sæpè audierit, nonnunquam etiam in annalibus legerit. conferre hanc pacem cum illo bello, hujus prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria, hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto, hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. ac jam illa omitto, quæ dispersè à me multis locis dicentur, ac dicta sunt: forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli purum à cæde servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse: portum Syracusanorum, qui tum & nostris classibus, & Carthaginensium clausus fuisset, cum isto prætore Cilicum myoparoni, prædonibusque patuisse; mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas, quæ tum urbe capta commissa non sunt, neque odio hostili, neque licentia militari, neque more belli, neque jure victoriæ: mitto, inquam, hæc omnia, quæ ab isto per triennium perfecta sunt; ea quæ conjuncta cum illis sunt, de quibus antea dixi, cognoscite.

2. Urbem Syracusas maximam esse Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium sæpe audistis. est judices ita, ut dicitur: nam & situ est, cum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari præclaro ad aspectum: & portus habet prope in ædificatione, aspectuque urbis inclusos: qui cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt, eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur insula, mari disjuncta angusto ponte rursum adjungitur. & continetur. Ea tanta est urbs, ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur, quarum una est ea, quam dixi, insula: quæ duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque projecta est: in qua domus est, quæ Regis Hieronis fuit, qua prætores uti solent. In ea sunt ædes sacræ complures, sed duæ quæ longè cæteris antecellunt: Dianæ una, & altera, quæ fuit ante istius adventum ornatissima, Minervæ. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine plenissimus piscium; qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, ac mole lapidum à mari

mari disjunctus esset. Altera autem est urbs Syracusis: cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum Prytaneum, amplissima est curia, templumque egregium Jovis Olympii; cæteræque urbis partes una lata via perpetua, multisque transversis divisæ, privatis ædificiis continentur. Tertia est urbs, quæ, quod in ea parte fortunæ fanum antiquum fuit, Tiche nominata est: in qua & Gymnasium amplissimum est, & complures ædes sacræ; coliturque ea pars, & habitatur frequentissimè. Quarta autem est urbs: quæ, quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum est maximum; præterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberæ, signumque Apollinis, qui Themistocles vocatur, pulcherrimum & maximum; quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre.

84. Nunc ad Marcellum revertar, ne hæc à me sine causa commemorata esse videantur, qui cum tam præclaram urbem vi, copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi Rom. pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præsertim nihil periculi ostenderetur, delere & exstinguere, itaque ædificiis omnibus publicis & privatis, sacris & prophanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset. in ornatu urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis. victoriæ putabat esse, multa Romam deportare, quæ ornamento urbi esse possent: humanitatis, non planè spoliare urbem, præsertim, quam conservare voluisset. in hac partitione ornatus non plus victoria Marcelli populi Rom. appetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit. Romam quæ asportata sunt, ad ædem honoris atque virtutis, itemque aliis in locis videmus. nihil in ædibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano. putavit, si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam urbi ornamento futuram. Syracusis autem permulta, atque egregia reliquit, Deum verò nullum violavit, nullum attigit. conferte Verrem: non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat injuria, sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum & jurisdictionem cum ferro & armis, adventum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. Ædes Minervæ est insula, de qua ante dixi: quam Marcellus non attigit, quam plenam, quam ornatam

reliquit, quæ ab isto sic spoliata, atque direpta est, ut non ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionem, & consuetudinis jura retineret, sed ut à barbaris prædonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta præclarè. His autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur: nihil erat illâ picturâ nobilius: nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur. has tabulas M. Marcellus, cum omnia, illâ victoriâ suâ, prophana fecisset, tamen religione impeditus non attigit. iste, cum illa jam propter diuturnam pacem, fidelitatemque populi Syracusani sacra, religiosaque accepisset, omnes eas tabulas abstulit; parietes, quorum ornatus tot sæcula manserat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit; & Marcellus, qui si Syracusas cepisset, duo templa se Romæ dedicaturum, noverat, quod erat ædificaturus, iis rebus ornare, quas ceperat, noluit: Verres qui non honori, neque virtuti, ut ille, sed Veneri, & Cupidini vota deberet, is Minervæ templum spoliare conatus est. Ille Deos, Deorum spoliis ornare noluit: hic ornamenta Minervæ virginis in meretriciam domum transtulit.

4. Viginti & septem præterea tabulas pulcherrimè pictas ex eadem æde sustulit, in quibus erant imagines Siciliæ regum ac tyrannorum: quæ non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum. Ac videte, quanto terrior hic tyrannus Syracusanis fuerit, quam quisquam superiorum, cùm illi tamen ornaverint templa Deorum immortalium, hic etiam Deorum monumenta, atque ornamenta sustulerit. Iam verò, quid ego de valvis illius templi commemorem? vereor, ne, hæc qui non viderunt omnia, me nimis augere, atque ornare arbitrentur. quod tamen nemo suspicari debet, tam esse me cupidum, ut tot viros primarios velim, præsertim ex judicum numero, qui Syracusis fuerint, qui hæc viderint, esse temeritati, & mendacio meo conscios. confirmare hoc aliquando judices, possum, valvas magnificentiores ex auro atque ebore perfectiores nullas unquam ullo tempore fuisse. Incredibile dictu est, quàm multi Græci de valvarum harum pulchritudine scriptum reliquerint, nimium forsitan hæc illi mirentur, atque efferant. esto. veruntamen honestius est reip. nostræ judices, ea, quæ illis pulchra esse videatur, Imperatorem nostrum in bello reliquisse, quàm prætorem in pace abstu-

abstulisse.' Ex ebore diligentissimè perfecta argumenta erant in valvis, ea detrahenda curavit omnia: Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus, revellit, atque abstulit; & tamen indicavit, se non solum artificio, sed etiam pretio quæstuque duci: nam bullas omnes aureas ex his valvis, quæ erant, & multæ, & graves, non dubitavit auferre, quarum iste non opere delectabatur, sed pondere. Itaque ejusmodi valvas reliquit, ut quæ olim ad ornandum templum erant maximè, nunc tantum ad claudendum factæ esse videantur.

IMITATIO.

In nostræ ætatis templorum vastatores, quæ tanto majorum studio impensisque ornata fuere, par scribendi ratio serviet. Opponatur hujusmodi sacrorum violatoribus, priscorum Principum, atque Episcoporum fervor: qualis olim in Germania SS. Willibrordus, Suibertus, Helena Constantini mater, Carolus magnus, aliique.

III.

Cicero pro Poetis & ligata sentit eloquentia.

Locus *ab effectibus* humaniorum literarum, quo & illæ commendantur, & gloriæ honesta cupiditas describitur, & Archias Poëta defenditur.

Pro Archia circa medium.

1. *Literarum humaniorum beneficio, se Cicero privatim delectari, publicè aliis prodesse tradit, naturamque ingenii bonam mirificè his studiis perfici.*

2. *Dicit Poetas, ut Roscium, Ennium, Homerum, omnium amorem, ob divinum quoddam ingenium, meritos, Archiam magis etiam amandum, quod gesta Rom. literis mandet, rem à Themistocle & Alexandro, summè æstimatam.*

3. *Cicero se innato quodam gloriæ appetitu, quo ducantur omnes, majorum exemplo hunc amplecti Archiam profitetur, quod is res in suo consulatu gestas versibus ad æternam memoriam laudemque commendet.*

1. Tot annos ita vivo, judices, ut à literis nullo me unquam tempore; aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si quantùm cæteris ad suas res obeundas, quantùm ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantùm denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero? atque hoc adeò mihi concedendum est magis, quòd ex his studiis hæc quoque crescit oratio, & facultas: quæ quantacunque in me est, nunquam amicorum periculis defuit: quæ si cui levior videtur, illa quidem certè, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam nisi multorum præceptis multisque literis, mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in hac vita magnoperè expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda: nunquam me, pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas, quæ jacerent in tenebris omnia nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressos scriptores & Græci & Latini reliquerunt: quas ego mihi semper in administranda repub. proponens, animum & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformatam. Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes litteris proditæ sunt, istâne doctrinâ, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare: sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellēti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu propè divino, per se ipsos, & moderatos, & graves exstitisse, fateor: etiam illud adjungo, sæpius ad laudem, atque virtutem, naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cùm ad naturam eximiam, atque illustrem, accesserit ratio quædam confirmatioque doctrinæ; tum illud, nescio quid præclarum, ac

ac singulare, solere existere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Lælium, L. Furnium, modestissimos homines, & continentissimos: ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum M. Catonem illum senem: qui profectò, si nihil, ad percipiendam colendamque virtutem, litteris adjuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur; tamen ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam, ac liberalissimam, judicaretis, nam cæteræ, neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum: hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi hæc neque attingere, neq; sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

2 Quis nostrûm tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem, ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergone ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus? quoties ego hunc Archiam vidi, judices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum, de iis ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis? quæ verò accuratè cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc ego non diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem? atqui sic à summis hominibus, eruditissimisque accepimus, cæterarum rerum studia & doctrina & præceptis, & arte constare: Poetam natura ipsa valere, mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat Poetas: quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, judices, sanctum apud vos huma-

humanissimos homines, hoc Poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria violarit, saxa & solitudines voci respondent; bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant: itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt: ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, quia & voluntate, & legibus noster est, repudiabimus? præsertim cum omne olim studium, atque omne ingenium contulerit Archias ad Populi Rom. gloriam laudemque celebrandam. Nam & Cimbricas res adolescens attigit, & ipsi illi C. Mario qui durior ad hæc studia videbatur, jucundus fuit. Neque enim quisquam est, tam aversus à musis, qui non mandari versibus æternum suorum laborum facilè præconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse ajunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissimè audiret; ejus à quo sua virtus optimè prædicaretur. Quare si res eæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus, definiuntur: cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod, cum ipsis populis de quorum rebus scribitur, hæc ampla sunt: tum iis certè, qui de vita, gloriæ causâ, dimicant, hoc maximum & periculorum incitamentum est, & laborum. Quàm multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? atque is tamen cum in Sygæo ad Achillis tumulum astitisset, ô fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris: & verè; nam nisi Ilias extitisset illa, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset.

Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed præ nobis ferendum; trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur: Ipsi illi Philosophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari se ac nominari volunt; Decimus quidem Brutus, summus ille vir & Imperator, Accii amicissimi sui carminibus templorum ac moni-

monimentorum aditus exornavit suorum. Jam verò ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit Fulvius, non dubitavit Martis manubias musis consecrare. Quare in qua urbe Imperatores propè armati Poetarum nomen & Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati Judices à Musarum honore & à Poetarum salute abhorrere. Atque ut id libentius faciatis, jam me vobis, judices, indicabo, & de meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortasse, veruntamen honesto vobis confitebor. Nam quas res non in consulatu nostro, vobiscum simul, pro salute hujus urbis atque imperii, & pro vita civium, proque universa reipubl. gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit : quibus auditis, quod mihi magna res, & jucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nulla enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ ; qua quidem detracta, judices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus ? certè si nihil animus persentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas : nec tantis se laboribus frangeret : neque tot curis vigiliisque angeretur : nec toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri ; sed cum omni posteritate adæquandam. An verò jam parci animi videamur esse omnes, qui in republ. atque in his vitæ periculis laboribusque versamur, ut cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum, atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur ? An cùm statuas & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiosè multi summi homines reliquerint ; consiliorum relinquere, ac virtutum nostrarum effigiem non multò malle debemus, summis ingeniis expressam, & politam ?

OBSERVATIO.

Hoc exemplum ad alium locum Confirmationis spectat, de laude Poetarum, & huc fuit per typothetarum errorem translatum : loco alterius comparationis qua post reditum Cicero-

nis

nis ad Quirites legitur. Tu igitur exornativo generi hoc adjice, cujus non inelegans exemplum est.

IMITATIO.

Hanc in resolutione hujus Orationis variis exprimi argumentis posse intelliges. Licebit ostendere, ex sola literarum cognitione, perpetuò Doctos non tantum vivere, sed ad posteros transmittere omne studium laboremque, summo reipubl. emolumento. Vt vel invidi, vel desidiosi animi sit eorum conatibus non favere.

CAPUT XI.

De Exordiis Orationum.

Quemadmodum ad exemplum Ciceronis Exordia dicenda formanda sint.

JAm ad ipsum Orationis corpus singulasque ejus partes ordinandas accedamus. Satis enim prælusum his credimus. Hic inprimis ad illa redeundum est principia libro primo tradita, recolendumque, quot orationis genera sint, & quæ partes. quid horum quælibet, ut maximè sibi proprium vendicent.

De Exordio monui, tùm primùm Oratori cogitandum, cùm totius jam orationis tanquam ædificii corpus perfectum est, ut hoc veluti caput apexque accedat. Hoc ut Cicero faciendum monuit, ita apparet reipsa fuisse secutum.

1. Ex tribus verò Exordii virtutibus, ut benevolum, attentum, docilemque reddat auditorem, de prima laborandum est maximè. postquam enim benevolentiam collegeris, facilè erit reddere auditorem attentum. docilitatem res clarè tantum distinctèque proposita adferet. Sæpe etiam dicentis autoritas, atque existimatio, magnum ad benevolentiam attentionemque pondus addunt, ut à re ipsa, vel inductis aliquot dicendi causis ordiri Orator possit. Unde alia sunt Exordia Ciceronis jam Consulis, quàm antè, vel privati, vel in minori dignitate constituti erant. Parcus illic in captandâ benevolentia; hic omnino profusus, novit & personæ suæ ratio-

rationem habere, & apud quos dicat maturè expendere. Exempla non inducam, cùm passim occurrant, neque tantum adferunt ad eloquentiam momentum, ut iis diu putem inhærendum. Indicabo tamen diversa eorum genera, ut pro illa, quam imitator sibi proposuerit exordiendi ratione, aliquod sibi ex Tullio possit deligere.

2. Facilè ac pergratum sæpe exordiendi genus est; *à re ipsa* statim proposita expositaque ordiri, ut pro Aul. Cluentio facit Cicero, & hunc aliena invidia premi queritur, adversus quam Judicum æquitatem implorat. Ita & pro C. Rabirio Posthumo rem in judicium adductam exponit, & pro M. Marcello in gratiam à Cæsare recepto, à Cæsaris virtute ac misericordia orditur. Quo etiam spectat exordium pro Rege Dejotaro, ab adjunctis causæ sumptum, in quo timorem & perturbationem suam, ob talem tantumque reum, tum etiam crudelem prorsus accusatorem consanguineum adducit.

3. Alterum exordiendi genus est, causas susceptæ à se dictionis exponere, quæ variæ esse possunt, cum ex diversitate personarum, tum rerum, & obligationum. Ita Cicero accusationis in Verrem susceptæ causas petit, tum à Siculorum innocentium oppressione, tum à Romani nominis infamia, quibus subvenire æquum sit. Sic pro Muræna causam ab innocentium justa defensione sumit. Pro C. Rabirio, à suo officio & reipubl. tuendæ studio. Ex obligatione sua pro Archia Poëta, ut à quo puer ad eloquentiam sit institutus, pro Plancio, quod hic exulem se foverit. Ex obligatione aliorum, ut Pontificum pro domo sua, quibus providendum, ne quid respubl. capiat detrimenti. Ab alterius voluntate & postulatione, ut pro L. Corn. Balbo, quod Pompeius id postulaverit. Ab autoritate sibi per populum publicis in officiis tributa, ut pro lege Manilia. A ratione & æquitate rei ipsius, ut post reditum, quod à Diis exauditus jure gratias referat.

4. Tertium exordiendi genus est, in quo Orator sibi illique, cujus gratia dicit, benevolentiam invidiâ submotâ, conciliat, & quandoque etiam adversariis conflat odium & indignationem audientium, sublatâ benevolentiâ, cum utrumq; ad causæ præsidium spectare videtur. Quod vel apertè, vel occultè præstatur. Sic occulta arte benevolentiam populi captat in 2. Agrariâ ad populum, cum beneficia populi

in se

in se collata memorat; apertè verò eandem postulat benevolentiam in Agraria 3. Pro Aul. Cæcina, ex oppositione ac descriptione personarum Æbutii & Cæcinæ, illi invidiam, huic favorem comparat. Et pro P. Sextio, quòd improbi in probos insurgant, hoc ad Sextii favorem, contraque ad Albinovani & Vatinii odium concitandum refert. pro Ligario Tuberonem accusatorem in paris criminis suspicionem vocat, ut illi misericordiam, huic indignationem conciliet. Philippica, Antonio invidiam, sibi gratiam aucupatur, quod jam per viginti annos omnes reipubl. hostes in se insurgentes sustineat. Pro Quinctio, sibi à sua etiamnum in dicendo infantia, Reo vero ab iniquitate deserentis amici perstricta, Judicisque æquitate collaudata, favorem promeretur, cui parum dissimile Exordium pro Roscio Amer. reperies. Illud vero quod pro Flacco repetundarum reo, ab ipsius in rempubl. meritis petitur exordium, planè egregium est. Ex quibus defutura non sunt, quæ juvent imitantem.

CAPUT XII.

De narratione ejusque varietate, & amplificandi ratione.

EXemplis igitur Exordiorum hoc loco præteritis ad Narrationem veniamus. quam c. 17. libr. 1. duplicem in Oratione esse tradidimus, alteram brevem quæ causæ totius perspicuam expositionem in principio dictionis complectatur; alteram longiorem gravioremque suis imbutam affectibus, quæ in ipsam sese confirmationem inferat, magnosque sæpe motus, concitat. cum non tantum nudam historiæ expositionem, sed & aggerationem contineat, ut mox videbimus.

In his enim adolescentes in ipso Orationis ingressu exercendi studiosè videntur, ut factum aliquod per adjuncta usitato hoc versu comprehensa norint diducere, & exaggerare.

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Ordiar autem in Narrationibus brevioribus ac facilioribus, quales sunt quæ rem ante simpliciter exponunt, ac deinde ex-

ex adjunctis nonnullis eandem exaggerant. Utar tamen ad hoc lectissimis è Cicerone exemplis, & adjuncta præcipua ad amplificationem adhibita paucis indicabo. cætera suo quisque ingenio facilè assequetur. In duo tamen capita hæc exempla partiar Ut hoc primo quidem ea complectar, quæ exaggerationem post rem expositam, & Narrationem differunt: altero vero illa, quæ illam, aut descriptionibus rerum, aut amplificationibus interpositis miscent: cùm alterutro horum modorum exaggeratio fieri possit; & hic secundus primo uberior plerumque ad disserendum sit; quod historia facti per singulas etiam partes distinctius expendatur.

Narrationem ad ingressum orationis illustrem habet pro Sex Rosc. Amer. tum Catilinaria 3. ubi exponit, quemadmodum conjuratos deprehenderit, pro Milone, aliasque ad quas studiosum lectorem remitto: mihi enim illis, quæ amplificatione subjuncta illustrantur, magisq; ad Rhetoris eloquentiam faciunt, hic tantum nonnihil immorari decretum est.

I. Exemplum,

Sassiæ Matris Cluentii facinus genero suo, exclusa filia, nubentis.

Cicero pro Cluentio.

[*Narratio*] Aulus Cluentius Avitus fuit pater hujusce, Judices, homo non solum municipii Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius, & vicinitatis, virtute, existimatione, nobilitate facilè princeps. Is cum esset mortuus, Sylla, & Pompeio Coss. reliquit hunc annos XV. natum; grandem autem & nubilem filiam: quæ brevi tempore post Patris mortem nupsit M. Aurio Melino, consobrino suo, adolescenti in primis, ut tum habebatur, inter suos & honesto, & nobili. Cum essent hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repentè est exorta mulieris, importunæ nefaria libido, non solùm dedecore, verùm etiam scelere convicta. Nam Sassia mater hujus Aviti (Mater enim à me nominis causa, tametsi in hunc hostili odio, & crudelitate est, mater, inquam appellabitur: neque nunquam illa ita de suo scelere, & immanitate audiet, ut naturæ nomen amittat. Quo enim est ipsum nomen amantius, indulgentiusque maternum, hoc il

lius matris, quæ multos jam annos, & nunc cùm maximè filium interfectum cupit, ſingulare ſcelus, majore odio dignum eſſe duceris.) Ea igitur Aviti Melini illius adoleſcentis, generi ſui, contrà quam fas erat, amore capta, primò, neq; idipſum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde ita flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror à cupiditate revocaret. Animum adoleſcentis, nondum conſilio, ac ratione firmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa ætas capi, ac deliniri ſolet. Filia, quæ non ſolum illo communi dolore muliebri in ejuſmodi viri injuriis angeretur, ſed nefarium matris pellicatum ferre non poſſet, de quo ne queri quidem ſine ſcelere ſe poſſe arbitraretur, cæteros ſui tanti mali ignaros eſſe cupiebat: in hujus amantiſſimi ſui fratris manibus, & gremio mœrore, & lacrymis conſeneſcebat. Ecce autem ſubitum divortium: quod ſolatium malorum omnium fore videbatur. diſcedit à Melino Cluentia: ut in tantis injuriis,non invita: ut à viro, non libenter. Tum verò illa egregia, ac præclara mater, palam exſultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. Itaque diutiùs ſuſpicionibus obſcuris lædi famam ſuam noluit: lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulſa atque exturbata filia, jubet. nubit genero ſocrus, nullis auſpiciis, nullis auctoribus, funeſtis omnibus omnium.

(*Exaggeratio.*) O mulieris ſcelus incredibile, & præter hoc unum, in omni vita, inauditum! O libidinem effrenatam, & indomitam! ô audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minus vim Deorum, hominumque famam, at illam ipſam noctem, faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos; ſuperiorum teſtes nuptiarum? Perfregit, ac proſtravit omnia cupiditate, ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Tulit hoc commune dedecus familiæ, cognationis, nominis, graviter filius; augebatur autem ejus moleſtia quotidianis querimoniis, & aſſiduo fletu ſororis, ſtatuit tamen nihil ſibi in tantis injuriis, ac tanto ſcelere matris: gravius faciendum, quam ut illa matre ne uteretur; ne, quam videre

fine summo animi dolore non poterat, ea si matre uteretur, non solùm videre, sed etiam probare suo judicio putaretur.

IMITATIO.

In Putipharis uxoris, aut Bersabea, aut Thamaris scelere exaggerando par oratio poterit adhiberi, cum & viris & parentibus fidem debitam, effreni libidine fallere, magni flagitii loco habendum sit.

II.

Historica narratio *ex facti natura, & adjunctis amplificata.*

Cicero Actione V. in Verrem.

1. *Exponit qua ratione Verres simulacrum Mercurii à Tyndaritanis postularit, per Sopatrum Senatus principem, & rejectus sit.*

2. *Ostendit, quàm crudeliter afflicto Sopatro signum Mercurii extorserit.*

3. *Exaggerat factum* ex natura rei, *multa in uno facinore complexus crimina, tum* ex persona *Marcelli urbis Patroni, cujus statua ignominiosè Sopater adstrictus fuerat.*

(*Narratio.*) Non solum Africani monumentum Verres violavit, sed à Tyndaritanis quoque ejusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurii pulcherrimè factum sustulit. At quemadmodum, Dii immortales, quàm audacter, quàm libidinosè, quàm impudenter! audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos homines honestissimos, ac principes civitatis, Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos, ac summa religione coleretur, quem P. Africanus Carthagine capta Tyndaritanis non solum suæ victoriæ, sed etiam illorum fidei, societatisque monimentum, atque judicium dedisset, hujus vi, scelere, imperioque esse sublatum, qui, ut primum in illud oppidum venit, statim, tanquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset, tanquam hoc senatus mandasset, populusque Rom. jussisset, ita, continuò signum ut demolirentur, & Messanam deportarent, imperavit, quod cum illis, qui aderant, indignum, qui audiebant, incre-

incredibile videretur: non est ab isto, primo illo adventu, perseveratum. Discedens mandat Proagoro Sopatro, cujus verba audistis, ut demoliatur, cùm recusaret, vehementer minatur, ita tum ex illo oppido proficiscitur. Proagorus refert rem ad senatum: vehementer undique reclamatur. ne multa: iterum iste aliquanto post ad illos venit, quærit continuo de signo. respondetur ei, senatum non permittere, pœnam capitis constitutam, si injussu senatus quisquam attigisset: simul religio commemoratur. tum iste, quam mihi religionem narras? quam pœnam? quem Senatum? vivum te non relinquam: moriere virgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad Senatum refert istius cupiditatem minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus, perturbatusque discedit. ille à prætore accersitus nuncio, rem demonstrat, negat ullo modo fieri posse. atque hæc (nihil enim prætermittendum de istius impudentia videtur) agebantur in conventu palam, de sella, ac de loco superiore.

2. Erat hyems summa, tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, præcipitem in forum, dejiciant, nudumque constituant. Vix erat hoc planè etiam imperatum, cum illum spoliatum, stipatumque lictoribus videres. omnes ideo putabant, ut miser atque innocens virgis cæderetur. fefellit hæc homines opinio. virgis iste cederet sine causa Socium populi Rom. atque amicum? non usque eò improbus: non omnia sunt in eo uno vitia: nunquam fuit tam crudelis. Leniter hominem clementerque accepit. equestres sunt medio in foro Marcellorum statuæ, sicuti ferè cæteris in oppidis Siciliæ, ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cujus officia in illa civitate, totaque provincia recentissima erant, & maxima. in ea Sopatrum, hominem tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum, divaricari aut deligari jubet. quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, cum esset vinctus nudus in aëre, in imbri, in frigore. neque tamen finis huic injuriæ, crudelitatique fiebat, donec populus, atque universa multitudo atrocitate rei, misericordiaque commota, Senatum clamore coegit, ut ei simulacrum illud Mercurii polliceretur. clamabant fore, ut ipsi sese Dii immortales ulcisce-

discerentur, hominem interea perire innocentem non oportere. tum frequens Senatus ad istum venit, pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, cum jam pene obriguisset, vix vivus aufertur.

3. (*Exaggeratio ab adjunctis quid? & quis?*) Non possum disposite istum accusare, si cuipiam opus est non solum ingenio, verum & artificio quodam singulari: unum hoc crimen videtur esse, & à me pro uno ponitur: de Mercurio Tydaritano plura sunt: sed ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. est pecuniarum captarum, quòd signum à sociis pecuniæ magnæ sustulit: est peculatus, quòd publicè populi Rom. signum, de præda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitavit auferre: est majestatis, quod Imperii nostri, gloriæ, rerumque gestarum monumenta evertere, atque asportare ausus est: est sceleris, quòd religiones maximas violavit: est crudelitatis, quòd in hominem innocentem, in socium nostrum atque amicum, novum, ac singulare supplicii genus excogitavit. Illud verò quid sit, jam non queo dicere: quo nomine appellem, nescio: quòd in C. Marcelli statua. Quid est hoc? patronusnè quod erat? quid tum? quò id spectat? utrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium, atque hospitum valere debeat? an ut hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis præsidii nihil esse? quis hoc non intelligeret, improbi præsenti Imperio majorem esse vim, quàm in bonorum absentium patrocinio? an verò ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? detrahere videlicet aliquid te de magnitudine Marcellorum putasti: itaque nunc Siculorum Marcelli non sunt patroni, Verres in eorum locum substitutus est, quam in te tantam virtutem esse, aut dignitatem arbitratus es, ut conarere clientelam tam illustrem, tam splendidæ provinciæ traducere ad te, auferre à certissimis antiquissimisque patronis? tu ista stultitia, nequitia, inertia, non modo totius Siciliæ; sed unius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quærebas? quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? an verò id, quod accidit? nam Tyndaritani statuam istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi poni jusserat,

deturbarunt, simul ac successum isti audierunt. dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum judicem, ut cujus ad statuam Siculi de prætore alligabantur, ejus religioni te eundem vinctum astrictumque dedamus.

IMITATIO.

Huic narrationi Romani Martyres aliique crudelia à Tyrannis perpessi; ut D. Andreas multo tempore ex ligno suspensus, aut etiam ipsius Christi patientis historia non ineptè poterit accommodari.

III.

Historicum exemplum *de facinoribus Verris, per* adjuncta consequentia *exaggeratur.*

Cicero actione V. in Verrem ante medium.

1. *Attentionem à gravitate rei exponenda excitat, deinde exponit, quemadmodum Antiochus junior Rex Syriæ, Româ per Siciliam ad suos rediturus, à Verre per fraudem & vim, pretiosissimis rebus spoliatus fuerit.*

2. *Candelabrum pretiosissimum describit Iovi designatum, à Verre ablatum.*

3. *Ab adjunctis & consequentibus exaggerat facinoris gravitatem.*

4. *Q. Catulum judicem ad vindicandum scelus, deinde & judices reliquos, à facti sacrilegi & per comparationem amplificati turpitudine, inflammat.*

(*Narratio.*) Venio, Judices, non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ad ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi, atque inesse videantur: in quo Dii immortales violati, existimatio, atque auctoritas nominis populi Rom. imminuta, hospitium spoliatum, ac proditum, abalienati scelere istius à nobis omnes Reges amicissimi nationesque, quæ in eorum regno, ac ditione sunt: nam Reges Syriæ, Regis Antiochi filios pueros, scitis Romæ nuper

nuper fuisse, qui venerant, non propter Syriæ regnum: nam id sine controversia obtinebant, ut à patre & majoribus acceperant: sed regnum Ægypti ad se, & ad Selinem matrem suam pertinere arbitrabantur. hi postquam, temporibus populi Rom. exclusi, per senatum agere, quæ voluerant, non potuerunt: in Syriam in regnum patrium profecti sunt. Eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit: itaque isto prætore venit Syracusas. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est: quod in ejus regnum ac manus venerat is, quem iste & audierat multa secum præclara habere, & suspicabatur. mittit homini munera satis largè: hæc ad usum domesticum, vini, olei, quod visum erat: etiam tritici, quod satis esset, de his decumis, deinde ipsum Regem ad cœnam vocavit. exornat amplè, magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vasa argentea: namque hæc aurea nondum fecerat. omnibus curat rebus instructum, & paratum ut sit convivium. quid multa? rex ita discessit, ut & istum copiosè ornatum, & se honorificè acceptum arbitraretur. Vocat ad cœnam deinde ipse prætorem, exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est regius, & maximè in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata cum manubrio aureo: de qua, credo, satis idoneum, satis gravem testem Q. Minutium dicere audistis. iste unumquodque vas in manu sumere, laudare, mirari. rex gaudere prætori populi Rom. satis jucundum, & gratum illud esse convivium. Posteaquam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, quam id quod res ipsa declaravit, nisi quemadmodum regem ex provincia spoliatum, expilatumque dimitteret. mittit rogatum vasa ea, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait se suis cælatoribus velle ostendere. Rex, qui istum non nosset, sine ulla suspicione libentissimè dedit. mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle eam se diligentius considerare, ea quoque ei mittitur, nunc reliquum, judices attendite, de quo & vos audistis, & populus Rom. non nunc primum audiet, & in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est.

2. Candelabrum è gemmis clarissimis, opere mirabili

erfectum, reges hi, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio ponerent: quòd nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgò ostendere, ac proferre voluerunt. ut & magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Jovis Optimi Maximi poneretur; & clarius, cum pulchritudo ejus recens ad oculos hominum, atque integra perveniret. Statuerunt id secum in Syriam reportare, ut cum audissent simulacrum Jovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum cæteris rebus illud quoque eximium, atque pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. pervenit res ad istius aures nescio quomodo; nam rex id celatum voluerat: non quo quicquam metueret, aut suspicaretur, sed ut ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus Rom. iste petit à Rege, & cum pluribus verbis rogat, uti ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neque se aliis potestatem esse facturum. Antiochus, qui animo & puerili esset, & regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, ut id in prætorium involutum quam occultissime deferrent. quo posteaquam attulerunt, involucrisque rejectis constituerunt; iste clamare cœpit, dignam rem esse regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio: etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis, & plurimis gemmis esse debebat: ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copiâ eâ magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum; quod cum satis jam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait, se velle illud etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum, jubet illos discedere, & candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur. Rex primò nihil metuere, nihil suspicari. dies unus, alter plures: non referri. tum mittit rex ad istum: si sibi videatur, ut reddat. jubet iste posterius ad se reverti. Mirum illud videri, mittit iterum: non redditur, ipse hominem appellat, rogat, ut reddat. Os hominis, insignemque impudentiam cognoscite quòd sciret, quodque ex ipso rege audisset in Capitolio esse ponendum, quod Jovi Optimo Maximo, quod populo Romano servari videret, id ipsi ut donaret, rogare, & vehementer petere cœpit cum ille se & religione Jovis Capitolini, & hominum existimatione impediri diceret, quod multæ natio-

nationes testes essent illius operis; ac muneris, iste homini minari acerrime cœpit ubi videt eum nihilo magis minis, quam precibus permoveri: repente hominem de provincia jubet ante noctem discedere: ait se comperisse, ex ejus regno piratas in Siciliam esse venturos. Rex maximo conventu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicioni hominum arbitretur, in foro inquam Syracusis flens, Deos hominesque contestans, clamare cœpit, candelabrum factum è gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo, populo Rom. monimentum suæ societatis, amicitiæque esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse. De cæteris operibus ex auro, & gemmis, quæ sua penes illum essent, se non laborare: hoc sibi eripi, miserum esse & indignum: id etsi antea jam mente, & cogitatione sua, fratrisque sui consecratum esset: tamen tum se in illo conventu civium Rom. dare, dicere, donare, dicare, consecrare Jovi Optimo Maximo, testemque ipsum Jovem suæ voluntatis, ac religionis adhibere.

(*Exaggeratio ab adjunctis? quis? quid? & cur?*) Quæ vox? quæ vires hujus unius criminis querimoniam possint sustinere? Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium nostrorum biennium ferè comitatu regio, atque ornatu fuisset. is cum amicus & socius populi Rom. esset, amicissimo patre, avo, majoribus, antiquissimis ac clarissimis regibus, opulentissimo & maximo regno, præceps è provincia populi Rom. exturbatus est. quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum hujus tui facti famam in regna aliorum, atque in ultimas terras perventum putasti, cum audierint, à prætore populi Rom. in provincia violatum Regem, spoliatum hospitem, ejectum socium populi Rom. atque amicum? nomen vestrum populique Rom. odio atque acerbitati scitote nationibus exteris, judices, futurum, si istius hæc tanta injuria impunita discesserit. Sic omnes arbitrabantur, præsertim cum hæc omnino fama de nostrorum hominum avaritia, & cupiditate percrebuerit, non istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui approbarint. Multi Reges, multæ liberæ civitates, multi privati opulenti, ac potentes habent profectò in animo capitolium sic ornare, ut templi dignitas, imperiique nostri nomen desiderat, qui si in-

tellexerint, interverso regali hoc dono, graviter vos tulisse: grata fore vobis populoque Rom. sua studia, ac dona arbitrabuntur. Sin hoc vos in Rege tam nobili, in re tam eximia, in injuria tam acerba neglexisse audierint. non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas nobis gratas fore non arbitrentur hoc loco.

4. Q. Catule te appello: loquor enim de tuo clarissimo, pulcherrimoque monumento. non judicis solum severitatem in hoc crimine, sed propè inimici, atque accusatoris vim suscipere debes: tuus est enim honos in illo templo, Senatus populique Rom. beneficio: tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur. tibi hæc cura suscipienda, tibi hæc opera sumenda est, ut Capitolium, quomodo magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quàm fuit: ut illa flamma divinitus extitisse videatur, non quæ deleret Jovis Optimi Maximi templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret. Audisti Q. Minutium Rufum dicere, domi suæ diversatum esse Antiochum Regem Syracusis, se illud scire ad istum esse delatum, se scire non redditum. Audisti, & audies omni è conventu Syracusano, qui ita dicant, sese audientibus, illud Jovi Optimo Maximo dedicatum esse, ab Rege Antiocho, & consecratum. Si judex non esses, & hæc ad te delata res esset: te potissimum hoc persequi, te petere, & agere oporteret. Quare non dubito, quo animo judex hujus criminis esse debeas, qui apud alium judicem multò acrior, quam ego sum, actor, accusatorque esse deberes. Vobis autem, judices, quid hoc indignius, aut quid minus ferendum videri potest? Verresnè habuit domi suæ candelabrum Jovis Optimi Maximi è gemmis auroque perfectum? cujus fulgore collucere, atque illustrari Jovis Optimi Maximi templum oportebat, id apud istum in ejusmodi conviviis constituetur, quæ domesticis stupris, flagitiisque flagrabant? in istius lenonis turpissimi domo simul cum cæteris Chelidonis hæreditariisque ornamentis Capitolii ornamenta ponentur? quid huic sacri unquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in judicium veniat, ubi ne precari quidem Jovem Optimum Maximum, atque ab eo auxilium petere more omnium possit? à quo etiam Dii immortales sua repetunt in eo judicio, quod homini-

minibus ad suas res repetundas est constitutum. Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Junonem Sami, Pergæ Dianam, multos præterea ab isto Deos tota Asia, Græciaque violatos, qui à Capitolio manus abstinere non potuerit? quod privati homines de suis pecuniis ornant, ornaturique sunt, id C. Verres ab Regibus ornari non est passus. Itaque hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neque sacri, neque religiosi esse duxit. ita sese in ea provincia per triennium gessit, ut ab isto non solum hominibus, verùm etiam Diis immortalibus bellum indictum putaretur.

IMITATIO.

In templorum, hac ætate, violatores, qui ab illis candelabra aurea, argenteaque, ac vasa quæque pretiosissima, ad privatos thesauros, & domesticum luxum transtulere; tum singulatim etiam ad Balthasaris Babylonii regis factum exagitandum, qui templi Hierosolymitani vasis in convivio abusus fuit, hæc oratio imitanti serviet.

CAPUT XIII.

ACcedimus ad alterum narrationis genus, quod in singulis penè membris exaggerando immoratur, descriptionesque, ethopœias, hypotheses, prolepses, communicationes, aliasque figuras miscet. Quo in genere perquam illustre hoc est, quod in Verrem Actione VI. ante medium, de classe Rom. à piratis incensa ac damna inde nata habet, quod in alium locum differo, minus hic difficilia ad imitationem propositurus. Ac primo quidem à descriptione parva initium ducam; ut hanc historiis amplificandis adhibendam noveris. Qui prolixiores voluerit, adeat Catilin. 2. à n. 6. ad 11. & 17. ad 26. ubi variorum conjurantium descriptiones reperiet. Consulat eundem Tullium, in 1. gratiarum actione ad Quirites ubi populi & amicorum in se studia describit; tum altera etiam, ubi Gabinum & Pisonem perstringit acerrimè.

I. Exem-

I. Exemplum.

Deſcriptio *Catilinæ, hominis politici, ab adjunctis* quis? quid? & quomodo?

C. pro M. Cælio poſt exordium.

Habuit Catilina, ſicut meminiſſe vos arbitor, permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum, utebatur hominibus improbis multis: & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli ac laboris. flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam ſtudia rei militaris. Neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrariis, diverſisque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibuſq; conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effuſior? illa vero judices in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium pecuniâ, gratiâ, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audaciâ: verſare ſuam naturam, & tegere ad tempus, atque huc, & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſeverè, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè vivere. Hac ille tam varia, multiplicique natura, cum omnes omnibus ex terris homines improbos audaceſque collegerat: tum etiam multos fortes viros & bonos ſpecie quadam virtutis aſſimilatæ tenebat. neque unquam ex illo delendi hujus imperii tam ſceleratus impetus extitiſſet, niſi tot vitiorum tanta immanitas quibuſdam facilitatis, & patientiæ radicibus niteretur. Quare iſta conditio, judices, reſpuatur, nec Catiliniæ familiaritatis crimen hæreat: eſt enim commune cum multis, & cum quibuſdam etiam bonis:

nis: me ipsum, me, inquam, quondam penè ille decepit, cum & civis mihi bonus, & optimi cujusque cupidus, & firmus amicus, & fidelis videretur. Cujus ego facinora oculis prius, quàm opinione, manibus antè, quam suspicione deprehendi. Cujus in magnis catervis amicorum si fuit etiam Cœlius, magis est, ut ipse molestè ferat errasse se, sicut & nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei pœnitet, quàm ut istius amicitiæ crimen reformidet.

IMITATIO.

In descriptione hominis politici, ut Pilatus olim & Herodes fuere, qui simulatas cum vitiis virtutes miscebant, hæc oratio locum reperiet.

II.

Sacrilegium Verris facinus ab antecedentibus & adjunctis *variarum personarum* describitur & amplificatur.

Cicero in Verrem Actione V.

1. *A loci & religionis antiquitate simulacrum Dianæ commendat, quod à Pœnis ablatum P. Scipio Africanus Carthagine victa, Siculis, una cum tauro Phalaridis restituerat.*

2. *Verris in hoc simulacro flagitando cupiditatem atque injuriam, tum Segestanorum in eo dimittendo dolorem affectumq; exponit.*

3. *Docet Scipionis Africani nomen basi incisum, atque insigni istius familiæ contemptu sublatum, indignumque quod ex posteris P. Scipio adolescens Verri faveat.*

4. *Profitetur se in defectu Scipionum, illius familiæ tantiq; viri, qui & Romam ornavit, & causas in foro egerit, honorem propugnaturum.*

5. *Iudices P. Servilium & Q. Catulum à justa monumentorum defensione, quæ & ipsis aliquando prodesse queat, sibi conciliat, & contra Verrem accendit.*

Narra-

Narratio cum exaggeratione mixta ab adjunctis quis? quid? quibus auxiliis? & cur?

1. Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, Judices, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente conditum esse demonstrant, itaque Segestani non solum perpetua societate, atque amicitia, verùm etiam cognatione cum populo Rom. conjunctos esse arbitrabantur. Hoc quondam oppidum, cum illa civitas cum Pœnis suo nomine, ac sua sponte bellaret, à Carthaginensibus vi captum atque deletum est, omniaque quæ ornamenta urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tum summa, atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere, artificioque perfectum; hoc translatum Carthaginem, locum tantum, hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat: nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna, quàm sanctissimè colerent, videbatur. Aliquot seculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit. qua in victoria (videte hominis virtutem, & diligentiam, ut & domesticis præclarissimæ virtutis exemplis gaudeatis, & eo majore odio dignam istius incredibilem audaciam judiceris) convocatis Siculis omnibus, quod diutissimè sæpissimèque Siciliam vexatam à Carthaginensibus esse cognorat, jubet omnia conquiri, sibi pollicetur magnæ curæ fore, ut omnia civitatibus, quæ cujusque fuissent, restituerentur. tum illa, quæ quondam fuerant Himera sublata, de quibus antea dixi, Thermitanis sunt reddita, tum alia Gellensibus, alia Agrigentinis, in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium Tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines & subjicere flammam solebat. quem taurum Scipio cum redderet Agrigentinis, dixisse dicitur, æquum esse illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suisne servire, an populo Romano obtemperare, cum idem monimentum, & domesticæ crudelitatis, & nostræ mansuetudinis haberent? illo tempore Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana, de qua diximus, redditur: reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus, summa cum gratulatione civium, & lætitia reponitur. Hæc erat posita Segestæ, sanè

ſanè excelſa in baſi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat inciſum, eumque Carthagine capta reſtituiſſe perſcriptum. Colebatur à civibus: ab omnibus advenis viſebatur, cum quæſtor eſſem, nihil mihi ab iis eſt demonſtratum prius. erat admodum amplum, & excelſum ſignum cum ſtola: veruntamen inerat in illa magnitudine ætas; atque habitus virginalis: ſagittæ pendebant ab humero: ſiniſtra manu retinebat arcum, dextera ardentem facem præferebat.

2. Cum iſte ſacrorum omnium hoſtis, religionumque prædo vidiſſet: quaſi ipſa face percuſſus eſſet, ita flagrare cupiditate atque amentia cœpit, imperat magiſtratibus iſte, ut Deam demoliantur & ſibi dent: nihil ſibi gratius oſtendit futurum. Illi verò dicere, id ſibi nefas eſſe, ſeque cum ſumma religione, tum ſummo metu legum, & judiciorum teneri. iſte tum petere ab illis, tum minari, tum ſpem, tum metum oſtendere. opponebant illi interdum nomen Africani: donum populi Rom. illud eſſe dicebant: nihil ſe in eo poteſtatis habere, quod Imperator chariſſimus, urbe hoſtium capta, monimentum victoriæ populi Rom eſſe voluiſſet: cum iſte nihilo remiſſius, atque etiam multo vehementius inſtaret quotidie, res agitur in Senatu: vehementer ab omnibus reclamatur: itaque illo tempore, ac primo iſtius adventu pernegatur. Poſtea quidquid erat oneris in nautis remigibuſque exigendis, in frumento imperando, Segeſtanis præter cæteros imponebat aliquanto amplius, quam ferre poſſent. præterea Magiſtratus eorum evocabat: optimum & nobiliſſimum quemque ad ſe accerſebat: circum omnia provinciæ fora rapiebat: ſigillatim unicuique calamitati fore ſe denuntiabat: univerſam ſe funditus illam everſuram eſſe civitatem minabatur. itaque aliquando multis malis, magnoque metu victi Segeſtani, prætoris imperio parendum eſſe decreverunt. magno cum luctu, & gemitu totius civitatis, multis cum lachrymis, & lamentatione virorum, mulierumque omnium ſimulacrum Dianæ tollendum locabatur. vide quanta religione fuerit. apud Segeſtanos repertum eſſe, judices, ſcitote neminem, neque liberum, neque ſervum, neque civem, neque peregrinum, qui illud ſignum auderet attingere: barbaros quoſdam Lilybæo ſcitote advocatos eſſe operarios:

hi

hi denique illud, ignari totius negotii, ac religionis mercede accepta sustulerunt. quod cum ex oppido exportaretur, quæ conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam istum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana, Segestam Carthagine revecta victoriam populi Rom. reditu suo nuntiasset. Quàm dissimilis hic dies illi tempori videbatur: tum Imperator populi Rom. vir clarissimus, Deos patrios reportabat Segestanis, ex urbe hostium recuperatos; nunc ex urbe sociorum prætor ejusdem populi turpissimus, atque impurissimus eosdem illos Deos nefario scelere auferebat. Quid hoc tota Sicilia est clarius, quàm omnes Segestanas matronas & virgines convenisse, cum Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis & floribus? thure odoribusque incensis usque ad agri fines prosecutas esse? hanc tu tantam religionem, si tum in Imperio propter cupiditatem, atque audaciam, non pertimescebat, ne nunc quidem in tanto tuo, liberorumque tuorum periculo perhorrescis? quem tibi aut hominem, invitis Diis immortalibus, aut verò Deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas? tibi illa Diana in pace, atque in otio religionem nullam attulit? quæ cum duas urbes, in quibus locata fuerat, captas incensasque vidisset, his ex duorum bellorum flamma ferroque servata est: quæ Carthaginensium victoriâ loco mutato, religionem tamen non amisit: P. Africani virtute religionem simul cum loco recuperavit.

3. Quo quidem scelere suscepto, cum inanis esset basis, & in eo P. Africani nomen incisum, res indigna atque intoleranda videbatur omnibus, non solum religiones esse violatas, verum etiam P. Africani, viri fortissimi, rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monimenta victoriæ C. Verrem sustulisse. Quod cum isti renunciaretur de basi, ac literis, existimavit homines in oblivionem totius negotii esse venturos, si etiam basim tanquam indicem sui sceleris sustulisset, itaque tollendam istius imperio locaverunt. quæ vobis locatio ex publicis Segestanorum literis priore Actione recitata est. Te nunc P. Scipio, te inquam lectissimum, ornatissimumque adolescentem appello, abs te officium tuum debitum generi, & nomini, requiro, & flagito. Cur

pro

pro isto, qui laudem honoremque familiæ vestræ depeculatus est, pugnas? cum eum defensum esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? cur M. Tullius P. Africani monimenta requirit? P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit? cum mos à majoribus traditus sit, ut monimenta majorum ita suorum quisque defendat, ut ea ne ornari quidem nomine alieno sinat: tu isti aderis, qui non obtrivit aliqua ex parte monimenta P. Scipionis, sed funditus sustulit ac delevit? quisnam igitur per Deos immortales tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? quis monimenta atque indicia virtutis, si tu ea relinquis, ac deseris? neque solum spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorem, vexatoremque defendes, adsunt Segestani clientes tui, sociique Populi Romani atque amici: certiorem te faciunt. P. Africanum Carthagine deleta simulacrum Dianæ majoribus suis restituisse, idque apud Segestanos ejus imperatoris nomine positum, atque dedicatum fuisse, hoc Verrem demoliendum & asportandum, nomenque omninò P. Scipionis delendum, tollendumque curasse: orant te, atque obsecrant, ut sibi religionem, generi tuo laudem, gloriamque restituas; ut quod ex urbe hostium per P. Africanum recuperarint, id per te ex prædonis domo conservare possint: quid aut his respondere honestè potes, aut illi facere, nisi ut te, ac fidem tuam implorarent? adsunt & implorant. potes domesticæ laudis amplitudinem Scipio tueri: potes, omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. non præcerpo fructum officii tui: non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione, florentissimo adolescente, vivo ac incolumi me propugnatorem monumentum P. Scipionis defensoremque profiteri.

4. Quamobrem si suscipis domesticæ laudis patrocinium, me non solum silere de vestris monimentis oportebit, sed etiam lætari, P. Africani ejusmodi esse fortunas mortui, ut ejus honos ab iis, qui ex eadem familia sint, defendatur neque ullum adventitium requiratur auxilium. Sin istius amicitia te impediet: si hoc, quod abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere: succedam ego vicarius tuo muneri: suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar. ne ista præclara nobilitas desinat queri, populum Rom. hominibus

novis, atque industriis libenter honores mandare, semperque mandasse. Non est quærendum, ita ea civitate, quæ propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse. Sit apud alios imago P. Africani: ornentur alii mortui virtute, ac nomine talis ille vir fuit, ita de populo Rom. meritus est, ut non uni familiæ, sed universæ civitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars virilis, quod ejus civitatis sum, quam ille amplam, illustrem, claramque reddidit: præcipuè quod in his artibus pro mea parte versor, quarum ille Princeps fuit, æquitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum, quæ cognatio studiorum & artium propemodum non minus est conjuncta, quàm ista, qua vos delectamini, generis & nominis. Repeto abs te Verres monimentum P. Africani causam Siculorum, quam suscepi, relinquo: judicium de pecuniis repetundis non sit hoc tempore: Segestanorum injuriæ negligantur: basis P. Africani restituatur: nomen invictissimi Imperatoris incidatur: signum pulcherrimum Carthagine capta recuperatum, reponatur. Hæc abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant, sed is, qui laudem gloriamque P. Africani tuendam, consecrandamque suscepit.

5 Non vereor, ne hoc officium meum P. Servilio Judici non probem: qui cum res maximas gesserit, monimentaque suarum rerum maxima constituat, atque in his elaboret: profectò volet non solum suis posteris, verum etiam omnibus viris fortibus, & bonis civibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor, ne tibi Q. Catule displiceat, cujus amplissimum in orbe terrarum, clarissimumque monimentum est, quamplurimos esse custodes monimentorum, & putare omnes bonos alienæ gloriæ defensionem ad officium suum pertinere. Et quidem cæteris istius furtis ac flagitiis ita moveor, ut ea reprehendenda putem: hic verò tanto dolore afficior, ut nihil mihi indignius ferendum videatur. Verres Africani monimentis domum suam, plenam stupri, plenam flagitii, plenamque dedecoris, ornabit? Verres temperantissimi sanctissimique viri monimentum, Dianæ simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricum lenonumque flagitia versantur.

IMI.

IMITATIO.

In exagitandis sacrilegiis Iconomachorum, vel prisci, vel hujus etiam avi hominum, qui tum auri argentique cupiditate ducti, tum prisca religionis inflammati odio, nec effigies quidem Salvatoris in templis ad ipsius memoriam frequentandam passi sunt, qui tamen levium etiam mulierculararum secum esse patiuntur imagines, hic locus imitanti poterit deservire. Exempla nobis totus Septentrio luculenta suppeditat.

III.

Crudelitatis in Verre exemplum, ab uno *potissimum* adjuncto, *quod civem Romanum necarit, per* comparationes, *amplificatum.*

Cicero Actione VI. in Verrem, circa finem.

1. *Singulare crudelitatis exemplum pathetice describit, & facti exempli comparatione extollit.*

2. *Adjunctum facti, quod nempe in opprobrium Rom. nominis cederet, comparatione disparium, atque ex minore amplificat.*

Narratio exaggerata per adjuncta quis? quid? & quomodo?

1. Quid ego de P. Gavio Cossano municipe dicam, judices? aut quâ vi vocis, quâ gravitate verborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me non deficit: ut cætera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo suppetant; magis elaborandum est, quod crimen ejusmodi est, ut cum primum ad me delatum est, usurum me illo non putarem: tametsi enim verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar, coactus lachrymis omnium civium Roman. qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum hominum honestissimorum, testimoniis, omniumq; Rhegino-

tum, multorum equitum Rom. qui casu tum Messanæ fuerunt, dedi tantum priore actione testium, res ut nemini dubia esse posset. quid nunc agam? cùm jam tot horas de uno genere, ac de istus nefaria crudelitate dicam, cum prope omnem vim verborum ejusmodi, quæ scelere istius digna sunt, aliis in rebus consumpserim, neque hos providerim, ut varietate criminum vos attentos tenerem, quemadmodum de tanta re dicam? opinor unus modus, atque una ratio est. rem in medio ponam, quæ tantum habet ipsa gravitatis, ut neque mea, quæ nulla est, neque cujusquam ad inflammandos vestros animos eloquentia requiretur. Gavius hic, quem dico; Cossanus, cum illo in numero, ab isto in vincula conjectus esset, & nescio, quâ ratione clam è latomiis profugisset, Messanamque venisset: qui prope jam Italiam, & mœnia Rheginorum videret, & ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis, & odore aliquo legum recreatus revixisset, loqui Messanæ cœpit, & queri, se civem Rom. in vincla esse conjectum, sibi rectâ iter esse Romam, Verri se præsto advenienti futurum. non intelligebat miser, nihil interesse, utrum hæc Messanæ, an apud ipsum in prætorio loqueretur. Nam ut antè vos docui, hanc sibi iste urbem delegerat, quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius. eoque ipso die casu Messanam Verres venit. res ad eum defertur, esse civem Romanum, qui se Syracusis in latomiis fuisse quereretur; quem jam ingredientem navem, & Verrem nimis atrociter minitantem, à se retractum esse, & asservatum, ut ipse in eum statueret, quod videretur. Agit hominibus gratias, & eorum erga se benevolentiam, diligentiamque collaudat. Ipse inflammatus scelere, & furore in forum venit, ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat: expectabant omnes, quò tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cùm repentè hominem proripi, atq; in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet: clamabat ille miser, se civem esse Roman. municipem Cossanum, meruisse se cum L. Pretio splendidissimo equite Romano, qui Panormi negotiaretur, ex quo hæc Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam à ducibus fugitivorum esse missum: cujus rei neque index, neque vestigium

ſtigium aliquod, neque ſuſpicio cuiquam eſſet ulla. Deinde jubet undique hominem proripi, vehementiſſimè verberari. Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Romanus, judices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miſeri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, niſi hæc, civis Romanus ſum. hac ſe commemoratione civitatis omnia verbera depulſurum, cruciatum à corpore dejecturum arbitrabatur. is non modo hoc, non perfecit, ut virgarum vim, cruciatumque deprecaretur; ſed cum imploraret ſæpius, uſurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici & ærumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur. ô nomen dulce libertatis! ô jus eximium noſtræ civitatis! ô lex Porcia, legeſque Semproniæ! ô graviter deſiderata, & aliquando reddita plebi Roman. tribunicia poteſtas! huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani faſces, & ſecures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? quid, cum ignes, candenteſque laminæ, cæterique cruciatus admovebantur? ſi te illius acerba imploratio & vox miſerabilis nō inhibebat, ne civium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu & gemitu maximo commovebare? in crucem tu agere auſus es quemquam, qui ſe civem Romanum eſſe diceret? ſi tu apud Perſas, aut in extrema India deprehenſus Verres ad ſupplicium ducerere, quid aliud clamitares, niſi te civem eſſe Romanum? niſi tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus poſitos, nobile & illuſtre apud omnes nomen tuæ civitatis profuiſſet: ille, quiſquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi eſſet ignotus, cum civem ſe Romanum eſſe diceret, apud te prætorem, ſe non effugium, ne moram quidem mortis mentione atque uſurpatione civitatis aſſequi potuit? Homines tenues, obſcuro loco nati, navigant, adeuntque ad ea loca, quæ nunquam antea adierant, ubi neque noti eſſent, quò venerunt, neque ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt: hac unâ tamen fiduciâ civitatis non modo apud noſtros magiſtratus, qui legum, & exiſtimationis periculo continentur: neque apud cives ſolum Romanos, qui & ſermonis & juris, & multarum rerum ſocietate conjuncti ſunt, fore ſe tutos arbitrantur; ſed quocunque venint, hanc ſibi rem præſidio ſperant

etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa, & ad scopulos hæc conqueri & deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate commoverentur. Nunc verò cùm loquar apud senatores populi Rom. Legum judiciorumque & juris auctores, timere non debeo, ne non unus iste civis Roman. illâ cruce dignus, cæteri omnes simili periculo indignissimi judicentur. Paulò antè, judices, lacrymas in morte misera atque indignissima navarchorum non tenebamus, & rectè ac meritò sociorum innocentium miseria commovebamur: quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? nam civium Rom. omnium sanguinis conjunctus existimandus est, quoniam id & salutis omnium ratio, & veritas postulat. omnes hoc loco cives Rom & qui adsunt & qui ubicunque sunt, vestram severitatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt: omnia sua jura, commoda, auxilia, totam denique libertatem in vestris sententiis versari arbitrantur.

IMITATIO.

Hæc res ad crudelitatem Iudæorum imprimisque Caiphæ Pontificis in Christi discipulorumque ejus persecutione, ac nece crudelissima Domini sese meritò Regem Iudæorum prædicantis, usurpatam, paribus coloribus adumbrandum, valebit. At si magis lubeat, in alterius etiam Tyranni immanitate, erga Martyres Christi describenda serviet.

Appendix & Observatio.

Hoc exercitium ut inter prima oratoria facillimum, hâc, quâ præivimus, viâ adhibendum erit, & primò expositâ facti historiâ subiicienda amplificatio, deinde & immiscenda. Poterítque etiam Declamationibus aptari menstruis; ita ut principio historicus tanquam ex pulpito factum deponat. Deinde hinc certa adjuncta suas induta personas; inde quædam etiam illustriores figuræ, suam ad hoc factum, vel extollendum, vel deprimendum symbolam conferant. Hoc enim schema faciet ad firmandam adolescentum apprehensionem, ut intelligant, quid Orator ab Historico differat, illíque ornamentorum adferat, tum tu promptum deinde illis

de illis sit, paria sectari. nec inamœno hæc spectaculo objici auditori simul & spectatori possunt. Ut, e. g. Factum sit: quod hæreticus Iconomachus dejecerit in templo imaginem crucifixi. Historicus hoc recitet. Orator personam, *quis*? advocet tanquam in præsidium suæ causæ, quam contra adversarium hæreticum tueatur: quæ sit ipse *Christus*, qui cum sibi hanc injuriam irrogati tradiderit, poterit hypothyposis subjicere oculis facti modum, atque ex opposito describere, quas domi Bacchi ac Veneris imagines in conclavi asservet, quibus improbè delectetur, cum Servatoris sui ferre non sustinuerit. Adsit & pro adjuncto *quid*. templis proscripta Religio, cultumque suum ac morem pristinum cum præsenti squalore & vastitate conferat. Cui Ethopœja vel etiam Prosopopœja, aut Apostrophe suffragetur. Orator verò illa adjuncta, figurasque, quæ in scena commodè exhiberi nequeunt, aut si quam inter se connexionem requirat oratio, hanc ipse velut scenæ hujus director interponat. Talis enim rei amplificandæ imago, semel animis adolescentum impressa, (ut nova & rara quæque, præterquam quod delectent, hærent tenacissimè) facilem deinde rerum ornandarum apprehensionem suppeditabant. Hi quidam puerilis & adhuc nascentis Eloquentiæ lusus sunt, & crepundia, quæ illæ concedenda videntur, dum adultior ad maturiora se transferat.

CAPUT XIV.

De confirmatione orationis ejusque inventione universim.

CONfirmationem denique, quæ cor ipsum, ut sic dicam, sanguinemque ac vitam orationis complectitur, accedimus. Hæc cum in triplici dicendi genere, demonstrativo, deliberativo, & judiciali versetur, singulorumque generum plures formæ sint, exempla omnium tradere longum sit, & fortè supervacaneum; quod is, qui in præcipuis dicendi formis probè exercitatus fuerit, in cæteris rudis cespitansque hærere non possit. Sed neque selecta veterum optimorumque in quibuscunque autorum exempla suppetunt. reliquis autem ex præsenti instituto non lubet immorari, nostra

suo

suo loco, in proprias Exercitationes divisa, seorsim dabimus. non enim priscis hæc lubet inserere

De inventione ad quodvis scribendi genus formamque lib. 1. providimus. Satis, ut opinor, non omnino rudibus: nam rudibus nunquam futurum est satis. iisdem etiam de fontibus prompsimus omnibus: ne inveniendi via vel stupidissimum lateret. Varietas enim in ipsa præceptorum multitudine confundit. Regiâ ad plures urbes viâ, citra errorem, tenditur.

Illud tamen hoc loco tardioribus universè suggeram, quod hærentes sterilesque ad inveniendum animos juvare possit.

1. Inventam cujusque rei ex aliquo fonte rationem & argumentum per *omnes* rursum *fontes* locorum intrinsecorum expendi posse. Ut in exemplo quo ad ebrietatem dissuadendam usi lib. 2. sumus, accipe hanc ex fonte 3. rationem, quod ebrietas *turpis* sit. Videbitur hæc fortassis sterilior, quàm ut pluribus diduci ornarique possit. Sunt enim aliæ rationes aliis longè fœcundiores, ut hic esset si ebrietatem *noxiam* ex eodem loco diceres. Age igitur, & per omnes rursum fontes minus fertilem rationem irriga. Quære, quid turpido sit; & reperies, quod sit *morum quædam difformitas, quæ à recta ratione legibusque recedat. Deo hominibusque ingrata & despecta*, quæ si expendas singula, si suis enumeres partibus, in sterili prorsus arena non desudabis. Deinde ad ejusdem turpitudinis causas indagandas transi; ut est *impellens perditorum hominum societas, vilis est haustu voluptas, abjectus in ventris servitium animus*; quæ aliaque ex re præsenti nata se offerent, ac turpitudinis gravitatem haud leviter extollent. Discute sub hæc turpis ejusmodi vitæ attributa quemadmodum *homines ad gloriam nato indigna, planè ignobilis ac bestialis sit, Deo invisa, hominibus odiosa, familiæ universæ ignominiosa, &c.* Quartò effecta perpende quemadmodum *ad honesta officia in republ. præcludat aditum, cæteras virtutes in homine obscuret, ad vitia, profligatâ semel famâ, contempto omni dedecore viam sternat.* Denique adjuncta sese etiam plura ex cujusque hominis loci ac temporis conditione, facilè in calamum affundent, ut minimè infœcundam esse scriptionem patiantur.

2. Hæc totidem penè argumentorum copiâ, per *contra-*

ria exornare, ac diducere poteris, ut quàm *præclarum honorificumque sit, rectæ rationi legibusque conformem vitam ducere, Deo hominibusque probari, &c.* Quanquam nonnunquam ab his abstinendum, ne affectatè nimium opposito ubique quæsita videatur. Quæ enim rara, hæc eadem non nimium frequentia esse possunt.

3. Ad *thesin* communemque etiam locum, fœcundum plerumque ac latè patentem, se potest Orator effundere. Ut, *quæ qualisque homini sit ratio honestatis habenda, tam in politica, quàm Christiana vita, quemadmodum dedecus ac turpitudo omnis fugienda? cùm præcipuum hujus vitæ bonum honestas sit; præ qua non modo opes omnes contemnendæ sint, verùm* & ipsa quandoque vita sit profundenda. Hæc enim evidenter demonstrata, facilem deinde ad ebrietatis turpitudinem dissuadendam viam sternunt. Ut quandoque ex his principiis, & veluti capitibus fontium orationem irrigare, non modo laudabile, sed & necessarium sit, cùm veritati universim cognitæ, facilè in singularibus minus exploratis assensus præbeatur.

4. *Per remotionem factorum aut causarum* ingens quoque disserendi æquor panditur. Quod in præsenti quidem materia angustius, alibi tamen latè funditur. Dices ebrietatis turpitudini deditum, *nihil arduum, præclarumque sive in privata familia, sive in republ. moliri, non tangi sui nominis, non posteritatis ac gentis suæ gloria. Si administranda res familiaris, & publica sit, si consilium in re dandum ancipiti, si cum fame sitique confligendum, si hostium machinationibus occurrendum, nihil generoso ac forti dignum viro aggredi. sui ventris curæ intentum, &c. ac vile abdominis mancipium.* In hoc tamen discursu cavendum est, ne illa removeas, quæ convenire non possent. Ut si de rustico ebrietati dedito assereres, iter sibi ad regiam dignitatem præcludere; cùm nec sobrius quidem ejus spem habiturus esset. Cæterùm hæc causarum remotio per omnes sese fontes, non minus quàm rationes aliæ, earumque contraria possunt explicare.

5. Per *comparationes à pari, vel dispari* sumptas ejusmodi quoque ratio ornari amplificarique poterit. *Adducantur hic, e. g. parentes, aut majores prodigi hominis, cum summa honestate atque existimatione, tum etiam facultatem incremento sobriam agentes vitam. vel secum conferatur, aut in cæteris actio-*

actionibus cum honore susceptis, aut in vita praeterita temperantius acta: aut cum aliis hac potandi consuetudine ad gravem ignominiam prolapsis; aut moderâ vita ad magnam dignitatem emergentibus. Utrumque enim oppositorum in contentionem hanc adduci solet. Quanta hinc scribendi copia ornatusque affluat, & datis supra exemplis, & pluribus infra tradendis constabit.

Hæc aliaque si ex locis communibus per *similia, exempla, testimonia, apophthegmata, symbola heroum, ritus gentium, legesque* illustrentur, quæ poterit tandem deesse scribenti materia? Quare de inveniendi ratione generalem hanc instructionem concludimus. Singularia argumenta, quæ in formis orationum diversis se offerunt, breviter in lib. 1. tradidimus. Quorum nonnulla in ipsa praxi deducta suis modò exemplis accipies.

CAPUT XV.

De confirmatione orationis in genere demonstrativo, sive exornativo, cum subjectione exemptorum ad laudem Attributorum spectantium.

CUm in genere dicendi epidictico, sive exornativo, laus & vituperatio dominetur, rerum autem laudatarum, seu reprehendarum species duæ sint præcipuæ, qualitates nimirum, sive attributa rerum, tum deinde ipsæ substantiæ. De quibus lib. 1. c. 6. 7. & 8. disserui fusius, ratione inveniendi universè præscripta. Illa ante omnia, lectorem velim recolere, ac deinde in singularibus hisce exemplis, quæ utriusque generis plura dedi quemadmodum his optimi autores usi sint, observare; ac denique, in quo proficiendi ratio præcipua sistitur, imitatione exprimere. A qualitatibus sive attributis ordior, quia magis in sensum notitiamque nostrum incurrunt, ad substantias deinde harum nobis beneficio cognitas transiturus. Simul adjiciam, ex quibus res quæque potissimum locis, aut probetur, aut amplificetur. Cum Oratores plerique fontes maximè copiosos, cæteris, vel præteritis, vel obiter tantum libatis, adire soleant. Sæpe uno alterove, ne in immensum crescat oratio, ad suum institutum

contenti

contenti. Non enim quantum quisquis argumentorum verborumque, sed quàm ad persuadendum idonea, validaque depromat, Oratoris interest. Sat dixit, qui persuasit, nunquam satis, etiamsi diem impleat, qui hoc dicendo non est assecutus. si usquam huic locus sententiæ sit, est in oratione, *Sat multùm, si sat bene.*

In laude Attributorum, unum de Musica, alterumque de Amicitia exemplum brevius, tertium verò de Eloquentia aliquantò longius induxi, in quo ipsius eloquentiæ qualitates & adjuncta, tum etiam affectus à Cicerone diversis locis expenduntur: stylo tamen humiliori, sed à principiis novi oratoris non alieno.

Exemplum I.

Laus Musicæ temperatæ ab origine & effectis. Tyrius diss. 21.

1. *Musica cælestis* origine *commendatur, rejecta molli illa voluptatis Magistra.*

2. *Musica inter homines rectè instituta, ad affectus, vel languentes excitandos, vel efferatos moderandos reperta est, ut Orphei & Amphionis & Themistoclis exemplo traditur.*

Nunc de Musica, ut instituimus, quæ omnium animi disciplinarum antiquissima est, quæ par videntur, dicamus. Eam nimirum & singulis hominibus, & totis conducere urbibus, quibus Deorum munere exercitium ejus est concessum. Non de ea nunc ago, quæ tibiis, aut cantiunculis, aut pedum motibus, aut sola vocis inflexione, sine verbis, animum penetrat: nec aliud quàm aurium voluptatē habet, cur celebretur. Hanc enim amplexa esse videtur animi humani corruptio, dum jucunditatis sequitur speciem, & ut gratificetur sibi veram illam spuriam illegitimamque mutuasse Musicen. Hodie certè ex nostris sublata est oculis: positaque antiqua illa sinceraque sua pulchritudine, imponit nobis.

Sicut columba fictus haud verus, nitor.

Nescimus enim solam Musicæ imaginem esse, quàm retinuimus, veramque illam Heliconiam Musam habere falsò nos

nos arbitramur, quæ amica Homeri, magistra Hesiodi, Orphei mater fuit. Cum neque habeamus eam, neque imbuti eâ simus. Hinc illegitima usurpatio paullatim sese insinuans, nostrum cum publicè, tum privatim in errorem hunc pertraxit animum! Ex quo Dores, qui Siciliam incolunt, simplicem illam agrestemque Musicen, quâ inter greges suos pecudesque utebantur, domi reliquerunt, ac pro ea tibias Sybariticas amare, ad Ionicas saltare cœperunt. Atque ita dementiores, ut levissimè dicam, aut ut verius, intemperantiores facti sunt. Antiqua Atheniensium Musica, nihil aliud, quàm chori puerorum virorumque erant, & agricolæ in populos divisi, qui adhuc à semente sua & messe sordidi, incomposita quædam & extemporanea canebant carmina. Ab his cum animus ad scenicam pau'atim & theatralem artem, quæ res voluptatem prorsus habet insatiabilem, deflecteret, hoc corrumpendæ fuit reipublicæ principium. At vera illa harmonia, quam Musarum canit chorus, dux earum inchoat Apollo, animum in statu suo retinet, domum conservat, conservat navem, conservat exercitum. Quod si Pythogoræ, ut par est, credimus, cœlum quoque modulationem edit. Non quod ut lyra pulsetur, aut infletur ut tibia: sed quod circuitu suo, divina illa, Musicaque in eo sunt corpora, congruo aptoque motu cœlestem quandam excitent harmoniam. Cujus quidem elegantiam Dii sentiunt, nos verò non item: vel quod tanta ejus sit excellentia, vel quod tanta sit nostra imbecillitas. Nec aliud occultè innuere Hesiodus voluit, cum Heliconem quendam statuit Musarum, divinosque choros, præsidem, sive solem facit, sive Apollinem, sive quocunque nomine clarissium illum ignem, qui in hac harmonia agit principem, appellare libuerit.

At verò humana illa nostra, quæ circa animum versatur, quid aliud est, quam custos ejus & magistra: quæ affectibus præest illius, ut si qui nimium se efferant, & exultent, eos demulceat: si qui remissi nimium, & dissoluti sint, eos exacuat denuò exciteque? Hæc est, quæ facillimè luctum levat, facillimè iram cohibet, optimè cupiditates temperat, dolores mitigat, amores solatur, adversam sublevat fortunam. Optima hæc in sacrificiis comes, in epulis convictrix, imperatrix in bello. Hæc est, quæ maximè in festis reficit, Bacchanalibus saltat, in mysteriis afflat homines. Hujus præcipuum

quo-

quoque opus est, modulatione sua aptè rempubl. temperare. Ita agrestes Bœotorum mores tibiæ studium, tibiæque aptatum Pindari carmen mitigavit. Sic Tyrtæi numeri Spartanos, Argivos, Telesillæ modi, Lesbios Alcæi cantus excitarunt. Sic & Polycratem Samiis mitiorem reddidit Anacreon, ejusque tyrannidi Smerdiæ amorem, Cleobuli comam, tibiasque Bathylli, & Ionicos immiscuit cantus. Jam antiquiora his quid attinet dicere? celeberrimus ille Orpheus, Oeagri & Calliopes ipsius dicitur fuisse filius: qui in Thraciæ monte Pangæo natus putatur. Hunc Thracum populi incolunt, quos Odrysos dicunt, homines agrestes, latrociniis addicti, inhospitales. Solâ tamen cantus voluptate deliniti, Orpheum tanquam ducem secuti sunt Odrysi. Hoc erat videlicet quercus & fraxinos ducere. Feritatem enim ignobilem eorum, quos hac capi voluptate videbant, inanimi contulerunt corpori Poëtæ. Alius in Bœotia citharœdus erat præstantissimus, cujus artem non saxa, ut fabula vult, sequebantur (quomodo enim cantu strui posset murus?) sed bellica militarique modulatione in acie Bœoticam juventutem ordinabat: atque ita inexpugnabili muro Thebas cingebat. Qualem & apud Spartiatas suos excogitavit Lycurgus, qui tibiam pro duce militari juventuti in prælio præire voluit. Illi ponè sequebantur, & tripudiantes hostem invadebant. Talis fuit & Themistoclis tibia, qua ipsas Athenas in naves deduxit: ubi ad tibiæ modos remigabant alii; alii pugnabant: utrique vincebant. Huic choro Eleusiniæ applaudebant Deæ. Hinc tot illa victoriarum monumenta: Hinc Laconica Atticaque trophæa mari terraque parta, cum inscriptionibus pulcherrimis erecta fuerunt. In hoc choro Lacedemonii vincebant, hunc Leonides ducebat. Quid autem pluribus opus est, aut de Musica ultra agimus? Cum optima pacis administra, optima belli comes: optima Reipublicæ socia, optima puerorum nutrix. Omnium namque sensuum velocissimus auditus est, omnium celerrimè, quæ percipit, animæ communicat, suisque eam convenire ac consentire cogit affectionibus. Quo fit ut animi vera à Musica aliena, quippe quamvis voluptatis pro ea amplectuntur speciem nunquam rectæ legis fiant participes.

IMI-

IMITATIO.

Serviet si quem ad Musices studium coneris impellere, aut aliquem artis illius peritum dignis laudibus extollere. ab universo enim genere ad singulas transire species, aut personas illi studio addictas licet.

II.

Laus Amicitiæ: à natura, effectis & contrario. *Lælius apud Cic. de Amicit.*

In exordio definit amicitiam, quam in virtute, fundari asserit, eamque multas opportunitates habere.

Probat 1 *ex commodis solatiisque, quæ amicus ab amico in omni fortuna percipit, cum in illo, tanquam altero se, acquiescat.* Probat 2 *à contrario. Vbi enim sublata amicitia est, dissensionibus Respubl. turbantur.* Probat 3. *Ex consensu mortalium omnium, qui fidam amicitiam magni faciunt.*

Lælius ad Fannium & Scævolam.

1. Amicitia nihil est aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum, cum benevolentia & caritate summa consensio. quá quidem haud scio, an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit à Diis immortalibus datum. divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. belluarum quidem hoc extremum est: illa autem superiora incerta & caduca, posita non tam in nostris consiliis, quàm in fortunæ temeritate. qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclarè illi quidem; sed hæc ipsa virtus amicitiam gignit; & continet: nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. jam virtutem ex consuetudine vitæ, sermonisque nostri interpretemur; nec metiamur eam, ut quidam docti, verborum magnificentia; virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est: eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere.

Principio, quis potest esse *vitâ vitalis*, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? quid dulcius quàm habere quocum omnia audeat sic loqui, ut secum? quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ac tu ipse, gauderet? adversas verò ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius, quam tu, ferret. denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus fere singulis; divitiæ, ut utare; opes, ut colare, honores, ut laudere; voluptates ut gaudeas; valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis, amicitia plurimas res continet; quoquo te verteris, præsto est; nullo loco excluditur, nunquam molesta est; itaque non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quàm amicitia. neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri, quæ tamen ipsa delectat & prodest, sed de vera & perfecta loquor; qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam & res secundas splendidiores facit amicitia, & adversas, patiens communicansque, leviores, cumque plurimas & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet imposterum, nec debilitari animas, aut cadere patitur. verum enim amicum qui intuetur; tanquam exemplum aliquod intuetur sui. Quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent; & quod difficilius dictu est, mortui vivunt, tantus ejus honos, memoria, desiderium persequitur amicorum.

2. Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiæ conjunctionem; nec domus illa, nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. id si minus intelligitur; quanta vis amicitiæ, concordiæque sit, ex dissensionibus atque ex discordiis percipi potest. quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti? ex quo, quantum bonum sit in amicitia, judicari potest. Agrigentinum quidam, doctum quendam virum, carminibus Græcis vaticinatum ferunt; quæ in rerum natura, totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam.

2. Atque hoc quidem mortales & intelligunt, & reprobant. Itaque si quando aliquod officium existit amici, in periculis, aut adeundis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cavea nuper

hospitis

hospitis & amici mei, M. Pacuvii in nova fabula? cum ignorante Rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse dicere, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. stantes autem plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? facilè indicabat ipsa natura vim suam; cum homines, quod facere ipsi non possent, id rectè fieri in altero judicarent.

IMITATIO.

Quod nemo amicus Deo fidelior sit, qui virtute conciliari nobis potest, & sine hac Dei amicitia omnis nostra ruat felicitas, cum hac verò consistat, imitando facilè docebis, & hanc unam esse, cui homines cœlitesque plaudant.

Exemplum III. §. 1.

De origine liberalium artium.

Liberales artes à Græcis repertæ, à Latinis deinde non minori gloria, excultæ fuerunt. Cicer. l. 1. Tusc. qq.

Argumenta sumuntur *à partium enumeratione.*

1. *Exordium à suo studio; quod se post longas pro Republ. occupationes, de Philosophia, ait, resumere.*

2. *Ostendit deinde per artium, & disciplinarum enumerationem, plerasque apud Latinos jam esse, aut reddi illustriores, ut sunt disciplina domestica, ac præcipuè militaris, artes vero ut Poeticam, pictoriam, musicam, Mathematicam, ideo minus cultas, quia parum honoratas. In oratoria Græcis Latinos nihil concedere.*

3. *Denique se elaboraturum asserit, ut Philosophia quoque apud Latinos illustretur polito dicendi genere.*

Cicero ad Brutum.

Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus,

aut omnino, aut magna ex parte aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante, maximè, ad ea studia, quæ retenta animo, remissa temporibus longo intervallo intermissa revocari, & cum omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio & disciplina, studio sapientiæ, quæ Philosophia dicitur, contineretur: hoc mihi Latinis literis illustrandum putavi: Quia Philosophia Græcis & literis, & doctoribus percipi non posset: sed meum judicium semper fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quàm Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.

Nam mores & instituta vitæ, resque domesticas ac familiares nos profectò, & melius tuemur, & lautius. Rem verò publicam nostri majores certè melioribus temperaverunt, & institutis, & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, plus etiam disciplina, jam illa, quæ natura, non literis assecuti sunt, neque cum Græcis, neque cum ulla gente sunt conferenda, quæ enim tanta gravitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in illis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda? doctrina Græcia nos, & omni literarum genere superabat, in quo erat facilè vincere non repugnantes. Nam cum apud Græcos antiquissimum doctis sit genus Poëtarum, si quidem Homerus fuit, & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo: seriùs Poëticam nos accepimus: annus enim ferè CCCCCX. post Romam conditam Livius fabulam dedit Claudio cæci filio, & M. Tuditano Consulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit major natu, quam Plautus & Nævius. Serò igitur à nostris Poëtæ, vel cogniti, vel recepti. Quanquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua objicit, ut probrum, Marco Nobiliori, quòd is in provinciam Poëtas duxisset, duxerat autem Consul ille in Ætoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus ergo honoris erat Poëtis, eo minora studia fuerunt. Nec tamen si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Græcorum gloriæ responderunt. An censemus, si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset, quod pingeret, non

non multos etiam apud nos futuros Polycletos, & Parrhasios fuisse? honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriâ: jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur & Epaminondas, Princeps, meo judicio, Græciæ, fidibus præclarè cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot antè annis, cùm in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Ergo in Græcia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. In summo apud eos honore Geometria fuit. Itaque nihil Mathematicis illustrius. At nos, metiendi, rationandique utilitate hujus artis terminavimus modum. At contra Oratorem celeriter complexi sumus: nec eum primò eruditum, aptum tamen ad dicendum: post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Lælium, doctos fuisse memoria traditum est, studiosum autem eum, qui hos ætate anteibat, Catonem: post verò Lepidum, Carbonem, Gracchos; Deinde ita magnos, nostram ad ætatem, ut non multùm aut nihil omnino cederetur Græcis.

3. Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec habuit ullum lumen literarum Latinarum: quæ illustranda & excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. In quo eò magis nobis est elaborandum. Multi jam esse Latini libri dicuntur scripti, inconsideratè ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest, ut rectè quis sentiat, & id, quod sentit, politè eloqui non possit. Sed mandare quendam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & literis. Itaque suos libros ipsi legunt, cum suis, nec quisquam attingit præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid oratoriæ laudi nostra attulimus industria, multò studiosiùs Philosophiæ fontes aperiemus, è quibus etiam illa manabant. Sed, ut Aristoteles vir summo ingenio, scientiæ copia, cùm motus esset Isocratis Rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, adolescentes docere, & prudentiam cum eloquentia jungere: sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere, & in hac

majore & uberiore arte versari. Hanc enim perfectam philosophiam semper judicavi, quæ de maximis quæstionibus copiosè posset, ornateque dicere.

§. 2.

De eloquentia vi. Ab ejusdem effectis.

Cicero l. 1. de juvent.

Bonine an mali plus eloquentia Rebuspubl. contulerit?

1. Exordium & Propositio *declarat profuisse Rebuspubl. Eloquentiam ad pacem tranquillitatemque firmandam. Inutilem vero & sibi & patriæ esse, qui eloquentiæ studio ad Reipubl. commodum non utatur.*

2. Confirmatio probat 1. *ex eo utilitatem eloquentiæ, quod per hanc primum homines ex agresti rudique vita, ad civilis vitæ cultum, mansuetudinem, societatemve juris communis, traducti fuerint.*

3. Contra verò, *postquam maligni homines abusi eloquentia ad iniquas privatorum hominum controversias cæpêre, ac multitudinis judicio ad Rempubl. administrandam evehi, ab optimis quibusque neglecta rursus eloquentia obsolevit. Fuisse tamen eo tempore maximè retinendam à probis viris eloquentiam.*

4. Probat 2. ex eo. *Quod stultorum hominum audaciæ in Republ. maximè per eloquentiam resistatur, ut exemplo Catonis, Lælii, & Gracchorum Rempubl. Romanam adversus improbos homines tuentium ostendit.*

5. Probat 3. *non tantum ex commodis Reipubl. sed etiam honestate ac dignitate eloquentiæ, quod hac unâ homines maximè à bestiis distingui videantur.*

Cicero.

1. Sæpe & multum hoc mecum cogitavi, an mali plus attulerit hominibus, & civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiæ studium. Nam cum & nostræ reipublicæ detrimenta considero, & maximarum civitatum veteres animo colligo calamitates, non minimam video per disertissimos

mos homines invectam esse partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria, propter vetustatem, remotas, ex literarum monimentis repetere instituo: multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo cum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas. ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam verò sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis & officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriæ civis alitur: qui verò ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his pugnare possit, is mihi vir & suis, & publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus civis fore videtur.

2. Ac si volumus hujus rei, quæ vocatur eloquentia, sive artis, sive studii, sive exercitationis cujusdam, sive facultatis à natura profectæ, considerare principium: reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque ab optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos quisquam inspexerat liberos: non jus æquabile, quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inscitiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam magnus videlicet vir, & sapiens cognovit, quæ materia esset, & quanta ad maximas res opportunitas animis inesset hominũ, si quis eam posset elicere; & præcipiendo meliorem reddere: qui dispersos homines in agris, & in tectis silvestribus abditos, ratione quadam cõpulit in unum locum, & congregavit; & eos in unamquamque rem inducens, utilem, atque honestam, primò propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audienteis ex feris & immanibus, mites reddidit & mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi sa-

pientia perficere potuisse, ut homines à consuetudine subitò converteret, & ad diversas vitæ rationes traduceret. Age verò, urbibus constitutis, ut fidem colere, & justitiam retinere discerent, & aliis parêre suâ voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos, communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent; quî tandem fieri potuit, nisi homines ea, quæ ratione invenissent, eloquentiâ persuadere potuissent? profectò nemo, nisi gravi, ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere; ut, inter quos posset excellere, cum eis se pateretur, & sua voluntate à jucundissima consuetudine recederet, quæ præsertim jam naturæ vim obtineret propter vetustatem. Ac primò quidem sic & nata & progressa longiùs eloquentia videtur: & item postea maximis in rebus pacis, & belli cum summis hominum utilitatibus esse versata.


3. Postquam verò commoditas quædam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consecuta est; tum ingenio freta malitia, prævertere urbes, & vitas hominum labefactare assuevit. Atque hujus quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes & insipientes homines solitos esse versari, nec verò ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere: sed cum à summis viris maximè res administrentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas cõtroversias privatorum accederent. quibus in controversiis, cum sæpè è mendacio contra verum hominem stare consuescerent, dicendi assiduitas aluit audaciam: ut necessariò superiores illi propter injurias civium resistere audacibus, & opitulari suis quisque necessariis cogeretur. Itaque cum in dicendo sæpè par, nonnunquam etiam superior visus esset is, quis omisso studio sapientiæ, nihil sibi, præter eloquentiam comparasset; fiebat, ut & multitudinis, & suo judicio dignus, qui rempublicam gereret, videretur. Hinc nimirum non injuria, cum ad gubernacula reipublicæ, temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Quibus rebus tantum odii, atque invidiæ suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate, in portum: sic ex seditio-

sa &

sa & tumultuosa vita se in studium aliquod traderēt quietum. Quare mihi videntur postea cætera studia recta, atque honesta per otium celebrata ab optimis, enituisse: hoc verò à plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multò vehementius erat retinendum, & studiosius adaugendum.

Nam quo indignius rem honestissimam & rectissimam violabat stultorum, & improborum temeritas, & audacia, summo cum reipublicæ detrimento: eò studiosius & illis resistendum fuit, & reipublicæ consulendum. Quod nostrum illum non fugit Catonem neque Lælium, neque horum (ut verè dicam) discipulum Africanum, neque Gracchos Africáni nepotes: quibus in hominibus erat summa virtus, & summa virtute amplificata authoritas, & quæ his rebus ornamento, & reipublicæ præsidio esset, eloquentia. Quare meo quidem animo nihilominus eloquentiæ studendum est, etsi ea quidam & privatim, & publicè, perversè abutuntur: sed eò quidem vehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum possint: cum præsertim hoc idem sit, quod ad omnes res & privatas & publicas maximè pertineat: hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita jucunda fiat.

5. Nam hinc ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia. hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum certissimum, ac tutissimum præsidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, cum multis rebus humiliores, & infirmiores sint, hac re maximè bestiis præstare, quod loqui possunt. Quare præclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui qua re homines bestiis præstent, ea in re hominibus ipsis antecellat.



§. 3.

De eloquentiæ difficultate. A partium enumeratione. Cicero lib. I. de Oratore.

An ſtudium eloquentiæ difficilius ſit, quàm artium cæterarum.

1. *Exorditur Cicero à felicitate eorum, qui ſe turbulentisque Reipublicæ curis, ad quietum ſtudiorum otium transferre poſſunt, quod ſibi hactenus inconceſſum, nunc denique gaudet obtigiſſe, ut Q. fratri politius aliquod ſcriptum de optimo oratore poſtulanti morem gerat.*

2. *Propoſitione docet plures in cæteris artibus, quàm in eloquentia admirabiles extitiſſe.*

3. *Confirmatione* probat I. *ab enumeratione cæterarum artium, in quibus omni ætate excelluerunt, quanquam ſingulæ ætates vix unum perfectum Oratorem dederint.*

4. *Cum tamen videri* contra *poſſit eloquentia cæteris omnibus facilior, ut quæ* 1. *ad vulgi ſenſum maximè accedere debeat, reliquæ verò artes ab eo deflectere ſoleant.* 2. *maximo ſemper ſtudio in Græcia ac Roma culta ſit ſummis etiam opum honoriſque præmiis imitantibus.*

5. Probat 2. *Eloquentiæ difficultatem ab enumeratione earum partium quæ ad eloquentiam requiruntur, eo quod res plurimæ eloquenti cognoſcendæ ſint.*

Cicero.

Cogitanti mihi ſæpenumerò, & memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quincte frater, illi videri ſolent, qui in optima republica, cum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, ut vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent. Ac fuit tempus illud, cum mihi quoque initium requieſcendi, atq; animum ad utriuſq; noſtrûm præclara ſtudia referendi, fore, juſtum, & propè omnibus conceſſum eſſe arbitrarer, ſi infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio

cupatio, de cursu honorum, etiam ætatis flexu constitisset. Quam spem cogitationum, & consiliorum meorum, cum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam qui locus, quietis, & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximæ molestiarum, & turbulentissimæ tempestates exstiterunt.

Neque verò nobis cupientibus, atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus à pueris dediti fuimus, celebrandas, interque nos recolendas. Nam prima ætate incidimus in ipsam perturbationem disciplinæ veteris: & consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen; atque discrimen: & hoc tempore omne post consulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos à communi peste depulsi in nosmetipsos redundarunt. Sed tamen in his, vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris: & quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causæ amicorum, vel respublica tribuet otii ad scribendum potissimùm conferam. Tibi verò, frater, neque hortanti deero, neque roganti. Nam neque auctoritate quisquam apud me plus te valere potest; neque voluntate. Ac mihi repetenda est veteris cujusdam memoriæ non satis sanè explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quæ viri omnium eloquentissimi, clarissimique senserint, de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi sæpe dixisti, quoniam quædam pueris, aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata, atque rudia exciderunt, vix hâc ætate digna, & hoc casu, quem ex causis, quas diximus, tot, tantisque, consecuti sumus; aliquid iisdem de rebus politius à nobis, perfectiusque proferri: solesque nonnunquam hac de re, à me in disputationibus nostris dissentire, quòd ego eruditissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam: tu autem illam ab elegantia doctrinæ segregandam putes, & in quodam ingenii, atque exercitationis genere ponendam.

II. Ac mihi quidem sæpenumero in summos homines, ac summis ingeniis præditos intuenti, quærendum esse visum est; quid esset, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam quocunque te animo & cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed prope maximarum

III. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam, rerum gestarum vel utilitate, vel magnitudine metiri velit, non anteponat Oratori Imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una civitate præstantissimos penè innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? jam verò, consilio, ac sapientia: Qui regere, ac gubernare rempublicam possent, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam majorum exstiterunt, cùm boni perdiu nulli, vix autem singulis ætatibus singuli tolerabiles Oratores invenirentur. Ac, ne quis fortè cum aliis studiis, quæ reconditis in artibus, atque in quadam varietate literarum versantur, magis hanc dicendi orationem, quàm cum Imperatoris laude, aut cum boni Senatoris prudentia comparandam putet: convertat animum, & ea ipsa artium genera circumspiciat, quique in iis floruerint, quamque multi sint: facillimè quanta Oratorum sit, semperque fuerit paucitas, judicabit. Neque enim te fugit, laudatarum artium omnium procreatricem quandam, & quasi parentum, eam, quam Φιλοσοφίαν Græci vocant, ab hominibus doctissimis judicari, in qua difficile est enumerare, quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate, & copia fuerint: qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quæcunque essent, vel scientiæ pervestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui Mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, & quam recondita in arte, & multiplici, subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo ferè studuisse ei scientiæ vehementius videatur, quin, quod voluerit, consecutus sit. Quis musicis, qui huic studio literarum, quod profitentur ii, qui Grammatici vocantur, penitùs se dedidit, quin omnem illarum artium infinitam vim, & materiam, scientia, & cognitione comprehenderit? verè hoc mihi videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissimis sint, doctrinisque versati, minimam copiam Poëtarum egregiorum exstitisse; atque in hoc ipso numero, in quo perrarò exoritur aliquis excellens, si diligenter & ex nostrorum, & ex Græcorum copia comparare voles, multò tamen pauciores Oratores, quàm Poëtæ boni reperientur.

IV. Quod

IV. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia cæterarum artium studia ferè reconditis, atque abditis è fontibus hauriuntur: dicenti autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more & sermone versatur: ut in cæteris id maximè excellat, quod longissimè sit ab imperitorum intelligentia, sensuque disjunctum: in dicendo autem vitium vel maximum sit, à vulgari genere orationis, atque à consuetudine communis sensus abhorrere. Ac ne illud quidem verè dici potest, aut plures cæteris artibus inservire, aut majori delectatione, aut spe uberiori, aut præmiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque, ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis & inventa est, & perfecta: in hac ipsa civitate profectò nulla unquam vehementiùs, quàm eloquentiæ studia viguerunt. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo ferè laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primò quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod præceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio & cogitatione poterant, consequebantur. Post autem auditis Oratoribus Græcis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo & varietas, multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quæ nunc quoque sunt, proposita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia verò (ut multis rebus possumus judicare) nostrorum hominum, multum cæteris hominibus omnium gentium præstiterunt. Quibus de causis, quis non miretur, ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum, tam exiguum Oratorum numerum inveniri?

V. Sed nimirum majus est hoc quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus studiisque collectum. Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingeniis, infinita causa-

causarum varietate, amplissimis eloquentiæ præscriptis propositis præmiis, esse causæ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? est enim sententia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas, inanis, atque irridenda est: & ipsa oratio cõfirmanda non solum electione, sed etiam constructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quòd omnis vis, ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut sedandis, aut excitandis, exprimenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam, facetiæque, & eruditio libero digna, celeritasque, & brevitas, & respondendi, & lacessendi, subtili venustate, atque urbanitate conjuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas exemplorumque vis: neque legum aut juris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ vocis confirmatione, ac varietate moderanda est: quæ sola per se ipsa quanta sit, histriõnum levis ars, & scena declarat: in qua cum omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elaborent quis ignorat, quàm pauci sint, fuerintque, quos animo æquo spectare possimus? Quid dicam de thesauro omnium rerum memoria? quæ nisi custos inventis, cogitatisque rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus, omnia etiam si præclarissima fuerint, in Oratore peritura. Quamobrem mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, cùm ex iis rebus universis eloquentia consistat, quibus in singulis elaborare permagnum est: hortemurque liberos nostros, cæterosque, quorum gloria nobis, & dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut præceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expetunt, consequi posse confidant. Ac mea quidem sententia nemo poterit omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio: quæ nisi subest res ab Oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem & pene puerilem.

§. 4. De

§. 4.

De Eloquentiæ dignitate. A fine & effectis. Cicero de orat. lib. 1. §. 9.

Dignumne Eloquentiæ studium sit ingenuo adolescente?

1. Exorditur *ab adolescentum laude, qui eloquentiæ student, quâ nihil præstantius in* Propositione *esse asserit.*

2. In confirmatione *hoc probat* 1. *ex eo, quod Eloquentia hominum voluntates impellat, quo velit, deinde magnificum sit posse Senatum inflectere, populum tueri, &c. Denique & jucundum ornatè loqui.*

3. Probat 2. *ex eo, quod homines per eloquentiam à feris moribus ad honestam vitam traducantur, & universæ Reipubl. salus contineatur.*

Concludit, *diligenter in hoc studium adolescentibus incumbendum esse.*

Dissertatio Crassi Oratoris.

1. Non mihi cohortandi Sulpicius & Cotta, sed magis collaudandi videntur, quod tantam jam sint facultatem adepti, ut non æqualibus suis solum anteponantur, sed cum majoribus natu comparentur: Neque verò mihi quicquam præstabilius videtur, quàm posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus præcipuè semper floruit semperque dominata est.

2. Quid enim est, aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quàm sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio & perpolita? aut tam potens tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salu-

salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate. Quid autem tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus? Age verò ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris. Quid esse potest in otio, aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm sermo facetus, & nulla in re rudis. Hoc enim uno præstamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos & exprimere sensa possumus. Quamobrem quis hoc non jure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut quo uno homines maximè bestiis præstent, in hoc hominibus ipsis antecellit.

3. Ut verò jam ad illa summa veniamus, quæ via alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut à fera agrestique vita, ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura describere. Ac ne plura, quæ sunt pene innumerabilia, consecter, comprehendam breviter. Sic enim statuo, perfecti Oratoris moderatione, & sapientia non solum ipsius dignitatem, sed & privatorum plurimorum, & universæ Reipublicæ salutem maxime contineri.

4. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in studium, in quo estis, incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & Reipub. emolumento esse possitis.

§. 5.

Contra Eloquentiæ dignitatem, & amplitudinem à negatis effectis per exempla & testes.

Cicero lib. 1. de Orat. §. 9.

1. *Exorditur ab oratione Crassi, in qua duo se negat probare posse.*

2. *Negat Civitates per homines eloquentes primum constitutas, quod* probat *variis exemplis.*

3. *Negat Oratori necessarium esse, ut in omni arte versatus sit, idque variorum Philosophorum opinione & instituto* probat.

4. *Concludit satis esse Oratori, si in jure & judiciis, in sententia etiam pro senatu populoque dicenda valeat.*

Ora-

Oratiunculæ Scævolæ adversus Crassum.

1. Cætera tibi Crasse assentior, ne de genere cujusquam, arte aut gloria detraham; sed illa duo vereor, ut possim concedere. Unum. quod ab Oratoribus civitates, & ab initio constitutas, & sæpe conservatas esse dixisti: alterum. quòd, remoto foro, concione, judiciis, senatu, statuisti, Oratorem in omni genere sermonis, & humanitatis esse perfectum.

2. Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus, ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius, quàm disertorum oratione delinitum, se oppidis mœnibusque sepisse? aut verò aliquas utilitates, aut instituendis aut conservandis civitatibus, non à sapientibus, & fortibus viris; sed à disertis & ornatè dicentibus esse constitutas? an verò tibi Romulus ille, aut Pastores, & convenas congregasse, aut Sabinorum cōnubia conjunxisse, aut finitimorū vim repressisse eloquentia videtur; non consilio, & sapientia singulari? Quid? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tullo, quid? in cæteris Regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam, numquid eloquentiæ vestigium apparet? Quid? exactis Regibus, (tametsi ipsam exactionem mente, non linguâ, perfectam, L. Bruti esse cernimus) sed deinceps omnia, nonne, plena consiliorum, inania verborum videmus? Ego verò si velim, & nostræ civitatis exemplis uti, & aliarum, plura conferre possim detrimenta publicis rebus, quàm adjumenta per homines eloquentissimos importata: sed, ut reliqua prætermittam, omnium mihi videor exceptis. Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Tib. & C. Sempronios, quorum pater, homo prudens, & gravis haud quaquam eloquens, & sæpe alias, & maximè censor, saluti reipublicæ fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo libertinos, in urbanas tribus transtulit. Quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus. At verò ejus filii diserti, & omnibus, vel naturæ, vel doctrinæ præsidiis ad dicendum parati, cùm civitatem vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam accepissent, ista præclara guberna-

trice,

trice,ut ais, civitatum, eloquentia rempublicam dissiparunt. Quid? leges veteres, moresque majorum: quid? auspicia, quibus & ego,& tu Crasse,cum magna reipublicæ salute præsumus,quid? religiones & cerimoniæ, quid? hæc jura civilia, quæ jam pridem in nostra familia, sine ulla eloquentiæ laude, versantur, num, aut inventa sunt,aut cognita,aut omnino ab Oratorum genere tractata? Equidem & Ser Galbam,memoriâ teneo, divinum hominem in dicendo, & M. Æmilium Porcinam, & Cn. ipsum Carbonem, quem tu adolescentulus perculisti, ignarum legum, hæsitantem in majorum institutis, rudem in civil jure? & hæc ætas nostra,præter te,Crasse,(qui tuo magis studio. quàm proprio munere aliquo disertorum, jus à nobis civile didicisti) quod interdum pudeat,juris ignara est.

2. Quod verò in extrema oratione, quasi tuo jure sumpsisti, Oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissimè posse versari, sd, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem,multisque præissem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temerè irruisses. Agerent enim tecum lege primùm Pythogorei omnes, atque Democriti, cæterique in suo genere Physici. vindicarentque ornati homines in dicendo & graves, quibuscum justo sacramento contendere non liceret Urgerent præterea Philosophorum greges, jam ab illo fonte, & capite Socrate; nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitæ didicisse, nihil omninò quæsisse, nihil scire convinceret? & cùm universi in te impetum fecissent, tum singulæ familiæ litem sibi intenderent. instaret Academia, quæ, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret. Stoici verò nostri disputationum suarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam hæc ipsa, quæ propria Oratorum putas esse adjumenta, atque ornamenta dicendi, ab se peti, vincerent, oportere; ac non solum meliora, sed etiam multò plura Aristotelem, Theophrastumque de his rebus, quàm omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent. Missos facio Mathematicos,Grammaticos,Musicos,quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societa te conjungitur.

4. Quam-

4. Quamobrem ista tanta, tamque multa, profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes præstare, ut in judiciis ea causa, quamcunque tu dicis: melior & probabilior esse videatur: ut in concionibus, & sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio: denique ut prudentibus disertè, stultis etiam verè dicere videaris. hoc amplius siquid poteris, non id mihi videbitur Orator; sed Crassus sua quadam propria, non Oratorum, facultate posse.

§. 6.

Pro dignitate & amplitudine Eloquentiæ. A definitione officio Oratoris & materia dicendi.

Cicero lib. 1. de Orat. §. 11.

Orator absolutus omnium artium cognitione pollere debet.

I. Exorditur à sententia Græcorum, qui Oratori tantùm cognitionem rei judiciariæ, velut necessariam tribuebant.

II. Proponit & statuit etiam illi Oratori, qui tantùm in judiciis versatur, præter juris & legum cognitionem, ex Philosophia naturam moresque hominum noscendos esse. Quare cum de his Plato, Aristoteles, aliique, compositè, ornatè, copioseque locuti sunt, fecerunt ut Oratores, cum vero jejunè Chrysippus, tantum Philosophi munus implevit.

III. Ad Oratorem vero utrumque requirit.

Probat 1. *Ex eo quod oratio omnis, sine re subjecta, irrisione digna sit.*

2. *Quia Oratoris est hominum mentes in omnem affectum flectere, quod sine Philosophia non poterit.*

3. Probat *idem ex materia, de qua disserendum, quæ cum omnium penè disciplinarum sit, & prout secundum se penetratur, vel Philosophum, vel Iurisperitum, vel militem, vel medicum, &c. constituat, prout tamen ornatè copioseque exponitur, Oratorem requirit.*

Craſſi adverſus Scævolam Oratio reſponſoria.

I. Non ſum neſcius, Scævola, iſta inter Græcos dici & diſceptari ſolere; Audivi enim ſummos homines, cùm quæſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente Academiâ, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades, & Clitomachus, & Æſchines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum ipſis unà ipſum illum Carneadem diligentiùs adierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant acerrimum, & copioſiſſimum. Vigebat, auditor Panætii illius tui Mneſarchus: & Peripatetici Critolaus, Diodorus: multi erant præterea præclari in Philoſophia, & nobiles, à quibus omnibus unà penè repelli voce Oratorem à gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina, rerumque majorum ſcientia, ac tantùm in judicia, & conciunculas, tanquam in aliquod piſtrinum detrudi, & compingi videbam. Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſpuationum inventori, & principi longè omnium in dicendo graviſſimo & eloquentiſſimo, Platoni, cujus tum Athenis diligentiùs legi cum Carneade Gorgiam: quo in libro in hoc maximè admirabor Platonem, quod mihi in Oratoribus irridendis ipſe eſſe Orator ſummus videbatur. Verbi enim controverſia jam diu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores, quàm veritatis.

II. Nam ſi quis hunc ſtatuit eſſe Oratorem, qui tantummodo in jure, aut judiciis poſſit, aut apud populum, aut in Senatu copioſè loqui, tamen huic ipſi multa tribuat, & concedat neceſſe eſt. Neque enim ſine multa pertractione omnium rerum publicarum, neque ſine legum, moris, juris ſcientia, neque natura hominum incognita, ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callidè verſari, & peritè poteſt, qui autem hæc cognoverit, ſine quibus ne illa quidem minima in cauſis quam rectè tueri poteſt; quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſcientia? ſin Oratoris nihil vis eſſe, niſi compoſitè, ornatè & copioſè eloqui, quæro, id ipſum qui poſſit aſſequi ſine ea ſcientia, quam ei non conceditis? dicendi enim virtus, niſi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta ſint, exſtare non poteſt.

Quamobrem ſi ornate locutus eſt, ſicut fertur, & mihi videtur

detur, Physicus ille Democritus: materies illa fuit Physici, de qua dixit: ornatus verò ipse verborum, Oratoris putandus est, &, si Plato de rebus à civilibus controversiis remotissimis divinitus est locutus, quod ego concedo: si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes & in dicendo suaves atque ornati fuerunt: sint hæ res, de quibus disputant in quibusdam aliis studiis; oratio quidem ipsa propria est hujus unius rationis, de qua loquimur, & quærimus. Etenim videmus, iisdem de rebus jejune quosdam, & exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt Chrysippum, disputasse, neque ob eam rem Philosophiæ non satisfecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte alienam facultatem.

III. Quid ergo interest? aut quî discernes eorumt, quos nominavi, ubertatem in dicendo, & copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate, & elegantia non utuntur? unum erit profectò, quod ii, qui bene dicunt, afferunt proprium, compositam orationem, & ornatam, & artificio quodam, & expolitione distinctam.

1. Hæc autem oratio si res non subest ab Oratore percepta, & cognita: aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione laudatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum; atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia? quidquid erit igitur quacunque ex arte, quocunque de genere, id Orator, si, tanquam clientis causam didicerit, dicet melius & ornatius, quam ille ipse ejus rei inventor, atque artifex. Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam Oratorum proprias sententias, atque causas, & certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam: fatebor equidem in his magis assiduè versari hanc nostram dictionem: sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quæ isti magistri, qui Rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent.

2. Quis enim nescit, maximam vim existere Oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem, incitandis; vel ab hisce permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revocandis? quæ nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mente aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet, perficere non poterit. Atqui totus hic Philoso-

phorum locus putatur proprius: neque Orator, me auctore, unquam repugnabit: sed cum illis cognitionem rerum concesserit, quòd in ea solum illi voluerint elaborare: tractationem orationis, quæ sine illa scientia nulla est, sibi assumet. hoc enim est proprium Oratoris, quod sæpe jam dixi, oratio gravis, & ornata, & hominum sensibus, ac mentibs accommodata. Quibus de rebus Aristotelem, & Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scævola, totum sit à me, nam ego quæ sunt Oratori cum illis communia, non mutuor ab illis: isti quæ de his rebus disputant, Oratorum esse concedunt. itaque cæteros libros artis isti suæ nomine hos rhetoricos & inscribunt & appellant.

3. Etenim cùm illi in dicendo inciderint loci (quod persæpe evenit) ut de Diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia Gymnasia, atque omnes Philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia propria, nihil omninò ad Oratorem pertinere. Quibus ego ut de his rebus omnibus in angulis, consumendi otii causa, differant, cum concessero, illud tamen Oratori tribuam, & dabo, ut eadem, de quibus illi quondam tenui & exiguo sermone disputant, his cum omni gravitate & jucunditate explicet. Hæc ego cum ipsis Philosophis tum Athenis disserebam. Cogebat enim me Marcus Marcellus hic noster, qui nunc ædilis curulis est: & profectò, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset, ac jam tum erat adolescentulus his studiis mirifice deditus. Jam verò de legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de jure civium generatim in ordines, ætatesque descripto, dicant vel Græci, si volunt, Lycurgum, aut Solonem (quanquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse meliùs, quàm Hyperidem, aut Demosthenem, perfectos jam homines in dicendo, & perpolitos: vel nostros decemviros, qui XII. tabulas perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc genere & Ser. Galbæ, & Socero tuo C. Lælio, quos constat dicendi gloria præstitisse. Nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt: sed Oratorem

plenum,

plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus variè, copioseque possit dicere. Etenim sæpe in iis causis, quas omnes proprias esse Oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solùm Oratoribus conceditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum & assumendum.

Quæro enim, num possit, aut contra Imperatorem, aut pro Imperatore dici sine rei militaris usu, aut sæpe etiam sine regionum terrestrium, aut maritimarum scientia? Num apud populum de legibus jubendis, aut vetandis, num in Senatu de omni reipubl. genere dici summa rerum civilium cognitione, & prudentia? Non admoveri possit oratio ad sensus animorum, atque motus, vel inflammandos, vel etiam exstinguendos (quod unum in Oratore dominatur) sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis, ac moribus à Philosophis explicantur? Atque haud scio an minus hoc vobis sim probaturus. Equidem non dubitabo, quod sentio dicere. Physica ista ipsa, quę paulò antè & mathematica, & cæterarum artium propria posuisti, scientiæ sunt eorum, qui illa profitentur. Illustrare autem oratione siquis istas artes ipsas velit, ad Oratoris ei confugiendum est facultatem. Neque enim si Philonem illum architectum, qui Atheniensibùs armentarium fecit, constat perdisertè populo rationem operis sui reddidisse, exstimandum est architecti potius artificio disertum, quàm Oratoris, fuisse. Nec si huic Marco Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, nonne cùm ab illo causam didicisset, ipse ornatè de alieno artificio, copioseque dixisset? Neque verò Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum cùm eloquentia vincebat cæteros medicos, in eo ipso, quod ornatè dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ.

IMITATIO.

Hæc de Eloquentia universè dicta sunt in his paragraphis, poterunt ad singulares viros eloquentes ut Cyprianum, Hieronymum, Chrysostomum, Salvianum, &c. adhiberi, qui ad Christi disciplinam illustrandam eloquentiam attulêre, summa vi hominum obstinatorum animos inflexêre. Ostendet quoque quanta

sit talis eloquentia difficultas, quàm pauci excellentes in ea reperti: quanta tamen ejus dignitas, & amplitudo, quemadmodum omnis ad talem Oratorem, qui excellat, virtus requiratur & scientia; ut & ipse sapiens probusque sit, & aliis probitatem sapientiamque divinam tradat, ac persuadeat. Quodsi tamen remotius in diversa materia imitari placeret, de Fide seu Religione Christiana institui haud dissimilis posset dissertatio, ut de origine ipsius, de vi, de difficultate, de dignitate & amplitudine; sed hanc fortioribus humeris imitationem assignamus.

CAPUT XVI.

Dissertationes oppositæ de laude & vituperio ejusdem Eloquentiæ.

IN utramque nonnunquam partem disserendum est, ut constet tam quæ ad laudem, quàm quæ ad reprehensionem verti possint. Orator enim ambidexter esse debet. Hoc est, tam ad reprehendendum, cum res postulat, quàm ad laudandum instructus. Quid enim, etiam ex rebus magnis, sine omni vitio est? utimur exemplo igitur in re præsenti.

Exemplum I.

M. Aper contra Maternum pro Oratorum eloquentia, adversus Poetas disserit.

Quint. in Dialogo de Orator.

Argumenta ab effectibus & consequentibus *sumuntur.*

1. *Vtilis eloquentia ad illorum defensionem est.*
2. *Voluptatem magnam adfert fructus eloquentia.*
3. *Cum gloria & honore & opibus hoc studium conjungitur.*
4. *Poetica studium his plerisque destituitur. Quocirca in hoc subsistendum non est, sed ad illud deflectendum.*

1. Ma-

1. Maternum jure arguam, quod natus ad eloquentiam virilem & oratoriam, quâ parare simul & tueri amicitias, adsciscere nationes, & complecti provincias possit, amittit studium, quo non aliud in civitate nostra, vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii, atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia, ac facta nostra dirigenda sunt; quid erit tutius, quàm eam exercere artem, quâ semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis verò & inimicis metum & terrorem ultrò feras, ipse securus & velut quam perpetua potentia ac potestate munitus? cujus vis & utilitas rebus propè fluentibus, aliorum præsidio & tutela intelligitur. Sin proprium periculum increpuit; non herculè lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quam reo & periclitanti eloquentiæ præsidium simul & telum, quo propugnare pariter & incessere, vel in judicio, sive in Senatu, sive apud Principem possit. Quid aliud infestis Patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam opposuit? qui accinctus & minax disertam quidem, sed inexercitatam, & ejusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit.

2. Plura de utilitate non dico, cui parti minimè contradicturum Maternum meum arbitrer. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cujus jucunditas non uno alioque momento, sed omnibus prope diebus, & prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero & ingenuo animo, & ad voluptates honestas nato, quàm videre plenam semper & frequentem domum concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniæ, non orbitati, neque officii alicujus administrationi, sed sibiipsi dari? illos quinimò orbos & locupletes, & potentes venire plerumque ad juvenem & pauperem, ut aut sua, aut amicorum discrimina commendent. ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam spectare homines veteres, & senes, & totius orbis gratiâ subnixos, in summa omnium rerum abundantiâ confitentes id, quod optimum sit, se non habere? Jam verò qui togatorum comitatus & egressus! quæ in judiciis veneratio! quod gaudium consurgendi assistendique

inter tacentes, in unum conversos! coire populum, & circumfundi coram, & accipere affectum quemcunque Orator induerit! vulgata dicentium gaudia, & imperitorum quoque oculis exposita, percenseo. Illa secretiora, & tantùm ipsis orantibus nota, majora sunt. Sive accuratam meditatamque affert orationem; est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus & constantia. Sive novam & recentem curam non sine aliqua trepidatione animus attulerit; ipsa solicitudo commendat eventum, & lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciæ, atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est. Nam ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quæ suâ sponte nascuntur.

Equidem ut de me ipso fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus, & in civitate minimè favorabili natus, quæsturam, aut tribunatum, aut præturam accepi: quam eos, quibus mihi pro mediocritate hujus quantulæcunque in dicendo facultatis, aut reum prosperè defendere, aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare, apud Principem ipsos illos libertos & procuratores Principum tueri & defendere datur. Tum mihi supra tribunatus, & præturas, & consulatus ascendere videor, tum abire animo: quod non ex alio oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia evenit.

Quæ fama & laus cujusvis artis cum Oratorum gloriâ comparanda est, qui non illustres in urbe solùm apud negotiosos & rebus intentos, sed etiam apud juvenes & adolescentes, quibus morum indoles est, & bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos sæpius vulgus imperitum & tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat, & digito demonstrat? Advenæ quoque & peregrini jam in municipiis & Coloniis suis auditos, cum primùm urbem attigerunt, requirunt ac vultus agnoscere concupiscunt. Ausim contendere Marcellum hunc Epirum, de quo modò locutus sum, & Crispum Vibium (libentius enim novis & recentibus quàm remotis & obliteratis exemplis utor) non minus esse in extremis partibus terrarum, quam Capuæ, aut Vercellis, ubi nati dicuntur. ne hoc illis ulterius ter milles sestertiûm præstat. quanquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse. Ipsa eloquentia,

quentia, cujus numen & cœlestis vis multa quidem omnibus seculis exemplis edidit, ad quantam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Sed hæc, ut supra dixi, proxima, & quæ non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. Nam quò sordidius & abjectius nati sunt, quoque notabilior paupertas & angustia rerum nascentes eos circumsteterunt, eò clariora & ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ utilitatem illustriora exempla sunt. quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis cōtemptus, per multos jam annos potentissimi sunt civitatis, at donec libuit principes fori; nunc principes in Cæsaris amicitia agunt feruntque cuncta: atque ab ipso Principe cum quadam reverentia diliguntur. Quia Vespasianus venerabilis senex & patientissimus veri, bene intelligit, cæteros quidem amicos suos niti iis, quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare, & in alios congerere promptum est: Marcellum autem & Crispium, attulisse amicitiam suam, quòd non à Principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot & tanta locum obtinent imagines, ac tituli & statuæ quæ neque ipsa tamen negliguntur: tam herculè quàm divitiæ & opes, quas facilius invenies, qui vituperet, quàm fastidiat. His igitur honoribus, & ornamentis, & facultatib⁹, refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia caussis forensibus, & oratorio studio dederunt.

5. Nam Carmina & versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem, & infructuosam consequuntur. Licet hæc ipsa, & quæ deinde dicturus, aures tuæ, ô Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon, aut Jason disertè loquitur? quis ideò domum defensus, & tibi obligatus redit? quis Salejum nostrum egregium Poëtam, vel (si hoc honorificentius est) præclarissimum Vatem deducit, aut salutat, aut prosequitur? Nempe si amicus ejus, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc secundum recurret, aut ad te Materne, non qui Poëta es, neque ut pro eo versus facias. Hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem & jucundi, quorum tamen hic exitus est, ut cùm toto anno

per omnes dies, magnâ noctium parte, unum librum excudit & elucubravit, rogare ultrò & ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, & ne id quidem gratis, nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit: & ut beatissimus recitationem ejus eventus prosequatur: omnis illa laus ultra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcepta, ad nullam certam & solidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansuenm in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre. Laudavimus nuper ut miram & eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri; quanto nomen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adjice quod Poëtis, si modo dignum aliquid elaborare, & efficere velint, relinquenda conversatio amicorum, & jucunditas urbis, deserenda cætera officia, utque ipsi dicunt, in nemora & lucos, id est, in solitudine recedendum est. Nec opinio quidem & fama, cui soli serviunt, & quod unum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æquè Poetas quàm Oratores sequitur. quoniam mediocres Poetas nemo novit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotusquisque cùm ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in urbem venit, Salejum Brassum requirit? atque adeò si quis requirit & semel vidit, transit & contentus est: ut si picturam aliquam & statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tanquam eos, quibus natura sua Oratorum ingenium denegavit, deterream à criminibus. Si modo in hac studiorum parte oblectare otium & nomen inserere possunt famæ; ego verò omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras & venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum, aut heroïci carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem, & elegorum lascivias, sed jamborum amaritudinem, epigrammatum lusus, & quamcunque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam cæteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi Materne res est, quod cùm natura tua in ipsam te arcem eloquentiæ ferat, errare

vare mavis, & summa adeptus, in levioribus subsistis. Ut si in Græcia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac si tibi Nicostrati robur ac vires Dii dedissent, non paterer immanes illos ad pugnam natos lacertos, levitate jaculi, aut jactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis & theatris, in forum & ad causas, & ad vera prælia voco.

II.

Maternus pro Poeticæ facultate adversus Oratores respondet.

Quint. ibid.

Argumenta ab adjunctis & consequentibus *sumuntur.*

1. *Ostendit se ab oratoria facultate, & magis dura, suavius in Poetica acquiescere, quâ & Neronem jure perstrinxerit, & secretum tutò occupet.*

2. *Poetas honore ac gloria Oratoribus preferri. minus trepidos, magis securos esse, quod meritò ante opes habendum sit.*

1. Forte arbitrabar, ut à laudatione Oratorum digressus Aper detrectaret Poëtas, atque carminum studium prosterneret: arte quadam mitigavit, concedendo his, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid & eniti fortasse possum, ita recitatione tragœdiarum ingredi famam auspicatus sum, tum quidem cum in Nerone improbam & studiorum quoque sacra profanantem vaticinii potentiam fregi. Hodie si quid in nobis notitiæ ac nominis est, magis arbitror carminum, quàm orationum gloria partum. ac jam me dejungere à forensi labore constitui, nec comitatus istos & egressus, aut frequentiam salutationum concupisco: non magis quàm æra & imagines, quæ etiam me nolente in domum meam irruperunt. Nam statum cujusque ac securitatem melius innocentiâ tueor, quàm eloquentiâ, nec vereor, ne hi unquam verba in Senatu, nisi pro alterius discrimine facienda sint. Nemora verò, & luci, & secretum ipsum, quod

Aper

Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem. quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur; sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia: hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus, in illa casta atque nullis contacta vitiis pectora influxit. Sic oracula loquebantur. Nam lucrosæ hujus & sanguinantis eloquentiæ usus, recens, & malis moribus natus, atque, ut tu dicebas Aper, in locum telorum repertus est. Cæterum felix illud, &, ut more nostro loquar, aureum seculum, & Oratorum & criminum inops, Poëtis & Vatibus abundat, qui benefacta caperent, non qui mala admissa defenderent.

2. Nec ullis aut gloria major, aut augustior honor: primùm apud Deos, quorum proferre responsa & interesse epulis ferebantur: Deinde apud illos Diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea ac Linum, ac si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. Vel si hæc fabulosa nimis, & composita videntur, illud certè mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero quàm Demostheni apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quam Lysiæ aut Hyperidis includi. plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detractent. Nec ullus Asinii aut Messallæ liber tam illustris est, quam Medea Ovidii, aut Varii Thyestes. Ac ne fortunam quidem Vatum, & infelix illud contubernium, comparare timuerim cum inquieta & anxia Oratorum vita. Licet illos certamina & pericula sua ad consulatus evexerint: malo securum & secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit, neque apud populum Romanũ notitia. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, & fortè præsentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus, Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ cesserit. Nam Crispus & Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hæc præsenti fortunâ concupiscendum? an quod timent, an quod timentur? quòd cum quotidie aliquid rogentur,

gentur, hi, quibus præstant, indignantur? quod alligati cum adulatione, nec imperantibus unquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum potentia est? tantùm posse liberti solent? Me verò dulces, ut Virgilius ait, Musæ, remotum à sollicitudinibus, & curis & necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra, illosque fontes ferant: nec insanum ultra & lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim cui velim relinquere, quandocunque fatalis & meus dies veniet, statuatque tumulo non mœstus & atrox. sed hilaris & coronatus: & pro memoria mei, nec consulat quisquam, nec roget.

IMITATIO.

Pro pace contra bellum, & pro bello adversus pacem disserere hoc pacto licebit. Vt principio utilem, jucundam atque honorificam pacem esse declares, quibus bellum destituatur titulis. Tùm contra pro bello dicas, multos in hoc utilius acquiescere, fortes in illo atq; ad magna idoneos educari: cùm pax homines enervet ac dejiciat, &c.

CAPUT XVII.

De laude substantiarum.

QVanquam ipsæ rerum substantiæ præcipuè à suis attributis laudari soleant, tamen cum & causæ & effecta adjunctaque adhibeantur, exemplis seorsum propositis agere de iisdem, visum est aptius; tum quod ipsa laus Attributorum perspecta, ad personas denique subjectas transferatur; tum quòd ad substantiarum laudem plura atque illustriora requirantur. tum encomiasten disertum, sive in Physicis, sive in Ethicis magna rerum cognitione imbutum esse oporteat. cùm vel naturæ rerum, vel mores, hoc est, virtutes ac vitia scribendi sint argumentum. de quibus lib. 1. cap 8 & seq. quæ tradidimus videnda sunt. Hic primo rei inanimæ breviter, deinde animatæ prolixius virtutes complectemur.

I.

Laus Siciliæ ab Attributis *vetustate, & utilitate Romanorum.*

1. *Ostendit Siculos esse, qui ex primis Rom. imperium admiserint, constanterque coluerint, & quantum illis Marcellus Victor tribuerit.*

2. *Utilitatem Rom. ex Sicilia ob rem frumentariam. Patientiam laboris & amorem Siculorum erga Romanos.*

Antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de provinciæ dignitate, vetustate, utilitate dicenda. Nam cum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis: tum præcipuè Siciliæ, judices, plurimis justissimisque de causis. Primum, quòd omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Rom. applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata: prima docuit majores nostros, quàm præclarum esset exteris gentibus imperare. Sola fuit, eâ fide benevolentiaque erga populum Romanum, ut civitates ejus Insulæ, quæ semel in amicitiam nostram venissent, nunquam postea deficerent, pleræque autem & maximè illustres in amicitia perpetuò manerent. Itaque majoribus nostris in Africam ex hac Provincia gradus imperii factus est. Neque enim tam facilè opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud & rei frumentariæ subsidium, & receptaculum classibus nostris pateret. Quare P. Africanus, Carthagine deleta Siculorum urbes signis, monimentisq; pulcherrimis exornavit, ut, quos victoria populi Rom. maximè lætari arbitrabatur, apud eos monimenta victoriæ plures collocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cujus in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem cæteri Siculi perspexerunt, non solùm sociis in eo bello consuluit; verùm etiam superatis hostibus temperavit, urbem pulcherrimam Syracusas, quæ cum manu munitissima esset, tum loci natura terra ac mari claudebatur, cùm vi consilioque cœpisset, non solùm incolumem passus est esse; sed ita reliquit ornatum, ut esset idem monimentum victoriæ, mansuetudinis, continentiæ. Cum homines viderent, & quid expugnasset, & qui-

& quibus pepercisset, & quæ reliquisset. Tantum ille honorem Siciliæ habendum putavit, ut ne hostium quidem urbem ex sociorum Insula tollendam arbitraretur.

2. Itaque ad omnes res Sicilia provincia semper usi sumus: ut, quicquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostræ conditum putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultrò pollicita est? quando id, quod opus esse putaret, recusavit? Itaque ille M. Cato sapiens cellam penariam reipubl. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominavit. nos verò experti sumus Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro ærario illo majorum vetere ac referto fuisse: nam sine ullo sumptu nostro, coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestiri valuit, armavit. Quid illa, quæ forsan ne sentimus quidem, judices, quanta sunt? quod multis locupletioribus civibus utimur: quod habent propinquam, fidelem, fructuosamque provinciam, quò facilè excurrant, ubi libenter negotium gerant: quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu, compendioque dimittit; partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes, ac domicilium collocare. Quod commodum non mediocre populi Romani est, tantum civium Romanorum numerum, tam propè ab domo, tam bonis fructuosisque rebus detineri. & quoniam quasi quædam præsidia populi Romani sunt vectigalia nostra, atque provinciæ: quemadmodum propinquis vos vestris prædiis maximè delectamini, sic populo Romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciæ. Jam verò hominum ipsorum judices ea patientia, virtus, frugalitasque est, ut proximè ad nostram disciplinam illam veterem, non hanc, quæ nunc increbuit, videantur accedere, nihil cæterorum simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: contra summus labor in publicis, privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Sic porrò nostros homines diligunt, ut his solis neque publicanus, neque negotiator odio sit: magistratuum autem nostrorum injurias ita multorum tulerunt, ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum præsidiumq; vestrum publico consilio confugerint. tametsi & illum annum pertulerant, qui sic eos afflixerat, ut salvi esse non possent, nisi C. Marcellus quasi

aliquo fato, venisset, ut bis ex eadem familia salus Siciliæ constitueretur. Postquam M. Antonii infinitum illud imperium senserant. Sic à maioribus suis acceperant. tanta populi Romani in Siculos esse beneficia, ut etiam injurias nostrorum hominum perferendas esse putarent.

IMITATIO.

Servire ad India laudem poterit, poterit & quantùm inde commodi Hispania percipiat describi. Aut certè in singularis Provincia Europaa, e g. 'ul·a, Palatinatus, Prussia, unde frumenta in vicinas terras deportantur commendatione, usui futura est.

II. *Laus viri fortis ab attributis.*

1. *Illustrem esse fortitudinis laudem à probroso nomine imbellium ostendit, & triumphante maximè in fortium laude eloquentia.*

2. *Docet fortem virum commune non privatum jus bonumque spectare, hoc magno animo tantùm audacem præstare, fortem neminem esse, nisi & justus rectusque sit.*

3. *Magnanimis timenda elatio, quod cæteris imperare cupiant, cum qua cupiditate ægrè consistit justitia, ideoque & fortitudo.*

4. *Verè fortis, externo respectu contempto, nil nisi quod honestum est spectat, & ardua quæque hoc intuitu aggreditur.*

5. *Concludit, virum fortem etiam temperantem esse.*

Cicero ad M. filium lib. 1. Offic.

1. Inter cætera honestatis officia splendidissimum videtur, quod animo magno elatoque, humanasque res despiciente, factum sit. Itaque in probris maximè in promptu est. si quid tale dici potest:

Vos etenim Iuvenes animum geritis muliebrem
Illaque virgo viri: &c.
Salmaci da spolia, sine sanguine & sudore.

Contraque in laudibus: quæ magno animo, & fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quo modo, quasi pleniore

pleniore ore, laudamus. Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris, Stratocle: hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M. Marcellus innumerabilesque alii: maximéque ipse populus Rom. animi magnitudine excellit, declaratur autem studium bellicæ gloriæ; quod statuas quoque videmus ornatu ferè militari.

2. Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitiâ vacat, pugnatque, non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est, non enim modo id virtutis non est, sed potiùs immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probè definitur à Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt, propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis & malitia laudem est adeptus. Nihil enim honestum esse potest, quod justitiâ vacat, præclarum igitur Platonis illud: *non solum*, inquit, *Scientia, quæ est remota à justitia, calliditas potiùs, quàm sapientia est appellanda; verum etiam animus paratus ad periculum, si suâ cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quàm fortitudinis.* Itaque viros fortes, & magnanimos, eosdem bonos & simplices, veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus, quæ sunt ex media laude justitiæ.

3. Sed illud odiosum est, quòd in hac elatione & magnitudine animi facillimè pertinacia, & nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est, *omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi, sic, ut quisque animi magnitudine maximè excellit, ita maximè vult princeps omnium esse, vel potius solus esse.* Difficile autem est, cum præstare omnibus concupieris, servare æquitatem, quæ est justitiæ maximè propria, ex quo fit, ut neque disceptatione vinci se, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur, existuntque in Republ. plerumque largitores & factiosi, ut opes quàm maximas consequantur, & sint vi potius superiores, quàm justitiâ pares. Sed quò difficilius, hoc præclarius. Nullum enim est tempus, quod justitia vacare debeat. Fortes igitur & magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam, vera autem, & sapiens animi magnitudo honestum il-

lud, quod maximè natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat, principemque eſſe mavult, quàm videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus. Facillimè autem ad res injuſtas impellitur, ut quiſque eſt altiſſimo animo & gloriæ cupido, qui locus eſt ſanè lubricus: quòd vix invenitur, qui, laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis, non, quaſi mercedem rerum geſtarum, deſideret gloriam.

4. Omninò fortis animus, & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, cum perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere; nulliq; neq; perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere, altera eſt res, ut, cum ita ſis affectus animo, ut ſupra dixi, res geras magnas illas quidem & maximè utiles, ſed ut vehementer arduas, plenaſque laborum & periculorum; tum cauſa vitæ, tum multarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis, & amplitudo eſt, addo etiam utilitatem in poſteriore; cauſſa autem, & ratio efficiens magnos viros eſt in priore. In eo enim eſt illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus, ſi & ſolum id quod honeſtum ſit, bonum judices; & ab omni animi perturbatione liber ſis, nam & ea, quæ eximia pleriſque, & præclara videntur, parva ducere eaque ratione ſtabili firmaque contemnere, fortis animi magnique dicendum eſt: & ea quæ videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita fortunaque verſantur, ita ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnæque conſtantiæ, non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec, qui invictum ſe labore præſtiterit, vinci à voluptate.

5. Quamobrem & hæc vitanda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas, nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honeſtius magnificentiuſque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

III.

Laus boni Imperatoris in bello ab effectis.

1. Per hunc insolentia hostium coërcita, & metuendi prius cœperunt metuere.

2. Bellicorum laborum patientissimus, operum solertissimus, expeditissimusque ad omnia.

3. Magna in se submittentes moderatio, in contumaces bello triumphisque subigendos felicitas.

4. Disciplina castrorum lapsa, & discordia, insidiaque mutuæ, novis legibus & humanitate Trajani composita, atque in amorem fidemque conversa. Plin. in paneg. mihi p. 11.

1. Sustulerunt hostes amicos, & jugum excusserunt: nec jam vobiscum de sua libertate, sed de nostra servitute certabant, ac ne inducias quidem, nisi æquis conditionibus inibant, legesque, ut acciperent, dabant. At nunc rediit omnibus terror, & metus, & votum imperata faciendi, vident enim Romanum ducem unum ex illis veteribus, & priscis, quibus imperatorium nomen addebant, contecti cædibus campi, & infecta victoriis maria. Accipimus obsides ergo, non eminus, nec ingentibus damnis, immensisque muneribus paciscimur, ut vicerimus. Rogant, supplicant? largimur, negamus: utrumque ex imperii majestate. Agunt gratias, qui impetraverunt: non audent queri, quibus negatum est. An audeant? qui sciant te adsedisse ferocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis, cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat, cum feræ gentes non telis magis, quam suo cœlo, suo sidere armantur. Sed ubi in proximo tu, non secus ac si mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas, & aliena occasione si permitteres, uti, ultroque hiemem suam barbaris inferre gaudebant. Hæc tibi apud hostes veneratio.

2. Quid apud milites? quam admirationem quemadmodum comparasti? cum tecum inediam, tecum fer-

rent ſitim, cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis imperatorium pulverem, ſudoremque miſceres, nihil à cæteris, niſi robore, ac præſtantia differens, cum libero Marte nunc cominus tela vibrares: nunc vibrata ſuſciperes, alacer virtute militum, & lætus, quoties aut caſſidi tuæ, aut clypeo gravior ictus incideret, laudabas quippe ferientes, hortabariſque ut auderent: & audebant jam, cum ſpectator, moderatorque ineuntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, ac ſi quod durius accipienti videretur, ipſe vibrares. Quid cum ſolatium feſſis, ægris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, niſi comilitonum antè luſtraſſes: nec requiem corpori, niſi poſt omnes dare. Hac mihi admiratione dignus imperator non videretur, ſi inter Fabritios, & Scipiones, & Camillos talis eſſet: tunc enim illum imitationis ardor, ſemperque melior accenderet: poſtquam verò ſtudium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore translatum eſt: poſtquam exercitationibus noſtris non veteranorum aliquis, cui decus muralis, aut civica; ſed Græculus magiſter adſiſtit, quàm magnum eſt unum ex omnibus patrio more, patria virtute lætari, & ſine æmulo, ac ſine exemplo ſecum certare, ſecum contendere, ac ſicuti imperat ſolus, ſolum ita eſſe, qui debeat imperare. Nonne incunabula hæc tibi Cæſar, & rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augens, nomenque Germanici jam tum mererere? cum ferociam, ſuperbiamque Parthorum ex proximo auditus, magno terrore cohiberes? Rhenumque, & Euphratem admirationis tuæ fama conjungeres? cum orbem terrarum non pedibus magis, quam laudibus peragrares? Apud eos ſemper major, & clarior, quibus poſtea contigiſſes? & necdum Imperator, necdum Dei filius eras; Germaniamque, cum plurimæ gentes, ac propè infinita vaſtitas interjacentis ſoli, tum Pyrenæus, Alpes, immenſique alii montes, niſi his compararentur, muniunt, dirimuntque. Per hoc omne ſpatium cum legiones duceres, ſeu potiùs (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum unquam, non equum reſpexiſtis. Levis hic, non ſubſidium itineris, ſed decus, & cum cæteris ſubſequebatur, ut cujus nullus tibi uſus, niſi cum die ſtativorum

vorum proximum campum alacritate, discursu, pulvere attolleres. Initium laboris mirer, an finem? multumque est quod perseverasti, plus tamen, quod non timuisti, ne perseverare non posses. Nec dubito, quin ille, qui te inter ipsa Germaniæ bella ab Hispania usqué ad validissimum præsidium exciverat iners ipse, alienisque virtutibus tunc quoque invidus Imperator, cum ope earum indigeret, tantam admirationem tui non sine quodam timore conceperit, quantam ille genitus Jove post sævos labores, duraque imperia Regi suo indomitus semper, indefessusque referebat, cùm aliis super alias expeditionibus itinere illo dignus invenireris. Tribunus verò disjunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lustrasti. Jam tum præmonente fortuna, ut diu penitusque perdisceres, quæ mox præcipere deberes. Neque enim prospexisse castra, brevemque militiam quasi transisse contentus, ita egisti tribunum, ut esse statim dux posses, nihilque discendum haberes tempore docendi. Cognovisti per stipendia decem mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, & diversam aquarum cœlique temperiem, ut patrios fontes, patriumque sidus ferre consuêsti. Quoties equos, quoties emerita arma mutasti! veniet ergo tempus, quo posteri visere, visendumque tradere minoribus suis gestient: quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint, quod denique tectum magnus hospes impleveris: ut tunc ipsi ingentium ducum sacra vestigia iisdem in locis monstrabantur. Verum hæc olim in præsentia quisquis paulò vetustior miles, hic te commilitone censetur. Quotus enim quisque, cujus tu non antè commilito, quàm imperator? Inde est, quod prope omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemoras. Hæc habent ad numeranda tibi pro republ. vulnera, quibus statim laudator, & testis contigisti.

3. Sed tanto magis prædicanda est moderatio tua, quod innutritus bellicis laudibus, pacem amas: nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata capitolino Jovi laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos. Non times bella, nec provocas. Magnum est, Imperator Auguste, magnum est, stare in Danubii ripa.

si transeas certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus, quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. Nam ut ipse nolis pugnare, moderatio, fortitudo tua præstat, ut neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando capitolium non inanes currus, nec falsæ simulacra victoriæ, sed Imperatore, veram ac solidam gloriam reportante, tranquillitatem, & tamen confessa hostium obsequia, ut vincendus nemo fuerit. Pulchrius hoc omnibus triumphis: neque enim unquam nisi ex contemptu imperii nostri factum est, ut vinceremus. Quod si quis barbarus Rex eò insolentiæ furorisque processerit, ut iram tuam, indignationemque mereatur; næ, ille, sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur: omnia hæc tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque non classes nostras, sed terras ipsas arbitretur. Videor jam cernere non spoliis provinciarum, & extorto sociis auro: sed hostilibus armis, captorumque Regum catenis triumphum gravem. Videdeor ingentia Ducum nomina, nec indecora nominibus corpora vocitare. Videor intueri immanibus ausis barborum onusta fercula, & sua quemque facta vinctis manibus sequentem, mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium, tergo, antè currum autem clypeos, quos ipse perfoderis: nec tibi optima defuerint, si quis Regum venire in manus audeat: nec modò telorum tuorum, sed oculorum etiam, minarumque conjectum toto campo, totoque exercitu opposito perhorrescat. Meruisti proxima moderatione, ut quandocunque te vel inferre, vel propulsare bellum coëgit imperii dignitas, non ideo vicisse videaris, ut triumphares, sed triumphare quia viceris.

4. Aliud ex alio mihi occurrit: quam speciosum est enim quod disciplinam castrorum lapsam, extinctamq; refovisti, depulso prioris seculi malo, inertia & contumacia, & dedignatione parendi? Tutum est reverentiam, tutum charitatem mereri: nec Ducum quisquam, aut non amari à militibus, aut amari timet: Et inde offensæ, gratiæque pariter securi, instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, mœnia, viros aptant: Quippe non is princeps,

qui sibi imminere, sibi intendi putet, quod in hostes paretur: quæ persuasio fuit illorum, qui hostilia cum facerent, timebant. Eodem ergò tempore militaria studia, nec amicos modò, sed & corpora ipsa languescere, gladios etiam incuria hebetari, retundique gaudebant. Duces porrò nostri non tam Regum exteriorum, quam suorum principum insidias: nec tam hostium, quam commilitonum manus, ferrumque metuebant. Est hæc natura sideribus, ut parva, & exilia validiorum exortus obscuret, similiter Imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen major omnibus quidem eras, sed sine ullius diminutione major, eandem autoritatem præsente te quisque, quàm absente retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. Itaque perinde summis, atque infimis charus, sic Imperatorem commilitionemque miscueras, ut studium omnium, laboremque & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps, sociusque relevares. Felices illos, quorum fides & industria, non per internuncios, & interpretes: sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probantur, consecuti sunt, ut absens quoque de absentibus nemini magis, quam tibi crederes. Jam te civium desideria revocabant, amoremque castrorum superabat charitas patriæ: iter inter placidum, ac modestum, ut planè à pace redeuntis Nec verò ego in laudibus tuis ponam, quod adventum tuum non pater quisquam, non maritus expavit. Affectata aliis castitas, tibi ingenita, & innata, interque ea, quæ imputare non possis. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, nullum circa hospitia fastidium: annona, quæ cæteris: Ad hoc comitatus accinctus, & parens. Diceres magnum aliquem Ducem, & te potissimum ad exercitus ire, adeò nihil, aut certe parum intererat inter Imperatorem factum, & brevi futurum.

IV.

Laus boni Imperatoris ab adjunctis.
Plin. ibid.

1. *Summa virtute Imperatores præditos esse decet, ut Trajanus est.*

2. *Forma quoque & dignitas corporis eidem inest.*

3. *Deus sub Nerva Militis castrorumque dissolutionem ac tumultum admisisse visus est, ut Trajanus instaurator gloriosus accederet.*

4. *Nerva Trajanum ob virtutem, non sanguinem ad imperium cooptavit, ut hujus beneficio concussum stabiliret.*

1. Sæpe ego mecum P. C. tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteat, cujus ditione, nutuque maria, terræ, pax, bella regerentur, cum interea fingenti, formantique mihi Principem, quem æquata diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit, similem huic, quem videmus. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit. Ille quæsitam domi gloriam, in publico: hic in publico partam, domi perdidit. Postremò adhuc nemo extitit, cujus virtutes ullo vitiorum confinio læderentur. At principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contingit, ut nihil se veritati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahitur!

2. Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Deûm festinatis senectutis insignibus ad augendam majestatem ornata cæsaries, nonnè longè latéque principem ostentant? Talem esse oportuit, quem non bella civilia, nec armis oppressa respubl. sed pax, & adoptio, & tandem exorata terris numina dedissent.

3. Quare ego illum ipsum furorem, motumque castrensem reor extitisse, quia magna vi, magnoque terrore modestia tua vincenda erat. Ac sicut maris, cœlique temperiem turbines tempestatesque commendant; ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda noscantur. Occultat utrorumque semina Deus, & plerumque bonorum malorumque causæ sub diversa specie latent. Magnum quidem illud seculo dedecus, magnum reipubl. vulnus

nus impressum est. Imperator & parens generis humani obsessus, captus, inclusus, ablata mitissimo seni servandorum hominum potestas, ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quòd nihil cogitur. Si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret, propè est, ut exclamem tanti fuisse. Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector, emendatorque contingeres: inductum pessimum exemplum, ut optimum opponeretur. Postremò coactus Princeps quos nollet occidere, ut daret Principem, qui cogi non posset.

4. Olim tu quidem adoptari merebare: sed nescissemus, quantum tibi deberet imperium, si antè adoptatus esses. Expectatum est tempus, quo liqueret, non tam accepisse te beneficium, quam dedisse. Confugit in sinum tuum concussa Respubl. ruensque imperium super imperatorem, imperatoris tibi voce delatum est. Imploratus adoptione, & accitus es. Ut olim duces magni à peregrinis, externisque bellis ad opem patriæ ferendam revocari solebant: ita filius ac parens, uno eodemque momento rem maximam invicem præstitistis. Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo adhuc, cui pro munere tanto paria accipiendo fecisti, imò ultra dantem obligasti: communicato enim imperio solicitior tu, ille securior factus est. O novum, atque inauditum ad principatum iter, non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor principem fecit. Videaris licet, quod est amplissimum, consecutus inter homines: felicius tamen erat illud, quod reliquisti, sub bono principe privatus esse desiisti: assumptus es in laborum, curarumque consortium, nec te læta, & prospera stationis istius, aspera, & dura ad capessendam eam compulerunt. Suscepisti imperium, postquam alium suscepti pœnitebat. Nulla adoptati cum eo qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo, nisi quod uterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere.

V.

Laus à modestia, ab effectis. *ib.*

Tuam magnanimitatem verò, an modestiam an beni-

gnitatem prius mirer? Magnanimitas fuit expetito semper honore abstinere, modestia cedere, benignitas per alios frui. Sed jam tempus est, te ipsi consulatui præstare, ut majorem eum suscipiendo, gerendoque facias: nam sæpius recusare, ambiguam, ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. Tu quidem ut maximum recusasti, sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando & non recusaveris. Cum arcus, cum trophæa, cum statuas deprecaris, tribuenda est verecundiæ tuæ venia: illa enim sanè tibi dicantur. Nunc verò postulamus, ut futuros Principes doceas inertiæ renuntiare, paulisper delicias differre, paulisper, & saltem ad brevissimum tempus ex illo felicitatis somno, velut excitatos induere prætextam, quam cum dare possent, occuparint: ascendere curulem, quam detineant: esse denique, quod concupierunt, nec ideo tantum velle consules fieri, ut fuerint. Gessisti alterum consulatum, scio, illum exercitibus, illum provinciis, illum etiam exteris gentibus poteris imputare, non potes nobis. Audimus quidem te omne munus consulis obiisse, sed audimus, diceris justissimus, humanissimus fuisse: sed diceris, æquum est aliquando nos judicio nostro, nostris oculis, non famæ semper & rumoribus credere. Quousque absentes de absente gaudebimus? liceat experiri, an aliquid superbiæ tibi ille ipse secundus consulatus attulerit: vis illud augustissimum consul aliquando tribunal majestati suæ reddere? ascende. Vis constare reverentiam magistratibus, legibus autoritatem, modestiam postulantibu?s adi.

VI.

Laus à *causa exemplari*.ib.

1. Principis Trajani exemplo subditi ad virtutem imitatione formantur.

2. Artes quoque Doctoresque sapientiæ ab eodem revocantur per Domitianum Imper. neglecti.

1. Ostentas quasi specimen, & exemplar, quæ tibi secta vitæ, quod hominum genus placeat & ideo non censuram adhuc

adhuc, non præfecturam morum recepisti: quia tibi beneficiis potius, quàm remediis ingenia nostra experiri placet, & alioqui nescio an plus moribus conferat princeps, qui bonos esse patitur, quàm qui cogit. Flexibiles quamcunque in partem ducimur à principe, atque (ut ita dicam) sequaces sumus: huic enim chari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverunt dissimiles: eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Porrò non tam sinistrè constitutum est, ut qui malum principem possumus, bonum non possimus imitari. Perge modo Cæsar, & vim effectumque censuræ, tuum propositum, tui actus obtinebunt: vita principis censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo, quippe infidelis recti Magister est metus, melius homines exemplis docentur, quæ inprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt fieri posse.

3. Quid utinam? quid mores juventutis? quam principaliter formas? quem honorem dicendi magistris? quam dignitatem sapientiæ doctoribus habes? ut sub te spiritum & sanguinem, & patriam receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quàm reverentia relegaret? at tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes: præstas enim quæcunque præcipiunt, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris.

VII.

Laus liberalis *ab effectis, & remotione contrariorum.*

Trajanus Imper. liberalis in opulentorum prædiorum largitionibus, & exulum ad sua bona revocatione.

Cum rebus tuis, ut participes perfruamur, quæ habemus ipsi, quam propria, quàm nostra sunt? non enim exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem

omnem etiam saltum immensa possessione circumvenis, nec unius oculis flumina, fontes maria deserviunt. Tandemque Imperium Principis, quam patrimonium majus est. Multa enim ex patrimonio refert in Imperium, quæ priores Principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius. Ergo in vestigia, sedesque nobilium immigrant pares domini, nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur, aut fœda vastitate procumbunt. Datur intueri pulcherrimas ædes deterso situ auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modo sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera, eodem, quo extructa sunt, animo, ab interitu vindicare: muta quidem illa, & anima carentia: sentire tamen, & lætari videntur, quod nitcant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse domini non servienti. Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venialium, quod sit detestanda avaritia illius, qui tam multa concupiscebat, cum haberet supervacua tam multa. Tunc exitialis erat apud Principem, huic laxior domus, illa amœnior villa. Nunc Princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit: ipsos illos magni aliquando Imperatoris, illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum, licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas Principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos principalibus rebus existimet dignos: nos non timeamus, quod digni esse videmur. Nunc vero emendi tantum civibus tuis copiam præbes, sed amœnissima quæque largiris & donas: ita inquam donas, in quæ electus, in quæ adoptatus es: transfers, quod judicio accepisti: ac nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes. Idem tam parcus in ædificando, quam diligens in tuendo. Itaque non, ut antè, immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur, stant securæ domus, nec jam templa nutantia. Satis est tibi, nimiumque, cum successoris frugalissimo Principi, magis rejicere aliquid, & amputare ex iis, quæ Princeps tamquam necessaria reliquit.

VIII. Laus

VIII.

Laus *liberalis ab enumeratione partium*.ib.

1. Distribuit congiarium ex propriis bonis in cives inopes.

2. Neque,ut nonnulli alii, liberalitate alia sua flagitia compensare nititur.

3. Quinque millia ingenuorum alit in usum malitia.

4. Annonam,ut quondam Pompejus, copiosám reipubl. sine rapinis sufficit.

1. Nihil magis in tua tota liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo. Neque à te liberi civium,ut ferarum catuli, ſanguine & cædibus nutriuntur: quodque gratiſſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod nemini eſt ereptum, locupletatiſque tam multis,pauperiorem eſſe factum principem tantum: quanquam ne hunc quidem: nam cujus eſt, quidquid eſt omnium, tantum ipſe,quantum omnes habet.

2. Aliò me vocat numeroſa gloria tua, Aliò autem? quaſi verò jam ſatis veneratus miratuſque ſis, quod tantam pecuniam profudiſti,non ut flagitii tibi conſcius ab inſectatione ejus averteres famam, nec ut triſtes hominum mœſtoſque ſermones lætiore materia detineres, nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemiſti: nec tibi benefaciendi fuit cauſa,ut quæ malè faceres, impunè feciſſes: amor impendio iſto, non venia quæſita eſt: popoluſque Romanus obligatus à tribunali tuo, non exoratus receſſit. Obtuliſti enim congiarium gaudentibus gaudens, ſecuruſque ſecuris: quodque antea Principes ad odium ſui leniendum timentibus plebis animis objectabant, id tu tam innocens populo dediſti, quàm populus accepit.

3. Paulò minus Patres, quinque millia ingenuorum fuerunt,quæ liberalitas Principis noſtri conquiſivit, invenit,adſcivit: hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis, publicis ſumptibus aluntur: patriamque, non ut patriam tantùm, verùm ut altricem amare condiſcunt. Ex his caſtra,ex his tribus replebuntur, ex his quandoque naſcentur, quibus alimentis opus non ſit, Dent tibi Cæſar

ætatem

ætatem Dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: & quantò majorem infantium turbam, iterum atque iterum videbis incidi (augetur enim quotidie & crescit, non quia chariores parentibus liberi, sed quia Principi cives) dabis congiaria si voles, præstabis alimentum, si voles, illi tamen propter te nascuntur.

4. Instar ego perpetui congiarii reor affluentiam annonæ, hujus aliquando cura Pompejo non minus addidit gloriæ, quàm pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis, occidensque lustratus. Nec verò ille civilius quàm parens noster, auctoritate, consilio, fide reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut quod genitum esset unquam, id apud omnes natum esse videretur. Nonne cernere datur, ut sine ullius injuria omnibus usibus nostris annus exuberet? quippe non ut ex hostico raptæ, perituræque in horreis messes, nequicquam quiritantibus sociis auferuntur: devehunt ipsi, quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit, nec novis dictionibus pressi, ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus, quidquid videtur emere, inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem, videntemque conveniat: inde hic satietas, nec fames usquam.

IX.

Laus *à factis studiis exercitationum honestis*.ib.

1. Venationis & quandoque etiam navigationis studiis corpus exercebat.

2. Animum per hæc exercitamenta à voluptatibus abstrahebat.

3. Vitia virtutesque Principum occultari nequeunt, quod Trajano ad gloriam cessit.

1. Quæ remissio tibi nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium juga, & horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adjutum: atque inter hæc pia mente adire lucos, & occursare numinibus? olim hæc experientia juventutis,

hæc

hæc voluntas erat: his artibus futuri Duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris, cursu: cum audacibus robore: cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur, submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor. Usurpabant gloriam istam illi quoque principes, qui obire non poterant: usurpabant autem ita, ut domitas fractisque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas mentita fugacitate colligerent. Huic par capiendi, quærendique sudor, summusque, & idem gratissimus labor invenire. Enim vero si quando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela, aut oculis sequitur, aut manibus: sed nunc gubernaculis assidet, nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque transfretare obstanti freta.

2. Nec verò laudaverim per se magnopere duritiam corporis, ac lacertorum: sed si his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad senitiem, luxumque detorqueant: tunc ego seu montibus, seu mari exerceatur, & lætum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirabor. Video enim jam inde antiquitus maritos Dearum, & Deorum liberos, nec dignitate nuptiarum magis, quam his artibus inclaruisse. Simul cogito, cum sint ista ludus, & avocamentum hujus: illæ feriæ, & internæ, & à quibus se in tale otium recipit, voluptates. Sunt enim voluptates, quibus optimè de cujusque gravitate, sanctitate, temperantia ceditur. Nam quis adeo dissolutus, cujus non occupationibus aliqua species servitutis insideat? otio prodimur. An non plerique Principes hoc idem tempus in aleam, stupra, luxum, conferebant, cum seriarum laxamenta curarum, vitiorum, contentione supplerent?

3. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principium vero non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosque successus recludit; omniaque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat. Sed tibi Cæsar nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quam penitus inspici. Sunt quidem præclara, quæ in publi-

publicum profers, sed non minora ea, quæ lumine tenes. Est magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis, ac revocas: sed magnificentius quod tuos. Quantò enim magis arduum est alios præstare, quàm se: tantò laudabilius, quòd, cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.

X.

Laus Imperatoris *à demissione* ib.

1. Quod laus vera & memoria virtutis potior sit, illaque etiam honoris insignia improbis Principibus ex adulatione delata sint.

2. Rectè tamen ab eodem admitti effigies, quales olim privatorum hominum fuerunt.

3. Virtus Principis magis perennat, quam statuæ; cum has vestutas consumat, illis existimatio perpetua sit. Plin Paneg. mihi p. 47.

5. Ego titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus, aut saxis nomen suum, sed monimentis æternæ laudis inciditur. Ibit in sæcula, fuisse Principem, cui florenti, & incolumi nunquam nisi modici honores, sæpius nulli decernerentur. Et sanè si velimus cum priorum temporum necessitate certare, vincemur: ingeniosior est enim ad excogitandum simulatio veritate, servitus libertate, metus amore. Simul cum jam pridem novitas omnis adulatione consumpta sit, non alius erga te novus honor superest, quam si aliquando de te tacere audeamus.

2. Age, si quando pietas nostra silentium rupit, & verecundiam tuam vicit, quæ qualiaque aut decernimus nos, aut tu non recusas, ut appareat non superbia, & fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius hoc Cæsar, quàm si recusares omnes, nam recusare omnes ambitionis, moderationis est eligere parcissimos. Quo temperamento & nobis, & ærario prodes, quod sumptibus ejus adhibes modum, & qui exhaustum non sis innocentium bonis repleturus. Stant igitur effigies tuæ, quales olim ab egregia in Rempubl. merita privatis dicabantur: visuntur eâdem è materia Cæsaris statuæ, qua Brutorum, qua Camillorum. Nec discrepat causa:

illi

illi enim Reges, hostemque victorem mœnibus depulerunt: hic regnum ipsum, quæque alia captivitas gignit, arcet, ac submovet, sedemque obtinet Principis, ne sit Domino locus.

3. Ac mihi intuenti sapientiam tuam, minus mirum videtur, quod mortales istos, caducosque titulos aut depreceris, aut temperes. Scis enim ubi vera Principis, ubi sempiterna sit gloria, ubi sint honores, in quo nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arcus enim & statuas, ars etiam, templaque demolitur, & obscurat oblivio, negligit, carpitque posteritas: contra contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frenator animus, ipsa vetustate florescit, nec ab illis magis laudatur, quam quibus maximè necesse est. Præterea ut quisquis factus est Princeps, extemplo fama ejus, incertum bona, an mala, cæterum æterna est. Non ergo perpetua Principi fama, quæ invitum manet, sed bona concupiscenda est: ea porrò non imaginibus, & statuis, sed virtute, ac meritis prorogatur. Quia etiam leviora hæc, formam Principis, figuramque, non aurum melius, vel argentum, quàm favor hominum exprimit, tenetque, quod quidem prolixè tibi cumulatèque contingit, cujus lætissima facies, & amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo sedet.

XI.

Laus *à studio justitiæ.* ib.

Trajanus justitiam omnibus ex æquo & sine cunctatione administrans, velut numen aliquod terris præest.

Videmus ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum præsidiis occurrat, nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim: tandemque Principis fores exclusa legationum turba non obsidet. Quid in omnibus excogitationibus, quam multis severitas, quàm non dissoluta clementia? non locupletando fisco sedes, nec aliud tibi sententiæ suæ pretium, quàm benè judicasse. Stant ante te litigatores

non de fortunis ſuis , ſed de tua æſtimatione ſolliciti: nec tam verentur, quid de cauſa ſua , quàm quid de moribus ſentias. O vere Principis, atque etiam Conſulis, reconciliare æmulas civitates, tumenteſque populos, non imperio magis, quam ratione compeſcere: intercedere iniquitatibus magiſtratuum, intectumque reddere , quicquid fieri non oportuerit. Poſtremò velociſſimi ſideris inſtar, more omnia inviſere, omnia audire , & undecunque invocatum, ſtatim velut Numen adeſſe, & aſſiſtere. Talia eſſe crediderim, quæ ipſe mundi parens temperat nutu, ſi quando oculos demiſit in terras, & facta mortalium inter divina opera numerari dignatus eſt, quibus nunc per te liber, ſolutuſque cœlo tantùm vacat, poſtquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice ſuâ fungereris. Fungeris enim, ſufficiſque mandati , cum tibi dies omnis ſumma cum utilitate noſtra , ſumma cum tua laude condatur: Quodſi quando cum influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris.

XII.

Laus *ab amore ſubditorum.*

Trajani Imp. erga ſubditos, & ſubditorum erga Trajanum ſincerus amor.

Jam etiam & in privatorum animis exoleverat priſcum mortalium bonum amicitia, cujus in locum migraverant aſſentationes, blanditiæ, & pejor odio amoris ſimulatio: etenim in Principum domo nomen tantùm inane ſcilicet irriſumque remanebat , nam quæ poterat eſſe inter eos amicitia, quorum ſibi alii Domini , alii ſervi videbantur! tu hanc pulſam & errantem reduxiſti. Habes amicos, quia amicus ipſe es: neque enim ut alia ſubjectis, ita amor imperatur: neque eſt ullus affectus tam erectus, & liber, & damnationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Poteſt fortaſſe Princeps iniquè , poteſt tamen odio eſſe nonnullis: etiamſi ipſe non oderit: amari niſi amet, non poteſt. Diligis ergò, cum diligaris, & in eo, quod utrinque honeſtiſſimum eſt, tota gloria tua eſt, qui ſuperior factus, deſcen-

descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore submitteris: imo tunc maximè Imperator, cum amicum ex Imperatore agis. Etenim cum plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, præcipuum est Principis opus, amicos parare. Placet tibi semper hæc secta, & cum alias virtutes tuas, tum hanc constantissimè teneas: nec unquam persuadeatur humile esse Principi, nisi odisse. Jucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum utroque ita frueris, ut cum ipse ardentissimè diligas, adhuc tamen ardentius diligaris. Primum, quia facilius est unum amare, quam multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta, ut nemo possit te, nisi ingratus non magis amare. Operæ pretium est referre, quod tormentum tibi injunxeris, ne quid amico negares, dimisisti optimum virum, tibique charissimum invitus, & tristis, & quasi retinere non posses: quantum amares eum, desiderio expertus es, distractus, separatusque dum cedis & vinceris. Ita quod fando inauditum, cum Princeps & Principis amicus diversa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat.

XIII.

Laus humanitatis *à comparatione cum dissimili*, ib.

Trajani Imper. humana & socialis vita, cum Domitiani asperitate, & solitudine; illius in convictu securitas, cum hujus in secessu periculis componitur.

Securi & hilares, cùm commodum est, convenimus: & admittente Principe interdum est aliquid, quod nos domi, quasi magis necessarium teneat, excusari semper tibi, nec unquam excusandi sumus. Scis enim sibi quemque præstare, quod te videat, quod te frequentet, ac tantò liberalius ac diutius voluptatis hujus copiam præbes. Nec salutationes tuas fuga, & vastitas sequitur. Remoramur, resistimus, ut in communi domo, quam nuper illa immanissima bellua plurimo terrore munierat, cum velut

quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages, cedesque proferret. Observabantur foribus horror, & minæ, & par metus admissis, & exclusis. Ad hæc ipse occursu quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fœminæus pallor in corpore; in ore, impudentia multo rubore suffusa; non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper, secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret. Ille tamen, quibus sibi parietibus, & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum, & insidias, & ultorem scelerum Deum inclusit, dimovit, perfregitque custodias pœna, angustosque per aditus, & obstructos ac per apertas fores, & invitantia limina irrupit: longéque tunc illi divinitas sua, longè arcana illa cubilia, sævique secessus, in quos timore, & superbia, & odio hominum agebatur. Quantò nunc tutior, quantò securior eadem domus? postquam ejus non crudelitatis, sed amoris excubiis: non solitudine & claustris, sed civium celebritate defenditur: & quid ergo? Discimus exprimento fidissimam esse custodiam, principis ipsius innocentiam. Hæc arx incessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur. Num autem serias tantùm partes dierum in oculis nostris, cœtuque consumis? Num remissionibus tuis eadem frequentia, eademque illa socialitas interest? Num tibi semper in medio cibus, semperque mensa communis? Num ex convictu nostro mutua voluptas? num provocas, reddisque sermones? Num ipsum tempus epularum tuarum, cum frugalitas contrahat, extendit humanitas? Num enìm ante medium diem distentus solitaria cœna spectator adnotatorque convivis tuis immines? nec jejunis, & inanibus, plenus ipse eructans, non tam apponis, quam objicis cibos, quos dedigneris apponere? ægrèque perpessus superbam illam convinctus simulationem, rursus te ad clandestinam ganeam, occultumque luxum refers? Ergo non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum, sed suavitatem tuam jucunditatemque miramur, quibus nulla facietas adest, quando syncera omnia &

vera & ornata gravitate. Neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulantia mensa Principis oberrat, sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor. Inde tibi parcus & brevis somnus, nullumque amore nostri angustius tempus, quam quod sine nobis agis.

XIV.

Laus *à benevolentia.* ib.

Trajani Imper. benignitas & benevolentia erga suos, quos ante oppressos ad libertatem revocet.

Illuxerat primus consulatus tui dies, quo tu curiam ingressus, nunc singulos, nunc universos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curàs, invigilare publicis utilitatibus, & insurgere. Omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quàm blanditiæ principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos, quàm propitios habere? Te verò securi, & alacres quò vocas sequimur: jubes, esse liberos, erimus: jubes, quæ sentimus promere in medium, proferemus. Neque enim adhuc ignavia quadam & insito torpore cessavimus. Terror & metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut à Republica (erat autem omnino nulla respublica) oculos, aures, animos, averteremus. At nunc tua dextera, tuisque promissis freti, & innixi, obsepta diutina servitute ora reseramus; frenatamque tot malis linguam resolvimus. Vis enim tales esse nos, quales jubes: nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, denique quod credentem fallere paret; non sine periculo fallentis: neque enim unquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit. Equidem hunc parentis publici sensum, cum exhortatione ejus, tum pronuntiatione ipsa perspexisse videor. Quæ enim illa gravitas sententiarum? quam inaf-

inaffectata veritas verborum? quæ adseveratio in voce? quæ affirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides? Tenebit ergò semper, quod suaserit: scietque nos, quoties libertatem, quam dedit, experiemur, sibi parere: nec verendum est, ne incautos putet, si fidelitate temporum constanter utamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse.

XV.

Laus Pompei Magni, *ab attributis* boni Imperatoris.

Cicero *pro lege Manilia, circa medium.*

1. *Laudatur universè & sigillatim à scientia rei militaris.*
2. *A virtutibus diversis Imperatore summo dignis.*
3. *Ab authoritate, quam apud exteras gentes obtinuit.*
4. *A felicitate, quâ in maximis bellis semper usus est, statuiturque idcirco cæteris in bello contra Mithridatem præferendus.*

Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset; quemnam potissimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putetis. Nunc verò, cum sit unus C. Pompejus qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit: quæ res est, quæ cujusquam animum in hac causa dubium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, autoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam, aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo atque pueritiæ disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atq; in militiæ disciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator,

tor, qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit, quam cæteri legerunt? plures provincias confecit, quam alii concupiverunt? cujus adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperiis: non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est traducta? quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipubl. civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mistum ex civitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale, varia & diversa genera, & bellorum, & hostium, non solum, gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit.

2. Jam verò virtuti C. Pompeii quæ potest par oratio inveniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut audivimus, aut vidimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sylla, hujus virtute & subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit. Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit, testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quæ sæpissimè plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit, testis est iterum, & sæpius Italia, quæ cum servili bello tetro, periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione Pompeii attenuatum, atque imminutum est: adventu sublatum, ac sepultum, testes verò jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes, ac nationes: denique maria omnia, tum universa, tum in singulis oris omnes sinus, atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præsidium, ut tutus esset? aut tam fuit abditus ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut

tem mortis, aut servitutis periculo committeret, cùm aut hieme, aut referto prædonum mari navigaret: Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè divisum, atque dispersum, quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis à prædonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui præsidio, classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quàm multas, aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbes esse sociorum? tantum bellum, tam diuturnum, tam longe, lateque dispersum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extremâ hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. Est hæc divina, atque incredibilis virtus imperatoris, quid cæteræ, quas paulò ante commemorare cœperam, quantæ atque quam multæ sunt? non enim solùm bellandi virtus in summo, atque perfecto imperatore quærenda est: sed multæ sunt artes eximiæ, hujus administræ, comitesq; virtutis. Ac primùm quanta innocentia debentesse imperatores! quanta deinde omnibus in rebus temperantia! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate! Quæ breviter, qualia sint in Cn. Pompejo consideremus. Summa enim omnia sunt, Quirites: sed ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per sese cognosci, atque intelligi possunt. Quem enim possumus imperatorem aliquo in numero putare, cujus in exercitu veneant centuriatus, atque venierint? quid hunc hominem magnum, aut amplum de republ. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam, ad bellum administrandum, aut propter cupiditatem provinciæ magistratibus diviserit, aut propter avaritiam Romæ in quæstu reliquerit? Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui hæc fecerint. Ego autem nomino neminem, quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam imperatorum, quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros, atque oppida civium Rom. nostri imperatores

tores fecerunt, recordamini, tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini, per hosce annos, militum vestrorum armis, hostium urbes, an hibernis, sociorum civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult. Hic miramur, hunc hominem tantum excellere cæteris, cujus legiones si in Asiam pervenerunt, ut non modò manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam peccato nocuisse dicatur? Jam verò, quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones, & literæ perferuntur, non modo, ut sumptum faciat in militem, nemini vis affertur: sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiæ perfugium majores nostri in sociorum, atque amicorum tectis esse voluerunt Age verò cæteris in rebus quali sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum initum putatis? non enim illum eximia vis remigium, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras pertulerunt: sed hæ res, quæ cæteros remorari solet, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Postremò signa, & tabulas, cæteraque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de cœlo delapsum, intuentur: nunc denique incipiunt credere fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia: quod jam nationibus exteris incredibile, ac falsò memoriæ proditum videbatur: nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa majores suos tum, cùm hac temperantia magistratus habebamus, servire populo Rom. quàm imperare aliis maluisse. Jam verò ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Jam quantum consilio, quantum dicendi gravitate, & copia va-

leat, in quo ipso ineſt quædam dignitas impératoria, vos, Quirites, hoc ipſo in loco ſæpe cognoſcetis. Fidem verò ejus inter ſocios quantam exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam eſſe judicarint? Humanitate jam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrum hoſtes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Et quiſquam dubitavit, quin huic tantum bellum hoc tranſmittendum ſit, qui ad omnia noſtræ memoriæ bella conficienda, divino quodam conſilio natus eſſe videatur?

3. Et quoniam autoritas multum in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet, certè nemini dubium eſt, quin eâ in re idem ille imperator plurimum poſſit. Vehementer autem pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii imperatoribus veſtris exiſtiment, quis ignorat, cùm ſciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoveri? Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res geſtæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit auctoritatem, tanta & tam præclara ta judicia feciſtis? An verò ullam uſquam eſſe oram tam deſertam putatis, quò non illius diei fama pervaſerit, cùm univerſus populus Roman. referto foro, repletiſque omnibus templis, ex quibus hic locus conſpici poteſt, unum ſibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompejum imperatorem depoſcit? Itaque ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus autoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum exempla ſumantur: qui quo die à vobis maritimo bello præpoſitus eſt imperator, tanta repentè vilitas annonæ ex ſumma inopia, & charitate rei frumentariæ conſecuta eſt, unius ſpe & nomine, quantam vix ex ſumma ubertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. Jam verò, accepta in Ponto calamitate, ex eo prælio, de quo vos paulò antè invitus admonui, cum ſocii pertimuiſſent, hoſtium opes, animique creviſſent: cum ſatis firmum præſidium provincia non haberet, amiſiſſetis Aſiam Quirites, niſi ipſum id temporis divinitus Cn. Pompejum ad eas regiones

nes fortuna populi Rom. attulisset. Hujus adventus & Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit, & Tigranem magnis copiis minitantem Asiæ retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantùm auctoritate perfecerit? aut quàm facilè imperio, atque exercitu socios, & vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine, ac rumore defenderit? Age verò, illa res quantam declarat ejusdem hominis apud hostes populi Rom. auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore omnes unâ huic se dediderunt? quòd Cretensium legati, cùm in eorum insula noster imperator, exercitusque esset, ad Cn. Pompejum in ultimas propè terras venerunt, eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem ipse Mithridates, nónne ad eundem Cn. Pompejum, legatum usque in Hispaniam misit: cumque Pompejus legatum semper judicavit: ii, quibus semper erat molestum, ad eum potissimum esse missum, speculatorem, quam legatum indicare maluerunt? Potestis igitur jam constituere, Quirites, hanc autoritatem, multis posteà rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

4. Reliquum est, ut de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest, meminisse, & commemorare de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate Deorum timidè, & pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sæpius imperia mandata, atque exercitus esse commissos, fuit enim profectò quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas divinitus adjuncta fortuna. De hujus autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut præterita meminisse, reliqua sperari videamur, ne aut invisa aliis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiæque terra marique quantaque felicitate gesserit? ut ejus semper voluntatibus, non modò cives assenserint,

socii

assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint: sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint, hoc brevissimè dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à diis immortalibus tot, & tantas res tacitus auderet optare, quot, & quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt, quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites; cùm communis salutis, atque imperii, tum ipsius hominis causa (sicuti facitis; velle & optare debetis. Quare cùm bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit: ita magnum, ut accuratissimè sit administrandum: & cùm ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabimus, Quirites, quin hoc tantum boni, quod à diis immortalibus oblatum, & datum est, in rempubl. conservandam, atque amplificandam conferatis?

IMITATIO.

Propinqua imitatio harum orationum in cujuslibet magni Regis ac Principis cùm civilibus, tum bellicis virtutibus prædicandis, e.g. Tillii nostra ætate fortissimi militis, vel superioris seculi Alexandri Farnesii, vel etiam Caroli Quinti, adhiberi poterit. Remotior imitatio futura est, e.g. D. Franciscum Xaverium à scientia, virtute, ac felicitate convertendorum animorum, Iaponibus Chinensibusque Apostolum esse præficiendum doceas. Verbo, in omni genere Epidictico hic invenies imitatione digna, quæ ut lib. 1. praeceptis quibusdam complexi sumus; ita ex Plinio Secundo, ac Cicerone, laudatissimis, ac diversi ingenii scriptoribus, placuit hoc loco in exemplis proponere, quæ tutò ac cum laude sequeris.

CAPUT XVIII.

De hominum & scelerum vituperio.

NOn minus ad perstringendam improbitatem, atque illa quæ reprehensionem merentur vituperanda, instructus debet esse orator, quàm ornanda quæ laudem merentur. Quanquam verò is qui in uno versatus est encomiasti-

miastico genere ad reprehendendum imparatus esse vix possit, cum contrariorum disciplina sit eadem, & ab uno oppositorum illustretur alterum, tamen quia Ciceronis admirabilis ad perstringendum vis fuit. Hanc palæstræ epidicticæ partem, tanquam actum hoc in genere ultimum ex solo Tullio instruere placuit: qui ut priori aliquantò difficilior est; ita etiam futurus erit illustrior, perque omnes inventionum fontes, & nobiliores figurarum habitus, aliquot exemplis diducetur, quæ cum præceptis libri 1. erunt componenda.

In his exemplis apparebit, quæ in exornativo genere descriptionum vis sit, ex fonte inventionum primo, quemadmodum ab enumeratione partium, à causis, effectis, adjunctis, hoc est, locis propriis res amplificanda sit, quæ non minus in laudandis aliis, quam reprehendendis servire eloquentiæ studioso poterunt.

Exemplum 1.

Descriptio *improborum hominum, ac turbatæ reipubl.*

Cicero pro Sextio, *in principio orat. 1. ex vol. 3.*

1. Cicero furentem contra se inducit Clodium Tribunum pleb. Deinde duos graphicè depingit Consules, alterum mollem Gabinum, alterum Severum Pisonem, qui promissis à Clodio Provinciis adversus Ciceronem conjurarunt.

2. Lugentem hoc in casu urbem mutata veste inducit, vetantibus luctum consulibus, quorum leges quoque priscas abrogantium audaciam proponens exagitat.

3. Describit reipubl. pericula, si improbis restitisset, eamque secum conservatam esse contendit.

4. Suam ejectionem è republ cum importuna Consulum depradatione conjungi.

Antequam de Tribunatu P. Sexti incipiam, totum superioris anni reipubl. naufragium exponam. In quo colligendo, ac reficienda salute communi, omnia reperientur P. Sexti dicta, facta, consilia versata. Fuerat ille annus in reipubl. magno metu, & multorum timore, tanqu.

quam intentus arcus in me unum, ſicut vulgò ignari re-rum loquebantur: re quidem vera, in univerſæ reipubl. traductione ad plebem furibundi hominis, ac perditi, mihi irati, ſed multò acrius otii, & communis ſalutis inimici, hunc vir clariſſimus, mihique, multis repugnantibus, amiciſſimus Cn. Pompejus omni cautione, fœdere, execratione devinxerat, nihil tribunatu contra me eſſe facturum, at ille nefarius ex omnium ſcelerum colluvione natus, parum ſe fœdus violaturum arbitratus, niſi ipſum cautorem alieni periculi ſuis propriis periculis terruiſſet: hanc tetram immanemque belluam, vinctam auſpiciis, alligatam more majorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis, ſolvit ſubitò legum vinculis Conſul, vel ut ego arbitror exornatus, vel, ut nonnemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certè & impendentium tantorum ſcelerum ac malorum. Qui tribunus plebis felix in evertenda republ. fuit, nullus ſuis nervis, qui enim in ejuſmodi vita nervi eſſe potuerunt, hominis fraternis flagitiis, ſororis ſtupris, omnia inaudita libidine infamis? ſed fuit profectò quædam illa reipubl. fortuna fatalis, ut ille cœcus atque amens tribunus plebis nanciſceretur, quid dicam Conſules? hoccine ut ego appellem nomine, everſores hujus Imperij? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum Senatum, affligendum equeſtrem ordinem, extingenda omnia jura, atque inſtituta majorum ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris atque Imperii ornatos eſſe arbitrabantur, quorum, per Deos immortales, ſi nondum ſcelera vulneraque inuſta reipubl. vultis recordari, vultum, atque inceſſum animis intueamini, facilius facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis. Alter unguentis affluens, calamiſtrata coma, deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ ſuæ, puteali & fœneratorum gregibus inflatus, atque perculſus, olim, ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in tribunatus portum profugerat, contemnebat Equites Rom, minitabatur Senatui: venditabat ſe operis, atque ab iis ereptum, ne de ambitu cauſſam diceret, prædicabat: ab iiſdem ſe, etiam

etiam invito Senatu, provinciam ſperare dicebat: eamque niſi adeptus eſſet, ſe incolumem ullo modo fore arbitrabatur alter, ô Dii boni, quam teter incedebat, quàm truculentus, quam terribili aſpectu. Unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipubl. diceres tueri. Veſtitus aſperè, noſtra hac purpura plebeja ac penè fuſca, capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſa, duumviratum gerebat, Seplaſiam *(a)* ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pìgnus reipubl. videbatur? tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio Reſpublica, tanquam Atlante cœlum, niti videretur: erat denique hic omnium ſermo. Eſt tamen reipubl. magnum firmumque ſubſidium: habeo, quem opponam labi illi, atque cœno: vultu medius fidius collegæ ſui libidinem, levitatemque franget, habebit Senatus, in hunc annum quem ſequatur: non deerit auctor, & dux bonis, mihi denique homines præcipue gratulabantur, quod habiturus eſſem contra tribunum plebis furioſum, & audacem cum amicum, & affinem, tum etiam fortem & gravem conſulem. Atque eorum alter fefellit neminem, quis enim clavum tanti Imperii, & gubernacula reipubl. tractare in maximo curſu ac fluctibus poſſe arbitraretur, hominem emerſum ſubito ex diuturnis tenebris luſtrorum, ac ſtuprorum, vino, ganeis, lenociniis, adulteriiſque confectum, cum is præter ſpem in altiſſimo gradu, alienis opibus poſitus eſſet, qui non modò tempeſtatem intueri impendentem temulentus, ſed ne lucem quidem inſolitam aſpicere poſſet? alter multos planè in omnes partes fefellit: erat enim hominum opinioni nobilitate ipſa, blanda conciliatricula, commendatus. Omnes ſemper nobilitati favemus, & quia utile eſt reipubl. nobiles homines eſſe dignos majoribus ſuis, & quia valet apud nos clarum hominum, & bene de republ. meritorum memoria etiam mortuorum, quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum atque incultum videbant: & quod erat eo nomine

(a) *Vicus Capuæ urbis, in quo unguentarii & myropolæ erant.*

nomine, ut ingenerata familiæ frugalitas videretur: favebant, gaudebant, & ad integritatem majorum spe sua hominem vocabant, materni generis obliti. Ego autem (verè hoc dicam judices) tantum esse in homine sceleris, audaciæ, crudelitatis, quantum ipse cum republ. sensi, nunquam putavi: nequam esse hominem, & levem, & falsa opinione, errore hominum, ab adolescentia commendatum sciebam, etenim animus ejus vultu, flagitia parietibus tegebantur. Sed hæc obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit. Videbamus genus vitæ, desidiam, inertiam: inclusas ejus libidines, qui paulò propius accesserant, intuebantur. Denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos ejus sensus tenere possemus. Laudabat homo doctus Philosophos nescio quos: neque eorum tamen nomina poterat dicere: sed eos tamen laudabat maximè, qui dicuntur præter cæteros esse auctores, & laudatores voluptatis: cujus, & quo tempore, & quo modo, non quærebat: verbum ipsum omnibus modis animi, & corporis devorabat: eosdemque præclarè dicere ajebat, sapientes omnia sua causa facere: rempubl. capessere hominem benè sanum non oportere, nihil esse præstabilius otiosa vita, & plena, & conferta voluptatibus. Eos autem, qui dicerent dignitati esse serviendum, reipubl. consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi esse ducendam, subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. Ex his assiduis ejus quotidianisque sermonibus, & quod videbam, quibus cum hominibus in interiore ædium parte viveret, & quòd ita domus ipsa fumabat, ut multa ejus sermonis indicia redoleret, statuebam sic, boni nihil ab illis nugis exspectandum, mali quidem certè nihil pertimescendum. Sed ita est, judices: ut, si gladium parvo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa & ferri viribus vulnerari: ita, cum hominibus enervatis, atque exanguibus consulatus tantus, tanquam gladius esset datus; qui per se pungere neminem unquam potuissent, hi, summi Imperii nomine armati, rempubl. contruci-

trucidaverunt : fedus fecerunt cum tribuno plebis palàm; ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent: exercitum, & pecuniam, quantam vellent, eâ lege, si ipsi prius tribuno pleb. afflictam rempublicam tradidissent: id autem fedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant.

2. Qua re patefacta (neque enim dissimulari tantum scelus poterat, nec latere) promulgantur eodemque tempore rogationes ab uno tribuno de mea pernicie, & de provinciis Consulum nominatim. Hîc tum senatus solicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum, atque ordinum cives summæ reipubl. à Consulibus, atque à summo Imperio petendum esse auxilium arbitrabantur; cum illi soli essent, præter furiosum illum tribunum, duo reipubl. turbines, qui non modò præcipitanti patriæ non subvenirent, sed etiam nimium tardè concidere mœrerent. Flagitabatur ab his quotidie cum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus Senatus, ut meam causam susciperent, agerent aliquid, denique ad Senatum referrent. hic non modò negando, sed etiam irridendo, amplissimum quemque illius ordinis insequebantur. Hic subitò, cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes, meque etiam omni ratione privato consilio (quoniam publicis ducibus respubl. careret) defendendum putarunt. Erat eodem tempore senatus in æde concordiæ, quod ipsum templum repræsentabat memoriam consulatus mei, cum flens universus ordo Concinnatum Consulem orabat. Nam alter ille horridus, & severus consultò se domi continebat, qua tum superbia cœnum illud, ac labes, amplissimi ordinis preces, ac clarissimorum civium lacrymas repudiavit? me ipsum ut contempsit helluo patriæ? nam quid ego patrimonii, dicam? quod ille, cum quasi quæstum faceret, amisit. Cum venisset ad Senatum; vos, vos inquam, Rom. & omnes boni, veste mutata, vos pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi projecistis, cum, vestris precibus à latrone illo repudiatis, ut incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Mummius ad Senatum de Republ. retulit, Senatusque frequens vestem pro mea salute mutandum censuit. O diem illum judices, funestum Senatui, bonisque omnibus reipubl. luctuosum, mihi ad domesticum mœrorem gravem, ad posteritatis me-

moriam gloriosum. Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quàm pro uno cive & bonos omnes privato consensu, & universum Senatum publico consilio mutasse vestem? quæ quidem tum mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus. quem enim deprecarentur, cum omnes essent sordidati? cumque hoc satis esset signi esse improbum, qui mutata veste non esset. Erat igitur in luctu Senatus: squalebat civitas publico consilio mutata veste: nullum erat Italiæ mancipium, nulla Colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas vectigalium, nullum collegium, aut concilium, quod tunc non honorificentissimè decrevisset de mea salute: cum subitò edicunt duo consules, ut ad suum vestitum Senatores redirent. Quis unquam Consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis Tyrannus miseros lugere vetuit? parumne est Piso (ut omittam Gabinium) quòd tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem Senatus, optimi cujusque consilia contemneres? reipublicæ proderes? consulare nomen affligeres? etiamne edicere audeas, ne mœrerent homines meam, suam, reipublicæ calamitatem? néve hunc suum dolorem veste mutata significarent? nam sive illa vestis mutatio ad luctum ipsum, sive ad deprecandum valebat, quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi mœrere, aut cæteris supplicare? quid? sua sponte homines in amicorum periculis vestitum mutare non solent? pro teipso Piso nemóne mutavit: ne isti quidem, quos legatos, non modò nullo Se natus Consulto, sed etiam repugnante Senatu, tute tibi legasti? ergò hominis desperati, & proditoris reip ubl. casum lugebunt fortasse qui volent: civis florentissimi benevolentia bonorum, & optimè de salute patriæ meriti periculum conjunctum cum periculo civitatis lugere Senatui non licebit? iidem consules, (si appellandi sunt Consules, quos nemo est, qui non modò ex memoria, sed ex fastis evellendos non putet) pacto jam federe provinciarum producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia, ac peste patriæ, maximo cum gemitu vestro, omnia, quæ tum contra me, contraque rempublicam dixerant, voce ac sententia sua comprobaverunt. Iisdem Consulibus sedentibus, atque inspectantibus lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet

ut omnibus festis diebus legem ferri liceret, ut lex Ælia, lex Fusia, ne valeret. Qua una rogatione, quis est, qui non intelligat, universam rempublicam esse deletam? iisdem Consulibus inspectantibus, servorum delectus habebantur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur; ad vim, ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur. Iisdem Consulibus arma in templum Castoris palàm comportabantur: gradus ejusdem templi tollebantur, armati homines forum, & conciones tenebant: cædes, lapidationes fiebant, nullus erat Senatus, nihil reliqui Magistratus: unus omnem omnium potestatem armis, & latrociniis possidebat, non aliqua vi sua, sed cum duos Consules à republica provinciarum fœdere retraxisset: insultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore, ac metu multos, plures etiam spe, & promissis tenebat. Quæ cum essent ejusmodi, judices: cum Senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet: equester ordo reus à Consulibus citaretur: Italiæ totius auctoritas repudiaretur, alii nominatim relegarentur: alii metu, ac periculo terrerentur: arma essent in templis, armati in foro, eaque non silentio consulum dissimularentur, sed & voce, & sententia comprobarentur, cum omnes urbem nondum excisam & eversam, sed jam captam, atque oppressam videremus: tamen his tantis malis tanto bonorum studio restitissemus; sed me alii metus, atque aliæ curæ, suspicionesque moverunt.

3. Forsan nonnemo vir fortis, acris animi magnique dixerit, restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses. De quo te, te inquam, patria obtestor, & vos penates patriiq; Dii, me vestrarum sedium, templorumque causa, me propter salutem meorum civium, quæ mihi semper fuit mea charior vita, dimicationem cædemque fugisse. etiam si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc judices accidisset, ut multi ex multis locis prædones classibus, eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedissent: si id vectores negarent, ac mecum simul interire, quàm me tradere hostibus mallent: jecissem me ipse potius in profundum, ut cæteros conservarem, quàm illos mei tam cupidos, non modo ad certam mortem, sed in magnum vitæ discrimen adducerem. cum verò in hanc reipublic. navem,

ereptis Senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum, armatæ tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursuræ viderentur, cum proscriptio, cædes, direptio denunciarentur: cum alii me suspicione periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obstare sibi me arbitrarentur, alii ulcisci dolorem suum aliquem mallent, alii rem ipsam publicam atque hunc bonorum statum ociumque odissent, & ob hasce causas tot tamque varias me unum deposcerent: depugnarem potius, cum summo, ne dicam exitio, sed periculo certè vestro, liberorumque vestrorum, quàm non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem ac subirem? victi essent improbi: at cives, at ab eo privato, qui sine armis etiam rempubl. Consul conservarat. Sin victi essent boni, qui superessent? non ad servos videtis rem venturam fuisse? an mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortémne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam non mihi mores, non exilium ob oculos versabantur? non hæc denique à me tum, tanquam fata, in re ipsa gerenda concinebantur, an erat mihi in tanto luctu meorum tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers consilii, aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo, quærendoque cognoveram? nesciebam vitæ brevem esse cursum, gloriæ sempiternum? cum esset omnibus definita mors, optandum esset, ut vita quæ necessitati deberetur, patriæ potius donata, quàm reservata naturæ videretur? servavi igitur rempublicam discessu meo, judices: cædem à vobis liberisque vestris, vastitatem, incendia, rapinas meo dolore luctuque depuli, & unus rempubl. bis servavi, semel gloria, iterum ærumna mea. Neque enim in hoc me hominem esse inficiabor unquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis, fidissima conjuge, vestro conspectu, patria, hoc honoris gradu, sine dolore caruisse glorier. Quod si fecissem; quod à me beneficium haberetis, cum pro vobis ea, quæ mihi essent vilia, reliquissem? hoc meo quidem animo, summi in patriam amoris mei signum esse debet certissimum,

mum, quòd, cum abesse ab ea non possem sine summo dolore, hunc me perpeti, quam illam labefactari ab improbis, malui. Memineram, judices, divinum illum virum, atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii hujus, C. Marium, summâ senectute, cum propè vim justorum armorum profugisset, primò senile corpus paludibus occultasse demersum, deinde ad infirmorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse, inde navigio perparvo, cum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africæ desertissimas pervenisse. atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem, & ad reipubl. statum reservavit: ego, qui (quemadmodum multi in senatu me absente dixerunt) periculo reipubl. vivebam, quique ob eam causam consularium literis de senatus sententia exteris nationibus commendabar, nonne, si meam vitam deseruissem, rempubl. prodidissem? in quo quidem nunc, me restituto, vivit mecum simul exemplum reipubl. defendendæ. Quod si immortale retinetur, quis non intelligit immortalem hanc civitatem futuram.

4. Sed ut revertar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum, omnibus malis illo anno scelere consulum rempubl. esse confectam: primùm illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, cum ego me è complexu patriæ, conspectuque vestro eripuissem, & metu periculi vestri, non mei, furori hominis, sceleri, perfidiæ, telis, minisque cessissem: patriamque, quæ mihi erat charissima, propter ipsius patriæ caritatem reliquissem, cum meum illum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent: nemo vestrum forum, nemo curiam, nemo lucem aspicere vellet: illo inquam, ipso die, die dico? imò hora, atque etiam puncto temporis eodem, quo mihi reique publicæ pernicies, Gabinio & Pisoni provincia rogata est. Prô Dii immortales, custodes & conservatores hujus urbis, atq; imperii! quænam illa in republ. monstra, quæ scelera vidistis? civis erat expulsus is, qui rempubl. ex Senatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulsus non alio aliquo, sed eo ipso crimine. Erat autem expulsus sine judicio, vi, lapidibus, ferro, servitio denique concitato: lex erat lata vastato ac relicto foro, sicariis, servisque tradito, & ea lex, quæ ut ne ferretur,

Senatus fuerat veste mutata. Hæc tanta perturbatione civitatis, ne noctem quidem consules inter meum discrimen & eorum prædam interesse passi sunt: statim me percluso, ad meum sanguinem hauriendum, & spirante etiam republ. ad ejus spolia detrahenda advolaverunt. Omitto gratulationes, epulas, partitionem ærarii: beneficia, spem, promissa, prædam, lætitiam paucorum in luctu omnium. Vexabatur uxor mea: liberi ad necem quærebantur: gener, & Piso gener, à Pisonis consulis pedibus supplex rejiciebatur: bona diripiebantur, eaque ad consules deferebantur: domus ardebat in palatio: consules epulabantur qui si meis incommodis lætabantur, urbis tamen periculo commoverentur.

IMITATIO.

Egregium in Ioanne Chrysostomo Constantinopoli propter Eudoxiam Augustam & sceleratos Episcopos ipsi faventes, in exilium ejecto, ad imitandum exemplum proponitur, ut qui invito populo, & bonis omnibus, ultrò cessit improborum audaciæ, ne probi secum perirent, magno rursum honore revocatus. In qua historia plurima cum Ciceronis *exilio conveniunt.*

II.

Catilinæ exilium & conjuratorum scelera enumeratione atque oppositione amplificata, & perstricta.

Cicero orat. 2. in Catil.

1. *Catilinam seleratum urbe egressum esse, variâ ejusdem rei amplificatione, gaudet.*
2. *Optat, & hortatur, ut reliqui ex nefaria societate sequantur, recusantibus minatur.*
3. *Catilinam postremò extra urbem cùm reliquis conjuratis facilè opprimendum ostendit.*

Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis, atque huic orbi ferrum, flammamque minitantem

tem, ex urbe, vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe, prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla jam pernicies à monstro illo, atque prodigio mœnibus ipsis intra mœnia comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domestici ducem sine controversia vicimus, non enim jam inter latera nostra sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est, cum ex urbe depulsus: palàm jam cum hoste, nullo impediente bellum justum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. Quod verò non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quòd vivis nobis egressus est, quòd ei ferrum de manibus extorsimus, quòd incolumes cives, quod stantem urbem reliquit: quanto tandem illum mœrore afflictum esse, & profligatum putatis? Jacet ille nunc prostratus, Quirites, & se perculsum atque abjectum esse sentit, & retorquet oculos profectò sæpè ad hanc urbem; quam ex suis faucibus ereptam esse luget.

2 Hunc verò si sui fuerint comites secuti: si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges, ô nos beatos! ô rempubl. fortunatam! ô præclaram laudem consulatus mei! Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ, ac tolerandæ, nihil cogitant, nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt; fortunas suas abligurierunt: res eos jam pridem, fides deficere nuper cœpit: eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quòd si in vino, & alea commessationes solum, & scorta quærerent: essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? qui accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem honorum, atque urbis incendia. Quibus ego confido impendêre fatum aliquod: & pœnas jam diu improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini debitas, aut instare jam planè, aut certè jam appropinquare. Quos si meus consulatus, quoniam

ſanare non poteſt, ſuſtulerit : non breve neſcio quod tempus, ſed multa ſecula propagarit reipubl: Nulla eſt enim ratio, quam pertimeſcamus : nullus rex, qui bellum populo Rom. inferre poſſit. omnia ſunt externa, unius virtute, terra, marique pacata. domeſticum bellum manet ? intus inſidiæ ſunt : intus incluſum periculum eſt : intus eſt hoſtis. cum luxuria nobis, cum amentia, cum ſcelere certandum eſt, Huic ego me bello ducem profiteor, Quirites, ſuſcipio inimicitias hominum perditorum. Quæ ſanari poterunt, quacunque ratione ſanabo : quæ reſecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere. Proinde, aut exeant, aut quieſcant: aut, ſi in urbe, & in eadem mente permanent : ea, quæ merentur, exſpectent.

3. Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias, veſtra præſidia, veſtroſque exercitus : & primùm gladiatori illi confecto & ſaucio, conſules, imperatoreſque veſtros opponite : deinde contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, ac robur educite. jam verò urbes Coloniarum, municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus. Neque verò cæteras opes, ornamenta, præſidia veſtra cum illius latronis inopia atque egeſtate debeo conferre. Sed, ſi omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuperamus, eget ille, ſenatu, equitibus, populo, Rom. urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus, ſi inquam his rebus omiſſis, ipſas cauſas, quæ inter ſe confligunt, contendere velimus : ex eo ipſo, quam valdè illi jaceant, intelligere poſſumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc fraudatio ; hinc pietas, illinc ſcelus ; hinc conſtantia, illinc furor : hinc honeſtas, illinc turpitudo : hinc continentia, illinc libido : denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus : poſtremò copiæ cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. In hujuſmodi certamine ac prælio, nonne, etiamſi hominum ſtudia deficiant, Dii ipſi immortales cogent ab his præclariſſimis virtutibus, tot & tanta vitia ſuperari ? Quæ cum ita ſint Quirites, vos, quemadmodum jam antea dixi, veſtra tecta cuſtodiis, vigiliiſque

liisque defendite: mihi, ut urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu satis esset præsidii, consultum, ac provisum est. Coloni omnes, municipesque vestri, certiores à me facti de hac nocturnâ excursatione Catilinæ, facilè urbes suas, finesque defendent; gladiatores, quam sibi illè maximam manum, & certissimam fore putavit, quamquam animo meliore sunt, quàm pars patriciorum potestate tamen in vestra continebuntur. Q. Metellus, quem ego prospiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumque præmisi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus, conatusque prohibebit, reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, jam ad Senatum referemus, quem vocari videtis. Nunc illos qui in urbe remanserunt, atque adeò qui contra urbis salutem, omniumque vestrum, in urbe à Catilina relicti sunt, quamquam sunt hostes, tamen quia nati sunt cives, monitos etiam, atque etiam volo. Mea lenitas adhuc sicubi solutior visa est, hoc expectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Quod reliquum est, jam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse Consulem: mihi aut cùm his vivendum, aut pro his esse moriendum. Nullus est portis custos, nullus insidiator viæ: siqui exire volunt, consulere sibi possunt: qui verò in urbe se commoverit, cujus ego non modò factum, sed inceptum ullum, conatùmve contra patriam deprehendero: sentiet in hac urbe esse Consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem Senatum, esse arma, esse carcerem: quem vindicem nefariorum, ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt. Atque hæc omnia sic agentur, Quirites, ut res maximæ minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum, ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum, & maximum, me uno togato duce & imperatore, sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac urbe pœnam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestæ audaciæ, si impendens patriæ periculum me necessariò de hac animi lenitate deduxerint: illud profectò perficiam, quod in tanto & tam insidioso bello vix optandum videtur, ut nequis bonus intereat, paucorum pœnâ vos omnes salvi esse possitis. Quæ quidem ego, neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis & non dubiis Deorum immorta-

lium, significationibus: quibus ego ducibus in hanc spem, sententiamque sum ingressus: qui jam non procul, ut quondam solebant, ab extero hoste atque longinquo, sed hic præsentes suo numine, atque auxilio, sua templa, atque urbis tecta defendunt. Quos vos, Quirites, precari, venerari, atque implorare debetis, ut quam pulcherrimam, florentissimam, potentissimamque esse voluerunt, hanc omnibus hostium copiis, terra marique superatis, à perditissimorum civium nefario scelere defendant.

IMITATIO.

Adversari hæreticos, vel priscos, vel novitios Catholicæ Ecclesiæ exitium molientes. ut, e. g. Anabaptistas hujus aut superioris seculi. qui Monasteriensibus nefario sartore Leidensi duce exitium penè extremum attulerunt, Episcopo denique illam hominum pestem funditus evertente, similis potest oratio intorqueri.

III.

Quod Piso & Gabinius nihil in Provinciis dignum triumpho egerint, à causis & effectis, *cùm* descriptione *hinc natæ infamiæ, & sceleratæ conscientiæ pœna, mirificè exaggerat.*

Vol. 3. or. 6. in Pison. circa medium.

1. *Pisoni exprobrat, quod Macedoniæ Imperator electus literas ad Senatum, vel nullas dederit, vel ab amicis suppressæ sint. Gabinius dederit; sed cum probro fuerint rejectæ. Hanc verò tantam pœnam (qualis hæc infamia est) se negat à Diis exorare pro hostibus ausum fuisse.*

2. *Pœnam sceleratæ conscientiæ ob malè administratas spoliatasque Provincias, inflictas, jure asserit.*

1. Quis unquam Provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad Senatum miserit literas! quis ex Macedonia Consularis,

ſularis, qui quidem incolumis fuerit. qui non triumpharit? Appellatus eſt hic Vulturius (*Piso*) illius provinciæ (ſi Diis placet) imperator. ne tum quidem, Paule noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? Miſi, inquit. quis unquam recitavit? quis, ut recitarentur, poſtulavit? nihil enim mea refert, utrum tu conſcientia oppreſſus ſcelerum tuorum, nihil unquam auſus ſis ſcribere ad eum ordinem, quem deſpexeras, quem afflixeras, quem deleveras: an amici tui tabulas abdiderint. Atque haud ſcio, an malim te videri nullo pudore fuiſſe in literis mittendis, an animos tuos plus habuiſſe & pudoris & conſilii, quam aut te videri prudentiorem fuiſſe, quam ſoles; aut tuum factum non eſſe condemnatum judicio amicorum. Quòd ſi non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam præcluſiſſes, quid tandem erat actum, aut geſtum in illa provincia, de quo ſenatum cum gratulatione aliqua ſcribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amiſſio? an ſociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Theſſalonicæ? an obſeſſio militaris viæ? an exercitus noſtri interitus, ferro, fame, frigore, peſtilentia? tu verò, qui ad Senatum nihil ſcripſeris, ut in urbe nequior inventus es, quàm Gabinius, ſic in provincia: paulò tamen, quàm ille, demiſſior: nam ille gurges, atque helluo, natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ, cùm equites Rom., in provincia, cùm publicanos nobiſcum & voluntate & dignitate conjunctos, omnes fortunis, multos famâ, vitaque privaſſet, cùm egiſſet aliud nihil in illo exercitu, niſi ut urbes depopularetur, agros vaſtaret, exhauriret domos, auſus eſt (quid enim ille non auderet?) à ſenatu ſupplicationem per literas poſtulare. ô Dii immortales, tunc etiam, atque adeò vos geminæ voragines, ſcopulique reipubl. vos meam fortunam deprimitis, veſtram extollitis, cum de me Senatus Conſulta abſente facta ſint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum & Coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum ordinumque omnium, quæ ego non modo optare nunquam auderem, ſed cogitare non poſſem: vos autem ſempiternas fœdiſſimæ turpitudinis notas ſubieritis. An ego, ſi te & Gabiniũ cruci ſuffixos viderẽ, majorẽ afficerer lætitia, ex corporis veſtri laceratione,

quàm

quàm afficior ex infamia? nullum est supplicium putandum, quo affici casu aliquo, etiam boni fortesque possunt. Atque hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptarii Græci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. Verum audis in præsepibus, audis in stupris, audis in cibo & vino. Sed dicunt ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiamsi in Phalaridis tauro inclusus, succensis ignibus torreatur: dicturum tamen, suave illud esse seseque ne tantulum quidem commoveri. tantam virtutis esse vim voluerunt, ut non posset unquam esse vir bonus non beatus. quæ est igitur pœna? quod supplicium? id mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocenti: suscepta fraus, impedita & oppressa mens, conscientia, bonorum omnium odium, nota justi Senatus, amissio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenses, resectis palpebris, illigatum in machina vigilando necaverunt, supplicio videtur affectus: nec C. Marius, quem Italia, servata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa, devicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit: fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ: supplicium autem est pœna peccati. Neque verò equo, si unquam vobis mala precarer, quod sæpe feci, in quo Dii immortales meas preces audierunt: morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer: Thyestea ista execratio est Poëtæ, vulgi animos, non sapientum moventis: *ut tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis, evisceratus latere penderes* (ut ait ille) *saxa spargens tabo, sanie, & sanguine atro.* Non ferrem omninò molestè, si ita accidisset; sed id tamen esset humanum. M. Marcellus, qui ter Consul fuit, summâ virtute, pietate, gloriâ militari, periit in mari, qui tamen, ob virtutem, gloriâ & laude vivit. In fortuna quadam est illa mors, non in pœna putanda. Quæ est igitur pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces? ecce duos duces in provinciis pop. Rom. habere exercitus, appellari imperatores: horum alterum sic fuisse infirmatum conscientia scelerum & fraudum suarum, ut ex ea provincia, quæ fuerit ex omnibus una maximè triumphalis, nullas sit ad Senatum literas mittere ausus. ex qua provincia modò omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus magnis rebus gestis me referente, absens imperator sit appellatus, unde his

paucis

pauc isannis. Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli justissimos triumphos vidimus, ex ea, te imperatore, nuncius ad Senatū allatus est nullus, ab altero allatæ literæ, recitatæ, relatum ad Senatum. Dii immortales, id ne ego optarem, ut inimicus meus ea, quâ nemo unquam, ignominiâ notaretur? ut Senatus is, qui in eam benignitatis consuetudinem venit, ut eos qui benè rempubl. gesserint: novis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum: hujus unius literis nunciantibus non crederet, postulantibus denegaret? His ego rebus pascor, his delector, his perfruor: quod de vobis hic ordo opinatur non secus, ac teterrimis hostibus: quòd vos equites Rom. quòd cæteri ordines, quòd cuncta civitas odit: quòd nemo bonus, nemo denique civis est, qui modò se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetivi, hæc optavi, hæc precatus sum: plura etiam acciderunt, quàm vellem. nam ut amitteretis exercitum, nunquam me hercule optavi.

2. Illud etiam accidit præter optatum meum, sed valdè ex voluntate: mihi enim non venerat in mentem, furorem & insaniam optare vobis, in quam incidistis, atqui fuit optandum: me tamen fugerat Deorum immortalium has esse in impios & consceleratos pœnas certissimas constitutas. Nolite enim putare P. C. ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu Deorum terreri furiarum tædis ardentibus: sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat: hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem, qui sis ausus primum facere (nam id est caput) deinde paulò antè, Torquato gravissimo & sanctissimo viro, premente confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine ullo milite reliquisse? mitto de amissa parte exercitus. Sit hoc infelicitatis tuæ: dimittendi verò exercitus, quam potes auferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod S. consultum? quod jus? quod exemplum? quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non Senatum, non civitatem? Cruentare corpus suum? major est

arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta Prætor populi Rom. custos defensorque Provinciæ sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum, & prætextatum filium. tametsi rectè sine exceptione dixerim, virum, cum isti essent, neminem fuisse.

Erat Nice facie eximia, ut prædicatur, uxor Clemenis Syracusani. quam ut animo soluto liberoque secum haberet, rem excogitat singularem. Classi populi Rom. Cleomenem Syracusis præesse jubet, atque imperare. Hoc eò facit, ut ille non solum abesset à domo tum, cum navigaret, sed etiam libenter, cum magno honore beneficioque, abesset. Quid hic primum, aut accusem, aut quærar judices? Siculone homini legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, autoritatem dari? Si te impediebat illa conviviorum mulierumque occupatio: ubi quæstores? ubi legati? ubi præfecti, & tribuni tui? si civis Rom. dignus isto negotio nemo fuit? quid civitates, quæ in amicitia fideque popul. Rom. perpetuò manserant? ubi Segestana, ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt. O Dii immortales, quid si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officii sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus, uteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo.

Itaque ille vir clarissimus, summusque Imperator M. Marcellus, cujus virtute captæ, misericordia conservatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte urbis quæ insula est, Syracusanum neminem voluit: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur cum non fidelissimis hominibus noluit. Simul quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, eis claustra loci committenda non existimavit. Vide quid intersit, inter tuam libidinem, majorumque autoritatem: inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum literis Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, nolue-

noluerunt; tu classi & navibus Syracusanum præesse voluisti: quibus illi urbis partem ademerunt; iis tu nostri imperii partem dedisti: & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto esse audientes jussisti.

2. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu, sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara classis in speciem; sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est. Ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectu nautis paulisper dedit. Stetit Soleatus prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque Rom. permulti sæpe viderunt. Posteaquam paulò provecta est classis, & Pachynum quinto denique die appulsa est, nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium colligebant, & his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem qui alterum se Verrem, cum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. Ecce autem repentè ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina, malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit, & simul, ut se cæteri sequerentur, signum dari jussit. Erat animus in reliquis, quanquam erant pauci, quoquo modo se res habebat, pugnare tamen se velle clamabant, & quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant; sed inopes relicti à Duce præfectoque classis eundem necessariò cursum tenere cœperunt Pelorum versus, ut ipse Cleomenes, ita cæteri navigabant, neque istac tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm imperatorem sequebantur. cum ut quisque in fuga postremus, ita in periculo princeps erat. Postremam enim quamque navem piratæ

arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta Prætor populi Rom. custos defensorque Provinciæ sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum, & prætextatum filium. tametsi recte sine exceptione dixerim, virum, cum isti essent, neminem fuisse.

Erat Nice facie eximia, ut prædicatur, uxor Clemenis Syracusani. quam ut animo soluto liberoque secum haberet, rem excogitat singularem. Classi populi Rom. Cleomenem Syracusis præesse jubet, atque imperare. Hoc eò facit, ut ille non solum abesset à domo tum, cum navigaret, sed etiam libenter, cum magno honore beneficioque, abesset. Quid hic primum, aut accusem, aut quærar judices? Siculone homini legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, autoritatem dari? Si te impediebat illa conviviorum mulierumque occupatio: ubi quæstores? ubi legati? ubi præfecti, & tribuni tui? si civis Rom. dignus isto negotio nemo fuit? quid civitates, quæ in amicitia fideque popul. Rom. perpetuò manserant? ubi Segestana, ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt. O Dii immortales, quid si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officii sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus, uteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo.

Itaque ille vir clarissimus, summusque Imperator M. Marcellus, cujus virtute captæ, misericordia conservatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte urbis quæ insula est, Syracusanum neminem voluit: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur cum non fidelissimis hominibus noluit. Simul quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, eis claustra loci committenda non existimavit. Vide quid intersit, inter tuam libidinem, majorumque autoritatem: inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum literis Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, nolue-

noluerunt; tu classi & navibus Syracusanum præesse voluisti : quibus illi urbis partem ademerunt ; iis tu nostri imperii partem dedisti : & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto esse audientes jussisti.

2. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu, sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara classis in speciem ; sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est. Ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectu nautis paulisper dedit. Stetit Soleatus prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque Rom. permulti sæpe viderunt. Posteaquam paulò provecta est classis, & Pachynum quinto denique die appulsa est, nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium colligebant, & his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem qui alterum se Verrem, cum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. Ecce autem repentè ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina, malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit, & simul, ut se cæteri sequerentur, signum dari jussit. Erat animus in reliquis, quanquam erant pauci, quoquo modo se res habebat, pugnare tamen se velle clamabant, & quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant ; sed inopes relicti à Duce præfectoque classis eundem necessariò cursum tenere cœperunt Pelorum versus, ut ipse Cleomenes, ita cæteri navigabant, neque istac tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm imperatorem sequebantur. tum ut quisque in fuga postremus, ita in periculo princeps erat. Postremam enim quamque navem piratæ

arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta Prætor populi Rom. custos defensorque Provinciæ sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum, & prætextatum filium. tametsi rectè sine exceptione dixerim, virum, cum isti essent, neminem fuisse.

Erat Nice facie eximia, ut prædicatur, uxor Clemenis Syracusani. quam ut animo soluto liberoque secum haberet, rem excogitat singularem. Classi populi Rom. Cleomenem Syracusis præesse jubet, atque imperare. Hoc eò facit, ut ille non solum abesset à domo tum, cum navigaret, sed etiam libenter, cum magno honore beneficioque, abesset. Quid hic primum, aut accusem, aut quærar judices? Siculone homini legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, autoritatem dari? Si te impediebat illa conviviorum mulierumque occupatio: ubi quæstores? ubi legati? ubi præfecti, & tribuni tui? si civis Rom. dignus isto negotio nemo fuit? quid civitates, quæ in amicitia fideque popul. Rom. perpetuò manserant? ubi Segestana, ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt. O Dii immortales, quid si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officii sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus, uteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo.

Itaque ille vir clarissimus, summusque Imperator M. Marcellus, cujus virtute captæ, misericordia conservatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte urbis quæ insula est, Syracusanum neminem voluit: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur cum non fidelissimis hominibus noluit. Simul quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, eis claustra loci committenda non existimavit. Vide quid intersit, inter tuam libidinem, majorumque autoritatem: inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum literis Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, nolue-

noluerunt; tu classi & navibus Syracusanum præesse voluisti: quibus illi urbis partem ademerunt; iis tu nostri imperii partem dedisti: & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto esse audientes jussisti.

2. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu, sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara classis in speciem; sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est. Ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectu nautis paulisper dedit. Stetit Soleatus prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque Rom. permulti sæpe viderunt. Posteaquam paulò provecta est classis, & Pachynum quinto denique die appulsa est, nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium colligebant, & his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem qui alterum se Verrem, cum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. Ecce autem repentè ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina, malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit, & simul, ut se cæteri sequerentur, signum dari jussit. Erat animus in reliquis, quanquam erant pauci, quoquo modo se res habebat, pugnare tamen se velle clamabant, & quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant; sed inopes relicti à Duce præfectoque classis eundem necessariò cursum tenere cœperunt Pelorum versus, ut ipse Cleomenes, ita cæteri navigabant, neque istac tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm imperatorem sequebantur. cum ut quisque in fuga postremus, ita in periculo princeps erat. Postremam enim quamque navem piratæ

arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta Prætor populi Rom. custos defensorque Provinciæ sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum, & prætextatum filium. tametsi rectè sine exceptione dixerim, virum, cum isti essent, neminem fuisse.

Erat Nice facie eximia, ut prædicatur, uxor Clemenis Syracusani. quam ut animo soluto liberoque secum haberet, rem excogitat singularem. Classi populi Rom. Cleomenem Syracusis præesse jubet, atque imperare. Hoc eò facit, ut ille non solum abesset à domo tum, cum navigaret, sed etiam libenter, cum magno honore beneficioque, abesset. Quid hic primum, aut accusem, aut quærar judices? Siculone homini legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, autoritatem dari? Si te impediebat illa conviviorum mulierumque occupatio: ubi quæstores? ubi legati? ubi præfecti, & tribuni tui? si civis Rom. dignus isto negotio nemo fuit? quid civitates, quæ in amicitia fideque popul. Rom. perpetuò manserant? ubi Segestana, ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt. O Dii immortales, quid si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officii sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus, uteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo.

Itaque ille vir clarissimus, summusque Imperator M. Marcellus, cujus virtute captæ, misericordia conservatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte urbis quæ insula est, Syracusanum neminem voluit: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur cum non fidelissimis hominibus noluit. Simul quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, eis claustra loci committenda non existimavit. Vide quid intersit, inter tuam libidinem, majorumque autoritatem: inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum literis Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, nolue-

noluerunt; tu classi & navibus Syracusanum præesse voluisti: quibus illi urbis partem ademerunt; iis tu nostri imperii partem dedisti: & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto esse audientes jussisti.

2. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu, sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara classis in speciem; sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est. Ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectu nautis paulisper dedit. Stetit Soleatus prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque Rom. permulti sæpe viderunt. Posteaquam paulò provecta est classis, & Pachynum quinto denique die appulsa est, nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium colligebant, & his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem qui alterum se Verrem, cum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. Ecce autem repentè ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina, malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit, & simul, ut se cæteri sequerentur, signum dari jussit. Erat animus in reliquis, quanquam erant pauci, quoquo modo se res habebat, pugnare tamen se velle clamabant, & quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant; sed inopes relicti à Duce præfectoque classis eundem necessariò cursum tenere cœperunt Pelorum versus, ut ipse Cleomenes, ita cæteri navigabant, neque istac tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm imperatorem sequebantur. cum ut quisque in fuga postremus, ita in periculo princeps erat. Postremam enim quamque navem piratæ

quàm afficior ex infamia? nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo, etiam boni forteſque poſſunt. Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt voluptarii Græci; quos utinam ita audires, ut erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitaſſes. Verum audis in præſepibus, audis in ſtupris, audis in cibo & vino. Sed dicunt ipſi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, ſapientem, etiamſi in Phalaridis tauro incluſus, ſuccenſis ignibus torreatur: dicturum tamen, ſuave illud eſſe ſeſeque ne tantulum quidem commoveri. tantam virtutis eſſe vim voluerunt, ut non poſſet unquam eſſe vir bonus non beatus. quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti: ſuſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens, conſcientia, bonorum omnium odium, nota juſti Senatus, amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginenſes, reſectis palpebris, illigatum in machina vigilando necaverunt, ſupplicio videtur affectus: nec C. Marius, quem Italia, ſervata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa, devicta ab eodem, expulſum & naufragum vidit: fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ: ſupplicium autem eſt pœna peccati. Neque verò equo, ſi unquam vobis mala precarer, quod ſæpe feci, in quo Dii immortales meas preces audierunt: morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer: Thyeſtea iſta execratio eſt Poëtæ, vulgi animos, non ſapientum moventis: *ut tu naufragio expulſus uſpiam ſaxis fixus aſperis, eviſceratus latere penderes* (ut ait ille) *ſaxa ſpargens tabo, ſanie, & ſanguine atro.* Non ferrem omninò moleſtè, ſi ita accidiſſet; ſed id tamen eſſet humanum. M. Marcellus, qui ter Conſul fuit, ſummâ virtute, pietate, gloriâ militari, periit in mari, qui tamen, ob virtutem, gloriâ & laude vivit. In fortuna quadam eſt illa mors, non in pœna putanda. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? quæ ſaxa? quæ cruces? ecce duos duces in provinciis pop. Rom. habere exercitus, appellari imperatores: horum alterum ſic fuiſſe infirmatum conſcientia ſcelerum & fraudum ſuarum, ut ex ea provincia, quæ fuerit ex omnibus una maximè triumphalis, nullas ſit ad Senatum literas mittere auſus. ex qua provincia modò omni dignitate ornatiſſimus, L. Torquatus magnis rebus geſtis me referente, abſens imperator ſit appellatus, unde his

paucis

pauc isannis. Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli justissimos triumphos vidimus, ex ea, te imperatore, nuncius ad Senatū allatus est nullus, ab altero allatæ literæ, recitatæ, relatum ad Senatum. Dii immortales, id ne ego optarem, ut inimicus meus ea, quâ nemo unquam, ignominiâ notaretur? ut Senatus is, qui in eam benignitatis consuetudinem venit, ut eos qui benè rempubl. gesserint: novis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum: hujus unius literis nunciantibus non crederet, postulantibus denegaret? His ego rebus pascor, his delector, his perfruor: quod de vobis hic ordo opinatur non secus, ac teterrimis hostibus: quòd vos equites Rom. quòd cæteri ordines, quòd cuncta civitas odit: quòd nemo bonus, nemo denique civis est, qui modò se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetivi, hæc optavi, hæc precatus sum: plura etiam acciderunt, quàm vellem. nam ut amitteretis exercitum, nunquam me hercule optavi.

2. Illud etiam accidit præter optatum meum, sed valdè ex voluntate: mihi enim non venerat in mentem, furorem & insaniam optare vobis, in quam incidistis, atqui fuit optandum: me tamen fugerat Deorum immortalium has esse in impios & consceleratos pœnas certissimas constitutas. Nolite enim pūtare P. C. ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu Deorum terreri furiarum tædis ardentibus: sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat: hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem, qui sis ausus primum facere (nam id est caput) deinde paulò antè, Torquato gravissimo & sanctissimo viro, premente confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine ullo milite reliquisse? mitto de amissa parte exercitus. Sit hoc infelicitatis tuæ: dimittendi verò exercitus, quam potes auferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod S. consultum? quod jus? quod exemplum? quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non Senatum, non civitatem? Cruentare corpus suum? major

est hæc vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio. Si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem nisi ad ipsum te, pertineret, amici te tui constringendum putarent: præsidium tu pop. Rom. custodiam provinciæ, injussu populi Senatusque dimisisses, si tuæ mentis compos fuisset? Ecce tibi alter effusa jam maximâ prædiâ, quam ex fortunis publicanorum ex agris urbibusque sociorum exhauserat, cum partim ejus prædas profundæ libidines devorassent, partim nova quædam & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, ut omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc Tusculanum montem extruendum. Cùm jam egeret, cùm illa ejus immensa & intolerabilis ædificatio constitisset: se ipsum, fasces suos: exercitum populi Rom. numen interdictumque Deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem Senatus, jussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Ægyptio vendidit. Cum fines provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos mei capitis precio periculoque emerat, his se tenere non potuit, exercitum eduxit ex Syria. qui licuit extra provinciam? tribuit se mercenarium comitem Regi Alexandrino. quid hoc turpius? in Ægyptum venit, signa contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus susceperat? cepit Alexandrinam. quid aliud exspectamus à furore ejus, nisi ut ad Senatum tantis de rebus gestis literas mittat? Hic si mentis esset suæ, nisi pœnas patriæ, Diisque immortalibus eas, quæ gravissimæ sunt, furore atque insania pendere, ausus esset (mitto exire de provincia) educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi aut Senatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis, planissimæ vetant.

IMITATIO.

Imitaberis si cuivis homini scelerato tum ex infamia, tum ex conscientia propria, satis gravem infligi scelerum pœnam asseras. Ita Judæ in Christum, Neronis in Matrem, Maximini in Catharinam, aliorumque scelesta facinora perstringes.

IV. De-

I V.

Descriptio libidinis & crudelitatis Verrinæ, in uno facinore; per adjuncta, & Patheticas expositiones deducto.

Cicero actione V. in Verrem ante medium.

1. *Verres luxui luxuriaque deditus Cleomenem Syracusanum classi præficit.*

2. *Classis malè instructa, à milite & commeatu, à Piratis capitur, aut incenditur.*

3. *Syracusanis ad hunc nuntium concurrentibus, Verres periclitatur de vita.*

4. *Piratæ ipsum Vrbis portum intra Syracusas penetrare ausi sunt.*

5. *Vulgo hanc culpam in Verrem derivante, ut testes deessent, navarchos criminis insimulatos; prætor Cleomenem, tollere statuit, Phalargo Cleomenis navarcho etiam exempto.*

6. *Parentes frustra cum lachrymis intercedunt. Furius moriturus Verri scelera exprobrat.*

7. *Timarchides Verris minister, & carnifex; ut mors & funus inhumanum ne sit, a morituris etiam pecunias extorquet.*

8. *Deceptum hoc consilio Verrem ostendit, testesque modò non deesse tanti facinoris.*

9. *Postremò brevi enumeratione omnium, quæ ad unum hoc scelus conveniunt, finit.*

1. Verres æstate summa, quo tempore cæteri Prætores obire Provinciam & concursare consueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu & periculo ipsi navigare, eo tempore ad luxuriam libidinesque suas, domo sua regia, quæ Hieronis fuit, quâ Prætores uti solent, contentus non fuit. tabernacula, quemadmodum consueverat temporibus æstivis, carbaseis intenta velis, collocari jussit in littore, quod est litus in insula Syracusis, post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, amœno sanè & ab

arbit-is

arbitris remoto loco. Hic dies æstivos sexaginta Prætor populi Rom. custos defensorque Provinciæ sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum, & prætextatum filium. tametsi recte sine exceptione dixerim, virum, cum isti essent, neminem fuisse.

Erat Nice facie eximia, ut prædicatur, uxor Clemenis Syracusani. quam ut animo soluto liberoque secum haberet, rem excogitat singularem. Classi populi Rom. Cleomenem Syracusis præesse jubet, atque imperare. Hoc eò facit, ut ille non solum abesset à domo tum, cum navigaret, sed etiam libenter, cum magno honore beneficioque, abesset. Quid hic primum, aut accusem, aut quærar judices? Siculone homini legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, autoritatem dari? Si te impediebat illa conviviorum mulierumque occupatio: ubi quæstores? ubi legati? ubi præfecti, & tribuni tui? si civis Rom. dignus isto negotio nemo fuit? quid civitates, quæ in amicitia fideque popul. Rom. perpetuò manserant? ubi Segestana, ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt. O Dii immortales, quid si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officii sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus, uteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo.

Itaque ille vir clarissimus, summusque Imperator M. Marcellus, cujus virtute captæ, misericordia conservatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte urbis quæ insula est, Syracusanum neminem voluit: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur cum non fidelissimis hominibus noluit. Simul quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, eis claustra loci committenda non existimavit. Vide quid intersit, inter tuam libidinem, majorumque autoritatem: inter amorem furoremque tuum, & illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum literis Syracusanis ademerunt; tu maritimum imperium concessisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naves accedere possent, nolue-

noluerunt; tu classi & navibus Syracusanum præesse voluisti : quibus illi urbis partem ademerunt ; iis tu nostri imperii partem dedisti : & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto esse audientes jussisti.

2. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu, sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara classis in speciem ; sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitiosissimum prætervecta est. Ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectu nautis paulisper dedit. Stetit Soleatus prætor populi Rom. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore. Jam hoc ipso istum vestitu Siculi, civesque Rom. permulti sæpe viderunt. Posteaquam paulò provecta est classis, & Pachynum quinto denique die appulsa est, nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium colligebant, & his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem qui alterum se Verrem, cum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. Ecce autem repentè ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina, malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit, & simul, ut se cæteri sequerentur, signum dari jussit. Erat animus in reliquis, quanquam erant pauci, quoquo modo se res habebat, pugnare tamen se velle clamabant, & quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant ; sed inopes relicti à Duce præfectoque classis eundem necessariò cursum tenere cœperunt Pelorum versus, ut ipse Cleomenes, ita cæteri navigabant, neque istac tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm imperatorem sequebantur. cum ut quisque in fuga postremus, ita in periculo princeps erat. Postremam enim quamque navem piratæ

primum adoriebantur. ita prima Haluntinorum navis capitur, cui præerat Haluntinus homo nobilis Philarchus. Hæc dum aguntur, interea Cleomenes jam ad Pelori litus pervenerat, jam sese in terram è navi ejecerat, quadrirememque in salo fluctuantem reliquerat. Reliqui præfecti navium, cùm in terram imperator exisset, cum ipsi neque repugnare, neque mari effugere ullo modo possent, appulsis ad Pelorum navibus Cleomenem persecuti sunt. Tunc prædonum Dux Heracleo, repente, non sua virtute, sed istius avaritia nequitiaque victor, classem pulcherrimam populi Rom. in litus expulsam & ejectam, cum primum advesperasceret, inflammari incendique jussit. O tempus miserum atque acerbum Provinciæ Siciliæ, ô casum illum, multis innocentibus calamitosum, atque funestum! ô istius nequitiam, ac turpitudinem singularem! una atque eadem nox erat, qua Prætor amoris turpissimi flamma, ac classis populi Rom. prædonum incendio conflagrabat. Affertur nocte intempesta gravis hujusce mali nuntius Syracusas: curritur ad prætorium, quo istum è convivio illo præclaro reduxerant paulò ante mulieres, cum cantu atque Symphonia. Cleomenes, quanquam nox erat, tamen in publico esse non audet. includit se domi neque aderat uxor; quæ consolari hominem in malis posset. Hujus autem præclari Imperatoris, ita erat severa domi disciplina, ut in re tanta, in tam gravi nuntio, nemo admitteretur, nemo esset, qui auderet, aut dormientem excitare, aut interpellare vigilantem.

3. Jam verò re ab omnibus cognitâ concursabat urbe totâ maxima multitudo. Non enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum adventum significabat ignis à specula sublatus, aut tumulo, sed flamma ex ipso incendio navium, & calamitatem acceptam, & periculum reliquum nunciabat. Cum prætor quæreretur, & constaret ei neminem nunciasse; fit ad domum ejus cum clamore concursus atque impetus: tum iste excitatus exit: audit rem omnem ex Timarchide: sagum sumit (lucebat jam ferè) procedit in medium, vini, somni, stupri, plenus. Excipiuntur ab omnibus ejusmodi clamore, ut ei Lampsaceni periculi similitudo versa-

versaretur ante oculos. Hoc etiam majus eo videbatur, quod in odio simili multitudo hominum hæc erat maxima. Tum istius acta commemorabantur, tum flagitiosa illa convivia: tum appellabantur à multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipso palam, tot dies continuos, per quos nunquam visus esset, ubi fuisset? quid egisset? tum Imperator ab ipso præpositus Cleomenes flagitabatur: neque quicquam propius est factum, quàm ut illud Uticense exemplum de Adriano transferretur Syracusas, ut duo sepulchra duorum prætorum improborum; duabusque in provinciis constituerentur. Verum habita est à multitudine ratio temporis, habita est tumultus, habita etiam dignitatis, existimationisque communis, quòd is est conventus Syracusis civium Rom. ut non modò illa provincia, verùm etiam hac republ. dignissimus existimetur. Confirmant ipsi se, cum is etiam tum semisomnis stuperet: arma capiunt: totum forum atque insulam, quæ est urbis magna pars, complent.

4. Unam illam solam noctem prædones ad Pelorum commorati, cùm fumantes etiam nostras naves reliquissent, accedere incipiunt ad Syracusas, qui videlicet sæpe audissent, nihil esse pulchrius, quàm Syracusarum mœnia, ac portus: statuerant sese, si ea Verre prætore non vidissent, nunquam esse visuros. Ac primò ad illa æstiva prætoris accedunt, ipsam illam ad partem littoris, ubi iste per eos dies tabernaculis positis castra luxuriæ collocarat quem posteaquam inanem locum offenderunt, & prætorem commovisse ex eo loco castra senserunt: statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare cœperunt. Cùm in portum dico, judices (explanandum est enim diligentiùs earum causa, qui locum ignorant) in urbem dico, atque in urbis intimam partem venisse piratas: non enim portu illud oppidum clauditur, sed urbe portus ipse cingitur, & concluditur: non ut alluantur à mari mœnia extrema, sed influant in urbis sinum portus. Hic, te prætore, Heracleo archipirata cum quatuor myoparonibus parvis ad arbitrium suum navigavit. Prô Dii immortales piraticus myoparo, cum imperium pop. Rom. nomen, ac fasces essent Syracusis, usq; ad forum, & ad omnes urbis crepidines accessit?

quò neque Carthaginensium gloriosissimæ classes, cùm mari plurimum poterant, multis bellis sæpe conatæ, unquam aspirare potuerunt; neque populi Rom. invicta ante te prætorem gloria illa navalis, unquam tot Punicis, Siciliensibusque bellis penetrare potuit, qui locus ejusmodi est, ut ante Syracusani in mœnibus suis, in urbe, in foro hostem armatum, ac victorem, quàm in portu ullam hostium navem viderent. Hic te prætore prædonum naviculæ pervagatæ sunt, quo Atheniensium classis sola post hominum memoriam CCC. navibus vi, ac multitudine invasit: quæ in eo ipso portu, loci ipsius, portusque natura victa, atque superata est. Hic primum opes illius civitatis victæ, comminutæ, depressæque sunt: in hoc portu Atheniensium nobilitatis, imperii, gloriæ naufragium factum existimatur. Eone pirata penetravit, quò simul atque adisset, non modò à latere, sed etiam à tergo magnam partem urbis relinqueret? Insulam totam prætervectus est, quæ est urbis magna pars Syracusis suo nomine, ac mœnibus, quo in loco majores, ut antea dixi, Syracusanum quenquam habitare vetuerunt, quòd, qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestate portum futurum intelligebant. At quemadmodum est pervagatus? radices palmarum agrestium, quas in nostris navibus invenerat, jaciebat, ut omnes istius improbitatem, & calamitatem Siciliæ possent cognoscere. Siculosne milites, aratorumne liberos, quorum patres tantum labore suo frumenti exarabant, ut populo Rom. totique Italiæ suppeditare possent, eosne in insula Cereris natos, ubi primum fruges inventæ esse dicuntur, eo cibo esse usos, à quo majores eorum cæteros quoque, frugibus inventis, removerunt? Te prætore Siculi milites palmarum stirpibus, prædones Siculo frumento alebantur. O spectaculum miserum, atque acerbum! ludibrio esse urbis gloriam, populi Rom. nomen, hominum conventum, atque multitudinem, piratico myoparoni? in portu Syracusano, de classe populi Rom. triumphum agere piratam, cùm prætoris nequissimi, inertissimique oculos prædonum remi respergerent?

5. Posteaquam è portu piratæ non metu aliquo affecti

sed

sed satietate exierant, tum cœperunt quærere homines causam illius tantæ calamitatis: dicere omnes & palàm disputare minime esse mirandum, si militibus remigibusque dimissis, reliquis egestate & fame perditis, prætore tot dies cum mulierculis perpotante, tanta ignominia & calamitas esset accepta. Hæc autem istius vituperatio atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui à suis civitatibus illis navibus præpositi fuerant: qui ex illo numero reliqui Syracusas classe amissâ refugerant. dicebant quos ex sua quisque navi missos sciret esse. Res erat clara: neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius audacia tenebatur. Homo certior fit, agi nihil in foro, & conventu, toto die, nisi hoc quæri à navarchis, quemadmodum classis esset amissa: illos respondere, & docere unumquemque, missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore, & fuga, &c.

Hæc posteaquam acta & constituta sunt, procedit iste repentè & prætorio inflammatus scelere, furore, crudelitate in forum venit. Navarchos vocari jubet. qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibusque injici catenas imperat. Implorare illi fidem populi Rom & quare id faceret, rogare. Tunc iste hoc causæ dicit, quod classem prædonibus prodidissent. Fit clamor, & admiratio populi, tantam esse in homine impudentiam atque audaciam, ut aut aliis causam calamitatis attribueret, quæ omnia propter avaritiam ipsius accidissent: aut, cùm ipse prædonum socius putaretur, aliis proditionis crimen inferret: deinde, hoc quintodecimo die crimen esse natum, postquam classis esset amissa. Cùm hæc fierent, quærebatur, ubi esset Cleomenes? non quo illum ipsum, cujusmodi esset, quisquam supplicio propter illud incommodum dignum putaret. Nam quid Cleomenes facere potuit (non enim possum quenquam insimulare falsò) quid, inquam magnopere potuit Cleomenes facere, istius avaritiâ navibus exinanitis? Atque eum vident, sedere ad latus prætoris, & ad aurem familiariter, ut solitus erat, insusurrare. Tùm verò omnibus indignissimum visum est, homines honestissimos, electos ex suis civita-

civitatibus, in ferrum, atque in vincla conjectos. Cleomenem propter flagitiorum ac turpitudinis societatem familiarissimum esse prætoris. Apponitur his tamen accusator Nævius Turpio quidam, qui C. Sacerdote prætore injuriarum damnatus est, homo bene appositus ad istius audaciam: quem ipse in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia præcursorem habere solebat, & emissarium.

6. Veniunt Syracusas parentes, propinquique miserorum adolescentium, hoc repentino calamitatis suæ commoti nuncio: vinctos aspiciunt catenis liberos suos, cum istius avaritiæ pœnam collo, & cervicibus suis sustinerent: adsunt, defendunt, proclamant. Fidem tuam, quæ nusquam erat, nec unquam fuit, implorant. Pater aderat Dexio Tyndaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus, cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaras. Eum cum illa auctoritate, ætate, miseriâ videres præditum, non te ejus lacrymæ, non senectus, non hospitii jus, atque nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit. Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani belluâ commemoro? qui Stenium Thermitanum, hospitem suum, cujus domum per hospitium exhausit, & exinanivit, absentem in reos retulerit, causâ indictâ capite damnarit, ab eo nunc hospitiorum jura atque officia quæramus? Cum homine enim crudeli nobis res est, an cum vera, atque immani belluâ? Te patris lacrymæ de innocentis filii periculo non movebant? cum patrem domi reliquisses, filium tecum haberes: te neque præsens filius de liberorum caritate, neque absens pater de indulgentia patria commonebat? Catenas habebat hospes tuus Aristeus Dexionis filius. Quid ita? Prodiderat classem. Quod ob præmium? Deseruerat exercitum. Quid Cleomenes? Ignavus fuerat: at eum tu ob virtutem coronâ antea donâras. Dimiserat nautas: at ab omnibus tu mercedem missionis acceperas. Alter parens ex altera parte Herbitensis Eubulida: homo domi suæ clarus, & nobilis: qui, quia Cleomenem in defendendo filio læserat, nudus pene est destitutus. Quid erat autem, quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet.

at

at causa cogit. moriere, si appellaris. nunquam enim iste est mediocriter minatus. At remiges non erant. Prætorem tu accusas? frange cervicem. Si neque prætorem, neque prætoris æmulum appellare licebit, cùm in his duobus tota causa sit; quid futurum est? Dicit etiam causam Heraclius Segestanus, homo domi suæ summo loco natus. audite, ut vestra humanitas postulat, Judices: audietis enim de magnis incommodis, injuriisque sociorum. Hunc scitote fuisse Heraclium in ea causa, qui propter gravem morbum oculorum tum non navigarit, & jussu ejus, qui potestatem habuit, cum commeatu Syracusis remanserit. Iste certè neque prodidit classem, neque metu perterritus fugit. neque exercitum deseruit: etenim tunc esset hoc animadversum, cùm classis Syracusis proficiscebatur. Is tamen in eadem causa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus, is, in quem ne falsò quidem causa conferri criminis potuit. Fuit in illis navarchis Heracliensis quidam Furius (nam habent illi nonnulla hujuscemodi Latina nomina) homo quamdiu vixit, domi suæ, post mortem totâ Siciliâ clarus & nobilis. In quo homine tantum animi fuit, non solum, ut istum liberè læderet, (nam id quidem, quoniam moriendum videbat, sine periculo se facere intelligebat) verùm morte propositâ, cùm lacrymans in carcere mater noctes, diesque assideret, defensionem causæ suæ scripsit: quam nunc, nemo est in Sicilia, quin habeat: quin legat. quin tui sceleris, & crudelitatis ex illa oratione commonefiat. In qua docet, quòd à civitate sua nautas acceperit quot, & quanti quemque dimiserit quot secum habuerit; item de cæteris navibus dicit, quæ cùm apud te diceret, virgis oculi verberabantur: ille, morte propositâ facilè dolorem corporis patiebatur, clamabat id quod scriptum reliquit, facinus esse indignum, plus impudicissimæ mulieris apud te de Cleomenis salute, quam de sua vita lacrymas matris valere. Deinde etiam illud video esse dictum (quod, si rectè vos pop. Rom. cognovit, non falsò ille jam in ipsa morte de vobis prædicavit) non posse Verrem testes interficiendo crimina sua extinguere: graviorem apud sapientes judices se fore ab inferis testem, quàm si vivus in judiciũ produceretur. Tum avaritiæ solùm, si viveret: nunc cũ esset

ita necatus, sceleris, audaciæ, crudelitatis testem fore. Jam illa præclara, non testium modò catervas, cùm tua res ageretur, sed tum à Diis Manibus innocentium pœnas, sceleratorumque Furias in tuum judicium esse venturas: sese ideo leviorem casum suum fingere, quòd jam ante aciem securium tuarum, Sextiique tui carnificis vultum & manum vidisset, cum in conventu civium Rom. jussu tuo securi cives Rom. ferirentur. Ne multa, Judices, libertatem, quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimæ servitutis abusus est. Condemnat omnes de consilii sententia: tamen neque iste in tanta re, tot hominum, totque civium causa P. Vectium ad se accersit quæstorem suum, cujus consilio uteretur, neque P. Cervium, talem virum, legatum, qui, quia legatus isto prætore in Sicilia fuit, primus ab isto judex rejectus est: sed de latronum, hoc est comitum suorum sententiâ condemnat omnes. Hic cuncti Siculi, fidelissimi atque antiquissimi socii, plurimis affecti beneficiis à majoribus nostris graviter commoventur, & de suis periculis, fortunisque omnibus pertimescunt. Illam clementiam, mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem, inhumanitatemque esse conversam? condemnari tot homines, uno tempore, nullo crimine? defensionem suorum furtorum prætorem improbum ex indignissima morte innocentium quærere?

7. Nihil addi jam videtur, Judices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemque posse? & rectè videtur: nam si cum aliorum improbitate certet, longè omnes multumque superabit: sed secum ipse certat: id agit, ut semper superius suum facinus novo scelere vincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum esse à Cleomene, quòd in ejus quadriremi Cleomenes vectus esset: tamen, quia pertimuerat adolescens, quod eandem suam causam videbat esse, quam illorum, qui innocentes peribant, ad hominem accedit Timarchides: à securi negat esse ei periculum: virgis ne cæderetur, monet, ut caveat. ne multa; ipsum dicere adolescentem audistis, se ob hunc virgarum metum pecuniam Timarchidi numerasse. Levia sunt hæc
in

in hoc reo crimina, metum virgarum navarchus nobilissimæ civitatis pretio redemit: humanum: alius, ne condemnaretur pecuniam dedit: usitatum est. Non vult populus Rom. obsoletis criminibus accusari Verrem: non postulat, inaudita desiderat: non de prætore Siciliæ, sed de crudelissimo Tyranno fieri judicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati, supplicium constituitur in illos, sumitur. Miseri parentes prohibentur adire ad filios suos, prohibentur liberis suis cibum, vestitum ferre. Patres hi, quos videtis, jacebant in limine, matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberûm exclusæ: quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret. aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque sociorum & civium, lictor Sextius: cui ex omni gemitu, doloreque certa merces comparabatur. Ut adeas, tantum dabis: ut cibum tibi introferre liceat, tantum: nemo recusabat. Quid, ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo? quid dabis? ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecuniam lictori? dabatur: ô magnum, atque intolerandum dolorem, ô gravem, acerbamque fortunam! non vitam liberûm, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. Atque ipsi etiam adolescentes cum Sextio de eadem plaga, & de uno illo ictu loquebantur: idque postremum parentes suos liberi orabant, ut levandi cruciatus sui gratiâ lictori pecunia daretur. Multi & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi. Veruntamen mors sit extrema: non erit. Estne aliquid ultra, quò progredi crudelitas possit? reperietur: nam illorum liberi, cùm erunt securi percussi, ac necati, corpora feris objicientur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem, Onasum Segestanum, hominem nobilem dicere audistis, se ob sepulturam Heracli navarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse. Hoc (ne possis dicere, patres enim veniunt amissis filiis irati) vir primarius, homo nobilissimus, dicit, neque de filio dicit. Jam hoc, quis tum fuit Syracusis, qui non audierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturæ

cum viris etiam illis esse factas? Non palàm cum Timarchide loquebantur? non omnes omnium propinqui adhibebantur? non palàm virorum funera locabantur? Quibus rebus omnibus actis, atque decisis, producuntur è carcere, & deligantur ad palum. Quis tam fuit illo tempore durus, & ferreus, quis tam inhumanus, præter unum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miseriâ commoveretur? ecquis fuit, quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, ut fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur? Feriuntur securi. Lætaris tu in omnium gemitu, atque triumphas; testes avaritiæ tuæ gaudes esse sublatos.

8. Errabas Verres, & vehementer errabas, cum te maculas furtorum & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine, eluere arbitrabare: præceps amentiâ ferebare, qui te existimares avaritiæ vulnera crudelitatis remediis posse sanare: etenim quanquam illi sunt mortui sceleris tui testes, tamen eorum propinqui, neque tibi, neque illis desunt: tamen ex ipso numero navarchorum aliqui vivunt, & adsunt: quos, ut mihi videtur, ab illorum innocentium pœnâ fortuna ad hanc causam reservavit. Adest Philarchus Haluntinus: qui, quia cum Cleomene non fugit, oppressus à prædonibus, & captus est: cui calamitas saluti fuit: qui nisi captus à piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. Dicet is pro testimonio de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fugâ. Adest Centuripinus Phalargus, in amplissima civitate, amplissimo loco natus, eadem dicit; nulla in re discrepat. Per Deos immortales, Judices, quo tandem animo feretis? aut hæc quemadmodum auditis? Utrum ego desipio, & plus, quam satis est, doleo in tanta calamitate, miseriaque sociorum, an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus, & mœror pari sensu doloris afficit? Ego enim cùm Herbitensem, cum Heracliensem securi esse percussum dico, versatur mihi ante oculos indignitas calamitatis. Eorumne populorum cives, eorumne agrorum colonos, ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi Rom. illorum operis, ac laboribus quæritur, qui à parentibus spe nostri imperii, nostræque æqui-

tatis suscepti, educatique sunt, ad C. Verris nefariam immanitatem, & ad ejus securem funestam esse servatos? Cum mihi Tyndaritani illius venit in mentem, cum Segestani, tum jura simul civitatum, atque officia considero. Quas urbes P. Africanus etiam ornandas esse spoliis hostium arbitratus est, eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam viris nobilissimis, nefario scelere, privavit. Cui civitati majores nostri maximos agros, atque optimos concesserunt, quam immunem esse voluerunt: hæc tanta apud te cognationis, fidelitatis, vetustatis auctoritate, ne hoc quidem juris obtinuit, ut unius honestissimi, atque innocentissimi civis mortem, & sanguinem deprecaretur. Quo confugient socii, quem implorabunt? quâ spe denique ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Itaque ad me judices præter cæteras, hanc querimoniam Sicilia detulit lacrymis. Ego ad hoc non gloria inductus accessi, sed ne falsa damnatio, ne carcer, ne catenæ, ne verbera, ne secures, ne cruciatus sociorum, ne sanguis innocentium, ne denique etiam exanguium corpora mortuorum, ne mœror parentum, ac propinquorum magistratibus nostris quæstui posset esse. Hunc ego si metum Siciliæ, damnatione istius, per vestram fidem, & severitatem dejecero, Judices, satis officio meo, satis illorum voluntati, qui à me hoc petiverunt, factum esse arbitrabor.

9. Quapropter si quem fortè inveneris, qui hoc navale crimen conetur defendere, defendat: illa communia, quæ ad causam nihil pertinent, prætermittat: me culpam fortunæ assignare, calamitatem crimini dare; me amissionem classis objicere, cum multi viri fortes in communi incertoque periculo belli, & terra, & mari sæpe offenderint. Nullam tibi objicio fortunam: nihil est, quod cæterorum res minus commodè gestas proferas: nihil est, quòd multorum naufragia fortunæ colligas. Ego naves inanes fuisse dico: remiges, nautasque dimissos: reliquos stirpibus vixisse palmarum: præfuisse classi populi Rom. Siculum, perpetuò sociis atq; amicis Syracusanum. Te illo tempore ipso, superioribusque diebus omnibus, in littore cum mulierculis perpotasse dico. Harum rerum omniū auctores testesq; produco. Num tibi insultare in calamitate, num intercludere perfugiū fortu-

fortunæ, num casus bellicos exprobrare, aut objicere videor? Tametsi solent ii fortunam sibi objici nolle, qui se fortunæ commiserunt, qui in ejus periculis sunt, ac varietate versati. Istius quidem calamitatis tuæ fortuna particeps non fuit: homines enim in prœliis, non in conviviis, belli fortunam tentare ac periclitari solent: in illâ autem calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem possumus dicere. Quòd si fortunam tibi objici non oportet, cur tu fortunæ illorum innocentium veniam, ac locum non dedisti? Ipse pater si judicaret, per Deos immortales, quid facere posset, cum tibi hæc diceret? Tu in provincia populi Rom. prætor, cum tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis, ex fœdere, quam deberent navem, per triennium remisisti: tibi apud eosdem privatim navis oneraria maxima publicè est ædificata: Tu à civitatibus pecunias classis nomine coëgisti: tu pretio remiges demisisti: tu, cùm navis esset à quæstore, & ab legato capta prædonum, archipiratam ab omnium oculis removisti: tu, qui cives Rom. esse dicerentur, qui à multis cognoscerentur, securi ferire potuisti: tu tuam domum piratas abducere, in judicium archipiratam domo producere ausus es: tu in provinciâ tam splendidâ apud socios fidelissimos, cives Rom. honestissimos, in metu periculoque provinciæ, dies continuos complures in littore, conviviisque jacuisti: te per eos dies nemo domi tuæ convenire, nemo in foro videre potuit: tu sociorum atque amicorum ad ea convivia matresfamilias adhibuisti: tu inter ejusmodi mulieres prætexatum tuum filium, nepotem meum collocavisti, ut ætati maximè lubricæ atque incertæ exempla nequitiæ parentis vita præberet: tu prætor in provinciâ cum tunicâ talari, pallioque purpureo visus es: tu propter amorem libidinemque tuam, imperium navium legato populi Rom. ademisti, Syracusano tradidisti: tui milites in provinciâ Siciliæ frugibus, frumentoque caruêre: tua luxuriâ, atque avaritiâ classis populi Rom. capta & incensa est: post Syracusas conditas, quem in portum nunquam hostis accesserat, in eo te prætore primum piratæ navigaverunt: neque hæc tot, tantaque dedecora dissimulatione tuâ, neque oblivione hominum ac taciturnitate tegere voluisti: sed etiam præfectos,

fectos, fine ullâ causâ, de complexu parentum suorum, hospitum tuorum, ad mortem, cruciatumque rapuisti: neque in parentum luctu atque lacrymis te mei nominis commemoratio mitigavit: tibi hominum innocentium sanguis non modo voluptati, sed etiam quæstui fuit.

IMITATIO.

Hæc universè ad exaggerandam crudelitatem tyrannorum faciunt, sive in Christi Martyres à Maxentio, Decio, Diocletiano aliisque exercitam, sive etiam in politicis caussis adhibitam. Vtriusque, cum insigni libidine conjuncta, argumenta præbuit Elisabetha Angliæ Regina, tum in Mariam consanguineam, tum in alios regni proceres & Catholicos.

Appendix & Observatio.

Hæc in utraq;, tam laudis quàm Vituperii partem exempla suffecerint. Quibus ultimis admirabilis Tullianæ eloquentiæ vis emicat; ita eandem rem omnem in partem dicendi versat exagitatque. Quod exemplis facilius quam præceptis capitur, ut iccirco his non immorer, cum in observatione singulorum, quæ suis distinguuntur numeris, ut facilius penetrentur, vis tota ad eloquentiam proficiendi sita sit.

Siquis has exercitationes ad theatrum publicumque usum traducere cupiat, Is opinor, ad ornandum hunc actum difficultatem haud magnam experietur. tanta hic omnium sese rerum offert varietas. Laudat terram aliquam, fluviumque ad Siciliæ laudatæ imitationem? quid prohibet Cererem, Bacchum aliosque Gentilium Deastros, aut Nymphas, frugum aliarumque opum imagines quasdam, pro sua regione differentes introducere? Laudat virum fortem, aut reprehendit ignavum? cur non subeat Mars aut Murcia? laudat doctum, aut perstringit imperitum? cur non Pallas, aut Midas quispiam personam hic aliquam induat? Ipsæ Virtutes, & Vitia, Musæ, Charites, Grææ, Furiæ, hic ornare,

ornare, lacessere, præmia pœnasque instruere, atque irrogare poterunt. Quandoque & Majorum umbræ ab inferis aut è cœlo Genii accersiri, qui ad laudem aut reprensionem suæ posteritatis insurgent, minis promissisque futurorum urgeant; aut aliquo etiam judiciorum schemate ad terrorem, vel excitationem præludant.

CAPUT XIX.

De confirmatione Orationis in genere Deliberativo.

HActenus in genere dicendi exornativo exemplis paulò copiosius versati sumus, quòd illud hac ætate maximè usitatum sit ac celebre.

Nunc ad deliberativum, exemplis etiam illustrandum nonnullis accedemus. Verùm parcius; tum quod in hoc adolescentes minus diu exercendi videantur: ut qui per ætatem graviorum nondum deliberationum capaces sint, & si qui in epidictico diserti fuerint, in hoc esse indiserti non possint, modo rationem ætas consultior firmaverit.

Quocirca exemplis quibusdam à Cicerone hoc in genere usurpatis, acquiescemus. His ad imitationem propositis, suas adolescentes vires experiri, ac prætentare hanc palæstram potuerunt, ut viri deinde ausint grandiora. Neque enim eloquentiæ difficultate, sed rerum plerarumque graviori pondere, hoc in genere retardantur. Incedam autem per locos inventionis proprios, ferè in titulo signatos, ne per tenebras aliena vestigia consectentur.

Exemplum I.

Quinam in bene constituta republ. Optimates censendi sint? à definitione & descriptione.

Cicero pro Sextio.

1. *Populares primò ab Optimatibus distinguit, tum his*

his & bona reipubl. fundamentis descriptis, à triplici hominum genere turbari illam asserit, quibus segnius boni resistant.

2 Hortatur, ut Optimatum vitam virtutemq; omnes praeferant, contemnantq; injurias atq; inimicitias à talibus suscipiendas, ut olim fortissimi Graecorum & Rom. fecerunt.

Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in republ. atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri Optimates, & haberi, & esse voluerunt. Qui ea, quae faciebant, quaeque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habeantur, quis ergo iste optimus? quis? de numeró si quaeris, innumerabiles: neque enim aliter stare possemus. Sunt principes consilii publici, sunt, qui eorum sectam sequuntur: sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: sunt municipales rusticique Romani? sunt negotia gerentes: sunt etiam libertini Optimates. Numerus, ut dixi, hujus generis latè & variè diffusus est: sed genus universum (ut tollatur error) brevi circumscribi, & definiri potest. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec malis domesticis impediti. esto igitur, ut hi sint, quam tu nationem appellasti. Et qui integri sunt, & sani, & bene de rebus domesticis constituti. Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republ serviunt, defensores optimatium, ipsique optimates gravissimi & clarissimi cives nominantur, & principes civitatis. Quid est igitur propositum his reipub. gubernatoribus, quod intueri, & quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est praestantissimum, maximèque optabile omnibus sanis & bonis, & beatis, cum dignitate ocium. hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, summi viri, & conservatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit, ut otio nòn prospiciant: neque ullum aplexari otium, quod abhorreat à dignitate. Hujus autẽ otiosae dignitatis haec fundamẽta sunt, haec membra, quae

tuenda principibus,& vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuum, Senatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, jurisdictio, fides, provinciæ, socii, imperii laus, res militaris, ærarium. Harum rerum tot, atque tantarum esse defensorem, & patronum magni animi est, magni ingenii, magnæque constantiæ. Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum pœnæ, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque reipubl. quærant: aut qui, propter insitum quendam animi furorem, discordiis civium, ac seditione pascantur: aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quam suo deflagrare. Qui cum auctores sunt, & duces suorum studiorum, vitiorumque nacti, in republ. fluctus excitantur: ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriæ deposcerunt: enitendumque omni scientia, ac diligentia, ut conservatis his, quæ ego paulò antè fundamenta, ac membra esse dixi, tenere cursum possint,& capere otii illum portum & dignitatis. Hanc ego viam, judices, si aut asperam, atque arduam; aut plenam esse periculorum, aut insidiarum negem, mentiar: præsertim cum id non modò intellexerim semper, sed præter cæteros senserim. Majoribus præsidiis & copiis oppugnatur respubl. quam defenditur: propterea quod audaces homines & perditi, nutu impelluntur, & ipsi etiam sponte sua contra rempubl. incitantur: boni nescio quo modo tardiores sunt, & principiis rerum neglectis ad extremum ipsa denique necessitate excitantur: ita, ut nonnunquam cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant. propugnatores autem reipubl. qui esse voluerunt, si leviores sunt decidunt: si timidiores desunt: permanent illi soli, atque omnia reipubl causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus M. Scaure fuit: qui à C. Graccho usque ad C. Marium seditiosis omnibus restitit: quem nulla unquam vis, nullæ minæ, nulla invidia labefecit, aut Q. Metellus patruus matris tuæ: qui cum florentem hominem in populari ratione L. Saturninum censor notasset, cumque insitivum Gracchum contra vim multitudinis incitatæ censu prohibuisset; cumque in eam legem, quam non jure rogatam

rogatam judicarat, jurare unus noluisset, de civitate maluit, quam de sententia dimoveri : aut ut vetera exempla, quorum est copia digna hujus imperii gloria, relinquam, néve eorum aliquem qui vivunt, neminem, qualis nuper Q. Catulus fuit : quem neque periculi tempestas, neque honoris cura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimovere.

2. Hæc est una via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, à bonis viris & sapientibus, & benè natura constitutis laudari, diligi : nosse descriptionem civitatis à majoribus nostris sapientissimè constitutam : qui cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium Senatus reipubl. præponerent sempiternum, diligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ, ac virtuti pateret, Senatum reipubl. custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt. Hujus ordinis autoritate uti magistratus, & quasi ministros summi consilii esse voluerunt : Senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis libertatem & commoda tueri, atque augere voluerunt Hæc qui pro virili parte defendunt, optimates sunt, cujuscunque sint ordinis : qui autem præcipuè suis cervicibus tanta munia atque rempubl. sustinent, ii semper habiti sunt optimatium principes, autores civitatis, Huic hominum generi fateor, ut ante dixi, multos adversarios, inimicos, invidos esse, multa proponi pericula, multas inferri injurias, magnos esse experiundos & subeundos labores. Sed mihi omnis ratio est cum virtute, non cum desidia : cum dignitate, non cum voluptate : cum iis, qui se patriæ, qui suis civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno, & conviviis, & delectationi natos arbitrantur. Nam si qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt : missos faciant honores : ne attingant rempubl. patiantur viros fortes, laborum patientes, frui, qui autem bonam famam bonorum, quæ sola verè gloria nominari potest, expetunt, aliis otium quærere debent, & voluptates, non sibi. Sudandum est his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, secundæ sæpè pro republ. tempestates,

cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Quod si apud Athenienses, homines Græcos, longè à nostrorum hominum gravitate disjunctos, non deerant, qui rempubl. contra populi temeritatem defenderent, cum omnes, qui ita fecerant, è civitate ejicerentur. Si Themistoclem illum conservatorem patriæ non deterruit à republ. defendenda, nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paulò antè servarat; nec Aristidis fuga, qui unus omnium justissimus fuisse traditur: si postea summi ejusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiæ levitatisque popularis, tamen suam rempubl. illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus? primùm in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas, & magnitudo animi videtur: tum in tanta gloria insistentes, ut omnia humana leviora videri debeant: deinde ad eam rempubl. tuendam aggressi, quæ tanta dignitate est, ut eam defendentem occidere non aliud sit, quàm oppugnantem rerum potiri. Homines Græci, quos antea nominavi, iniquè à suis civibus damnati, atque expulsi, tamen, quia benè sunt de suis civitatibus meriti, tanta hodie gloria sunt non in Græcia solum, sed etiam apud nos, atque in cæteris terris, ut eos à quibus illi oppressi sunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Carthaginensium pluris fuit Annibale consilio, virtute, rebus gestis, qui unus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio, & de gloria decertavit: hunc tui cives è civitate ejecerunt: nos etiam hostem literis nostris, & memoriâ videmus esse celebratum. Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios, qui hanc rempubl. stabiliverunt: quos equidem in Deorum immortalium cœtu, ac numero repono: amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis, præsentes fructus negligamus, posteritati & gloriæ serviamus: id esse optimum putemus, quod erit rectissimum: speremus quæ volumus, sed quod acciderit feramus: cogitemus denique, corpus virorum fortium, magnorumque hominum esse mortale, animi verò motus & virtutis gloriam sempiternam: neque hanc opinionem

nionem si in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus, cujus corpore ambusto, vitam ejus, & virtutem immortalitas excepisse dicitur, minus existimemus eos, qui hanc tantam rempubl. suis consiliis aut laboribus, aut auxerint, aut defenderint, aut servaverint, esse immortalem gloriam consecuturos.

IMITATIO.

Poterit in bonorum Episcoporum ac Prælatorum commendationem similis descriptio institui. Aut certè hæc eadem optimarum laus & ratio in singulari aliqua persona, e.g. Iosepho Patriarcha demonstrari.

II.

Quid regium, seu Rege dignum sit? & an Cicero digna Rege gesserit? *à definitione & descriptione.*

Cicero pro Sylla.

1. *Docet Cicero contra objectionem regiæ affectationis, quid in se regium fateatur, quid officii parum invidendi tractet; torquetque illam ambitionem in familiam Torquati.*

2. *Ostendit se rebus in consulatu gestis non tam honorem; quam improborum in se collegisse odia, mirumq́ue quod Torquatus cum his, de supplicio conjuratorum clara voce; de illorum scelere, remissa quæratur.*

3. *Apertè profitetur, se urbem, Regum & regnorum Dominam, ab interitu vindicasse.*

Regnum meum, Judices se ferre non posse, dicit. Quod tandem Torquate regnum? consulatus, credo; mei, in quo ego imperavi nihil; sed contra Patribus conscriptis & bonis omnibus parui. quo in Magistratu, non institutum est à me, Judices, regnum, sed non permissum. An fortè regium tibi videtur ita vivere, ut non modo homini nemini,

sed ne cupiditati quidem ulli serviat : contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere : in Senatu sentire liberè populi utilitati magis consulere, quam voluntati : nemini cedere, multis obsistere: si hoc putas esse regium, me Regem confiteor esse. Sin te potentia mea, si dominatio, si denique aliquod dictum arrogans, aut superbum movet ; quin tu id profers, quàm verbi invidiam, contumeliamque maledicti. Ego tantis à me beneficiis in republ. positis, si nullum aliud mihi præmium à Senatu populoque Rom. nisi honestum otium postularem, quis non concederet ? sibi haberent honores, sibi Imperia, sibi Provincias, sibi triumphos, sibi alia præclaræ laudis insignia : mihi liceret ejus urbis, quam conservassem, conspectu, tranquillo animo & quieto frui ? quid si hoc non postulo ? si ille labor meus pristinus, si sollicitudo, si officia, si operæ, si vigiliæ deserviunt amicis, præsto sunt omnibus ? si neque amici in foro requirunt studium meum, neque respubl. in curia ? si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque ætatis excusatio vendicat à labore ? si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus ? si mihi ne ad ea quidem, quæ pro salute omnium gessi, recordanda & cogitanda quidquam relinquitur temporis ? tamen hoc regnum appellabitur ? cujus vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest : longè abest regni suspicio. Si quæris, qui sint Romæ regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus invenies.

2. Res enim gestæ, credo, meæ me nimis extulerunt, ac mihi nescio, quos spiritus attulerunt. Quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, Judices, hoc possum dicere, me, qui è summis eripuerim periculis urbem hanc, & vitam omnium civium, satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundabit. Etenim in qua civitate res tantas gesserim, memini, & in qua urbe, intelligo. plenum forum est eorum hominum, quos ego à vestris cervicibus depuli, Judices, à meis non removi. nisi verò paucos fuisse arbitramini, qui conari, aut sperare possent, se tantum Imperium posse delere.

Horum

Horum ego faces eripere de manibus, & gladios extorquere potui, sicut feci, voluntates verò consceleratas, ac nefarias, nec reservare potui, nec tollere. Quare non sum nescius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, cùm mihi uni cum omnibus improbis æternum videam bellum esse susceptum. Quod si illis meis præsidiis fortè invides; & si ea tibi regia videntur: quòd omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea conjungunt: consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maximè sunt infensæ, & adversæ, qui me non solum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios, & furorem consceleratum repressi; sed eò etiam magis, quòd nihil jam simile, me vivo, conari posse arbitrantur. At verò, quid ego miror, si quid ab improbis de me improbè dicitur, cùm L. Torquatus, primum ipse his fundamentis adolescentiæ jactis, ea spe propositâ amplissimæ dignitatis, deinde L. Torquati, fortissimi Consulis, constantissimi Senatoris, semper optimi civis, filius, interdum efferatur immoderatione verborum? Qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia conjuratorum omnium dixisset, tantummodò, ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis; de supplicio P. Lentuli, de carcere, magna & queribunda voce dicebat. In quo primum illud erat absurdum, quòd cum ea, quæ leviter dixerat, vobis probare volebat; eos autem, qui circum judicium stabant; audire nolebat: non intelligebat, ea, quæ clarè diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat, ut vos quoque audiretis, qui id non probabitis. Deinde alterum jam oratoris vitium, non videre, quid quæque causa postulet. Nihil est enim tam alienum ab eo, qui alterum conjurationis accuset, quàm videri conjuratorum pœnam, mortemque lugere.

3. Itaque attende jam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem consulatus mei, maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam: adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor; erigite mentes, auresque vestras, & me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego Consul, cum exercitus perditorum civium, clandestino scelere consta-

conflatus, crudelissimum & luctuosissimum exitium patriæ comparasset: cùm ad occasum, interitumque reipubl. Catilina in castris, in his autem templis, atque tectis dux Lentulus esset constitutus: meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis, atque confossis, incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu Rempubl. liberavi. Ego vitam omnium civium, statum orbis terræ, urbem hanc denique, sedem omnium nostrûm, arcem Regum, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium Imperii, quinque hominum amentium, ac perditorum pœnâ redemi.

IMITATIO.

Posset adhiberi similis oratio in defensione Christi, qui à Iudæis apud Pilatum accusatus erat, quod se Regem Iudæorum dixisset. Quem id jure dixisse contendas, si regnum sit propriis dominari cupiditatibus, pressos calamitate levare, gentem suam tueri, atque ab extrema pernicie ad salutem revocare, &c.

III.

An arma quæ contra Antonium sumuntur, belli vel tumultus nomine accipienda sint?

à definitione & etymo.

1. *Ostendit C. Pansam Consulem malè L. Cæsaris sententiam in Senatu esse secutum, & tumultum solum contra Antonium decrevisse, cum bellum reipsa geratur.*

2. *Docet non hoc bellum solum, sed inter civilia tale, in quo de summa rerum Rom. cùm Antonio concertetur.*

Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consolatus tui. parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere. nam cum Senatus ea virtus fuisset, quæ solet: & cum re viderent omnes esse bellum, quidamque id verbum removendum arbitrarentur: tua

tua voluntas discessione fuit ad lenitatem propensior. Victa igitur est propter asperitatem te autore nostra sententia: vicit L. Cæsar, amplissimus vir, qui urbi, atrocitate dempta, oratione fuit, quàm sententia lenior. quanquam is quidem, antequam sententiam diceret, propinquitatem excusavit. Idem fecerat me Consule in sororis viro, quod hoc tempore in sororis filio: ut & luctu sororis moveretur, & saluti reipubl. provideret. Atque ipse tamen Cæsar præcepit vobis quodam modo P. C. ne sibi assentiremini, cum ita dixit: aliam sententiam se dicturum fuisse, eamque se & republ. dignâ, nisi propinquitate impediretur. Ergo ille avunculus: num etiam vos avunculi, qui illi assensi estis? at in quo fuit controversia? belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest enim esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest: Quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque majores nostri tumultum Italicum, quòd erat domesticus: tumultum Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem esse tumultum, quàm bellum, hinc intelligi licet, quòd bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. Ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit. Etenim cum inter bellum & pacem medium nihil sit, necesse est tumultum; si belli non sit, pacis esse. quo quid absurdum magis dici, aut existimari potest? si nimis multa de verbo, rem potius videamus, patres conscripti: quam quidem intel'igo verbo fieri interdum deteriorem solere. Nolumus hoc bellum videri. Quam igitur municipiis & Coloniis ad excludendum Antonium, auctoritatem damus? quam ut milites fiant sine vi, sine tumultu, studio, & voluntate? quàm ut pecunias in rempubl. polliceantur? si enim belli nomen tollitur municipiorum studia tolluntur: consensus populi Rom. qui jam descendit in caussam, si nos languescimus, debilitetur necesse est. Sed quid plura? D. Brutus oppugnatur: non est bellum? Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur:

quæ poteſt pax eſſe incertior? illud verò quis poteſt bellum non eſſe dicere, quò fortiſſimum virum cum exercitu miſimus: qui cum eſſet infirmus ex gravi diuturnoque morbo, nullam putavit ſibi excuſationem eſſe oportere, cùm ad reipubl. præſidium vocaretur. C. quidem Cæſar non exſpectavit noſtra decreta, præſertim cum eſſet illius ætatis: bellum contra Antonium ſua ſponte ſuſcepit, decernendi enim tempus nondum venerat: belli autem gerendi tempus ſi prætermiſiſſet, videbat republ. oppreſſa, nihil decerni poſſe. Ergò illi nunc, & eorum exercitus in pace verſantur. non eſt hoſtis, cujus præſidium Claternæ dejecit Hirtius: non eſt hoſtis, qui armatus Conſulem deſignatum oppugnat; nec illa hoſtilia verba, nec bellica, quæ paulò ante ex Collegæ literis Panſa recitavit; *Dejeci præſidium: Claterna potitus ſum: fugavi equites: prælium commiſſum: occiſi aliquot.* quæ pax poteſt eſſe major.

2. Delectus tota Italia decreti ſublatis vacationibus; ſaga cras ſumentur; Conſul ſe cum præſidio deſcenſurum dixit. Utrum hoc bellum non eſt? an etiam tantum bellum, quantum nunquam fuit? cæteris enim bellis, maximeque civilibus contentionem reipubl. cauſa faciebat. Sylla cum Sulpitio de jure legum, quas per vim latas Sylla dicebat: Cinna cum Octavio de novorum civium ſuffragiis: rurſus cum Mario & Carbone Sylla, ne dominarentur indigni, & ut clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem. Horum omnium bellorum cauſæ ex reipubl. contentione natæ ſunt. de proximo bello civili non libet dicere: non ignoro cauſſam, deteſtor exitium. Hoc bellum quintum civile geritur: atque omnia in noſtram ætatem inciderunt: primum non modo in diſſenſione & diſcordia civium, ſed in maxima conſenſione, incredibilique concordia; omnes idem volunt, idem defendunt, idem ſentiunt. cùm omnes dico, eos excipio, quos nemo civitate dignos putat. Quæ eſt igitur in medio belli cauſſa poſita? nos Deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, ſedeſque populi Rom. aras, focos, ſepulchra majorum, nos leges, judicia, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus. Contra M. Antonius id molitur, id

pugnat,

pugnat, ut hæc omnia perturbet, evertat, prædam reipubl. causam belli putet, fortunas nostras partim dissipet, partim dispertiat parricidis. In hac tamen dispari ratione belli miserrimum illud est, quòd ille latronibus suis pollicetur primum domos: urbem enim se divisurum, confirmat, deinde omnibus portis, quò velit, deducturum. omnes Caphones, omnes Saxæ, cæteræque pestes, quæ sequuntur Antonium, ædes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt. Atque etiam homines agrestes, si homines sunt illi potius, quàm pecudes, inani spe ad aquas usque Puteolanas provehuntur. Ergo habet Antonius quod suis polliceatur, quid nos! nunquid tale habemus? Dii meliora? id enim ipsum agimus, ne quis posthac ejusmodi quicquam possit polliceri. Invitus dico, sed dicendum est. Hasta Cæsaris P. C. multis improbis & spem affert; & audaciam. Viderunt enim ex mendicis fieri repentè divites: itaque hastam semper videre cupiunt ii, qui nostris bonis imminent, quibus omnia pollicetur Antonius. Quid nos nostris exercitibus, quid pollicemur? multò meliora, atque majora, scelerum enim promissio, & iis, qui exspectant, perniciosa est: & iis, qui promittunt. Nos nostris militibus libertatem, jura, leges, judicia, Imperium orbis terræ, dignitatem, pacem, otium pollicemur. Antonii igitur promissa cruenta, terra, scelerata, Diis hominibusque invisa, nec diuturna, neque salutaria: nostra contra, honesta integra, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.

IMITATIO.

De Absalone quærere poteris; pietasne an impietas dicenda sit, quod ille contra Davidem patrem salutem sese communis patriæ ac vulgi, cujus causa in judicio negliguntur, profiteatur suscipere; &, justumne hoc bellum, an rebellio potius sit, hoc nomine in patrem populum concitare, & armatum ducere.

IV.

Dolendumne, an lætandum morte honesta Hortensii sit? *à causis.*

1. Dolendi sibi causam oblatam esse Cicero asserit, quod amicum & collegam amiserit.

2. Contra *tamen lætandum magis, quam dolendum affirmat. 1 Quia mortuus est priusquam Respubl. civilibus bellis per Cæsarem & Pompeium everteretur. 2. Quod ad felicitatem translatus, causam nullam dolendi reliquerit, aliorum verò tantum malum sit, quòd eo frui non liceat.*

3. Quod magnum dolorem percepturus esset, si videret locum non esse inter arma consilio atque Oratoris autoritati.

Concludit, beatum videri, qui eo tempore cum laude vita functus sit. Quod argumentum magis etiam in fine num. 134. prosequitur.

Cicero ad Brutum de Clar. Orat.

1. Cum è Cilicia decedens Rhodum venissem, & eo mihi de Q. Hortensi morte esset allatum, opinione omnium majorem animo cœpi dolorem. Nam & amico amisso, cùm consuetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam, & interitu talis auguris, dignitatem nostri collegii diminutum dolebam. Qua in cognitione & cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo juratus judicium dignitatis meæ fecerat: & inauguratum ab eodem, ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam. Augebat etiam molestiam, quod magna sapientium civium, bonorumque penuria, vir egregius, conjunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo reipubl. tempore extinctus, & autoritatis, & prudentiæ suæ triste nobis desiderium reliquerat. Dolebamque quod, non ut plerique putabant, adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, & consortem gloriosi laboris amiseram. Etenim si in leviorum artium studio memoriæ proditum est. Poëtas nobiles

Poëta-

Poëtarum æqualium morte doluisse : quo tandem animo ejus interitum ferre debui ? cum quo certare erat gloriosius, quàm omninò adversarium non habere. cum præsertim non modò nunquam sit, aut illius à me cursus impeditus, aut ab illo meus, Sed contra semper alter ab altero adjutus, & communicando, & monendo, & favendo.

7. Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille, cessit è vita, suo magis, quam suorum civium tempore : & tum occidit, cum lugere facilius rempubl. posset, si viveret, quam juvare : vixitque tam diu, quam licuit in civitate bene, beateque vivere : nostro incommodo, detrimentoque, si est ita necesse, doleamus ; illius verò mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur : ut quotiescunque de clarissimo, & beatissimo viro cogitemus, illum potius, quàm nos ipsos diligere videamur. Nam si dolemus, quod eo jam frui nobis non licet, nostrum est id malum, quod modicè feramus : ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. sin, tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, summam ejus felicitatem non satis grato animo interpretamur. Etenim si viveret Q. Hortensius, cætera fortasse desideraret, una cum reliquis bonis, & fortibus civibus, hunc autem, & præter cæteros, aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum populi Rom. quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, & Romanis, Græcisque auribus digna, spoliatum, atque orbatum videret. Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non authoritatis armis egere rempubl. quæ didiceram tractare, quibusque me assuefeceram, quæque erant propria, cum præstantis in republ. viri, tum benè moratæ & benè constitutæ civitatis. Quod si fuit in republ. tempus ullum, cum extorquere arma posset è manibus iratorum civium boni civis authoritas, & oratio : tum profectò fuit, cum patrocinium pacis exclusum est, aut errore hominum, aut timore. Ita nobismetipsis accidit, & quamquam essent multò magis alia lugenda, tamen hoc dolemus, quod, quo tempore ætas nostra perfuncta rebus amplissimis, tanquam in portum confugere deberet ; non inertiæ, neque desidiæ,

sed otii moderati, atque honesti : cumque ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem, & quasi senectutem, tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant iis uti gloriosè, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. Itaque ii mihi videntur fortunatè, beateque vixisse, cum in cæteris civitatibus, tum maximè in nostra : quibus cum authoritate, rerumque gestarum gloria, tum etiam sapientiæ laude perfrui licuit.

IMITATIO.

In cujuslibet propinqui, vel etiam viri principis morte similis disserendi ratio locum inveniet.

V.

An Hirtii & Octaviani militibus contra Antonium præmia victoriæ conferenda sint?

Cic. Philip. ut à causis.

1. *Cicero decernit præmia victoribus contra Antonium & monumentum honoris.*

2. *Solatur propinquos illorum qui victores pro republ. occubuerunt.*

1. Proprium senatus sapientis est grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderunt. Quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent. Duo certè non præteribo, quæ maximè occurrunt : quorum alterum pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterum ad leniendum mœrorem, & luctum proximorum. Placet igitur mihi P. C. Legionis Martiæ militibus, & eis, qui unà pugnantes occiderunt, monimentum fieri, quam amplissimum. Magna atque incredibilia sunt in rempubl. hujus merita legionis. hæc se prima latrocinio abrupit Antonii, hæc tenuit Albam, hæc se ad Cæsarem contulit : hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam

gloriam consecuta est. Quarta victrix desiderat neminem: ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. ô fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita. Vos verò patriæ natos judico: quorum etiam nomen à Marte est; ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga fœda mors est, in victoria gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerare solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam apud inferos pœnas parricidii luent: vos verò qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti, brevis autem vobis vita data est: at memoriâ benè redditæ vitæ sempiterna; quæ si non esset longior, quam hæc vita: quis esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? Actum igitur præclarè vobiscum fortissimi, dum vixistis, nunc verò etiam sanctissimi milites, quòd vestra virtus ne oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, cum vobis immortale monimentum suis penè manibus senatus populusque Rom. exstruxerit. multi sæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari, & magni fuerunt: nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam majora possimus: quandoquidem à vobis maxima accepimus, vos ab urbe furentem Antonium avertistis, vos redire molientem repulistis. Erit igitur exstructa moles opere magnifico, incisæque literæ divinæ virtutis testes sempiternæ. nunquam de vobis eorum, qui aut videbunt vestrum monimentum, aut audient, gravissimus sermo conticescet. ita pro mortali conditione vitæ, immortalitatem estis consecuti.

2. Sed quoniam P. C, gloriæ munus optimis & fortissimis civibus monimenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est hæc quidem consolatio; parentibus, quod tanta reipubl. præsidia genuerunt: liberis, quòd habebunt domestica exempla virtutis: conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quàm lugere præstabat, fratribusque quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudine esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris, consultisque possemus,

mus, vel aliqua talis his adhiberi publicè posset oratio, quâ deponerent mœrorem, atque luctum, gauderentque potius, cum multa & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esse pulcherrimum, suis obtigisse, eosque nec inhumatos esse, nec desertos, (quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur) nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus, atque muneribus, eaque exstructione, quæ sit ad memoriam æternitatis, ara virtutis. quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum eodem monimento declarari & virtutem suorum, & pietatem, & senatus fidem, & crudelissimi memoriam belli. In quo nisi tanta militum virtus extitisset, patricidio M. Antonii nomen populi Romani occidisset. Atque etiam censeo P. C. quæ præmia militibus promisimus, nos republ. recuperata tributuros, ea vivis, victoribusque cumulatè, cum tempus venerit persolvenda. qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt: eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.

IMITATIO.

Pari ratione, pro religione & Ecclesia certantibus decernenda erunt præmia, ut Ducibus olim Bullionius adversus Turcas factum, &c.

VI.

An anima hominis sit immortalis? ab affectis & causis.

Cicero l. 1. Tusc. quæst.

1. *Exorditur à cura omnibus insita de rebus post mortem corporis eventuris, unde* argumentum *primum sumit de anima superfutura immortalitate.*

2. Argumentum *secundum immortalitatis à gloria cupiditate post mortem ducitur, diduciturque per variarum disciplinarum studiosos.*

3. *Osten-*

3. *Ostendit, Pythagora autore, hanc sententiam de anima immortalitate invaluisse, quamvis & prudentes ante ipsum id senserint.*

4. *Ostendit ex rerum elementarium natura, quâ gravia subsidunt, tolluntur levia, animam à corpore solutam, cum ignea natura sit, ad cælum evolaturam, illicque connaturali sibi loco quieturam.*

5. *Reprehendit illos, qui aut æternum, aut nullum esse animum negant, quod eum qui sit futurus extra corpus, non intelligant.*

6. Argumentum *tertium est, quo immortalem probat, memoria præteritorum, & diversarum artium inventio, qua Deum æmulatur. Quod num. 8. confirmat, ductâ à Deo similitudine.*

7. *Concludit animum ex elementis sumptum non esse, quòd his nullum memoriæ aut ingenii vestigium insit.*

1. Maximum argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sit, & maximè quidem, quæ post mortem futura sint. *Serit arbores quæ alteri seculo prosint,* ut ait Statius, *in Synephebis*; quid spectans, nisi etiam postera secula ad se pertinere? Ergo arbores seret diligens Agricola, quarum adspiciet baccam ipse nunquam, vir magnus leges, instituta, Rempubl. deseret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare?

2. Quid illud? num dubitas quin specimen naturæ capi debeat, ex optima quâque natura? quæ est igitur melior in hominum genere natura quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? Abiit ad Deos Hercules, nunquam abiisset, nisi cum inter homines esset, viam sibi jam munivisset. Vetera jam ista & religione omnium consecrata. Quid in hac Republ. tot tantosque viros ob Rempubl. interfectos cogitasse arbitramur, iisdémne ut finibus nomen suum quibus vita terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortẽ. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminon-

minondæ, licuit(ne & vetera, & externa quæram)mihi. Sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi seculorū quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis & existit maximè, & apparet facillimè, quo quidem dempto, quis tam esset amens; qui semper, & in laboribus, & in periculis viveret. Loquor de Principibus. quid de Poëtis? nonne post mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud.

Aspicite, ô cives, senis Ennii imaginis formam
Hic vestrum panxit maxima fata Patrum.

Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum Patres affecerat gloriâ. Idemque

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu.
Faxit: cur? volito vivus per ora virum.

Sed quid Poëtas? Opifices etiam post mortem nobilitari volunt: Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi, nonne in his ipsis libris quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? Quod si omnium consensus, naturæ vox, omnesque qui ubique sunt consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui è vita cesserunt: nobis quoque idem existimandum est, & si quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, qui naturâ optimâ sunt, cernere naturæ vim maximè: verisimile est, cum optimus quisquis maximè posteritati serviat, esse aliquid cujus is post mortem sensum sit habiturus. Sed ut Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus; sic permanere animos arbitramur consensu rationum omnium, qua in sede maneant, qualesque sint ratione discendum est.

3. Magni autem est ingenii revocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere. Itaque credo equidem alios tot seculis disputasse de animis: Sed quod literis extet, Pherecydes Syrus primus dixit animos hominum esse sempiternos, antiquus sanè, fuit enim meo judicio

judicio regnante Gentili (*Tullio*) Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maximè confirmavit, qui cum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Græciam cum honore & disciplina, tum etiam autoritate, multaque secula postea sic viguit Pythagoreorum disciplina, ut nulli alii docti viderentur. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse, & in eo, cùm alios multos, tum Architam Timæumque cognovisse; & didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum æternitate, non solum sensisse idem, quod Pythagoras, sed rationem etiam attulisse.

4. Persuadent mathematici terram in medio mundi sitam ad universi cæli exemplum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant: eam porrò naturam esse quatuor omnia gignentium corporum, ut quasi partita habeant inter se, & diversa monumenta terrena & humida suopte nutu, & suo pondere, ad pares angulos, in terram & in mare, ferantur, reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ superiores in medium locum mundi gravitate ferantur, & pondere, sic hæ rursum rectis lineis in cælestem locum subvolent; sive ipsa natura superiora appetente, sive quod à gravioribus leviora naturâ repellantur. Quæ cùm constet, perspicuum debet esse animos, cùm è corpore excesserint, sive illi sint animales, id est, spirabiles, sive ignei, sublimè ferri. Accedit, ut eò facilius animus evadat ex hoc aëre, quem jam sæpe appello crassum, eumque perrumpat, quòd nihil est animo velocius, nulla est celeritas quæ possit cum animi celeritate contendere, qui si permanet incorruptus suique similis: necesse est ita feratur, ut penetret & dividat omne cælum hoc in quo nubes, imbres ventique coguntur, quod & humidum & caliginosum est, propter exhalationes terræ. quam regionem cum superavit animus, naturamque sui similem contigit & agnovit, junctus ex anima tenui & ardore solis temperato ignibus insistit, & finem altius se efferendi facit. Cum enim sui similem, & levitatem, & calorem adeptus est, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur, eaque illi demum naturalis est sedes, cum ad sui simile penetravit, in quo nulla

ic egens aletur, & sustentabitur iisdem rebus quibus astra sustentantur & aluntur. Cumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod iis æmulemur, qui ea habeant, quæ nos habere cupiamus: profectò beati erimus; cum corporibus, & cupiditatum, & æmulationum erimus expertes. quodque nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus & visere, id multò tum faciemus liberius, totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus, propterea quod & natura inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi, & oræ ipsæ locorum illorum, quò pervenerimus, quò faciliorem nobis cognitionem rerum cælestium, eò majorem cognoscendi cupiditatem dabunt.

5. Nec mihi sanè quicquam occurrit, cur non Pythagoræ sit & Platonis vera sententia. Ut enim rationem Plato nullam afferret (vide quid homini tribuam) ipsa autoritate me frangeret. Tot autem rationes attulit, ut velle cæteris, sibi autem persuasisse videatur. Sed plurimi contra nituntur, animosque, quasi capite damnatos, morte multant. Neque aliud est quicquam, cur incredibilis his animorum videatur æternitas, nisi quod nequeant, qualis animus sit vacans corpore, intelligere, & cogitatione comprehendere. Quasi verò intelligant, qualis sit in ipso corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus, aut si jam possint in homine uno cerni omnia, quæ nunc tecta sunt, casurus ne in conspectum videatur animus, an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem? Hæc reputent isti, qui negant, animum sine corpore se intelligere posse, videbunt quem in ipso corpore intelligant. Mihi quidem naturam animi intuenti, multò difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior; qualis animus in corpore sit, tanquam in aliena domo, quam qualis cum exierit, & in liberum cælum quasi in domum suam venerit. Si enim quod nunquam vidimus, id quale sit intelligere non possumus, certè & Deum ipsum, & divinum animum corpore liberatum, cogitatione complecti non possumus. Dicæarchus quidem & Aristoxenus, quia difficile erat: animi, quid, aut qualis esset intelligentia? nullum omnino animum esse dixerunt. Est illud quidem

vel

vel maximum, animo ipso animum videre, & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat.

6. Quid enim, obsecro te, terrâ tibi, aut hoc caliginoso, & nebuloso cælo, sata; aut concreta videtur tanta vis memoriæ? Si quid sit hoc, non vides, at quale sit vides; si ne id quidem, at quantum sit profectò vides. Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tanquam in aliquod vas, ea quæ meminimus, infundantur? Absurdum id quidem, qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi potest? aut quæ tanta capacitas? an imprimi, quasi ceram, animum putamus, & memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? quæ possunt verborum, quæ rerum ipsarum esse vestigia, quæ porrò tam immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere? quid? illa vis, quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio atque excogitatio dicitur? Ex hâc terrenâ mortalique naturâ, & concretâ ea videtur? Aut, qui primus, quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina? aut, qui dissipatos homines congregavit, & ad societatem vitæ convocavit? aut, qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit? aut, qui errantium stellarum cursus, progressiones, institutiones notavit? Omnes magni, etiam superiores, qui fruges, qui vestitum, qui tecta, qui cultum vitæ, qui præsidium contra feras invenerunt: à quibus mansuefacti & exculti, à necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam & auribus oblectatio magna ex parte est inventa, & temperata varietate, & natura sonorum: & astra inspeximus, tum ea quæ sunt infixa certis locis, tum illa, non re, sed vocabulo, errantia: quorum conversiones, omnesque motus, qui animus vidit, is docuit similem animum suum ejus esse, qui ea fabricatus in cælo esset. Nam cum Archimedes lunæ, solis, quinque errantium motus in sphæram illigavit, effecit idem; quod ille qui in Timæo, mundum ædificavit Platonis Deus; ut tarditate, celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine Deo non potest, ne in Sphæra quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuis-

potuisset imitari. Mihi verò ne hæc quidem notiora & illustriora carere vi divina videntur, ut ego, aut Poetam grave plenumque carmen, sine cœlesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam, sine quadam vi majore fluere abundantem, sonantibus verbis, uberibusque sententiis. Philosophia verò omnium mater artium, quid est aliud nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum Deorum? hæc nos primùm ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut supera, infera, prima, ultima, media videremus.

7. Ergo animus, ut ego dico divinus, & Euripides audet dicere, Deus est. Et quidem si Deus, aut anima, aut ignis est; idem est animus hominis; nam ut illa natura cælestis & terrâ vacat & humore; sic utriusque harum rerum humanus animus est expers. Sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta, primum hæc & Deorum est, & animorum. Hanc nos sententiam secuti, his ipsius verbis in consolatione hæc expressimus. Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fixum esse videatur, nihil, ne, aut humidum quidem aut stabile, aut igneum. his enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, aut cogitationis habeat; quod, & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt. Nec invenietur unquam unde ad hominem venire possint, nisi à Deo. Singularis est igitur, quædam natura, atque vis animi sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est. Nec verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno. Hoc è genere atque eadem è natura est humana mens.

8. Cum videmus speciem candoremque cœli, deinde conver-

conversionis celeritatem tantam, quantám cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque partium quadripartitas, ad maturitatem frugum & temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem & ducem solem, lunamque accretione & diminutione luminis, quasi fastorum notantem & significantem dies, tum in eodem orbe in 12. partes distributo, quinque stellas ferri, eosdemque cursus constantissime servantes, disparibus inter se motibus: nocturnamque cœli formam undique sideribus ornatam, tum globum terræ, eminentem in mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem, & cultum, &c. hæc & alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin his præsit aliquis, vel effector, si hæc nata sunt, ut Platoni videtur; vel, si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis & muneris? Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen, ut Deum agnoscis, ex operibus ejus: sic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omniumque pulchritudine, virtutis vim divinam mentis agnoscito.

IMITATIO.

Illustris hic ad imitationem locus est, si doceas à perituris, & transitoriis, hujus mundi bonis, ad immortalia, & cœlestia animum transferendum esse; quod immortalis cum sit, aliis non possit bonis satiari. Hoc fecisse quotquot veram sectarentur gloriam, & nominis decus æternum, hoc sensisse viros sapientissimos, animumque à terrenis ad cœlestia transtulisse Deo maximè similes, &c. Quorum modò nomina inter homines etiam gloriosa celebrentur.

OBSERVATIO.

Hæc quæstio ex illis est, quas nonnulli didacticas tantum esse volunt. Verùm si illius spectetur finis, ad actionem quoque ordinata est; cùm qui immortalem Deoque *similem sese animum nactum esse credit, humilia atque indigna tali animo cogitare ac moliri nequaquam debeat; ut is, qui eundem cum brutis exitum præstolatur.*

VII.

Diis gratias agendas, & Ciceronem à civibus defendendum à causarum enumeratione *ostenditur.*

Cicero Orat. 3 in Catil.

1. *Rempubl. Rom. conservatam esse, summum est beneficium, ob quod decreta solenni supplicatione à Senatu Diis agenda sint gratiæ.*

2. *Cicero pro se nihil à populo Rom. nisi memoriam æternam conservatæ reipubl. postulat; tum verò, ut se contra invidiam insidiasq; sceleratorum tueatur.*

Remp. Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, Deorum immortalium summo erga vos amore laboribus, consiliis, periculisque meis, ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conservatam, ac restitutam videtis. Et, si non minùs vobis jucundi, atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quàm illi, quibus nascimur, quod salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio; & quòd sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur; profectò, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum, ad Deos immortales benevolentia, famaque sustulimus: esse apud vos, posterosque vestros in honore debebit dies is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit: nam totius urbis templis, delubris, tectis ac mœnibus subjectos propè jam ignes, circumdatosque restrinximus: iidemque gladios in rempubl. districtos retudimus, mucronesque eorum à jugulis vestris rejecimus, quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, & non sim ferendus. Ille, ille Jupiter restitit, ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atq; ad hæc tanta judicia perveni. Jam verò illa Allobro-

lobrogum sollicitatio, sic à Lentulo, cæterisque domesticis hostibus, tanta res tam dementer credita & ignotis, & barbaris, commissæque literæ nunquam essent profectò, nisi à Diis immortalibus huic tantæ audaciæ consilium esset ereptum. Quid verò? ut homines Galli ex civitate malè pacata, quæ gens una restat, quæ populo Romano bellum facere & posse, & non nolle videatur, spem imperii, & rerum amplissimarum ultrò sibi à patritiis hominibus oblatam negligerent, vestramque salutem suis opibus anteponerent: id nonne divinitus factum esse putatis? præsertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt? Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum conjugibus, ac liberis vestris. Nam multi sæpè honores Diis immortalibus justi habiti sunt, ac debiti sunt profectò justiores nunquam. Erepti enim ex crudelissimo, ac miserrimo interitu, & erepti sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati, me uno togato duce, & imperatore vicistis.

2. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego à vobis prœmium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo, præterquam hujus diei memoriam sempiternam. In animis ergò vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi & collocari volo. nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inveterascent, & corroborantur. Eandem diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem urbis & ad memoriam consulatus mei, propagatam: unoque tempore in hac republ. duos cives extitisse, quorum alter fines vestri imperii, non terræ, sed cœli regionibus terminaret: alter ejusmodi imperii domicilium, sedemque servaret. Sed, quoniam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem fortuna atque conditio, quæ illorum, qui externa bella gesserunt: quod mihi vivendum sit cum illis, quos vici, ac subegi: illi hostes aut interfectos, aut oppressos reliquerunt: vestrum est, Quirites, si cæteris sua facta prosunt,

mihi mea ne quando obsint, providere. Mentes enim hominum audacissimorum sceleratæ, ac nefariæ, ne vobis nocere possent, ego providi. quamquam Quirites, mihi quidem ipsi nihil jam ab istis noceri potest. Magnum enim est in vobis præsidium, quod mihi in perpetuum comparatum est: magna in republ. dignitas, quæ me semper tacita defendet: magna vis est conscientiæ, quam qui negligent, cùm me violare volent, se ipsi judicabunt. Est enim in nobis is animus, Quirites, ut non modo ullius audaciæ cedamus, sed etiam omnes improbos ultrò semper lacessamus. Quòd si omnes impetus domesticorum hostium depulsi à nobis, se in me unum converterint: vobis erit providendum, Quirites: quâ conditione posthac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint invidiæ, periculisque omnibus. Mihi quidem ipsi quid est, quod jam ad vitæ fructum possit acquiri, cùm præsertim neque in honore vestro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quò quidem mihi libeat adscendere? Illud perficiam profectò, Quirites, ut ea, quæ gessi in consulatu, privatus tuear, atque ornem: ut si qua est invidia in conservanda republ. suscepta, lædat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me in republ. tractabo, ut meminerim semper quæ gesserim, curemque ut eâ virtute, non casu, gesta esse videantur.

IMITATIO.

Cum, vel ab hoste, vel seditione, vel incendio, vel peste, aliove periculo urbs aliqua, vel provincia, tum hominum tum cælitum ope liberata est; pari oratione, ad referendas Deo hominibusque gratias, excitare licebit.

VIII.

An & quare Julio Cæsari antea inimico, in Gallicæ provinciæ prorogatione faveat? à causis & attributis de Provinc. consularibus tom. 3. orat. 3.

1. Docet

1. Docet se ob communem utilitatem cum Cæsare potius, quàm Gabinio redire in gratiam, exemplo clarissimorum virorum T. Gracchi, Metellorum, Lepidi, &c.

2. Tradit se, cum ex amore patriæ hostium patriæ, ut Clodii aliorumq; gravissimas susceperit inimicitias, non posse non amicum esse patriæ consulentibus, præsertim cum ipsum senatum Cæsari faventem hoc in amore ducem sequatur.

3. Caussam nullam inter barbaras gentes terrasq; hærendi Cæsari esse, quàm ut Romanis metuendas hactenus, & nunquam sat domitas gentes subjiciat, quod ipso revocato vix sit sperandum, ob nimiam illarum vim & potentiam facilè innovandam.

1. Negat me vir optimus inimiciorem Gabinio debere esse, quàm Cæsari. omnem enim illam tempestatem, cui cesserim, Cæsare impulsore atque adjutore esse excitatam. Cui si primùm sic respondeam, me communis utilitatis habere rationem, non doloris mei, possimne probare, cùm id me facere dicam, quod exemplo fortissimorum civium facere possim? an Tit. Gracchus (patrem dico. cujus utinam filii non degenerassent à gravitate paternâ) tantam laudem est adeptus, quòd tribunis plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit, inimicissimus, & ipsius, & fratris ejus Africani, juravitque in concione, se in gratiam non rediisse, sed alienum sibi videri à dignitate imperii, quò duces essent hostium Scipione triumphante ducti, eodem ipsum duci, qui triumphasset? quis plenior inimicorum C. Mario? Crassus, M. Scaurus aliisque inimici, & omnes Metelli. At hi non modò illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant; sed & propter rationem Gallici belli, provinciam extra ordinem decernebant. Bellum in Gallia maximum gestum est: domitæ sunt à Cæsare maximæ nationes, sed nondum legibus, nondum jure certo, nondum satis firmâ pace devinctæ, bellum affectum videmus, &, verè ut dicam, penè confectum: sed ita, ut, si idem extrema persequitur, qui inchoavit, jam omnia perfecta videamus: si succeditur, periculum sit, ne instauratas maximi belli reliquias ac renovatas audiamus. Ergò ego

 senator

senator, inimicus, si ita vultis homini, amicus esse, sicut semper fui, reipubl. debeo: quid si ipsas inimicitias depono reipubl. caussa, quis me tandem jure reprehendat? præsertim cùm ego omnium meorum consiliorum atque factorum exempla semper ex summorum hominum factis mihi censuerim petenda? an non M. ille Lepidus, qui bis Consul & Pontifex maximus fuit, non solum memoriâ & testimonio, sed etiam annalium literis & summi Poëtæ voce laudatus est. Quod cum M. Fulvio collega quo die censor est factus, homine inimicissimo, in campo statim rediit in gratiam, ut commune officium censuræ, communi animo ac voluntate defenderent? Atque ut vetera, quæ sunt innumerabilia, mittam: tuus pater, Philippe, nondum uno tempore cum suis inimicissimis in gratiam rediit? Quibuscum omnibus eadem respubl. reconciliavit, quæ alienârat. Multa prætereo, quòd intueor coram hæc lumina atque ornamenta reipubl. P. Servilium, & M. Lucullum (utinam etiam Lucullus ille viveret) quæ fuerunt inimicitiæ graviores in civitate, quàm Lucullorum atque Serviliorum? quas in viris fortissimis non solum extinxit reipubl. dignitas, & ipsorum, sed etiam ad amicitiam consuetudinemque traduxit. Quid? Metellus nepos, nonne Consul in templo Jovis Optimi Maximi permotus cùm autoritate vestra, tùm illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens mecum summo suo beneficio rediit in gratiam? an ego possum huic esse inimicus, cujus literis, famâ, nunciis, celebrantur aures quotidie meæ, novis nominibus gentium, nationum, locorum?

2. Ardeo, mihi credite P. C. (id quod vosmet de me existimatis, & facitis ipsi) incredibili quodam amore patriæ: qui me amor & subvenire olim impendentibus periculis maximis, cum dimicatione capitis, & rursum, cùm omnia tela undique esse intenta in patriam viderem, subire coëgit atque excipere unum pro universis. Hic me meus in rempubl. animus pristinus ac perennis cum C. Cæsare reducit, reconciliat, restituit in gratiam, quod volent, denique homines existiment: nemini ego esse possum benè de repub. merenti non amicus. etenim si iis, qui hæc omnia

flamma

flamma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solùm, sed etiam bellum indixi, atque intuli: cùm partim illorum familiares, partim ipsi etiam, me defendente capitis judiciis essent liberati. cur eadem respubl. quæ me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit? quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod perniciosum patriæ civem fore putabam, qui turpissima libidine incensus, duas res sanctissimas, religionem & pudicitiam, uno scelere violasset? num est igitur ex his rebus quas is egit, agitque quotidie, quin ego in illo oppugnando reipubl. plus quàm otio meo: nonnulli in eodem defendendo suo plus otio, quàm communi, prospexerint? ego me à C. Cæsare in republ. dissensisse fateor, & sensisse vobiscum: sed nunc iisdem vobis assentior, cum quibus antea sentiebam. Vos enim, ad quos literas L. Piso de suis rebus non audet mittere, qui Gabinii literas insigni quadam nota, atque ignominia nova condemnastis, C. Cæsari supplicationes decrevistis: numero, ut nemini ullo ex bello: honore, ut omninò nemini. Cur igitur exspectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? reduxit ordo amplissimus, & ordo is, qui est & publici consilii, & meorum omnium consiliorum auctor & princeps. Vos sequor, patres conscripti, vobis obtempero, vobis assentior, qui quamdiu C. Cæsaris consilia in repub. non maximè diligebatis, me quoque cum illo minus conjunctum videbatis: posteaquam rebus gestis mentes vestras, voluntatemque mutastis, me non solum comitem esse sententiæ vestræ, sed etiam laudatorem vidistis.

3. Ipse Cæsar, quid est, cur in provincia commorari velit, nisi, ut ea, quæ per eum affecta sunt, perfecta reip. tradantur? amœnitas eum, credo, locorum, urbium, pulchritudo, hominum, nationumque illarum humanitas, & lepos, victoriæ cupiditas, finium Imperii nostri propagatio retinet. quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot victoriis præstabilius? quid Oceano longius inveniri potest? an reditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum apud populum, à quo missus est: an apud senatum, à quo ornatus est? an dies auget ejus desiderium? an magis oblivionem? an laurea illa

magnis

magnis periculis parta amittit longo intervallo viriditatem? quare? si qui hominem non diligunt: nihil est, quòd eum de provincia devocent: ad gloriam devocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorem senatus, equestris ordinis gratiam, populi charitatem. Sed si ille hac tam eximia fortuna propter utilitatem reipub. frui non poterat, ut omnia illa conficiat? quid ego senator facere debeo, quem etiam, si ille aliud vellet, reip. consulere oporteret? non enim sibi solùm cum iis, quos jam armatos contra populum Rom. videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam: itaque cum acerrimis nationibus & maximis Germanorum & Helveticorum, præliis felicissimè decertavit: cæteras contrivit, compulit, domuit, Imperio populi Rom. parere assuefecit: & quas regiones, quasque gentes nullæ nobis antea literæ, nulla vox nulla fama, notas fecerat, has noster Imperator, nosterque exercitus, & populi Rom. arma peragrarunt. Semitam tantùm Galliæ tenebamus antea, patres conscripti: cæteræ partes à gentibus; aut inimicis huic Imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certè immanibus, & barbaris & bellicosis tenebantur. Quas nationes, nemo unquam fuit, qui non frangi, domarique cuperet: nemo sapienter de republ. nostra cogitavit, jam inde à principio hujus imperii, quin Galliam maximè timendam huic imperio putaret: sed propter vim ac multitudinem gentium illarum, nunquam est antea cum omnibus dimicatum. Restitimus semper lacessiti: nunc denique est perfectum, ut imperii nostri terrarumque illarum idem esset extremum. Alpibus Italiam munierat antè natura, non sine aliquo divino numine: nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudiniq; patuisset, nunquam hæc urbs summo imperio domicilium, ac sedem præbuisset: quæ jam, licet, considant: nihil enim est ultra illam altitudinem montium, usque ad Oceanum, quod sit Italiæ pertimescendum; sed tamen una, aut altera æstas. vel metu, vel spe, vel pœna, vel prœmiis, vel armis, vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis astringere. Impolitæ verò res & acerbæ si erunt relictæ, quanquam sunt abscissæ, tamen efferent se aliquando, & ad renovandum bellum revirescent. Quare sit in ejus tutela Gallia,

cujus

cujus virtuti, fidei, felicitati commendata est, etenim si fortunæ muneribus amplissimis ornatus, sæpius ejus Deæ periculum facere nollet : si in patriam, si ad Deos penates, si ad eam dignitatem, quam in civitate sibi propositam videt, si ad jucundissimos liberos, si ad clarissimum generum redire properaret, si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret : si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere jam non potest, quantum auferre : vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, à quo profligata sunt, confici velle. Cùm verò ille suæ gloriæ jam pridem, reip. nondum satisfecerit, & malit tamen tardius ad suorum laborum fructus pervenire, quàm non explere susceptum reipubl. munus : nec Imperatorem incensum ad rempubl. benè gerendam revocare, nec totam Gallici belli rationem jam explicatam perturbare, atque impedire debemus.

IMITATIO.

Ionathas ad hujus rationis exemplar Sauli patri rationes suæ dare poterit cum Davi[dis] amicitiæ, quòd omnes clari viri heroas ament, communique saluti, per Davidem egregiè subactis hostibus, consulatur, &c.

Exemplum IX.

An rectè Cn. Pompejus Corn. Balbum civitate donârit? *à causis.*

Cicero pro Balbo *tom. 3. oratione 4. post Exordium.*

1. *Docet præsumendum esse quod Pompejus nihil egerit, nisi quod jure concessum erat, propter usum rerum, ingenium, & autoritatem quæ exemplo Metelli & Græcorum illustrantur.*

2. *Dilemmate idem urget; ut vel scientem, vel inscientem deliquisse arguant; illud non dicere adversarios; hoc non posse, cum hoc jus ipsis librariis seu amanuensibus notum sit.*

3. *Ostendit Communi omnium temporum vitio, ex invi-* dia

dia, tam in vivum Pompejum (cui mortuo parcerent) quàm in Balbum, cujus gloria parta non favent, hanc accusationem natam esse, quam, judices rogat, ut negligant.

Non est fas dubitare, Judices, quin quod C. Pompejum fecisse constat, id non solum decuisse; sed etiam debuisse, fateamur. Quid enim abest huic homini, quod si adesset, jure hoc tribui, & concedi putaremus? usus ne rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum, atque imperiorum maximorum; cujus plerique æquales minus sæpè castra viderunt, quàm hic, triumphavit: qui tot habet triumphos, quod oræ sunt partesque terrarum: tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum. An ingenium? cùm etiam ipse casus eventusque rerum non duces, sed comites ejus consiliorum fuerint: in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit, ut omnium judicio plus, quàm possit, minus, quam decet, tribueretur. An pudor, an integritas, an religio in eo, aut diligentia unquam requisita est? quem provinciæ nostræ, quem liberi populi, quem reges, quem exteræ gentes castiorem, moderatiorem, sanctiorem non modò viderunt, sed vix sperando unquam, aut optando cogitaverunt? quid dicam de autoritate, quæ tanta est, quanta in his tantis virtutibus ac laudibus esse debet. cui Senatus populusq; Rom. amplissimæ dignitatis præmia dedit, non postulanti, imperia verò etiam, recusanti: hujus de facto, Judices, ita quæri, ut id agatur, licueritne ei facere, quod facit? an verò, non dicam, non licuerit, sed nefas fuerit? (contra fedus enim, id est, contra populi Rom. religionem, & fidem fecisse dicitur) nonne turpe populo Rom.? nonne vobis? audivi hoc de parente meo puer, cum Q. Metellus, L. F. causam de pecuniis repetundis diceret: ille, ille vir, cui patriæ salus dulcior, quàm conspectus fuit, qui de civitate decedere, quàm de sententia maluit: hoc igitur causam dicente, cùm ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis caussa, fuisse judicem ex illis equitibus Rom. gravissimis viris, neminem, quin removerit oculos & se totum averteret: ne fortè, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verumne, an falsum esset, videretur, nos Cn. Pompei

pei decretum, judicium de consilii sententia pronuntiatum recognoscemus? cum legibus conferemus? cum federibus, quorum acerbissima diligentia est, perpendemus? Athenis ajunt, cum quidem apud eos, qui sanctè graviterq; vixisset, & testimonium publicè dixisset, &, ut moris Græcorum est, jurandi causa ad aras accederet, una voce omnes judices, ne is juraret, reclamasse, cum Græci homines, spectati viri, noluerint religione videri potius, quàm veritate fidem esse constrictam; nos etiam in ipsa religione & legum & federum conservanda, qualis fuerit Cn. Pompejus, dubitabimus?

2. Utrum enim, inscientem vultis contra fœdera fecisse, an scientem? si scientem: ô nomen nostri imperii, ô populi Rom. excellens dignitas, ô Cn. Pompeji sic latè longèque diffusa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis imperii finibus terminetur! ô nationes, urbes, populi, Reges, tetrarchæ, tyranni, testes C. Pompeji non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace: vos denique mutæ regiones imploro, & sola terrarum ultimarum, vos maria, portus, insulæ, littoraque: quæ est enim ora, quæ sedes, qui locus, in quo non extent hujus cum fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia? hunc quisquam incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia præditum, fœdera scientem neglexisse, violasse, rupisse, dicere audèbit? gratificatur mihi gestu accusator: inscientem Cn. Pompejum fecisse significat. Quasi verò levius sit, cum in tanta republ. versere, & maximis negotiis præsis, facere aliquid, quod scias non licere, an omninò nescire, quid liceat. Etenim cum in Hispania bellum acerrimum & maximum gesserat, quo jure Gaditana civitas esset, nesciebat? an cujus linguam populi non nosset, interpretationem fœderis non tenebat? Id igitur quisquam Cn. Pompejum ignorasse, dicere audebit, quod mediocres homines, quod nùllo usu, nullo studio militari præditi, quod librarioli denique scire profiteantur? equidem contra existimo judices, cum in omni genere, ac varietate artium, etiam illarum, quæ sine summo ocio non facilè discuntur, Cn. Pompejus excellat, tum singularem quandam laudem ejus & præstabilem esse scientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum,

regum, exterarum nationum in universo denique belli jure ac pacis, nisi fortè, quæ nos libri docent in umbra, & ocio, ea Cn. Pompejum neque, cum requiesceret, literæ, neque cum rem gereret, res ipsæ docere potuerunt.

3. Atque, ut ego sentio, Judices, causa dicta est temporis magis vitio, quam ullius Cornelii crimine de quo plura non dicam. ego de hujus, inquam, genere judicii plura dicam. Est enim hujus seculi labes quædam & macula virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere. Etenim si Cn. Pompejus abhinc annos quingentos fuisset, is vir, à quo Senatus adolescentulo atque equite Rom. sæpe communis salutis auxilium expetisset: cuius res gestæ omnes gentes cum clarissima victoria terra marique peragrassent: cujus res triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri: quem populus Rom. singularibus honoribus decorasset: si nunc apud vos id, quod is fecisset, contra fedus factum diceretur, quis audiret? nemo profecto: mors enim cùm extinxisset invidiam, res ejus gestæ sempiterni nominis gloria niterentur. Cujus igitur audita virtus dubitationi locum non daret, hujus præsens, experta, atque perspecta obtrectatorum voce lædetur? omittam igitur Pompejum jam in oratione mea reliqua: sed vos, Judices, animis ac memoria tenetote de lege, de federe, de exemplis, de perpetua consuetudine civitatis nostræ. Renovabo ea, quæ dicta sunt: nihil enim mihi novi, nihil integri. neque M. Crassus, qui totam causam, & pro facultate, & pro fide sua diligentissimè vobis explicavit: neque Cn. Pompejus, cujus oratio omnibus ornamentis abundavit, ad dicendum reliquit. Sed quoniam me recusante placuit ambobus, adhiberi hunc à me quasi perpoliendi quendam operis extremum laborem: peto à vobis, ut me officii potius, quàm dicendi studio, hanc suscepisse operam ac munus putetis. Ac prius quàm aggrediar ad jus causamq; Cornelii, quiddam de communi conditione omnium nostrûm deprecandæ malevolentiæ caussa, breviter commemorandum videtur. Si, quo quisque loco nostrum est, judices, natus, aut si, in qua fortuna est nascendi initio constitutus, hunc vitæ statum usque ad senectutem obtineri debet: & si omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipsorum illustravit

illustravit labor, & industria, pœna sunt afficiendi : non gravior L. Cornelio ; quam multis viris bonis atque fortibus constitui lex vitæ & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas ex infimo genere & fortunæ gradu, non modò amicitias, & rei familiaris copias consecuta est ; sed summam laudem, honores, gloriam, dignitatem : non intelligo, cur potius invidia violatura virtutem L. Cornelii, quàm æquitas vestra pudorem ejus adjutura videatur. Itaque quod maximè petendum est, à vobis iccirco non peto judices, ne de vestra sapientia, atque de vestra humanitate dubitare videar. Est autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici sitis industriæ, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. Illud peto, ut, si causam ipsam per se firmam esse & stabilem videritis, hominis ipsius ornamenta adjumento causæ potius, quam impedimento esse malitis.

IMITATIO.

Iure factum esse, quod Chrysostomus Eudoxiam de alieni agri invasione reprehenderit ; cum pluribus jam annis Ecclesiæ Constantinopolitanæ cum summa scientiæ & virtutis laude, contra hæreticos & improbos præfectus fuerit, nihilque iniquum molitus sit, solâ invidiâ tantum ab aliis Episcopis, irâ ab Eudoxia appetatur ; ad similitudinem hujus argumenti facilè diduces.

Appendix & observatio.

Hæc ad deliberandum proposita suffecerint, ut quemadmodum & hoc in genere, ex communibus inventionis fontibus hauriatur, oratio, ac suis quoque figuris, quamvis modestius ornetur ; exemplis teneat. Minus tamen hæc generalia esse possunt ; cum res quæque ut agendi rationes habet proprias, ita & disserendi. Quæ enim de Optimatum officiis, quæ de Rege, quæ de animæ immortalitate, quæq; alia ejus generis in disceptationem veniunt ; ita singulis plerumq; sunt propria, ut aliis, nisi in pari specie, vix possint applicari. Quare hic aliquantò difficilior imitatio redditur.

Cæterùm si quis hæc aliaque ad Declamationem, aut theatri usum aptare velit. Is quid cuique rei, aut proprium, aut adjunctum sit, in animum revocet. Ut: de Optimatium officiis cives, milites, rustici, pauperes, divites, ipsi denique proceres, non uno ore sensuque dimicent. De animæ immortalitate. probi, improbi, politici, religiosi, philosophi, theologi vel prisci, vel hodierni certent, aut diversæ etiam nationes, religionesque, Sinæ, Japones, Europæi disceptent. Sic an arma sumenda? an præmia danda militi? diversi status, conditionisque homines in deliberationem adducant. Paucis absolvo, res quævis suas tibi cum rationibus quoque personas suggeret. ipsa quandoq; bruta, elementa, resquæ cæteræ vita destitutæ, per legatos, vel tutores Genios suam ad præsens consilium, vel negotium, finem naturamque explicabunt.

CAPUT XX.

De confirmatione Orationis in genere judiciali.

ET hoc nobis postremò dicendi genus negligendum non est. Quamvis enim hæc modo pro judiciis certandi ratio exoleverit, tamen cum ex demonstrativo ac Deliberativo genere vim suam rationemq; disserendi mutuetur, & utrumque intra se colligat. Tullius etiam in hoc potissimum versatus sit, neque hodiedum planè in causis judiciisque subitò finiendis exulet, acuat quoque ad omne genus orationis ingenium, suas illi cum aliis partes dabimus: neque postremas, vel ob hoc præcipuè, quòd siquid ad permovendos, impellendosque omnem in partem animos, possit eloquentia, hoc abs Cicerone illo in genere dicendi potissimum sit petendum.

Ibimus verò per fontes plerosque argumentorum, more nostro signatos, atque exempla diversis in factis causisque diversa etiam producemus. Primo Verris scelera per ironiam & simulatam hominis laudem Cicero perstringet. altero apertè Catilinam pœnis intentatis terrebit. Tertio

sumu-

ſimulatæ religioni Clodii pallium detrahet, atque ad religionis everſionem ſpectare docebit, quartò legem à Clodio latam, quam æquam eſſe oportuit, iniquitatis damnabit. Quinto teſtimoniis aliorum, variis de cauſis, fide derogabit, reliqua duo ad defenſionem pertinebunt, primùm quidem perſonæ; alterum legis, atque ita hanc Confirmationis partem abſolvemus. Quæ verò de Confutatione adverſariorum, animiſque permovendis tractabimus, hæc ſuas in claſſes diſtributa ſubjiciemus.

Exemplum 1. Accuſationis.

Ingenioſâ diſpoſitione Imperatoris boni officium, quod Verri Cicero tribuere principio videtur, ab ipſo alieniſſimum eſſe ubique demonſtrat. ab adjunctis loci, perſonarum, & factorum.

Actione VI. in Verrem in principio.

1. *In exordio dicit. Videri quod Verres defendi poſſit laude & virtute boni in bello Imperatoris, uti M. quondam Aquilius, à M. Antonio defenſus eſt.*

2. *Nullum in Sicilia bellum ſervile ne metuendum quidem fuiſſe aſſerit; cum nec arma his indulta fuerint, & Siculi pacem cum Romanis ament.*

3. *Eſſe tamen alicubi in Tricalino conjurationis nomine apprehenſos convictosque ſervos cum* Domino; *ſed hos ad palum jam alligatos magna vi pecuniæ redemptos, neglecto ſupplicii & pœnæ exemplo. idemque in aliis præſtitum.*

4. *Ficto conjurationis crimine Apollonium Panormitanum, pecunioſum hominem, oneratum eſſe; ut, pecunia emuncta, Verres ſuam diligentiam in avertendo bello, cum quæſtis probaret. quod factum ab adjunctis variè exagitur.*

5. *Progreditur tanquam laudaturus univerſè bellicas in Verre virtutes; ſed ad Vitiorum ac mollis vitæ exprobrationem repentè convertitur.*

1. Nemini video dubium esse, judices, quin apertissimè C. Verres in Siciliâ sacra prophanaque omnia, & privatim & publicè spoliarit, versatusque sit sine ulla non modo religione, verùm etiam dissimulatione in omni genere furandi, atque prædandi, sed quædam mihi magnifica & præclara ejus defensio ostenditur: cui quemadmodum resistam, multò mihi antea est Judices providendum. Ita enim causa constituitur, provinciam Siciliam virtute ejus, & vigilantia singulari, dubiis, formidolosisque temporibus à fugitivis, atque à belli periculis tutam esse servatam. Quid agam Judices? quo accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur. novi locum: video, ubi se jactaturus sit Hortensius. Belli pericula, tempora Republ. imperatorum penuriam commemorabit. tum deprecabitur à vobis, tum etiam pro suo jure contendet. ne patiamini talem imperatorem populo Rom. Siculorum testimoniis eripi, neve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ velitis. Non possum dissimulare Judices, timeo, ne C. Verres, propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia quæ fecit, impunè fecerit: venit enim mihi in mentem, in judicio M. Aquilii, quantum momenti oratio M. Antonii habuisse existimata sit: qui, ut erat in dicendo non solùm sapiens, sed etiam fortis, causa propè perorata, ipse arripuit M. Aquilium, constituitque in conspectu omnium, tunicamque ejus à pectore abscidit, ut cicatrices populus Rom. judicesque aspicerent, adverso corpore exceptas. Simul & de illo vulnere, quod, ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit, eoque abduxit eos, qui erant judicativi, vehementer ut vererentur, ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum pepercisset, hic non ad populi Rom. laudem, sed ad judicum crudelitatem videretur esse servatus. Hæc eadem nunc ab illis defensionis ratio, viaque tentatur: idem quæritur, sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps: at est bonus imperator, & felix, & ad dubia reipubl. tempora reservandus.

2. Non agam summo jure tecum: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere, cum judicium certâ lege sit constitutum,

ſtitutum, non quid in re militari fortiter feceris, ſed quemadmodum manus ab alienis pecuniis abſtinueris, abs te doceri oportere, non, inquam, ſic agam: ſed ita quæro, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello. Quid dices? an bello fugitivorum virtute tua Siciliam liberatam? magna laus, honeſta oratio: ſed tamen, quo bello? nos enim poſt id bellum, quod M. Aquilius confecit, ſic accepimus, nullum in Siciliâ fugitivorum bellum fuiſſe. at in Italiâ fuit, fateor: & magnum quidem ac vehemens. num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriam cum M. Craſſo aut C. Pompejo communicandam putas? non arbitror hoc etiam deeſſe tuæ impudentiæ, ut quicquam ejuſmodi dicere audeas. Obſtitiſti videlicet, ne ex Italiâ tranſire in Siciliam fugitivorum copiæ poſſent. ubi? quando? ex parte? cum aut navibus, aut ratibus, conarentur accedere? nos enim nihil unquam audivimus: & illud audivimus M. Craſſi, fortiſſimi viri, virtute, conſilioque factum, ne ratibus conjunctis freto fugitivi ad Meſſanam tranſire poſſent, à quo illi conatu non tantoperè prohibendi fuiſſent, ſi ullà in Siciliâ præſidia ad illorum adventum oppoſita putarentur. at cùm in Italiâ bellum tam propè à Siciliâ, tamen in Sicilia non fuit. quid mirum? ne cum in Siciliâ quidem fuit, eodem intervallo pars ejus belli in Italiam ulla pervaſit. etenim propinquitas ad utram partem hoc loco profertur? utrum aditum facilem hoſtibus, an contagionem imitandi ejus belli periculoſam fuiſſe? Aditus omnis hominibus ſine ullâ facultate navium non modò disjunctus, ſed etiam clauſus fuit: ut illis, quibus Siciliam propinquàm fuiſſe dicis, facilius fuerit ad Oceanum pervenire, quàm ad Peloridem accedere. Contagio autem iſta ſervilis belli, cur abs te potius, quàm ab iis omnibus, qui cæteras provincias obtinuerunt, prædicatur? an quod in Siciliâ jam antè bella fugitivorum fuerant? at ea ipſa cauſa eſt, cur ipſa provincia minimo in periculo ſit, & fuerit: nam poſteaquam illinc Marcus Aquilius deceſſit, omnium inſtituta, atque edicta prætorum fuerunt ejuſmodi, ut ne quis cum telo ſervus eſſet. Vetus eſt, quod dicam, & propter ſeveritatem exempli nemini fortaſſe veſtrum inauditum: L. Domitium prætorem

in Siciliâ, cùm aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisisse, quis eum percussisset: cum audisset, pastorem cujusdam fuisse, eum ad se vocari jussisse: illum cupidè ad prætorem, quasi ad laudem, atque ad præmium accurrisse: quæsisse Domitium, quî tantam bestiam percussisset? illum respondisse, venabulo, statim deinde jussu prætoris in crucem esse sublatum. Durum hoc fortasse videbatur: neque ego ullam in partem disputo: tantum intelligo, maluisse Domitium crudelem in animadvertendo, quam in prætermittendo dissolutum videri. Ergo his institutis provinciæ, jam tum cum bello fugitivorum tota Italia arderet, homo non acerrimus, nec fortissimus Cn. Norbanus, in summo otio fuit: perfacilè enim sese in Sicilia tuebatur, ne quod in ipsâ bellum posset existere. Etenim cum nihil tam conjunctum sit, quàm negotiatores nostri cum Siculis usu, re, ratione, concordiâ: & cum ipsi Siculi res suas ita constitutas habeant, ut his pacem expediat esse: imperium autem populi Rom. sic diligant, ut id imminui, aut commutari minime velint: cumque hæc ab servorum bello pericula & prætorum institutis, & dominorum disciplina provisa sint: nullum est malum domesticum, quod ex ipsâ provincia nasci possit.

3. Quid igitur? nullíne motus in Siciliâ servorum Verre prætore? nullæne consensiones factæ esse dicuntur? nihil sanè, quod ad Senatum populumque Rom. pervenerit: nihil, quod iste Romam publicè conscripserit, & tamen cœptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor: id adeo, non tam ex re, quam ex istius factis cognosco. Ac videte, quàm non inimico animo sim acturus: ego ipse hæc, quæ ille quærit, quæ adhuc nunquam audistis, commemorabo & proferam. In Tricalino, quem locum fugitivi jam antè tenuerunt, Leonidæ cujusdam Siculi familia in suspicionem vocata est conjurationis. res delata ad istum. Statim (ut par fuit) jussu ejus homines, qui nominati erant, comprehensi sunt, adductique Lilibæum: domino denunciatum est, ut adesset: causa dicta damnati sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam? nolite usquequaque eadem quærere. In metu belli, furandi qui locus

locus poteſt eſſe ? etiam ſi qua hic fuit in hac re occaſio prætermiſſa. Tum potuit à Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciavit, ut adeſſet. Fuit nundinatio aliqua, & iſti non nova, ne cauſam diceret : etiam alter locus, ut ſervi abſolverentur. Damnatis quidem ſervis, quæ prædandi poteſt eſſe ratio ? produci ad ſupplicium neceſſe eſt : teſtes enim ſunt, qui in conſilio fuerunt, teſtes publicæ tabulæ ; teſtis ſplendidiſſima civitas Lilybetana : teſtis honeſtiſſimus, maximuſque conventus civium Rom. nihil poteſt. Producendi ſunt itaque, producuntur. & ad palum alligantur. Etiamnum mihi exſpectare videmini, Judices, quid deinde factum ſit, quod iſte nihil unquam facit ſine aliquo quæſtu, atque præda. Quid in ejuſmodi re fieri potuit ? quod commodum eſt ? exſpectare facinus quàm vultis improbum : vincam tamen exſpectationem omnium : nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inſpectantibus ſoluti ſunt, & Leonidæ illi Domino redditi. Quid hoc loco potes dicere homo amentiſſime ? niſi id, quod ego. Non quæro, quod denique in re tam nefaria, tametſi dubitari non poteſt; tamen, ne ſi dubitetur quidem, quæri oporteat : quid, aut quantum, aut quomodo acceperis. Remitto tibi hoc totum, atque iſta te cura libero : neque enim metuo, ne hoc cuiquam perſuadeatur, ut ad quod facinus nemo præter te, ulla pecunia adduci potuerit, id tu gratis ſuſcipere conatus ſis. Verùm de iſta furandi, prædandique ratione nihil dico : de hac imperatoria jam tua laude diſputo. Quid agis bene cuſtos, defenſorque provinciæ ? Tu quos ſervos arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluiſſe cognôras, & de conſilii ſententia judicaras, hos ad ſupplicium jam more majorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare auſus es ? ut quam damnatis ſervis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus Rom. reſervares ? perditæ civitates, deſperatis omnibus rebus hos ſolent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum reſtituantur, vincti ſolvantur, exules reducantur, res judicatæ reſcindantur. Quæ cum accidunt, nemo eſt, quin intelligat ruere illam Rempubl. hæc ubi eveniunt, nemo eſt,

 qui

qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur. Atque hæc sicubi facta sunt, facta sunt, ut homines populares, aut nobiles supplicio, aut exilio levarentur: at non ab iis ipsis, qui judicassent, at non statim, at non eorum facinorum damnati, quæ ad vitam & fortunas omnium pertinerent. Hoc verò novum, & ejusmodi est, ut magis propter reum, quàm propter rem ipsam credibile esse videatur, ut homines servos, ut ipse, qui judicarat, ut statim è medio supplicio dimiserit, ut ejus facinoris damnatos servos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret, ô præclarum imperatorem, nec jam cum M. Aquilo fortissimo viro, sed verò cum Paullis, Scipionibus, Mariis conferendum! Tantumne vidisse in metu, periculoque provinciæ, cum servitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitivorum videret: ne quis se commovere auderet, quantum terroris injecit? comprehendi jussit; quis non pertimescat? causam dicere: quid servis tam formidolosum? fecisse videri, pronunciavit: exortam videtur flammam paucorum dolore, ac morte restrinxisse. Quid deinde sequitur? Verbera atque ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum cæterorum, cruciatus, & crux. Hisce omnibus suppliciis sunt liberati. Quis dubitet quin servorum animos summa formidine oppresserit, cum viderent ea facilitate prætorem ut ab eo sceleris, conjurationisque damnatorum vita, vel ipso carnifice internuncio, redimeretur? Quid? Hoc in Apolloniensi Aristodamo? Quid? In Leonte Magarensi non idem fecisti? quid? Iste motus servorum, bellique subita suspicio, utrum tibi tandem diligentiam custodiendæ provinciæ; an novam rationem improbissimi quæstus attulit? Haliciensis Eumenidæ, nobilis hominis, & honesti, magnæ pecuniæ villicus, cum impulsu tuo insimulatus esset, H. S. LX. millia à Domino accepisti. quod nuper ipse juratus docuit, quemadmodum gestum esset. ab equite R. C. Matrimonio absente, cum is esset Romæ, quod ejus villicos, pastoresque tibi in suspicionem venisse dixeras, H. S. centum abstulisti. Dixit hoc L. Flavius, qui tibi eam pecuniam numeravit, procurator C. Matrinii; dixit ipse C. Matrinius: dicet clarissimus vir Cn. Lentulus censor, qui Matrinii honoris causa recenti negotio ad te litteras misit, mittendasque curavit.

4. Quid?

4. Quid? de Apollino Dioclis filio Panormitano, cui Gemino cognomen est, præteriri potest? Ecquid hoc tota Sicilia clarius? Ecquid indignius? Ecquid manifestius proferri potest? Quem is, ubi Panormum venit, ad se vocari, & de tribunali citari jussit, concursu magno, frequentiaque conventus. Homines statim loqui, mirari, quòd Apollonius homo pecuniosus tamdiu ab isto maneret integer: excogitavit: nescio quid attulit: profectò homo dives, repentè a Verre non sine causa citatur: exspectatio summa omnium, quidnam id esset, cum examinatus subitò ipse accurrit, cum adolescente filio: nam pater, grandis natu, jam diu lecto tenebatur. nominat iste servum, quem magistrum pecoris esse diceret, eum dicit conjurasse, & alias familias concitasse. Is omnino servus in familia non erat, eum statim exhiberi jubet. Apollonius affirmat servum se omnino illo nomine habere neminem, iste hominem abripi à tribunali, & in carcerem conjici jubet. illa clamare cum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse, pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in præsentia non habere. hæc cùm maximè summa hominum frequentia testificaretur, ut quivis intelligere posset, eum, qùòd pecuniam non dedisset, iccirco illâ tam acerbâ injuriâ affici, cùm maximè, ut dico, hoc de pecuniâ clamaret, in vincla conjectus est. Videte constantiam prætoris, & ejus prætoris, qui nunc reus non ita defendatur, ut mediocris prætor: sed ita laudetur, ut optimus imperator. Cum servorum bellum metueretur, quo supplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc servos damnatos liberabat. Apollonium, locupletissimum hominem, qui si fugitivi bellum in Sicilia facerent, amplissimas fortunas amitteret, belli fugitivorum nomine, indictâ caussâ, in vincla conjecit: servos, quos ipse cum consilio belli faciendi causa consensisse judicavit, eos sine consilii sententiâ, suâ sponte, omni supplicio liberavit. Quid, si ab Apollonio aliquid commissum est, quamobrem jure in eum animadverteretur: taménne hanc rem sic ageremus, ut crimini aut invidiæ reo putemus esse oportere, si quo de homine severius judicavit? non agam tam acerbè: non utar istâ accusatoriâ consuetudine, si quod est factum clementer, ut dissolutè factum criminer: siquid vindicatum severè

 est,

est, ut ex eo crudelitatis invidiam colligam. non agam istâ ratione: tua sequar judicia: tuam defendam auctoritatem, quoad tu voles, simul ac tutè cœperis tua judicia rescindere, mihi succensere desinito: meo enim jure contendam, eum, qui suo judicio condemnatus sit, juratorum judicum sententiis damnari oportere. Non defendam Apollonii causam, amici atque hospitis mei, ne tuum judicium videar rescindere: nihil de hominis frugalitate, virtute, diligentiâ, dicam: prætermittam illud etiam, de quo antea dixi, fortunas ejus ita constitutas fuisse familiâ, pecore, villis, pecuniis creditis, ut nemini minus expediret, ullum in Sicilia tumultum, aut bellum commoveri: non dicam ne illud quidem, si maximè in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem honestissimum civitatis honestissimæ, tam graviter animadverti, causâ indictâ, non oportuisse: nullam invidiam in te, ne ex illis quidem rebus concitabo: cum esset talis vir in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, tyrannicis interdictis tuis, patri exactâ ætate, & adolescenti filio adeundi ad illum miserum potestatem nunquam esse factam: etiam illud præteribo, quotiescunque Panormum veneris illo anno & sex mensibus, (nam tam diu fuit in carcere Apollonius) toties ad te Senatum Panormitanum adisse supplicem cum magistratibus, sacerdotibusque publicis, orantem, atque obsecrantem ut aliquando ille miser atque innocens calamitate illâ liberaretur. Relinquam hæc omnia: quæ si velim persequi, facile ostendam, tua crudelitate in alios omnes tibi aditus misericordiæ Judicum jam pridem esse præclusos. Omnia igitur ista concedam, & remittam: prævideo enim, quid sit defensurus, Hortensius, fatebitur, apud istum neque senectutem patris, neque adolescentiam filii, neque lacrymas utriusque plus valuisse, quam utilitatem, salutemque provinciæ. Dicet, rempubl. administrari sine metu, ac severitate non posse, quæret, quam ob rem fasces prætoribus præferantur, cur secures datæ, cur carceres ædificari, cur tot supplicia sint in improbos more majorum constituta? Quæ cum omnia graviter, severeque dixerit; quæram, cur hunc eundem Apollonium Verres idem, repentè, nulla nova re allata, nulla defensione, sine causa, de carcere emitti jusserit. tantumque

tumque in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, ut jam ipsis Judicibus sine mea argumentatione conjecturam facere permittam, quod hoc genus prædandi, quam improbum, quam indignum, quamque ad magnitudinem quæstus immensum, infinitumque esse videatur. Nam quæ iste in Apollonio fecit, ea primum breviter cognoscite, quot & quanta sint: deinde hæc expendite, atque æstimate pecunia: reperietis, iccirco hæc in uno pecunioso tot constituta, ut cæteris formidines similium incommodorũ, atque exempla periculorum proponerentur. Primum insimulatio est repentina, capitalis, atque invidiosi criminis. Statuite, quanti hoc putetis, & quam multis redemisse. Deinde crimen sine accusatore, sententia sine consilio, damnatio sine defensione æstimate harum rerum omnium pretia: & cogitate, in his iniquitatibus unum hæsisse Apollonium, cæteros profectò multos ex his incommodis pecunia se liberasse. postremò tenebræ, vincla, carcer, inclusum supplicium, atque à conspectu parentum, ac liberûm, denique à libero spiritu, & communi luce seclusum. hæc verò, quæ vel vita redimi rectè possunt, æstimare pecunia non queo. Hæc omnia serò redemit Apollonius, jam mœrore, ac miseriis perditus: sed tamen cæteros docuit, ante istius avaritiæ, ac sceleri occurrere. nisi verò existimatis hominem pecuniosissimum sine aliqua causa quæstus, injectum, ad tam incredibile crimen, aut sine eadem causa repente è carcere emissum, aut hoc prædandi genus ab isto in illo uno adhibitum, ac tentatum, & non per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositum, & injectum.

5. Cupio mihi Judices ab illo subjici, quoniam de militari ejus gloria dico, si quid fortè prætereo: nam mihi videor de omnibus jam rebus ejus gestis, dixisse, quæ quidem ad belli fugitivorum pertinerent suspicionem: certè nihil sciens prætermisi. Habetis hominis consilia, diligentiam, vigilantiam, custodiam, defensionemque provinciæ. Summa illuc pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit, ne diutius in tanta penuria virorum fortium talem imperatorem ignorare possitis, non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus,

qui

qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Pauli rationem, ac disciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem, sed ad aliud genus imperatorum referendum, sanè diligenter retinendum, & conservandum, quæso cognoscite. Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, Judices, & in Sicilia maximè necessarius, aspicite, quàm facilem sibi iste; & jucundum ratione, consilioque reddiderit. Primum temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum, & ad tempestatum vim, ac imbrium præclarum sibi hoc remedium comparat. Urbem Syracusas elegerat: cujus hic situs, atque hæc natura esse loci, cælique dicitur, ut nullus unquam dies tam magnâ, turbulentâque tempestate fuerit, quin aliquo tempore ejus diei solem homines viderent. Hic ita vivebat iste bonus Imperator hibernis mensibus, ut eum non facilè non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. ita diei brevitas conviviis, noctis longitudo stupris & flagitiis conterebatur. Cum autem ver esse cœperat, cujus initium iste non à Favonio, neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur: dabat se labori, atque itineribus: in quibus usque eò se præbebat patientem, atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem videret. Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus, lecticâ octophoro ferebatur: in qua pulvinus erat perlucidus, Melitensi rosâ farctus: ipse autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo: reticulumque ad nares sibi admovebat tenuissimo lino, minutisque maculis, plenum rosæ. Sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eâdem lecticâ usque in cubiculum deferebatur. Eò veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Rom. id quod ex multis juratis audistis; controversiæ secretò deferebantur; paulò post palam decreta auferebantur. Deinde, ubi paulisper in cubiculo pretio, non æquitate jura descripserat: Veneri jam & Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur.

IMITA-

IMITATIO.

Henrici VIII. Regis Anglorum nefariam cum libidine crudelitatem in suos subditos, ac præcipuè Thomam Morum exercitam, avaritiamque incredibilem, qua sublatis pluribus Episcopis, innumerabiles Ecclesiæ thesauros exhausit, ad hujus Verris imitationem describere poteris.

II.

Facinus Catilinæ ab adjunctis, *&* partium enumeratione *eloquentissimè expositum, multandum exilio potius, quàm morte, ob consequentia decernitur.*

Cicero oratione I. in Catil.

1. *Conjuratio Catilinæ ejusque impudens audacia à variis adjunctis, & affectibus, cùm populi, tum Catilinæ describitur, & justa mortis pœna aliorum exemplis declaratur, quanquam Cicero Catilinæ parcat.*

2. *Ostendit per enumerationem, partium insidias & scelera Catilinæ jam omnibus manifesta, sive privata, sive publica sint, ideoque invisum omnibus ac toti patriæ, urbe debere excedere.*

3. *Cicero objectionem eorum, qui Catilinam occidendum suadebant, ex patria loquente audit, respondit que à consequentibus consultius esse, ut ipso excedente conjurati simul ab urbe separentur.*

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora, vultusq; moverunt? patêre tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum conscientiâ teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos

con-

convocaveris, quid consilii cœperis, quem nostrûm ignorare arbitraris? O tempora! ô mores! Senatus hæc intelligit, Consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo verò etiam in Senatum venit: fit publici consilii particeps, notat: & designat oculis ad cædem unumquemque nostrûm. Nos autem viri fortes, satisfacere reipubl videmur, si istius furorem, ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci, jussu consulis, jam pridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jam diu machinaris. An verò vir amplissimus, P. Scipio, Pontifex maximus, Tit. Gracchum mediocriter labefactantem statum reipubl. privatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde, atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Hala Sp. Melium novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit ista quondam in hac reipubl. virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniriosum, quàm acerbissimum hostem coërcerent. Cupio P. C. me esse clementem: cupio in tantis reipubl. periculis non dissolutum videri: sed jam me ipsum inertiæ, nequitiæque condemno. Castra sunt in Italia contra rempubl. in Etruriæ faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem imperatorem castrorum ducemque hostium, intra mœnia, atque adeò in Senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipubl. molientem. Si te jam, Catilina comprehendi, si interfici jussero: credo erit verendum mihi, ne hoc potius omnes boni serius à me, quam quisquam crudelius factum esse dicant. Verùm ego hoc quod jam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. tum denique te interficiam, cum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives: & vives ita, ut nunc vivis, multis meis & firmis præsidiis obsessus, ne commovere te contra rempubl. possis. multorum te etiam oculi, & aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur, atque custodient.

3. Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios; nec

privata

privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ potest. si illustrantur, si erumpunt omnia? muta jam istam mentem: mihi crede? obliviscere cædis, atque incendiorum. teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia. Recognosce tandem mecum illam superiorem noctem: jam intelliges multò me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipubl. Dico te priori nocte venisse inter falcarios (non agam obscurè) in M. Leccæ domum: convenisse eadem complures amentiæ scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? convincam, si negas. video enim esse hic in Senatu quosdam, qui tecum una fuêre. O Dii immortales! ubinam gentium sumus? quam rempubl. habemus? in qua urbe vivimus? Hic, hic sunt, in nostro numero, P. C. in hoc orbis terræ sanctissimo, gravissimoque consilio, qui de meo, nostrûmque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeò orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, & de republ. sententiam rogo: & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam & nocte, Catilina: distribuisti partes Italiæ: statuisti quo quemque proficisci placeret: delegisti quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia? confirmasti te ipsum jam esse exiturum. Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit? Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus unquam tuis, quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem, facem prætulisti? Quid verò? nuper cum morte superioris uxoris, novis nuptiis, domum vacuam fecisses, nonne etiam aliquo incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto, & facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas, aut extitisse, aut non vindicata esse videatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere

tibi

tibi proximis idibus senties. Ad illa venio, quæ non ad privatam ignomiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem, ac turpitudinem, sed ad summam reipublicæ atque ad omnium nostrum vitam, salutemque pertinent. Poteſtne tibi hujus vitæ hæc lux, Catilina, aut hujus cæli spiritus esse jucundus, cùm scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Kalendas Jan. Lepido, & Tullo, Coss. stetisse in comitio cum telo? manum, Consulum, & Principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri, ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, sed fortunam reipubl. obstitisse? Ac jam illa omitto. neque enim sunt aut obscura, aut non multò post commissa. Quoties tu me Consulem interficere voluisti? Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore effugi? Nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod me latêre valeat. neque tamen conari, ac velle desistis. Quoties jam, quoties tibi exrotta est sica ista de manibus? quoties verò excidit casu aliquo, & elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quæ quidem, quibus abs te initiata sacris, ac devota sit, nescio, quod eam necesse esse putas consulis in corpore defigere Nunc verò, quæ tua est ista vita? Sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quæ tibi nulla debetur. Venisti paulò ante in Senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis, ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia, vacua facta sunt? quid, quod omnes consulares, qui tibi per sæpe ad cædem constituti fuerunt, simulque assedisti, partem istam subselliorum nudam, atque inanem reliquerunt? quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi me hercule mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? &, si me meis civibus injuria suspectum tam graviter, atque offensum viderem; carere me aspectu civium,

quam

quàm infestis omnium oculis conspici mallem, tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum, & jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes, sensusque vulneras, eorum adspectum præsentiamque vitare? si te parentes timerent, atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses: ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit, ac metuit: & jam diu te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque autoritatem verebere, neque judicium sequêre, neque vim pertimesces? Quæ tecum, Catilina, sic agit, & quodammodo tacita lòquitur. Nullum jam tot annos facinus exstitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque sociorum, impunita fuit, ac libera: tu non solum ad negligendas leges, & quæstiones, verùm etiam ad evertendas, perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt; tamen ut potui, tuli: nunc verò me totam esse in metu propter unum te: quicquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium inire posse, quod à tuo scelere abhorreat; non est ferendum: Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe; si verus, ne opprimar: sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. Hæc si tecum, ut dixi, patria loquatur; nonne impetrare debeat; etiamsi vim adhibere non possit.

3. Nunc, ut me P.C. quandam propè justam propriæ querimoniam detester, ac deprecer; percipite, quæso, diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis vestris; mentibusque mandate. Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multò est charior: si cuncta Italia, si omnis Respublic. loquatur, M. Tulli, quid agis? túne eum; quem esse hostem comperisti: quem ducem belli futurum vides: quem exspectari Imperatorem in castra hostium sentis, auctorem sceleris, principem conjurationis; evocatorem servorum, & civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? mósne majorum? At persæpè etiam privati in

hac perniciosos cives morte multarunt. An leges, quæ de civium Romanorum supplicio rogatæ sunt? At nunquam in hac urbi ii, qui à republ. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Præclaram verò populo Rom. refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam maturè ad summum Imperium per omnes bonorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum, salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiæ metus, non est vehementius severitatis, ac fortitudinis invidia, quàm inertiæ ac nequitiæ pertimescenda? An cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt: tum te non existimas invidiæ incendio conflagraturum? His ergo sanctissimis reipublicæ vocibus, & eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus, pauca respondebo. Ego si hoc optimum factu judicarem. P. C. Catilinam morte multari: unius usuram horæ gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri, & clarissimi cives, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & superiorum complurium sanguine non modò se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certè verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in posteritatem redundaret. Quòd si ea mihi maximè impenderet: tamen hoc animo semper fui, ut invidiam putarem. Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea, quæ videant dissimulent: qui spem Catilinæ mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. Quorum autoritatem secuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter, & regiè factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quò intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam: neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipubl. pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se ejecerit, secumque suos eduxerit, & eodem cæteros undique collectos naufragos aggregaverit: extinguetur, atque delebitur non modò hæc tam adulta reipubl. pestis, verum

rum etiam ſtirps ac ſemen malorum omnium. Etenim jam diu, P. C. in his periculis conjurationis, inſidiiſque verſamur: ſed neſcio, quo pacto omnium ſcelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit. Quòd ſi ex tanto latrocinio iſte unus tolletur: videbimur fortaſſe ad breve quoddam tempus cura, & metu eſſe relevati: periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitùs in venis, atque in viſceribus reipubl. ut ſæpè homines ægri morbo gravi, cùm æſtu febrique jactantur, ſi aquam gelidam biberint; primò relevari videntur: deinde multò gravius, vehementiúſque afflictantur: ſic hic morbus, qui eſt in republ. relevatur iſtius pœna vehementius, vivis reliquis ingraveſcet. Quare P. C. ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis, unum in locum congregentur: muro denique, id quod ſæpè jam dixi, ſecernantur à nobis: deſinant inſidiari domi ſuæ Conſuli, circumſtare tribunal prætoris urbani, obſidere cum gladiis curiam, malleolos ad incendendam urbem, faceſque comparare. Sit denique inſcriptum in fronte uniuſcuiuſq; civis, quid de republ. ſentiat. Polliceor vobis hoc P. C. tantam in nobis Coſſ. fore diligentiam, tantam in vobis autoritatem, tantam in equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis. Hiſce omnibus, Catilina cum ſumma reipublicæ ſalute, & cum tua peſte, ac pernicie, cumque eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere parricidioque iunxerunt, proficiſcere ad impium bellum, ac nefarium. Tum tu, Jupiter, qui iiſdem, quibus hæc urbs, auſpiciis à Romulo es conſtitutus: quem ſtatorem huius urbis, atque Imperii verè nominamus: hunc, & huius ſocios à tuis aris, ceteriſque templis, à tectis urbis, ac mœnibus, à vita, fortuniſque civium omnium arcebis: & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, & ſcelerum federe inter ſe, ac nefaria ſocietate coniunctos, æternis ſupplicis vivos, mortuoſque mactabis.

IMITATIO.

Par huic Davidis contra Absalonem regiæ coronæ insidiantem; aut certe Salomonis apud patrem contra Adoniam potest esse oratio, quibus Semei & Ioab fautores, malignæ etiam conjurationi adhæserunt.

III.

Ex antecedentibus *facti contrariis*, adjunctisque *ostendit Cicero Clodium in dedicatione suæ domus, non curasse, sed vertisse religionem.*

Pro domo sua orat. 29. ante finem.

1. *Ostendit P. Clodium religionis amore domum suam non dedicasse, cum Sacra Bonæ Deæ solis fœminis frequentata, ipse fœmineo in habitu illapsus violarit, ut Pompeiam adiret.*

2. *Tradit Deos penates injuria exturbatos, neque alium quenquam Deorum tam iniquum reperiri, qui, quas nemo sibi, quasque nec ipse Clodius vendicare ædes ausus fuisset, velit possidere.*

3. *Pro Dea Libertate docet simulachrum meretricis Tanagreæ inductum esse.*

1. Poterítne hanc, Pontifices, labem populi Rom. dignitas sustinere, vivo Senatu, vobis principibus publici consilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci, ad memoriam pœnæ publicæ constitutæ, conjuncta esse videatur? Hanc in palatio atque in pulcherrimo urbis loco porticum esse patiemini furoris tribunitii, sceleris consularis, crudelitatis conjuratorum, calamitatis Reipubl. doloris mei defixum indicium ad memoriam omnium gentium sempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in rempubl. & semper habuistis, non modò sententiis, sed si opus esset, manibus vestris disturbare cuperetis. Nisi quem fortè illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret. O rem, quam homines curâ soluti

ſoluti ac liberati, ridere non deſinant, triſtiores autem ſine maximo dolore audire non poſſint. Publiúſne Clodius, qui ex Pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam impulit? Hunc, inquam, etiam vos, qui eſtis Antiſtites ceremoniarum & ſacrorum auctorem habetis, & magiſtrum publicæ religionis? O Dii immortales (vos enim hæc audire cupio) P. Clodius veſtra ſacra curat? veſtrum numen horret? res omnes humanas religione veſtra contineri putat? Hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adſunt, ſummorum virorum? non veſtrâ, Pontifices, gravitate abutitur? ex iſto ore religionis verbum excidere, aut elabi poteſt? Cum tu eodem ore, accuſando Senatum, quod ſeverè de religione decerneret, impuriſſimè, teterriméque violaſti. aſpicite, aſpicite, Pontifices, hominem religioſum, & ſi vobis videtur, (quod eſt bonorum Pontificum) monete eum; modum quendam eſſe religionis, nimium eſt ſuperſtitioſum non oportere. Quid tibi neceſſe fuit anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificium, quod alienæ domi fieret, inviſere? Quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares Deos ſatis poſſe placari, niſi etiam mulieribus religionibus te implicuiſſes? quem unquam audiſti majorum tuorum, qui & ſacra privata coluerunt, & publicis ſacerdotiis præfuerunt, cum ſacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuiſſe? neminem: ne illum quidem qui cœcus factus eſt, ex quo intelligitur, multa in vita falsò opinari homines, cùm ille, qui nihil viderat ſciens, quod nefas eſſet, lumina amiſit: iſtius, qui non ſolùm aſpectu, ſed etiam inceſto flagitio, & ſtupro polluit ceremonias, pœna omnis oculorum ad cœcitatem mentis eſt converſa. Hoc auctore, tam caſto, tam religioſo, tam ſancto, tam pio poteſtis, Pontifices, non commoveri, cum ſuis dicat ſe manibus domum civis optimi evertiſſe, & eam iiſdem manibus conſecraſſe?

2. Quæ tua fuit conſecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret. Quid? non exceperas, ut, ſi quod jus non eſſet rogare, ne eſſet rogatum! Jus igitur ſtatueris eſſe uniuſcujuſque veſtrûm ſedes, aras, focos, Deos penates ſubjectos eſſe libidini tribunitiæ? in quem quiſque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, hujus domum

non ſolum affligere, quod eſt præſentis inſaniæ, quaſi tempeſtatis repentinæ, ſed etiam in poſterum tempus religione ſempiterna obligare? Equidem ſic accepi, Pontifices, in religionibus ſuſcipiendis caput eſſe, interpretari, quæ voluntas Deorum immortalium eſſe videatur: nec eſt ulla erga Deos pietas, niſi honeſta de numine eorum, ac mente opinio, cùm expeti nihil ab iis, quod ſit iniuſtum, ac inhoneſtum, arbitrere. Hominem invenire iſta labes tum, cùm omnia tenebat, neminem potuit, cui ædes meas addiceret, cui traderet, cui donaret, (ipſe cùm loci illius, cum ædium cupiditate flagraret, ob eamque cauſam unam, una iuſta illa rogatione ſua, vir bonus Dominum ſe in meis bonis eſſe voluiſſet, tamen illo ipſo in furore ſuo non eſt auſus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, poſſidere) Deos immortales exiſtimatis, cuius labore & conſilio ſua ipſa templa tenuerunt, in eius domum afflictam, & everſam per unius hominis ſceleratiſſimi nefarium latrocinium, immigrare voluiſſe? cuius eſt nemo in tanto populo, extra contaminatam illam, & cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit. At qui aliqua ſe contagione prædæ, ſocietatis, emptionis contaminarunt, nullius neque privati, neque publici iudicii pœnam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium iudicio ſceleratiſſimus haberetur, Dii immortales, domum meam concupiverunt? ita tua pulchra libertas Deos Penates & familiares meos Lares expulit, ut à te ipſa tanquam in captivis ſedibus collocaretur? Quid eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuſcuiusque civium? Hic aræ ſunt, hic foci, hic Dii penates, hic ſacræ religionis ceremoniæ continentur: hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas ſit. Quo magis eſt furor iſtius ab auribus veſtris repellendus: qui quæ maiores noſtri religionibus tuta nobis & ſancta eſſe voluerunt, ea iſta non ſolum contra religionem labefactavit, ſed etiam ipſius religionis nomine evertit.

3. At quæ Dea eſt? Bonam eſſe oportet, quandoquidem

quidem est abs te dedicata. Libertas, inquit, est; eam tu igitur domi meæ collocasti, quam ex urbe tota sustulisti? Tu, cùm collegas tuos summâ potestate præditos negares liberos esse: cum in templum Castoris aditus esset apertus nemini: cùm hunc clarissimum virum, summo genere natum, summis populi beneficiis usum pontificem & consularem, & singulari bonitate & modestia præditum, (quem quibus oculis aspicere audeas, satis mirari non queo, audiente populo Romano à pedissequis conculcari iuberes: cum indemnatum exturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis: cum principem orbis terræ virum inclusum domi contineres: cum forum armatis catervis perditorum hominum possideres: Libertatis simulacrum in ea domo collocaras, quæ domus erat ipsa indicium tui crudelissimi dominatus, & miserrimæ populi Roman. servitutis? eum ne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem civitas tota venisset? At unde inventa est ista Libertas? quæsivi enim diligenter. Tanagræa quædam meretrix fuisse dicitur, eius non longè à Tanagris simulacrum è marmore in sepulchro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis, non alienus ad hoc religioso Libertatis Sacerdote ad ornatum ædilitatis suæ deportavit. Hanc Deam quisquam violare audeat? imaginem meretricis, ornamentum sepulchri, à fure sublatam, à sacrilego collocatam? hæc me domo mea pellet? hæc ultrix afflictæ civitatis, reipubl. spoliis ornabitur? hæc erit in eo monimento, quod positum est, ut esset indicium oppressi Senatus ad memoriam sempiternam turpitudinis.

IMITATIO.

Adversitas hæreticos Iconomachos hæc oratio serviet, qui templorum ornamenta sacrilega manu disturbant, templa ipsa sæpe profanant, ac monasteria prisca religiosorum, suasque illic statuunt imagines, ubi sanctorum quondam hominum & Salvatoris nostri visa sunt.

IV.

Probatio contra legem P. Clodii, quâ Ciceroni aqua & igni interdictum, & aliis, ne reciperent.

Cicero pro domo sua post initium.

1. *Ostendit legem hanc nullam esse, quia à privato, inaudita causa contra formam judiciorum, lata sit.*

2. *Quod improbissimi hanc legem ut L. Sextus Clodius, & Ælius Ligar subscripserunt, quæ sibimet repugnet, & falsum supponat, vetet recipere eum, qui nulla lege ejectus sit.*

3. *Per vim legem hanc latam esse contendit, emptis per oblatas Provincias Consulibus, ut faverent, cæteris amicis atque etiam domo Ciceronis oppressa; ut iccirco nulla esse debeat.*

1. Quo jure, P. Clodi, quo more, quo exemplo legem nominatim, de capite civis indemnati, tulisti? Vetant leges sacratæ, vetant XII. tabulæ leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium, nemo unquam tulit: nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil, quod minus hæc civitas ferre possit. Proscriptionis miserrimum nomen illud, & omnis acerbitas Syllani temporis quid habet, quòd maximè sit insigne ad memoriam crudelitatis? Opinor, pœnam in cives Roman. nominatim sine judicio constitutam. Hanc vos igitur, Pontifices, judicio atque auctoritate vestra tribuno pl. potestatem dabitis, ut proscribere possit, quos velit? ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes? quid indignius, quam, qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus, de ejus capite, liberis, fortunis omnibus conductos & sicarios, egentes & perditos suffragium ferre, & eam legem putare? ac si hoc de me potuit, quem honos, quem dignitas, quem causa, quem resp. tuebantur, cujus denique pecuniæ non expetebantur, cui nihil oberat præter conversionem status, & inclinationem communium temporum; quid tandem futurum est iis,

quorum

quorum vita remota ab honore populari, & ab hac illustri gratia est? pecuniæ autem tantæ sunt, ut eas nimium multi egentes, sumptuosi, nobiles concupiscant. Dare hanc tribunopl. licentiam, & intuemini paulisper animis juventutem, & eos maximè, qui imminere jam cupiditate videntur in tribunitiam potestatem. Collegia medius fidius tribunorum pl. tota reperientur, hoc jure firmato quæ coëant de hominum locupletissimorum bonis, præda præsertim populari, & spe largitionis oblata. At quid tulit legum scriptor peritus, & callidus? Velitis, jubeatis, ut M. Tullio aqua & igni interdicatur? crudele, nefarium, ne in sceleratissimo quidem cive ferendum, sine judicio. Non tulit, ut interdicatur. Quid ergo? ut interdictum sit, ô cœnum, ô, portentum, ô scelus! hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua, ut interdictum sit, cui non sit interdictum:

2. Sexte noster, bonâ veniâ, dic, quoniam jam dialecticus es, & hoc quoque ligúris: quod factum non est, ut sit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffragiis confirmari potest? Hoc tu scriptore, hoc consiliario, hoc ministro omnium non bipedum solùm, sed etiam quadrupedum impurissimo, remp. perdidisti. Neque tu eras tam excors, tamque demens, ut nescires hunc Clodium esse, qui contra leges faceret: & alios esse, qui leges scribere solerent, sed neque cæterorum, in quibus esset aliquid modestiæ, cujusquam tibi potestas fuit; neque tu legum scriptoribus iisdem potuisti uti; quibus sceleri: neque operum architectis: neque pontificem adhibere, quem velles; postremò ne in prædæ quidem societate mancipem, aut prædæ socium, extra tuorum gladiatorum numerum, aut denique suffragii latorem in istâ tuâ proscriptione quenquam, nisi furem, aut sicarium, reperire potuisti. Quid si istis verbis scripta est ista proscriptio, ut seipsâ dissolvat? Est enim: quod M. Tullius falsum S. C. retulerit. Si igitur retulit falsum S. C. tum est rogatio, si non retulit, nulla est. Satisne tibi videtur à Senatu judicatum, me non modò non ementitum esse auctoritatem ejus ordinis, sed etiam unum, post urbem conditam, diligentissime Senatui paruisse? quot modis doceo, legem istam,

quam vocas, non esse legem? quid si etiam pluribus de rebus uno fortitu retulisti: tamenne arbitraris, id quod M. Drusius in legibus suis plerisque, bonus ille vir M. Scaurus, & L. Crassus consularis non obtinuerint, id te posse, omnium facinorum & stuprorum omnium Decumis & Clodiis auctoribus obtinere? Tulisti de me. ne reciperer, non licere esse Romæ. Quid enim diceres? damnatum? certè non expulsum.' qui licuit? sed tamen ne id quidem est scriptum, ut exirem, pœna est, qui receperit, quam omnes neglexerunt; eiectio nusquam est.

3. Quid, si per vim tulisti, tamenne lex est? aut quicquam iure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet? an si in ipsâ latione tuâ, captâ iam urbe, lapides iacti, si manus collata non est, iccirco tu ad illam labem, atque eluviem civitatis sine summâ vi pervenire potuisti? Cum in tribunali Aurelio conscribebas, pallam non modò liberos, sed etiam servos ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas? cùm edictis tuis tabernas claudi iubebas, non vim imperitæ multitudinis, sed hominum honestorum modestiam prudentiamque quærebas: cum arma in ædem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi uti ne quid per vim agi posset, machinabare: cùm verò gradus Castoris convellisti: ac removisti, tum, ut modestè tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu, atque ascensu repulisti: cùm eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute meâ feeerant, adesse iussisti, eorumque ad vocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti, tum profectò ostendisti, vim tibi maximè displicere. Verùm hæc furiosa vis vesani tribunipl. facile superari, frangique potuit, virorum bonorum vel virtute, vel multitudine. Quid? cùm Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum Imperium, ingens pecunia, ut tibi omnia permitterent, te adiuvarent, tibi manum, copias, tibi suos paratos centuriones, tibi pecunias, ubi familias compararent, te suis sceleratis concionibus sublevarent, Senatus auctoritatem irriderent, equitibus R. mortem, proscriptionemque minitarentur, me terrerent minis, mihi cædem, & dimicationem denuntiarent, meam domum refertam viris bonis per amicos

micos suos compleruntur, proscriptionis metu me frequentiâ nudarent, virorum bonorum me præsidio spoliarent. Senatum pro me non modò propugnare amplissim. ordinem, sed etiam plorare, & supplicare, mutatâ veste, prohiberent: ne tum quidem vis erat? Quid igitur ego gessi? aut qui timor fuit? non dicam in me quidem, fac me timidum esse naturâ. Quid illa tot virorum fortissimorum millia? quid illi equi? quid illi equites Rom? quid Senatus? quid denique omnes boni? si nulla vis erat, cur me flentes potius prosecuti sunt, quàm aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An si ego præsens fugissem, veteres illæ copiæ coniuratorum, tuique perditi milites atque egentes, & nova vis sceleratissimorum consulum corpori meo pepercissent? Qui cùm eorum omnium crudelitati, scelerique cessissem, ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui. Quid enim vos uxor mea misera violaret? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis. Quid mea filia? cuius fletus assiduus, sordesque lugubres vobis erant iucundæ, cæterorum omnium mentes oculosque flectebant. Quid parvus filius? quem, quamdiu abfuit, nemo nisi lachrymantem, confectumque vidit. Quid fecerat, quod eum toties per insidias interficere voluistis! quid frater meus? qui cum aliquantò post meum discessum ex provincia venisset, neque sibi vivendum, nisi me restituto putaret, cum eius mœror, squalor incredibilis, & inauditus omnibus mortalibus miserabilis videbatur: quoties ex vestro ferro ac manibus est elapsus? sed quid ego vestram crudelitatem expromo, quam in ipsum me ac meos adhibuistis, qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis horrificum quoddam, ac nefarium, omnique imbutum odio bellum intulistis.

IMITA-

IMITATIO.

In oppugnatione legis alicujus, vitium in legislatione, calamitas ex ea manans publica, visque adhibita ad hujus loci imitationem adducentur.

V.

Rationes cur Gallorum testimoniis *adversus M Fontejum Prætorem credendum non sit, ab illorum & Fontei persona petita.*

Cicero pro M. Fontejo circa medium.

1. *Testium personas dictorumque fidem diligenter à Iudicibus expendendam, ne cupidi, irati, conjurati; sed æqui, fideles, religiosi audiantur.*

2. *Romanis & probis notisque hominibus, si cupiditas, & inimicitia interveniret, fidem à Iudicibus habitam non esse, exemplis tradit, quantò minus Gallis credendum:*

3. *Inducio marum Gallum, mutatis verbis juramenti solennibus, meritò suspectum esse. Vniversè gentem hanc impiam Delphos & Capitolium violasse, humanisque victimis litare, superbam, minacemque; ut illi credi adversus Romanos non possit.*

4. *Si Fontejus improbus, & Galli metuendi suis essent armis, tamen audiendi non viderentur; cum verò illorum vis contemnenda sit, & Fontejus vita tam inculpata, ut hostes, (qui pluribus innocentibus sæpe imponere flagitia parati sunt) nihil criminis objecerint, meritò erit parcendum.*

1. Poteſtne teſtibus Judex non credere? cupidis, & iratis, & conjuratis & ab religione remotis, non ſolum poteſt; ſed etiam debet. Etenim ſi, quia Galli dicunt, idcirco M. Fontejus nocens, exiſtimandus eſt, quid mihi opus eſt ſapiente judice? quid æquo quæſitore? quid oratore non ſtulto? dicunt enim Galli, negare non poſſumus, hic ſi ingenioſi & periti, & æqui Judicis has partes eſſe exiſtimatis,

tis, ut quoniam quidem testes dicunt, sine ulla dubitatione credendum sit: salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. Sin autem, in rebus judicandis, non minimam partem ad unamquamque rem existimandam, momentoque suo ponderandam, sapientia judicis tenet: ne multo vestræ majores, gravioresq; partes sunt ad cogitandum, quam ad dicendum meæ. Mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogandus, & sæpe etiam non interrogandus, ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido auctoritas attributa esse videatur. Vos & sæpius eandem rem animis agitare, & diutius unoquoque de teste cogitare potestis, & si quem nos interrogare nolumus, quæ causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. Quamobrem, si hoc judices præscriptum lege, aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio judice melior, aut sapientior existimetur: unum est enim, simplex aurium judicium, promiscue, & communiter stultis, ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor, & credulus ab religioso, & sapienti judice? Nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à testibus, conjectura & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quantò pudore, quanta fide; quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur.

2. An vero vos id in testimoniis hominum barbarorum dubitabitis, quod persæpe & nostra & patrum memoria sapientissimi judices de clarissimis nostræ civitatis viris dubitandum non putaverunt? qui Cn. & Q. Capionibus, L. & Q. Metellis testibus; in Q. Pompejum hominem novum non crediderunt? quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem & auctoritatem in testimonio cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogavit. Ecquem hominem vidimus, ecquam vero commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis. Marco Æmilio Scauro fuisse? tamen hujus, cujus injurati nutu prope terrarum orbis regebatur, jurati testimonio neque in Cajum Fimbriam, neque in Cajum Memmium creditum est.

est. Noluerunt ii, qui judicabant, hanc patere inimicitiis viam: quem quisque odisset, ut eum testimonio posset tollere. Quantus in Lucio Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimonii auctoritatem habeat, testimonio ipso, quæ in Marcum Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit-Fuit, fuit illis judicibus divinum ac singulare, judices, consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur; quid fictum, quid fortuna ac tempore allatum, quid precio corruptum, quid spe aut metu depravatum, quid à cupiditate aliqua aut inimicitiis profectum videretur. Quæ si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo, ac mente circumspiciet: si quidquid ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profecto satis erit id, quod dixi antea, non surdum iudicem huic muneri atque officio præesse: nihil erit, quamobrem ille nescio, quis sapiens homo, hac multarum rerum peritus ad res iudicandas requiratur. An vero illi equites Romani quos nos vidimus, qui nuper in republica iudiciisque maximis floruerunt, habuerunt tantum roboris, ut Marco Scauro testi non crederent! vos Belgarum atque Allobrogum testimoniis non credere timetis? Si inimico testi credi non oportuit: inimicior Marcello Crassus, aut Fimbriæ Scaurus ex civilibus studiis, atque obtrectatione domestica, quam huic Galli? quorum qui optima in causa sunt, equites, frumentum, pecuniam semel atque iterum, ac sæpius invidissimi dare coacti sunt: cæteri partim ab hoc ipso bello superati, & oppressi. Si, ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non convenit: credo maius emolumentum Capionibus & Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeii damnatione, cum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cunctæ Galliæ ex M. Fonteii calamitate, in qua illa provincia propè suam immunitatem ac libertatem positam esse arbitratur. An si homines ipsos spectare convenit, id quod in teste profecto valere plurimum debet, non modò cum summis civitatis nostræ viris, sed mano cum infimo cive Ro.

quis-

quisquam amplissimus Galliæ comparandus est.

3. Scit Indiciomarus, quid sit testimonium dicere? movetur ex timore, quo nostrum unusquisque, cum in eum locum productus est? recordamini iudices, quantopere laborare soleatis, non modò quid dicatis pro testimonio, sed etiam quibus verbis utamini; ne quod minus moderatè positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur. vultu denique laboratis, ne qua significari possit suspicio cupiditatis: ut &, cum proditis, existimatio sit quædam tacita de vobis, pudoris, ac religionis: & cum disceditis, ea diligenter conservata ac retenta videatur. Credo hæc eadem Indiciomarum in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primùm illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, *Arbitror*, quo nos etiam tunc utimur; cum eâ dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. Verberatur enim videlicet, ne quid apud vos Populumque Romanum de existimatione sua deperderet: ne qua fama consequeretur eiusmodi, Indiciomarum, talem virum, tam cupidè, tam temere dixisse: non intelligebat, se in testimonio nihil præter vocem, & os, & audaciam, neque civibus suis, neque accusatoribus nostris stare debere. An verò istas nationes religione iurisiurandi, ac metu Deorum immortalium in testimoniis dicendi commoveri arbitramini? quæ tantum gentium à cæterarum more ac natura dissentiunt, quod cæteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones: illæ in bellis gerendis à Diis immortalibus pacem, ac veniam petunt, istæ cum ipsis Diis immortalibus bella gesserunt. Hæ sunt nationes quæ quondam tam longè ab suis sedibus Delphos usque ad Apollinem Pythicum, atque ad oraculum orbis terræ vexandum ac spoliandum profectæ sunt. ab iisdem gentibus sanctis, & in testimonio religiosis obsessum Capitolium est, atque ille Jupiter, cujus nomine majores nostri sanctam testimoniorum fidem esse voluerunt. Postremò, iis quidquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti Deos placandos esse arbitrantur,

trantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant? ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. Quis enim ignorat, eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? quamobrem quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam Deos immortales arbitrentur hominum scelere & sanguine facillimè posse placari? cum his vos testibus vestram religionem conjungetis? ab his quicquam sanctè aut moderatè dictum putabitis? hoc vestræ mentes, tam castæ, tam integræ sibi suscipient, ut cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt, omnes equites R. qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores ejus provinciæ, denique omnes in Gallia, qui sunt socii populi R atque amimici, M. Fontejum incolumem esse cupiant, jurati privatim & publicè laudent; vos tam Gallis credere malitis? quid, ut secuti esse videamini? voluntatem ne hominum? gravior igitur nobis erit hostium voluntas, quàm civium? an dignitatem testium? potestis igitur ignoros nōtis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic Imperio ac nomini, bonis, ac fidelibus, & sociis, & civibus anteferre? an verò dubitatis Judices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeant, & gerant cum populi R. nomine? sic existimatis eos hic sagatos brachatosque versari, animò demisso atque humili, ut solent ii, qui affecti injuriis, ad opem judicum supplices inferioresque confugiunt? nihil verò minus. hi contra vagantur læti, atq; erecti passim toto foro cum quibusdam minis, & barbaro atque immani terrore verborum, quod ego profectò non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul judices audissem, cum præciperent, ut caveretis, ne hoc absoluto, novum aliquod bellum Gallicum concitaretur.

4. Si M. Fontejum, Judices, in causa deficerent omnia, si turpi adolescentia, vita infami, Magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, malè gestis, legationibus flagitiosè obitis, convictus virorum bonorum testimoniis, invisus suis omnibus in judicium vocaretur: si in

eo

eo judicio Colonorum populi Romani Narbonensium, fidelissimorum sociorum Massiliensium, civium Rom. omnium testimoniis, tabulisque premeretur; tamen esset vobis magnopere providendum; ne quos ita afflictos à vestris patribus majoribusque accepissetis, ut contemnendi essent, eos pertimuisse, & eorum minis, & terrore commoti esse videremini. Nunc verò cum lædat nemo bonus, laudent omnes vestri cives, atque socii; oppugnent ii, qui sæpissimè hanc urbem; & hoc Imperium oppugnarunt: cumque inimici M. Fonteii vobis, ac populi Romani minentur, amici, ac propinqui supplicent vobis: dubitabitis non modò vestris civibus; qui maximè gloria ac laude ducuntur, verum etiam exteris nationibus ac gentibus ostendere; vos in sententiis ferendis civi parcere, quam hosti cedere maluisse? magna me hercule causa, judices, absolutionis cum cæteris causis hæc est; ne qua insignis huic Imperio macula atque ignominia suscipiatur; si hoc ita perlatum erit in Galliam, Senatum, Equitesque populi Romani non testimoniis Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem judicasse. Ita verò, si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius qui Induclomaro isti minaci atque arroganti par in belligerando esse possit: excitandus C. Domitius, & Rom. maximus, qui nationem Allobrogum & reliquias suis iterum armis conficiat, atque opprimat: aut quoniam id quidem non potest; orandus erit nobis amicus meus M. Pletorius, ut suos novos clientes à bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos, atque horribiles impetus deprecetur: aut, si non poterit, M. Fabium subscriptorem plus rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen amplissimum: ut velint isti aut quiescere; id quod victi ac subacti solent; aut, cum minantur, intelligere se populo Romano non metum belli. sed spem triumphi ostendere. Quodsi in turpi reo patiendum non esset, ut quicquam isti se minis profecisse arbitrarentur: quid faciendum nobis in M. Fontejo arbitrabimini? de quo homine judices (jam enim mihi videor hoc, propè causa duabus actionibus perorata, debere dicere) de quo vos homine, judices, ne ab inimicis

quidem ullum fictum probrosum, non modo crimen, sed ne maledictum quidem audistis. Ecquis unquam reus, præsertim in hac vitæ ratione versatus, in honoribus petendis, in potestatibus, in Imperiis gerendis, sic accusatus est; ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore objiceretur, si non vera: attamen ficta, cum aliqua ratione ac suspicione? M. Æmilium Scaurum, summum nostræ civitatis virum, scimus accusatum à M. Bruto: extant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta: falsò, quis negat? veruntamen ab inimico dicta, & objecta. Quam multa M. Aquilius audivit in suo judicio? quam multa L. Cotta? denique; P. Rutilius? qui etsi damnatus est, mihi videtur tamen inter viros optimos atque innocentissimos esse numerandus. Ille igitur homo sanctissimus, ac temperantissimus, multa audivit in sua causa, quæ ad suspicionem stuprorum ac libidinem pertinerent. Extat oratio hominis, ut opinio mea fert, nostrorum hominum longè ingeniosissimi, atq; eloquentissimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur: at in quem virum? qui tanta virtute atq; integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur: quem cum in concionem Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret, quem Pisonem? quod erant plures, cogis me, inquit, dicere inimicum meum, Frugi. Is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset, qui unico cognomine declarabatur, non modò quis esset, sed etiam qualis esset: tamen in falsam atque iniquam proborum insimulationem vocabatur. M Fonteius ita duabus actionibus accusatus est, ut obiectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. Non modo nullum facinus huius protulerunt, sed ne dictum quidem aliquod reprehenderunt. Quod si, aut quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantùm haberent, aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenii, non meliore fortuna ad probra nunc audienda

da Fonteius; quam illi de quibus antea commemoravi, fuisset.

IMITATIO.

Adversus hæreticos testes scriptoresque corruptissimos historiarum Ecclesiasticarum, tum veterum tum recentium serviet. Vt e. g. quod Catharinam Virginem martyremque adversus Philosophos & tyrannum Maximinum Alexandria depugnasse negans; sed quod asserant Ioannam fœminam inter Pontifices repertam. Qui simili arte ac copia refelli poterunt.

CAPUT XXI.

Exemplum 1. Defensionis.

Locus** ab antecedentibus **ad** consequentia **à Cicerone tractatus, in quo per comparationem Catiliniorum, per Syllam conjurasse negat.

Pro Sylla *orat. 25. ante finem.*

Docet ex vita anteacta moribus, de innocentia aut crimine in accusatione judicandum esse. Ita facile Catilinam, Lentulum, Cethegum, Autronium scelestos, P. Syllam verò innocentem agnosci. Qui licet ob L. Syllæ tyrannidem (in qua bonis patrocinatus est) & repulsam, quam in consulatu tulit, privatus diu vixerit, tamen nihil unquam tam immane commisit, quod cum Catilinariis conveniret. Tanta integritatis vir, ut nec testes quidem contra illum tormentis subjiciendi sint.

Omnibus in rebus, Judices, quæ graviores maioresque sunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius, qui arguitur, est ponderandum. Neque enim potest quisquam nostrûm subitò fingi, neque cuiusquam repente vita mutari, aut natura converti. Circumspicite paulisper mentibus vestris, et alia omittamus, hosce ipsos homines, qui huic affi-

nes sceleri fuerunt. Catilina contra Remp. conjuravit: cujus aures unquam hoc respuerunt, conatum esse hominem, usque à pueritia, non solum intemperantia, & scelere, sed etiam consuetudine, & studio in omni flagitio, stupro, cæde versatum? Quis eum contra patriam pugnantem periisse miratur, quem semper omnes ad civile latrocinium natum putaverunt? Quis Lentulo societates cum judicibus, quis insaniam libidinum, quis perversam atque impiam religionem recordatur, qui illum aut nefariè, aut stultè cogitasse miretur? Quis de C. Cethego, atque ejus in Hispaniam profectione, ac de vulnere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius pœnam carcer ædificatus esse videatur? Omitto cæteros, ne sit infinitum: tantum à vobis peto, ut taciti de omnibus, quos conjurasse cognitum est, cogitetis. Intelligetis, unumquemque illorum prius à suâ vitâ, quàm nostrâ suspicione esse damnatum. Ipsum illum Autronium (quoniam ejus nomen finitimum maximè est hujus periculo & crimini) non sua consuetudo, ac vita convincit? Semper audax, petulans, libidinosus, quem in stuprorum defensionibus non solum verbis uti improbissimis solitum esse scimus, verum etiam pugnis & calcibus: quem exturbare homines è possessionibus cædem facere vicinorum, spoliare fama sociorum; vi conatum, & armis disturbare judicia, in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reipubl. cedere, non fortunæ ipsi succumbere. Hujus si causa non manifestissimis rebus teneretur, tamen eum mores ipsius, ac vita convincerent. Agedum, conferte nunc cum illius vitâ vitam P. Syllæ, vobis, populoque Rom. notissimam, judices, & eam ante oculos vestros proponite. Ecquod hujus factum, aut commissum, non dicam audacius, sed quòd cuiquam paullò minus consideratum videretur factum, quæro verbum, ecquod unquam ex ore hujus excidit, unde quisquam posset offendi? At verò in illâ gravi L. Syllæ victoria turbulentiisque, quis P. Syllâ mitior? quam multorum hic vitam est à Sylla deprecatus? quam multi sunt summi homines, & ornatissimi, & nostri, & equestris ordinis, quorum pro salute se hic Syllæ obligavit! quos ego nominarem: neque enim ipsi nolunt, & huic

huic animo gravissimo, adsunt: sed quia majus est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut quod potuit, tempori tribuatis, quæ defecit, ipsi. Quid reliquam constantiam vitæ commemorem? dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis? quæ ita à fortunâ deformata sunt, ut tamen à natura inchoata compareant. Quæ domus, quæ celebratio quotidiana? quæ familiaris dignitas? quæ studia amicorum quæ ex quoque ordine multitudo? Hæc diu, multum, & multo labore quæsita, una eripuit hora. Accepit, P. Sylla, Judices, vehementes vulnus & mortiferum: veruntamen ejusmodi, quod videretur ejus vita & natura accipere potuisse. Honestatis & dignitatis habuisse nimis magnam judicatus est cupiditatem: quam si nemo alius habuit in petendo consulatu, cupidior judicatus est hic fuisse, quam cæteri. Sin etiam in aliis nonnullis fuit iste consulatus amor: fortuna in hoc fuit fortasse gravior, quàm in cæteris. Postea verò, quis P. Syllam, nisi mœrentem demissum afflictumque vidit? quis unquam est suspicatus, hunc magis odio, quam pudore hominum aspectum, lucemque vitare? Qui dum multa haberet invitamenta urbis & fori propter summa studia amicorum, quæ tamen ei sola in malis restiterunt: abfuit ab oculis vestris: & cum lege retineretur, ipse se exsulio penè multavit. In hoc vos pudore judicii, & in hac vita tanto sceleri locum fuisse creditis? aspicite ipsum: contuemini os; conferte crimen cum vita, usque ad hoc tempus explicata: tum crimen recognoscite, mitto rempubl. quæ fuit semper Syllæ carissima. hosne amicos, tales viros, tam cupidos sui, per quos res ejus secundæ quondam erant ornatæ, nunc sublevantur adversæ, crudelissimè perire voluit, ut cum Lentulo, & Catilina, & Cethego fœdissimam vitam, ac miserrimam turpissimâ morte propositâ, degeret? non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio, nova illa quædam inhumanitas exorta est: incredibilis fuit ac singularis furor: ex multis ab adolescentia collectis perditorum hominum vitiis repentè tanta ista importunitas inauditi sceleris exarsit. Nolite, judices, ar-

bitrari, hominum illum impetum & conatum fuisse. Neque enim ulla gens, tam barbara, aut tam immanis unquam fuit, in qua non modò tot, sed unus tam crudelis hostis patriæ sit inventus. Belluæ quædam illæ ex portentis immanes, ac feræ, formâ hominum indutæ exstiterunt. Perspicite etiam atque etiam Judices. Nihil enim est, quod in hac causa dici possit vehementius. Penitus introspicite Catilinæ, Autronii, Cethegi, Lentuli, cæterorumque mentes, quas vos in his libidines, quæ flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quàm incredibiles furores, quas notas scelerum, quæ indicia parricidiorum, quantos acervos facinorum reperietis? ex magnis, & diuturnis, & iam desperatis reipubl. morbis ista repentè vis erupit, ut ea confecta & eiecta convalescere aliquando & sanari civitas possit. Neque enim est quisquam, qui arbitretur, illis inclusis in republ. pestibus, diutius hoc Imperium stare potuisse. Itaque eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas reipubl. pœnas furiæ quædam incitaverunt. In hunc igitur gregem vos nunc P. Syllam, Judices, ex his, qui cum hoc vivũt, atq; vixerunt, honestissimorum hominum gregibus reiicietis: ex hoc hominum numero, ex familiari dignitate, in impiorum partem, atque in parricidarum cœtum ac numerum transferetis? Ubi erit igitur illud fortissimum præsidium pudoris? quo in loco nobis vita antè acta proderit? quod ad tempus existimationis partæ fructus reservabitur, si in extremo discrimine, ab dimicatione fortunæ deseruerit? si non aderit? si nihil adiuvabit? Quæstiones nobis servorum ac tormenta accusator minitatur: in quibus quanquã nihil periculi suspicamur: tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque tum animi, tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Syllæ torqueatur, ex eâ quæratur, num quæ occultetur libido? num quod lateat facinus? num quæ crudelitas? num quæ audacia? nihil erroris erit in causâ, nec obscuritatis, Judices, si à vobis vitæ perpetuæ vox ea, quæ gravissima debet esse, audietur. Nullum in hac causâ testem timemus: nihil quemquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur.

mur. Sed tamen si nihil P. Syllæ fortuna movet, Judices, vestra moveat, vestra enim, qui cum summâ elegantiâ, atque integritate vixistis, hoc maxime interest, non ex libidine, aut simultate, aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari; sed in magnis disquisitionibus, repentinisque periculis vitam uniuscuiusque esse testem. Quam vos, Judices, nolite armis suis spoliatam, atque nudatam obiicere invidiæ, dedere suspicioni, munite commune m arcē bonorum, obstruite perfugia improborum. Valeat ad pœnam, & ad salutem plurimum, quàm solùm videtis ipsam ex vi sua, naturaque facilimè perspici, subitò flecti, fingique non posse.

IMITATIO.

Si quis Absalonem coram Davide Patre de conjuratione inita accusare voluerit, is, contra quàm hic factum, ab antecedentibus vitæ sceleribus, Fratre temerè occiso, corruptionibus subditorum, aliisque sceleribus, eundem reum esse læsæ majestatis arguet, atque illa quæ de Sylla asseruntur, de Absalone negabit. Nisi malit similis exempli, cum Sylla. v. g. Danielem, aut Josephum sumere.

II.

Sententiam suam, legemque *Senatus, quâ res frumentaria Pompejo committitur, contra Clodium,* exemplis Clodii à majore, *defendit.*

Cicero pro Domo, in principio.

1. *Docet provincias per Senatum decerni solitas à Clodio magis novo exemplo ad plebis arbitrium decretas, quàm lex de re frumentaria pro Pompejo lata sit, aut ipse Sex. Clodio frumentum crediderit.*

2. *Tradit Clodium magis extra ordinem contra se legem tulisse, quam ipse contra Pompejum ferendam sensevit. neque esse cur quisquam amplius suam cum Pompejo*

amicitiam labefactare conetur, quem sibi tam fidum expertus sit.

Quid? nonne homini teterrimo, crudelissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni, nominatim populos liberos, multis Senatus consultis, etiam recenti lege soceri ipsius, liberatos, vinctos & constrictos tradidisti? nonne cum ab eo merces tui beneficii pretiumque Provinciæ meo sanguine tibi esset persolutum, tamen ærarium cum eo partitus es? Itane vero? Tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maximè popularis fuit, non modò non abstulit Senatui, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per Senatum, decretâ lege, sanxit? eas lege Semproniâ per Senatum decretas, rescidisti? extra ordinem sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed reip. pestibus? nos, quod nominatim rei maximæ penè jam desperatæ summum virum sæpe ad extrema Reipubl. discrimina delectum præfecimus, à te reprehendemur? Quid tandem, si quæ tum illis reipubl. tenebris cæcisque nubibus & procellis, cum Senatum à gubernaculis dejecisses, populum è navi exturbasses, ipse archipyrata cum grege prædonum impurissimo plenissimis velis navigares: si quæ tum promulgasti, constituisti, promisisti, vendidisti, perficere potuisses, qui locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis fascibus, atque Imperio Clodiano fuisset? sed excitatus aliquando C. Pompeii, (dicam ipse audiente, quod sensi & sentio, quoque animo, me auditurus est) excitatus, inquam aliquando Cn. Pompeii, nimium diu reconditus & penitus abstrusus animi dolor subvenit subito reipubl. civitatemque fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu, ad aliquam spem libertatis, & pristinæ dignitatis erexit. Hic vir extra ordinem rei frumentariæ præficiendus non fuit? Scilicet tu helluoni spurcissimo, prægustatori libidinum tuarum, homini egentissimo, & facinorissimo, Sex. Clodio, socio sui sanguinis, qui suâ linguâ etiam sororem tuam à te abalienavit, omne frumentum privatum, & publicum, omnes provincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claves, lege tua, tradidisti. Quâ ex re primùm charitas nata est? deinde inopia?

pia; impendebat fames, incendia, cædes, direptio; imminebat tuus furor omnium fortunis, & bonis. Quæritur etiam importuna pestis, ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentariam esse ereptam, summisque in periculis ejus viri auxilium implorasse rempubl. à quo sæpe se & servatam & amplificatam esse meminisset.

2. Extra ordinem ferri nihil placet Clodio. Quid? de me, quod tulisse te dicis, patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? An de peste civis, quemadmodum omnes jam Dii, atque homines judicaverunt, conservatoris reipubl. quemadmodum autem tute ipse confiteris, non modò indemnati; sed ne accusati quidem licuit tibi ferre, non legem, sed nefarium privilegium, lugente Senatu, mœrentibus bonis omnibus, totius Italiæ precibus repudiatis, oppresâ, captâque republ. mihi populo Romano implorante, Senatu poscente, temporibus reipubl. flagitantibus, non licuit de salute populi Romani sententiam dicere? Quâ quidem in sententiâ si Cn. Pompeii dignitas aucta est, conjuncta cum utilitate communi, certe laudandus essem, si ejus dignitati suffragatus viderer, qui meæ saluti opem & auxilium tulisset. Desinant, desinant homines iisdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. Quod enim par amicitiæ consularis fuit unquam in hac civitate conjunctius, quàm fuimus inter nos, ego & Cn. Pompejus? Quis apud populum Romanum de illius dignitate illustrius, quis senatui sæpius dixit? Qui tantus fuit labor, quæ simultas, quæ contentio, quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos, quæ prædicatio de meâ laude, quæ remuneratio benevolentiæ prætermissa est? Hanc nostram conjunctionem, hanc conspirationem in republ. bene gerendâ, hanc jucundissimam vitæ, atque officiorum omnium societatem, certi homines fictis sermonibus, & falsis criminibus diremerunt: cum iidem illum, ut me metueret, me caveret, monerent; iidem apud me mihi illum esse uni inimicissimum, dicerent: ut neque ego, ab illo, quæ mihi petenda essent, satis audacter petere possem: neque ille, tot suspicionibus certorum hominum, & scelere exulceratus,

quæ meum tempus postularet, satis prolixè mihi polliceretur. Data merces est erroris mei magna, Pontifices, ut me non solum pigeat stultitiæ meæ, sed etiam pudeat: qui cùm me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multò antè suscepti, & provisi labores, cum viro fortissimo, & clarissimo conjunxissent, sim passus à tali amicitiâ distrahi: neque intellexerim, quibus aut ut apertis inimicis obsisterem, aut ut insidiosis amicis non crederem.

IMITATIO.

In defensione legis alicujus, utilitas publica, similesque aliæ leges ab accusatoribus probatæ ad imitationem hujus exempli proferentur.

Appendix & Observatio.

Hic Confirmationis propriè dictæ metas statuimus, priusquam ad Confutationem eidem adjungi solitam veniamus.

Expectas, ut & hic aliquam publicarum exercitationum in theatro methodum præscribamus? Judicii hic plerumque forma aliqua erit instituenda, seu Græci, seu Romani, seu barbari seu popularis, inter Judices, aut arbitros cuique rei convenientes. Quare hic ad historias, & ritus gentium judiciorumque proprios, te velim attendere: neque tuo ingenio fingere, quod nusquam est usitatum Et alienos populorum mores, & leges, & ritus sic ut fas est rudioribus tradere: Non lingua tantum sed & animus adolescentis, in his mutis imaginibus vetera hauriat, absentia videat, & inusitata admiretur. Ex castigatis etiam sceleribus horrorem concipiat, & quod in aliis damnat, ipse horreat perpetrare, quæ historica magis veritate, quam inanibus fabularum tirriculamentis condiscet.

CAPUT XXII.

De confutatione, ejusque modis & varietate, exemplis declarata.

Quemadmodum Confutatio Confirmationi iungatur, & quot viis, quibusque modis institui posset lib. 1. cap. 10. tradidimus. Superest ut exemqlis illustrium aliquot Confutationum præcepta hæc Eloquentiæ studiosis planiora reddamus. Ita fiet, nec nisi selecta, ex locuplete Ciceronis penu depromemus.

Primo alteroque exemplo *negabitur*, idque aut seriò per exempla opposita, aut ironicè cum irrisione & contemptu adversarii: qui modus longè acerbior est. Tertio exemplo *concedentur* pleraque adversario quæ obiicit; sed defendentur, vel ut nihil obstantia præsenti causæ, vel ut rectè facta. Quarto denique hæ rationes confutandi cum modestia tamen singulari miscentur, ac postremò quæ vitio adversarius Murænæ verterat, ad virtutem *transfert*. Sulpitiumque ex opposito deprimit. Ideoque his exemplis Cicero pene omnem confutandi rationem complectitur, Consule libri primi de confutatione leges, modosque, & cum hisce exemplis compone. Quæ si deinde imitatione expresseris, vim nervumque contra Adversarios disserendi non mediocriter exacues. Plus hic sæpe arguta brevitas, contemptus, vibrata strictim sententia, delesum aut aversum in hostem argumentum, quàm copiosa potest & diserta oratio.

Exemplum I.

Refutatio exemplorum per opposita exempla.

Cicero in Verrem, Act. 4. in fine.

Verres post exactas à Siculis supra numerum modumque decimas.

decimas, etiam frumenta in cellam (ut ajebant) comparaturus & datas à Romanis pecunias huic emptioni retinebat, & & loco frumenti duplum à Siculis aratoribus in ære pretium exigebat. Quod factum, cum aliorum exemplo Hortensius pro Verre tueretur, occurrit, Cicero &c.

1. *Exemplis improborum, neque Verrem, neque ipsum se Hortensium suâ in vitâ tueri posse ostendit.*

2. *Hac agendi licentia premi, turbari, quarique omnes populi Romani provincias docet.*

3. *Inter priscos novosque Romanos nullos reperiri, hâc avaritia notatos.*

4. *Rationem nullam esse, cur in Sicilia hoc exemplum potius, quàm alibi toleretur.*

5. *Nec M. Antonii, nec Sacerdotis nec Peducei exempla Verrem tueri, quod primus nota improbitatis, alter æstimationem infra commune pretium fecerit, de tertio nihil sit ejus generis cognitum.*

6. *Nec charitas annonæ tuetur Verrem, ut C. Sentium in Macedonia defendit. Et licet plures idem cum Verre ausi fuissent, plures quoque essent damnandi.*

7. *Quod si hoc crimen impunitum transeat, erunt qui non tantùm imitentur Verrem, sed etiam superent. fortè & ipse defensor Hortensius socius criminis futurus est.*

V. *Videri ipsum Hortensium occultè & nequiter Iudices ipsos, aliquando ad spem similis prædæ, persuasa Verris impunitate, provocare. Qui tamen æquiores sint, quàm ut hoc spectent.*

1. Data tibi est pecunia, Verres, una, quâ frumentum tibi emeres in cellam, altera, quæ frumentum emeres à civitatibus, quod Romam mitteres. Tibi datam pecuniam domi retines, & præterea pecuniam permagnam tuo nomine aufers. Quare multa Sophocles Agrigentinus apud Cn. Pompejum consulem nuper homo dissertissimus, & omni doctrina ac virtute ornatissimus pro tota Sicilia de aratorum miseriis graviter & copiosè dixisse ac deplorasse dicitur. Ex quibus hoc iis qui aderant (nam magno conventu acta res est) qua in re Senatus optimè ac benignissimè cum oratoribus egisset, largè liberaliterque æstimasset, in ea re prædari prætorem, bonis everti Oratores, & id non modo fieri, sed ita fieri quasi licitum, concessumq; sit. Quid

Quid ad hæc Hortensius? Falsum esse crimen? hoc nunquam dicet, non magnam hac ratione pecuniam captam? ne id quidem dicet. Non injuriam factam Siculis atque oratoribus. Qui poterit dicere? Quid igitur dicet? fecisse alios? Quid est hoc? utrum criminis defensio, an comitatus exilio quæritur? tu in hac republ. atque in hac hominum libidine, & ut adhuc habuit se status judiciorum, etiam licentia, non ex jure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo, quod licuit, sed ex eo, quod aliquis fecerit, id, quod reprehenditur, rectè factum esse defendes? fecerunt aliqui alia quam multa, cur in hoc uno crimine isto genere defensionis uteris? sunt quædam omnino, in te singularia, quæ in nullum aliud hominem dici, neque convenire possint: quædam tibi cum multis communia, ergo ut omittam tuos peculatus, & ob jus dicendum pecunias a ceptas, & ejusmodi cætera, quæ forsitan etiam alii fecerint: illud in quo te gravissimè accusavi, quod ob judicandam rem pecuniam accepisses, eadem ista ratione defendes, fecisse alios? ut ego assentiar: defensionem tamen non probabo: potius enim, te damnato cæteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quam te absoluto, alii, quod audacissimè fecerunt, rectè fecisse existimentur.

2. Lugent omnes provinciciæ: queruntur omnes liberi populi: regna denique jam omnia de nostris cupiditatibus, & injuriis expostularint: locus intra Oceanum jam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quò non per hæc tempora nostrorum hominum libido, iniquitasque pervaserit: sustinere jam populus Romanus omnium nationum non vim, non arma, non bellum, sed luctum, lachrymas, quærimonias non potest. In ejusmodi re, ac moribus, si is, qui erit adductus in judicium, cum manifestis in flagitiis tenebitur, alios eadem fecisse dicet: illi exempla non deerunt, reipubl. salus deerit, si improborum exemplis improbi judicio ac periculo liberabuntur. Placent vobis hominum mores placet ita geri Magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari, quod restat, ut per hæc tempora tractatos videtis? cur hæc a me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media oratione

ne mea consurgitis atque disceditis? vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coërcere.

3. Tametsi quæ ista sunt exempla multorum? nam cum in causa tanta, cum in crimine maximo dici à defensore cœptum est, factitatum esse aliquod: expectant ii, qui audiunt, exempla ex vetere memoria & monimentis, ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis: hæc plurimum solent & auctoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad audiendum. Africanos mihi & Catones, & Lælios commemorabis? & eos idem fecisse dices? quamvis res non placeat, tamen contra hominum auctoritatem pugnare non potero, an, cum eos non poteris proferre, hoc recentes Q. Catulum patrem, C. Marium. Q. Scævolam, M. Scaurum, Q. Metellum? qui omnes Provincias habuerunt, & frumentum cellæ nomine imperaverunt. Magna est hominum auctoritas, & tanta, ut etiam delicti suspicionem tegere possit Non habes, ne ex his quidem hominibus, qui nuper fuerunt, ullum auctorem huius æstimationis. Quo me igitur, aut ad quæ exempla revocas? ab illis hominibus, qui tum versati sunt in republ. cum & optimi mores erant, & hominum existimatio gravis habebatur, & judicia severa fiebant, ad hanc hominum licentiam, & libidinem me abducis? & in quos aliquid exempli: populus R. statui putat oportere, ab iis tu defensionis exempla quæris? Non fugio ne hos quidem mores, dummodo ex his ea, quæ probat populus R exempla, non ea quæ condemnat, sequamur. Non circumspiciam, non quæram foris, cùm habeo judices principes civitatis, P. Servilium, Q. Catulum, Qui tanta auctoritate sunt, tantis rebus gestis, ut in illo antiquorum, & clarissimorum hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur. Exempla quærimus, & ea non antiqua. Modò uterque horum exercitum habuit, quære Hortensi, quoniam te recentia exempla delectant, quid fecerint? itanè verò? Q. Catulus frumento est usus, pecuniam non coëgit: P. Servilius quinquennium exercitui cùm

præ-

præesset, & ista ratione innumerabilem pecuniam facere posset, non statuit sibi quidquam licere, quod non patrem suum, non avum Q. Metellum facere vidisset: C. Verres reperietur, qui, quod expediat id licere dicet? quod nemo, nisi improbus, fecerit, id aliorum exẽplo se fecisse defendat

4. At in Sicilia factitatum est. Quæ est ista conditio Siciliæ? cur, quæ optimo jure propter vetustatem, fidelitatem, propinquitatem esse debet, huic præcipua lex injuriæ definitur? sed in ista ipsa Sicilia non quæram exemplum foris, hoc ipso ex consilio utar exemplis. C. Marcelle, te appello, Siciliæ provinciæ, cùm esses proconsul, præfuisti: num quæ in tuo Imperio pecunia cellæ nomine coactæ sunt? Neq; ego hoc in tua laude pono. Alia tua sunt facta, atq; consilia summa laude digna, quibus illam tu provinciam afflictam, & perditam erexisti; atq, recreasti: nam hoc de cella ante ne Lepidus quidem fecerat, cui tu successisti: quæ sunt tibi igitur exempla in Sicilia cellæ, si hoc crimen non modò Marcelli facto, sed ne Lepidi quidem potes defendere?

5. An me ad M. Antonii æstimationem frumenti, exactionem pecuniæ revocaturus es? ita, inquit, ad M. Antonii: hoc enim mihi significasse, & annuisse visus est. Ex omnibus ne igitur populi R. Prætoribus, consulibus, Imperatoribus M. Antoniũ delegisti, & ejus unum improbissimum factũ, quod imitarere? & hic utrum mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se illo infinito Imperio M. Antonium gessisse ut multo isti pernicio[...]us sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quàm, si posset, defendere, nihil in vita se M. Antonii simile fecisse? Homines in judiciis ad crimen defendendum, non quid fecerit quispiam, proferre solent, sed quid probarit. Antonium, cùm multa contra sociorum salutem, multa contra utilitatem provinciarum & faceret, & cogitaret, in mediis ejus injuriis, & cupiditatibus mors oppressit. Tu mihi, quasi ejus omnia facta, omniaque consilia Senatus, populusque R. judices comprobarint; ita Antonii exemplo istius audaciam defendis. At idem fecit Sacerdos. Hominem innocentem, & summa prudentia præditum nominas: sed tum idem fecisse erit existimandus, si eodem consilio fecerit.

fecerit. Nam genus æstimationis ipsum à me nunquam est reprehensum: sed ejus æquitas aratorum commodo & voluntate perpenditur: non potest reprehendi illa æstimatio, quæ aratori non modo incommoda non est, sed etiam grata. Sacerdos, ut in provinciam venit, frumentum in cellam imperavit, cum esset ante novum tritici mod. H-S XV, petiverunt ab eo civitates, ut æstimaret. Remissior aliquanto ejus fuit æstimatio, quàm annona; nam æstimavit denariis III. Vides eandem æstimationem propter temporis dissimilitudinem in illo laudis causam habere, in te criminis? in illo beneficii, in te injuriæ? eodem tempore Antonius III. Denariis æstimavit post messem, summa in utilitate, cùm oratores frumentum dare gratis malebant: & ajebat, se tantidem æstimasse, quanti Sacerdotem: neque mentiebatur. Sed eadem ista æstimatione alter sublevarat aratores, alter everterat. Quod nisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset, & annona non ex numero, neque ex summa consideranda: nunquam tamen grati hi sesquimodii Q. Hortensi fuissent: quos tu cum ad mensuræ tam exiguam rationem populo Romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus fecisti: charitas enim annonæ faciebat, ut istuc, quod re parvum videbatur, tempore magnum videretur. Idem istud si in utilitatem populo Romano largiri voluisses. Derisum tuum beneficium esset, atque contemptum. Noli igitur dicere istum idem fecisse, quod Sacerdotem: quoniam non eo tempore, neque simili fecit anno. Dicito potius, quoniam habes auctorem idoneum: quod Antonius uno adventu, & vix menstruis cibariis fecerit, id istum per triennium fecisse: & istius innocentiam M. Antonii facto, atque auctoritate defendito. Nam de Sex. quidem Peduceo, fortissimo atque innocentissimo viro, quod dicitis? de quo quis unquam arator quæstus est? aut quis non ad hoc tempus innocentissimam omnium, diligentissimamque præturam illius hominis existimavit: biennio provinciam obtinuit, cùm alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit: num aut in vilitate nummum arator quisquam dedit, aut in caritate de æstimatione frumenti quæstus est.

6. Ut uberiora cibaria facta sunt caritate, credo: neque id est novum, neque reprehendendum. Modo C. Sentium vidimus, hominem vetere illa ac singulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam reportare. Quamobrem non ego invideo tuis commodis, si qua ad te lege venerunt: injuriam quæror: improbitatem arguo: avaritiam in crimen, & in judicium voco, quod si suspiciones injicere voletis, ad plures homines, & ad plures provincias crimen hoc pertinere: non ego istam defensionem vestram pertimescam, sed me omnium provinciarum defensorem esse profitebor. Etenim hoc dico, & magna voce dico: ubicunque hoc factum est, improbè factum est. Quicunque hoc fecit, supplicio dignus est. Nam per Deos immortales videte judices, & præspicite animis, quid futurum sit. Multi magnas pecunias ab invitis civitatibus, atque ab invitis aratoribus ista ratione, cellæ nomine coëgerunt: omnino ego neminem video, præter istum: sed do hoc vobis, & concedo, esse multos. In hoc homine rem adductam in judicium videtis: quid facere potestis? utrum, cum iudices sitis de pecunia capta & conciliata; tantam pecuniam captam potestis negligere: an cum lex sociorum causa rogata sit, sociorum quærimonias non audire?

7. Verum hoc quoque vobis remitto: negligite præterita, si vultis: sed, ne reliquas spes turbetis, atque omnes provincias evertatis, id providete: ne avaritiæ, quæ ante hac occultis itineribus, atque angustiis, uti solebat, auctoritate vestra vim patefaciatis illustrem, atque latam. Nam si hoc probatis, & si hoc licere, pecunias isto nomine capi, iudicatis: certè hoc, quod adhuc nemo nisi improbissimus fecit, posthac nemo nisi stultissimus non faciet, improbi sunt qui pecunias contra leges cogunt: stulti; qui, quod licere iudicatum est, prætermittunt. Deinde iudices videte, quòd infinitam sitis hominibus licentiam pecuniarum eripiendarum daturi; si, ternos denarios qui coëgit, erit absolutus: quaternos, denos denique, aut vicinos coget alius: quæ erit reprehensio? in quo primum iniuriæ gradu resistere incipiet severitas iudicis? quotus erit iste

denarius, qui non sit ferendus? & in quo primum æstimationis iniquitas, atque improbitas reprehendatur: non enim à vobis summa, sed genus æstimationis est comprobatum: neque hoc potestis judicare ternis denariis æstimare licere: ubi enim semel ab annonæ ratione, & ab aratorum voluntate res, ad prætoris libidinem translata est, non est jam in lege, atque in officio, sed in voluntate hominum, atque avaritia positus modus æstimandi. Quapropter si vos semel in judicando finem æquitatis, & legis transieritis, scitote vos nullum cæteris in æstimando finem improbitati & avaritiæ reliquisse. Videte igitur, quam multa simul à vobis postulentur. Absolvite eum, qui se fateatur maximas pecunias, cùm summa sociorum injuria, cepisse, non satis. Sunt alii quoque complures, qui idem fecerint. Absolvite etiam illos, si qui sunt: ut uno judicio quam plurimos improbos liberetis. Ne id quidem satis est. Facite ut cæteris post hac idem liceat? licebit. At hoc parum est permittite ut liceat, quanti quisque velit, tanti æstimet, æstimabit. Videtis jam profectò judices, hac æstimatione à vobis comprobata, neque modum posthac avaritiæ cujusquam, neque pœnam improbitatis futûram. Quas ob res quid agis Hortensi? consul es designatus: provinciam sortitus es: de æstimatione cum dices frumenti, sic te audiemus, quasi id, quod ab isto rectè factum esse defendes, te facturum profiteare, quasi, quod isti licitum esse dices, vehementer cupias tibi licere. Atqui si id licebit, nihil est, quod putetis quenquam posthac commissurum, ut de pecuniis repetundis condemnari possit. Quantam enim quisquis concupierit pecuniam tantam licebit, per cellæ nomen, æstimationis magnitudine consequatur.

8. At enim est quiddam, quod etiamsi palàm in defendendo non dicit, Hortensius, tamen ita dicit, ut vos id suspicari, & cogitare possitis pertinere hoc ad commodum senatorium, pertinere ad utilitatem eorum qui judicent, qui in provinciis cum potestate, aut cum legatione se futuros aliquando arbitrentur. Præclaros verò existimas judices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes, quo facilius ipsis peccare liceat. Ergo id volu-

mus

mus populum Romanum id provincias, id socios, nationesque exteras existimare, si Senatores judicent, hoc certè unum genus infinitæ pecuniæ per summam injuriam cogendæ nullo modo posse reprehendi.

IMITATIO.

Simili oratione perstringi jure possunt, vel iniqui Senatores, vel etiam Principes, aut Magistratus, qui nova tributorum onera subditis imponunt, vel postremo Ministri Principum novis artibus collectas vulgo pecunias ad se transferentium.

II.

Confutatio acuta & peracerba, ratione, & exemplis oppositis *per* ironiam adductis subnixa, quâ vanitatem Pisonis coarguit.

Cicero contra Pison. volum.3. or.6. in medio.

1. *Ostendit ratione, vanum esse, quod Piso neget se triumphandi cupidum.*

2. *Exemplis Pompei, tum Cæsaris per prosopopœjam introducti, aliorumque irridet Pisonis, voce, non cupiditate dissentientis, amentiam.*

1. Audistis, P. C. Philosophi vocem! negavit, se triumphi cupidum unquam fuisse, ô scelus, ô pestis, ô labes! cum extinguebas Senatum, vendebas autoritatem hujus ordinis, addicebas tribunopl. consulatum tuum, rempubl. evertebas, prodebas caput, & salutem meam unâ mercede provinciæ, si triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arsisse defendes, sæpè enim vidi, qui & mihi cæteris cupidiores provinciæ viderentur, triumphi nomine tegere, atque velare cupiditatem suam. Hoc modo D. Sylanus consul in hoc ordine, meus

etiam collega dicebat: neque enim quisquam potest exercitium cupere, aperteque petere, ut non prætexat cupiditatem triumphi. Quod si te Senatus populusque R. aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coëgisset, tamen erat angusti animi atque demissi, triumphi honorem atque dignitatem comtemnere. Nam ut levitatis est inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari: sic levis est animi, lucem, splendoremque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare, cùm verò non modò non postulante atque cogente, sed invito, atque oppresso Senatu, non modò nullo populi Romani studio, Sed nullo ferente suffragium libero, provincia tibi ista manu pretium fuerit, non eversæ per te, sed proditæ civitatis: cumque omnium tuorum scelerum hæc pactio extiterit, ut, si tu totam rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, traderetur: cum exhauriebas ærarium: cum orbabas Italiam iuventute: cùm mare vastissimum hyeme transibas: si triumphum contemnebas, quæ te, prædo amentissime, nisi prædæ, ac rapinarum cupiditas tam cœca rapiebat?

2. Non est integrum Cn. Pompeio consilio iam uti tuo: erravit enim: non gustarat istam tuam Philosophiam Ter iam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui: quid est, quod confecto formidolosissimo bello coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu? P. Servili, Q. Metelli, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in istum errorem induceremini? C. ipsi Pontinio necessario meo, iam non est integrum: religionibus enim susceptis impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabritios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos, ô amentem Paullum, rusticum Marium, nullius consilii patres istorum amborum consulum, qui triumpharunt. Sed quoniam præterita mutare non possumus; quid cessat hic homulus, ex argilla & luto fictus Epicureus, dare hæc præclara præcepta sapientiæ, clarissimo & summo Imperatori, genero suo? fertur ille vir, mihi crede, gloria: flagrat

ardet

ardet cupiditate iusti, & magni triumphi: non dicit eadem ista, quæ tu, mitte ad eum libellum. Sed iam, si ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas, atque restringas. Valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus, & constans, apud indoctum eruditus, apud generum socer. Dices enim, ut es homo factus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus è schola. Quid est Cæsar, quod te supplicationes toties decretæ, tot dierum tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas Dii negligunt: qui (ut noster ille divinus dixit Epicurus) neque propitii cuiquam esse solent, neque irati. Non facies fidem scilicet cùm hæc disputabis; tibi enim & esse & fuisse eos videbis iratos. Vertes te ad alteram scholam; disseres de triumpho, quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamen penè puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle, quibus ex rebus nihil est, quod solitum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possis. Quin tu me vides, qui ex qua provincia, T. Flaminius, L. Paullus, Quinctus Metellus, T. Didius, innumerabiles alii levi cupiditate commoti, triumpharunt. Ex ea sic redii, ut ad portam Esquilinam Macedoniam lauream conculcarim, ipse cum hominibus quindecim malè vestitis ad portam Cœlimontanam sitiens pervenerim? quo in loco mihi libertus, præclaro Imperatori, domum ex hac die biduo antè conduxerat. Quæ vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem. Nummus interea mihi Cæsar, neglectis vehiculis triumphalibus, domi manet, & manebit. Rationes ad ærarium retuli continuò, sicut tua lex jubebat: neque alia ulla in re legi tuæ parui. Quas rationes, si cognoris, intelliges nemini plus, quàm mihi, literas profuisse; ita enim sunt perscriptæ scitè, & literatè, ut Scriba ad ærarium, qui eas retulit, præscriptis rationibus secum ipse, caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sint. Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται

(a) hac tu oratione, non dubito, quin illum jam ascendentem in currum possis revocare. O tenebræ, ô lutum, ô sordes, ô paterni generis oblite, materni vix memor! ita nescio quid istud factum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quàm ut Mediolanensi præcone, avo tuo dignum esse videatur, L. Crassus, homo sapientissimus nostræ civitatis, spiculis propè scrutatus est Alpes, ut ut ibi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir summo ingenio præditus C. Cotta, nullo certo hoste, flagravit. Eorum neuter triumphavit: quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abs te paulò antè M. Pisonis cupiditas triumphandi, à qua te longè dixisti abhorrere. Qui etiamsi minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est: tamen istum honorem contemnendum non putavit, tu eruditior quàm Piso: prudentior, quàm Cotta: abundantior consilio, ingenio, sapientia, quàm Crassus: ea contemnis, quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt. Quod si reprehendis, quòd cupidi laureæ fuerint, cùm bella aut parva, aut nulla gessissent: tu tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti, neque verò contempsisti, licet *Themista sapientior*, sed os tuum ferreum Senatus convitio verberari noluisti.

IMITATIO.

Licebit in confutatione atque irrisione illorum imitando usurpare, qui rem aliquam, officium, aut honorem, ad quem per naturæ, aut generis, aut ingenii, aut virtutis defectum aspirare non possunt, eam se contemnere ac nolle ostendunt; neque facultatis, aut virtutis indigentiam profiteantur. e. g. libris scribendis nolle se occupari dictitant, ut in quibus plus sæpe vanitatis, quàm utilitatis. Quos pari ratione facilè à vanitate per dissimulationem impotentia quæsita argues.

(a) *Abiit. ut Plaut. in Trinum.*

III.

Refutatio ingeniosa pro concessionem objectorum, ex consequentibus & causis *minime absurdis.*

Cicero *pro Plancio contra Cassium & Laterensem in fine.*

1. *Fatetur Plancium neque disertum, neque Iurisconsultum esse; sed hac illi in munere adilitatu administrando obstare negat. Favet enim Laterensi suas laudes.*

2. *Admittit quod Laterensis in quastura hujus Cirenis liberalis fuerit, tamen hanc liberalitatem populo Romano non satis innotuisse, idque sua quastura in Sicilia exemplo, tradit, plusque sua sedulitate prasentem Roma valuisse Plancium.*

3. *Fatetur se bonis omnibus Roma debere, non soli Plancio. eo quod Plancio propter se faverint in electione omnes, etiam si illi, ut fratri & liberis, favere, quod per hunc illis sit conservatus. Gratitudine denique tanquam amicitia vinculo gloriatur.*

4. *Concedit se in discessu exulem auxiliis aliorum oblatis uti noluisse, ne sui causa ab improbis forte armati probi opprimerentur.*

5. *Mortem se timuisse, sed jure, fatetur, ne secum resp. cladem ferret.*

6. *Non diffitetur Laterensem in republ. liberum esse; se verò etiam tum esse maximè, cum quandoque tempori serviat.*

Quæris, Cassi; num desertus sit Plancius? imò, id quod fatendum est, ne sibi quidem videtur. Non jurisconsultus? quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de jure respondisse dicat. Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui cum possessi fuerint, satisfacere non possunt: non in iis, qui abfuisse ab his studiis confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non scientia, requiri solet. Ut nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem, si

pro fabro, aut pro textore eminus, ferre molestè solemus, si eas artes, quas in emendo secuti sumus, fortè nesciverit: sin autem eminus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam, esse curamus: sic populus Romanus diligit Magistratus, quasi Reipublicæ villicos: in quibus, si quæ præterea est ars, facilè patitur. sin minus facilè virtute eorum & innocentia contentus est. Quotus enim quisque disertus? quotus quisque juris peritus est, ut eos numeres qui volunt esse? quod si præterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis & ornatissimis civibus est futurum? jubes Plancium de vitiis Laterensis dicere. Nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum putabis fuisse. Idem effers Laterensem laudibus. Facile patior id de te agere multis verbis, quod ad judicium non pertineat: & id te accusantem tam diu dicere, quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Atqui nón modo confiteor summa in Laterense ornamenta esse, sed te etiam reprehendo, quod ea non enumeres: alia quædam inania, & levia conquiras. Prænestè fecisse ludos. Quid alii quæstores, nonne idem fecerunt.

2. Cyrenis liberalem in publicanos, justum in socios fuisse. Quis negat? sed ita multa Romæ geruntur, ut vix ea, quæ fiunt in provinciis, audiantur. Non vereor, ne mihi aliquid, Judices, videor arrogasse, si de quæstura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maximis rebus arbitror; ut non ita mihi multum sit ex quæsturæ laude repetendam: sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæsturam, aut gratiorem, aut clariorem fuisse. Verè, me hercules, hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines unquam aliud Romæ, nisi de quæstura mea loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram, negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus, excogitati quidam erant à Siculis honores inauditi. Itaque hac spe discedebam, ut mihi populum R. ultrò omnia delaturum putarem. At ego, cùm casu diebus iis, itineris faciendi causa decedens è provincia, Puteolos

teolos fortè venissem, cum plurimi & lautissimi solent esse in iis locis: concidi penè, judices, cùm ex me quidam quæsisset, quo die Roma exissem, & numquid in ea esset novi: cui cum respondissem, me è provincia discedere: etiam me hercules, inquit, ut opinor, ex Africa. Huic ego jam stomachans fastidiose, imò ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret. Quid? tu nescis, inquit, hunc Syracusis quæstorem fuisse? quid multa? destiti stomachari, & me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent. Sed ea res, Judices, haud scio an plus mihi profuerit, quam si mihi omnes tum essent congratulati. Nam posteaquam sensi populum Romanum aures hebetiores, oculos acres, atque acutos habere: destiti quid de me audituri essent homines, cogitare: feci, ut postea quotidie me præsentem viderent: habitavi in oculis: pressi forum: neminem à congressu meo, neque janitor meus neque somnus absterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem unquam otiosum? nam, quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, cum otiosus sis: has ego scripsi ludis & feriis, ne omnino unquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum & præclarum putavi. Clarorum virorum atque magnorum, non minus otii, quam negotii rationem exstare oportere. Ita, si quam habeo, laudem, quæ quanta sit, nescio, parta Romæ est, quæsita in foro: meaque privata consilia publici quoque casus comprobaverunt, ut etiam summa respublica mihi domi fuerit gerenda, & urbs in urbe servanda. Eadem igitur, Cassi: via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam: hoc facilior fortasse, quod ego huc à me ortus, & per me nixus ascendi: istius egregia virtus adjuvabitur commendatione majorum. Sed ut redeam ad Planium, nunquam ex urbe abfuit, nisi forte lege, necessitate: non valuit rebus iisdem, quibus fortasse nonnulli; at valuit assiduitate, valuit observandis amicis, valuit liberalitate; fuit in oculis: petivit: est usus ratione, quâ minima invidia, non homines plurimi ejusdem honores consecuti sunt.

3. Nam quod ais, Cassi, non me plus Mancio debe-

re, quàm bonis omnibus, quod iis æquè mea salus cara fuit: ego me debere bonis omnibus fateor; sed etiam iis, quibus ego debeo. Boni viri, & cives, ædilitiis comitiis, aliquid se meo nomine debere Plancio dicebant. Verùm me multis debere, & in iis Plancio? utrum igitur me conturbare oportet: an cæteris, cùm cujusque dies venerit, hoc tamen quod urget, nunc cùm petitur, dissolvere: Quæris à me, Cassi, quid pro fratre meo, qui mihi est charissimus, quid pro meis liberis, quibus nihil potest esse jucundius, amplius, quam pro Plancio facio, facere possim: nec vides istorum ipsorum charitate ad hujus salutem defendendam maximè stimulari me, atque excitari. Nam neque illis hujus salute, à quo meam sciunt esse defensam, quidquam est optatius: & ego ipse nunquam illos aspicio, quin per hunc me his conservatum esse meminerim, hujusque meriti in se recorder. Etenim Judices, cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quam me & gratum esse, & videri. Hæc est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria benè merentes; nisi qui patriæ beneficia meminerunt? qui sunt sancti, qui religionem colentes; nisi qui meritam Diis immortalibus gratiam, justis honoribus & memori mente persolvunt? quæ potest esse jucunditas vitæ, sublatis amicitiis? quæ porro amicitia potest esse inter ingratos? quis est nostrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque Doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? cujus opes tantæ esse possunt, aut unquam fuerunt, quæ sine multorum amicorum officiis stare possint? quæ certè sublatâ memoriâ & gratiâ, nulla exstare possunt. Etenim nihil tam proprium hominis existimo, quàm non modo beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quæ cum ita sint, jam succumbam, Laterensis isti tuæ orationi, in eo ipso, in quo nihil potest

esse

esse nimium: & quoniam ita tu vis, nimium me gratum esse concedam: petamque à vobis, Judices, ut eum beneficio complectamini, quem qui reprehenderit, in eo reprehendit, quod gratum præter modum dicat esse. Neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixit; idem vos nec nocentes, nec litigiosos esse, quò minus me apud vos valere oporteret. Quasi verò in amicitia mea non hæc præsidia (si qua forte sunt in me) parata semper amicis esse maluerim, quam necessaria. Etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam voluptati pluribus, quàm præsidio fuisse: meque vehementer vitæ meæ pœniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini, nisi litigioso, aut nocenti.

4. Sed sunt hæc leviora: illa verò graviora, atque magna, quod meum discessum, quem sæpe defleras: nunc quasi reprehendere & subaccusare voluisti; dixisti enim, non auxilium mihi, sed me auxilio defuisse. Ego verò fateor me herculè, quòd viderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilia pepercisse. Quis enim status, quod discrimen, quæ fuerit in republ. tempestas illa, quis nescit? Tribunitius me terror, an consularis furor movit? decertare mihi ferro magnum fuit, cum reliquis eorum, quos ego florentes atq; integros sine ferro viceram? Consules post hominum memoriam teterrimi atq; turpissimi, sicut & illa principia, & hi recentes rerum exitus declararunt: quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit emptis provinciis: à Senatu, à Rep. à bonis omnibus defecerant: qui exercitibus, qui armis, qui opibus, plurimum poterant, cum, quid sentirent, nesciretur, furialis illa vox, nefariis stupris, religiosis altaribus effeminata, secum & illos, & Consules facere acerbissimè personabat: egentes in locupletes, perditi in bonos, servi in Dominos armabantur. Aderat mecum Senatus, & quidem veste mutata: quod pro me uno, post hominum memoriã, publico consilio susceptum est. Sed recordare, qui cũ fuerint Consulũ nomine hostes, qui soli in hac urbe Senatũ Senatui parere non siverint: edictoq; suo non luctum patrib. conscriptis, sed luctus judicia ademerint. Ademerat mecum cunctus equestor ordo: quem quidẽ in concionib. Saltator ille Catilinæ consul, proscriptionis

nis denunciatione terrebat: ac tota Italia convenerat; cui quidem belli intestini, & vastitatis metus inferebatur. Hisce ego auxiliis studentibus, atque incitatis, uti me, Laterensis, potuisse confiteor; sed erat non jure, non legibus, non disceptando decertandum (nam profectò, præsertim tam bona causa, nunquam, quo cæteri abundarunt, id mihi ipsi auxilium meum defuisset) armis, fuit armis, inquam, fuit dimicandum: quibus à servis, atque à servorum ducibus, cædem fieri Senatus & bonorum reipubl. exitiosum fuisset. Vinci autem improbos à bonis fateor fuisse præclarum, si finem eum vincendi viderem: quam profectò non videbam. Ubi enim præstò fuisset aut tam fortis Consul quam L. Opimius? quàm C. Marius, quàm L. Flaccus? quibus ducibus improbos cives resp. vicit armatis: aut, si minus fortes, attamen tam justi, quam P. Mucius qui arma, quæ privatus sumpsit P. Scipio, ea, F. Graccho interempto, jure optimo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum Consulibus. Nihil amplius dico, nisi illud, victoriæ nostræ graves adversarios paratos, interitus nullos autores esse videbam. Hisce ego auxiliis salutis meæ si iccirco defui, quia nolui dimicare: fatebor id quod vis, non mihi auxilium, sed me auxilio defuisse. Sin autem, quo majora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum, & parcendum putavi: tu id in me reprehendis, quod Qu. Metello laudi datum est, hodieque est & semper erit maximæ gloriæ? quem, ut potes ex multis audire, qui tum affuerunt, invictissimis viris, constat bonis cessisse; nec fuisse dubium, quin contentione & armis superior posset esse. Ergò ille cùm suum, non cùm Senatus factum defenderet; cum perseverantiam sententiæ suæ, non saltem reipubl. retinuisset: tamen ob illam constantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, justissimos omnium Metellorum & clarissimos triumphos gloriæ laude superavit, quòd & illos improbissimos cives interfici noluit, & ne quis bonus interiret in eadem cæde, providit. Ego tantis periculis propositis; cum, si victus essem, interitus reipublicæ; si vicissem, infinita dimicatio pararetur, committerem, ut idem perditor reipublicæ nominarer, qui servator fuissem?

5. Mor-

5. Mortem me timuisse dicis; ego verò ne immortalitatem quidem contra rempubl. accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reipubl. vellem. Nam qui pro republ. vitam reddiderunt (licet me decipere dicatis) nunquam me hercule eos mortem potius, quàm immortalitatem assecutos putavi. Ego verò si tum illorum impiorum ferro ac manu concedissem, in perpetuum resp. civile præsidium salutis suæ perdidisset. Quin etiam, si me vis aliqua morbi, aut natura ipsa consumpsisset: tamen auxilia posteritatis essent imminuta, quòd peremptum esset meâ morte id exemplum, qualis futurus in me retinendo fuisset Senatus, populusque Romanus. An si unquam in me vitæ cupiditas fuisset, ego mense Decembri mei consulatus, omnium parricidarum tela commôssem? quæ, si viginti quæsissem dies, in aliorum jugulum Consulum recidissent. Quamobrem si vitæ cupiditas contra remp. est turpis; certè multo mortis cupiditas mea turpior fuisset, cum pernicie civitatis.

6. Nam quod te in republ. liberum esse gloriatus es, id ego & fateor, & lætor; & tibi etiam in hoc gratulor. quòd me autem negâsti: in eo neque te, neque quemquam diutius patiar errare. Nam si quis idcirco aliquid de libertate mea diminutum putat, quod non ab omnibus eisdem, à quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam: primum si bene de me meritis gratum me præbeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumque grati. Sin autem, sine ullo reip. detrimento, respicio etiam aliquando salutem, tum meam, tum meorum: certè non modò non sum reprehendendus, sed etiam, si ruere vellem, boni viri me, ut ne id facerem, rogarent. Res verò ipsa publica si loqui posset, ageret mecum, ut quoniam sibi servissem semper, nunquam mihi: fructus autem ex sese, non ut oportuisset, lætos & uberes, sed magnâ acerbitate permixtos tulissem: ut mihi servirem, consulerem meis: se non modò satis habere à me, sed etiam vereri, ne parum mihi pro eo, quod tum à me haberet, reddidisset. Quod si horum ego nihil cogito? & idem sum in republica qui fui semper? tamenne tu libertatem requires meam? quam tu ponis in eo, si semper cum iis, quibuscum aliquando contendimus,

tendimus, depugnemus, quod est longè secus. Stare enim omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reip. qui quoniam versetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos ullius utilitas, salusque converterit. Ego autem C. Pompejum, non dico, auctorem, ducem, defensorem salutis meæ (nam hæc privatim fortasse officiorum memoriam & gratiam quærunt) sed dico hoc, quod ad salutem reip. pertinet; ego cum non tuear, quem omnes in rep. Principem esse concedunt? Ego C. Cæsaris laudibus desim, quas primum Pop. R. nunc etiam Senatus, cui me semper addixi, plurimis atque amplissimis judiciis videam esse celebratas? Tum me hercule me confitear, non judicium aliquod habuisse de reip. utilitate, sed hominibus amicum, aut inimicum fuisse. An cum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non ea eum petat portum, quem aliquando putavi: sed alium non minus tutum atq; tranquillum: cum tempestate pugnem periculosè potius, quàm illi, salute præsertim proposita, obtemperem, & paream? Neque enim inconstantis puto sententiam tanquam aliquod navigium, atq; cursum ex reip. tempestate moderari Ego verò didici, hæc vidi, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis & clarissimis viris, & in hac rep. & in aliis civitatibus monumenta nobis litteræ prodiderunt: non semper easdem sententias ab iisdem, sed, quascunque reip. status, inclinatio temporum, ratio concordiæ postularet, esse defendendas. Quod ego, & facio Laterensis, & semper faciam: libertatemque quam in me requiris, quam ego, neque dimisi unquam, neque dimittam, non in pertinaciâ, sed in quâdam moderatione positam putabo.

IMITATIO.

Cum in hoc loco diversa concurrant, difficile erit uni exemplo aptare omnia. Serviet, cum amicus amicum gratitudinis causa sese tueri asseret, quamvis contra amicum alterum; ut cum Ionathas pro Davide apud parentem pugnat, memor beneficiorum quæ Pater & regnum per Davidem Goliathi victorem acceperit &c. quamvis rudis David Pastor, neq; aliis aulicorum nobilium disciplinis excultus fuerit.

IV. Re-

IV.

Refutationis modestæ atque eruditæ exemplum, quo Consul Cicero Murænam de ambitu sequentis consulatus, à Serv. Sulpitio & M. Catone accusatum tuetur.

Pro Muræna. *Orat. 22. in princip.*

1. Murænam seque ipsum defendit Cicero adversus Catonem: quod is objiceret indignum esse Ciceronem Consulem, qui legem de ambitu hoc anno tulisset, reum Murænam tueri, ait enim; quòd meritò Consul consulem, eumque innocentem propugnet.

2. Sulpitio quærenti, quòd Cicero veteris erga se amicitiæ jura violaret, dum adversario competitori adsisteret, respondet se petenti consulatum Sulpitio adstitisse, tanquam amicum: periclitanti nunc de honore & urbe Murænæ, in æqua causa, id præstare, quòd nec inimico negare jure possit.

3. Causam Murænæ aggreditur, illique objecta diluit: ut quòd ille Asiam luxuriæ gratia expetierit, Cicerone tam frivolam Catonis objectionem eludente, cùm in armis illic victoriosè perenunti adhæserit: & saltasse gratis fingatur, quem ebrium fuisse ne quidam constet.

4. Fori, jurisque ignorantiam cum Sulpitius Murænæ objecisset, Cicero plus in armis, quàm juris cognitione subsidii esse reip. declarat.

Primum M. Catoni vitam ad certam rationis normam dirigenti & diligentissimè perpedenti momenta officiorum omnium, de officio meo respondebo. Negat fuisse rectum Cato, me & consulem, & legis ambitus latorem, & tam severè gesto consulatu, causam L. Murænæ attingere, hujus reprehensio me vehementer movet, non solum ut vobis, Judices, quibus maximè debeo, verùm etiam ut ipsi Catoni, gravissimo atque integerrimo

viro

viro rationem facti mei probem. A quo tandem M. Cato est æquius consulem defendi, quàm a consule? Quis mihi in republ. potest, aut debet esse conjunctior, quàm is cui resp. à me unà traditur sustinenda magnis laboribus & periculis sustentata. Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipii sunt, is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit, profectò etiam rectius in judicio consulis designati, is potissimum Consul, qui consulem declaravi, auctor beneficii populi Romani defensorque periculi esse debebit. Ac si, ut nonnullis in civitatibus fieri solet patronus huic causæ publicæ constitueretur, is potissimè honore affecto defensor daretur, qui eodem honore præditus, non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quàm facultatis. Quod si à portu solventibus iis qui jam in portum ex alto invehuntur præcipere summo studio solent, & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum; quod natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tandem me animo esse oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem in hunc, cui video maximas reipubl. tempestates esse subeundas? Quare si est boni Consulis non solum videre quid agatur, verum etiam providere quid futurum sit, ostendam alio loco, quantum salutis communis interfit, duos consules in republ. Calendis Januar. esse. Quod si ita est, non tam me officium debuit, ad hominis amici fortunas, quam resp. Consulem, ad communem salutem defendendam, vocare. Nam quod legem de ambitu tuli; certè ita tuli, ut eam quam mihimetipsi jam pridem tulerim, de civium periculis defendendis, non abrogarem. Etenim si largitionem factam esse confiterer, idque factum esse defenderem, facerem improbè, etiamsi alius legem tulisset: cum verò nihil commissum contra legem esse defendam, quid est, quod meam defensionem ratio legis impediat? Negat esse ejusdem severitatis, Catilinam exitium reipubl. intra mœnia molientem, verbis & penè Imperio, urbe expulisse, & nunc pro L. Muræna dicere. Ego autem has partes lenitatis & misericordiæ, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter; illam verò gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab republ. mihi impo-

impositam sustinui, sicut hujus Imperii dignitas, in summo periculo civium, postulabat. Quod si tum, cum resp. vim ad severitatem desiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quam volebam; nunc cùm omnes causæ ad misericordiam, atque ad humanitatem vocent; quanto tandem studio debeo naturæ meæ consuetudinique servire? Ac de officio defensionis meæ, & de ratione accusationis tuæ fortasse etiam, alia in parte orationis dicendum nobis erit.

Sed me, judices, non minus hominis sapientissimi atq; ornatissimi Ser. Sulpitii conquestio, quàm Catonis accusatio commovebat, qui gravissimè se ferre dixit, me familiaritatis necessitudinisque oblitum causam L. Murænæ contra se defendere. Huic ego Judices satisfacere cupio, vosque adhibere arbitros. Nam cùm grave & verè accusari in amicitia, tum etiam si falsò accusaveris non est negligendum. Ego Servi Sulpiti, me, in petitione tua, tibi omnia officia atque studia, pro nostra necessitudine, & debuisse confiteor, & præstitisse arbitror. Nihil tibi consulatum petenti à me defuit, quod esset aut à gratioso, aut à Consule postulandum. Abiit illud tempus, mutata ratio est. Sic existimo, sic mihi persuadeo, me tibi contra honorem L. Murænæ quantum tu à me postulare ausus sis, tantum dedisse, contra salutem nihil debere. Neque enim, si tibi tum, cum peteres consulatum, affui, idcirco nunc, cum Murænam ipsum petas, adjutor eodem pacto esse debeo. Atque hoc non modo non laudari, sed ne concedi quidem potest, ut amicis nostris accusantibus non etiam alienissimos defendamus. Mihi autem, cum Muræna, Judices, & vetus, & magna amicitia est, quæ in capitis dimicatione à Servio Sulpitio non idcirco obruetur, quòd ab eodem in honoris contentione superata est. Quæ si causa non esset, tamen vel dignitas, vel honoris ejus, quem adeptus est, amplitudo; summam mihi superbiæ crudelitatisque famam inussisset, si hominis, & suis, & Populi Romani ornamentis amplissimi, causam tanti periculi repudiassem. Neque enim jam mihi licet, neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam. Nam cum præmia mihi tanta, pro hac industria, sint data,

quanta antea nemini: labores per quos ea cœperis, cum adeptus sis, deponere, esset hominis & astuti, & ingrati. Quod si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertiæ, nulla superbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur, ego verò libenter desino: sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam; amicorum neglectio improbitatem coarguit, nimirum hæc causa est ejusmodi, quam nec industrius, nec misericors, nec officiosus deserere possit. Atque hujusce rei conjecturam de tuo ipsius studio, Servi, facillimè cœperis. Nam si tibi necesse putas etiam adversariis amicorum tuorum de jure consulentibus respondere: si turpe existimas, te advocato illum ipsum, quem aliquando contra veneris, causa cadere? noli tam esse injustus; ut cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere. Etenim si me tua familiaritas ab hac causa removisset, & si hoc idem, Q. Hortensio, M. Crasso clarissimis viris, si item cæteris, à quibus intelligo tuam gratiam magni æstimari, accidisset, in ea civitate Consul designatus defensorem non haberet, in qua nemini unquam infimo majores nostri patronum deesse voluerunt. Ego verò, Judices, ipse me existimarem nefarium si amico, crudelem si misero, superbum si Consuli defuissem. Quare quod dandum est amicitiæ, largè dabitur à me, ut tecum agam, Servi, non secus ac si meus esses frater, qui mihi est charissimus; isto in loco, quod tribuendum est officio, fidei, religioni ad ita moderabor, ut meminerim me contra amici studium, pro amici periculo dicere.

Intelligo, Judices, tres totius accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Harum trium prima illa, quæ gravissima esse debebat, ita fuit infirma, & levis, ut illos lex magis quædam accusatoria, quàm vera maledicendi facultas, de vita L. Murenæ, dicere aliquid coëgerit. Objecta est enim Asia, quæ ab hoc non ad voluptatem & luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata. Qui si adolescens, patre suo Imperatore, non meruisset, aut hostem, aut

aut Patris Imperium timuisse, aut à parente repudiatus videretur. An, cùm sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis, penè simul cum Patre triumpharet? Hic verò Judices, & fuit in Asia, & viro fortissimo parenti suo magno adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Etsi habeat Asia suspicionem luxuriæ quandam; non Asiam nunquam vidisse, sed in Asia continenter vixisse, laudandum est. Quamobrem non Asiæ nomen objiciendum Murænæ fuit, ex qua laus familiæ, memoria generi, honos & gloria nomini constituta est? sed aliquod, aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. Meruisse verò stipendia, in eo bello, quod tum Pop. R. non modò maximum; sed etiam solum gerebat, virtutis; Patre Imperatore libentissimè meruisse, pietatis: finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fuisse, felicitatis fuit. Maledicto quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit. Saltatorem appellat L Murænam Cato: Maledictum est, si verè objicitur, vehementis accusatoris; sin falsò, maledici conviciatoris. Quare, cum ista sis authoritate, non debes M. Cato arripere maledictum ex trivio, aut scurrarum aliquo convitio, neq; temere consulem Pop. R. Saltatorem vocare; sed conspicere, quibus præterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui verè istud objici potest. Nemo n. ferè saltat sobrius, nisi fortè insanit; neque in solitudine, neq; in convivio moderato, atq; honesto: intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum, relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino esse non potest. Nullum turpe convivium, non amor, non commessatio, non libido, non sumptus ostenditur, & cum ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitiosa sunt, in quo ipsam luxuriam, reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas? Reliqui temporis spatium in contentionem vocatur ab utroque dissimillima ratione tractatum! Servius hic nobiscum hanc urbanam

militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis ac stomachi secutus est: jus civile didicit, multum vigilavit, laboravit. Præsto multis fuit, multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exsorbuit, vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum. Magna laus & grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quæ sit multis profutura. Quid Muræna interea? fortissimo ac sapientissimo viro, summo Imperatori legatus Lucio Lucullo fuit, quâ in legione duxit exercitum, signa contulit, manum conservit, magnas copias hostium fudit, urbes partim vi, partim obsidione cœpit, Asiam istam refertam, & eandem delicatam, sic obiit; ut in ea neque avaritiæ, neque luxuriæ vestigium reliquerit. Maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res, & magnas, sine Imperatore gesserit, nullam sine hoc Imperator. Atque hæc quanquam præsente L. Lucullo loquar, tamen ne ab ipso, propter periculum nostrum, concessam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis testata sunt omnia, quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitiosus Imperator, neque invidus tribuere, in communicanda alteri gloria, debuit. Summa in utroque est honestas, summa dignitas, quam ego, si mihi per Servium liceat, pari, atque eadem in laude, ponam. Sed non licet: exagitat rem militarem, insectatur: totam hanc legationem assiduitatis & operarum harum quotidianarum, putat esse consulatum Apud exercitum, inquit, mihi fueris tot annis? forum non attigeris? abfueris tamdiu? & cum longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt, dignitate contendas? Primum ista nostra assiduitas, Servi, nescis quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. Mihi quidem vehementer expedit, positam in oculis esse gratiam; sed tamen ego mei satietatem magno cum labore superavi; & tu idem fortasse, veruntamen nostrum utrique desiderium nihil obfuisset. Sed, ut hoc omisso, ad studiorum, atque artium contentionem revertamur. Qui poterit dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multò plus adferat dignitas rei militaris, quàm juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut eò quò intendit,

tendit,

tendit, maturè cum exercitu perveniat; te Gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitát; tu actionem instituis; ille aciem instruxit; tu caves, ne tui consultores; ille ne urbes, & castra capiantur. Ille tenet & scit, ut hostium copiæ; tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus in propagandis finibus; tu in regendis. Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus præstat cæteris omnibus. Hæc populo Romano nomen, hæc huic urbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parere huic Imperio coëgit? omnes res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus & industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt. Et quoniam mihi videris istam scientiam juris, tanquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari; ut istud, nescio quid, quod tantopere didicisti, præclarum esse aliquid arbitrere. Aliis ego te virtutibus continentiæ, gravitatis, justitiæ, fidei, cæteris omnibus, consulari, & omni honore semper dignissimum judicavi. Quod quidem jus civile didicisti: non dictam operam perdidisti, sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam. Omnes enim artes, quæ nobis populi R. studia conciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam utilitatem debent habere. Summa dignitas est in iis, qui militari laude antecellunt. Omnia enim quæ sunt in Imperio, & in statu civitatis ab iis defendi & firmari putantur summa etiam utilitas: siquidem eorum consilio & periculo, cum Republ. tum etiam nostris rebus, perfrui possumus.

IMITATIO.

In defensione Athanasii Episcopi Alexandrini, aut D. Chrysostomi, aliorumve, falsò de arrogantia, ambitione aliisque sceleribus accusatorum hujus loci imitatio serviet.

Appendix & Observatio.

Si quis his, quæ de Confutatione tradidimus, plura apud

apud Ciceronem desideret, intelliget ex artificio Orationum à nobis præmisso, quibus ex locis ea postulanda sint: cum quandoque defensionem totam Cicero ex adversariorum Confutatione adornaverit, quæ Confirmationis vice fuit. Satis enim erat Reum suis purgatum sceleribus abire judicio.

Cæterum si Refutationes per strictas interrogationes vibratas libeat videre, consule illam pro Quinctio n. 36. & seq. Et in testem Vatinium. Alia ad testium fidem infringendam pro Flacco extat. Si tales quibus in Adversarium argumenta detorqueat, pro Aruspicum responsis, adversus Clodium à se deflexis, legantur, & pro Ligario, ubi objecti huic criminis Tuberonem ipsum reum facit.

In Declamationibus hic eadem ratio, formaque quam supra ostendimus, teneri poterit, nisi quod intervallis ultro citroque differendi, brevioribus aliquando finiri possit inter contradicentes oratio, ut in Dialogis assolet. Est enim singularis quædam orationis vis, quâ intortam accusationem strictim retorquet adversarius, & sententiam oppositâ sententiâ, rationem ratione, par pari, testimonium testimonio eliditur, ac velut in arena cum singulis singula dimicant, quod Seneca in Tragœdiis egregiè quandoque præstitit, suisque etiam in Dialogis Cicero. Utrùm hic modus in oratione diu minimè erit producendus, ne Orator in Dialogistam transformatus, sui instituti legibus habeat. Poterit tamen ipse adversarii simul personam per subjectiones, prolepses, objectionesque alias sustinendo, ita nonnunquam confutationem exacuere.

CAPUT XXIII.

De peroratione ejusque vi ac varietate exemplis proposita.

AD perorationem & quæ illam comitantur, ut sunt amplificatio & affectus, seu motus animorum, tanquam ultimum Palæstræ nostræ actum venimus. Ex hoc victoria & æstimatio Oratoris præcipua sumitur. Qui

hic

hic ignarus, ignavusque succumbit, bravio excidit, gloriam eloquentiæ amisit. Meta ad quam tenditur motus est, persuasioque audientium. Via quâ pervenitur, enumeratio nervosa rationum præcipuarum, tum quarundam ex his per illustres non raró figuras, amplificatio est. De præceptis huc spectantibus disseruimus lib.1. cap. 21. 22. & 23. Hæc autem pro re nata, & mutuum, quos spectabis diversitate adhibenda est Cicero in plerisque perorationibus ad reorum defensionem spectantibus ad misericordiam inflexit, tanta vi ac facultate dicendi, ut cum plures de eadem causa dissererent, Ciceroni omnes partem ultimam; in qua victoriæ spes sita erat, deferrent. Quare omnes Tullianæ perorationes illustres sunt, & elaboratæ, ex quibus unam alteramque singulari contentione vibratam, hic adducimus, atque in cæteris ad ipsum remittimus Tullium.

Exemplum 1. Perorationis.

Fontejum ob Galliæ præturam malè ut Pletorius arguebat administratam, ideoque repetundarum postulatum Cicero hac peroratione tuetur, qua 1. *Innoxium esse declarat.* 2. *Matris ac sororis intercessione.* 3. *Et ipsius Fontei calamitate commemorata, judices ad miserationem inflectit, per* Apostrophas *ad judices & reum institutas.*

1. M. Fontejus ita duabus actionibus accusatus est, ut objectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. Non modo nullum facinus hujus protulerunt; sed ne dictum quidem reprehenderunt. Quod si, aut quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent, aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenii; non meliore fortuna ad probra nunc audienda Fontejus, quam illi de quibus antea commemoravi, fuisset.

Frugi igitur hominem, judices, frugi inquam, & in omnibus vitæ partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis, videtis positum in vestra fide ac potestate: atque ita, ut

commissus sit fidei, permissus potestati. Videte igitur, utrum sit æquius, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum dedi inimicissimis, atque immanissimis nationibus, an reddi amicis: præsertim cum tot res sint, quæ vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent: primum generis antiquitas, quam Tusculo ex clarissimo municipio profectam videmus; tum autem continuæ præturæ, quæ & cæteris ornamentis, & existimatione innocentiæ maximè floruerunt; deinde recens memoria parentis, cujus sanguinem non solum Asculanorum manus, à qua interfectus est, sed totum illud sociale bellum macula sceleris imbutum est.

2. Num etiam de matris hanc complexu lectissimæ miserrimæque fœminæ, vobis inspectantibus avellet atq; abstrahet? præsertim cum virgo vestalis ex altera parte Germanum complexa teneat, vestramque judices ac populi Romani fidem imploret; quæ pro vobis liberisque vestris tot annis in Diis immortalibus placandis occupata est, ut ea nunc pro salute sua, fratrisque sui animos vestros placare possit: cui miseræ quod præsidium, quod solatium reliquum est, hoc amisso? nam cæteri fœminæ gignere ipsæ sibi præsidia & habere domi fortunarum omnium socium participemque possunt: huic verò virgini, quid est præter fratrem, quod aut jucundum, aut carum esse possit? nolite pati judices, aras deorum immortalium, Vestæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoveri. Prospicite, ne ignis ille æternus, nocturnis Fontejæ laboribus vigiliisque servatus, sacerdotis Vestæ lachrymis extinctus esse dicatur. Tendit ad vos Virgo Vestalis manus supplices easdem, quas pro vobis Diis immortalibus extendere consuevit. Cavete ne periculosum, superbumque sit ejus vos obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, hæc salva esse non possent.

3. Videtisne subitò, judices, virum fortissimum M. Fontejum parentis & sororis commemoratione lachrymas profudisse? qui nunquam in acie pertimuerit, qui se armatus in hostium manus immiserit, cum in ejusmodi periculis eadem se solatia suis relinquere arbitraretur, quæ

suus

ſuus pater ſibi reliquiſſet : idem nunc perturbato animo pertimeſcit, ne non modò ornamento, & adjumento non ſit ſuis, ſed etiam cum acerbiſſimo luctu dedecus æternum miſeris, atque ignominiam relinquat. O fortunam longè diſparem, M. Fontei, ſi diligere potuiſſes, ut potius telis tibi Gallorum, quàm perjuriis intereundem eſſet: tum enim vitæ ſocia virtus, mortis comes gloria fuiſſet : nunc verò qui eſt dolor? victoriæ tentque Imperii pœnas ad eorum arbitrium ſufferre, qui aut victi armis ſunt, aut invitiſſimi paruerunt? à quo periculo defendite Judices civem fortem, atque innocentem : curate, ut noſtris teſtibus plus, quàm alienigenis credidiſſe videamini, plus ſaluti civium, quàm hoſtium libidini conſuluiſſe, graviorem duxiſſe ejus obſervationem, quæ veſtris ſacris præſit, quàm, eorum audaciam, qui cum omnium ſacris delubriſque bella geſſerunt. Poſtremò proſpicite, Judices, id quod ad dignitatem populi Romani maximè pertinet, ut plus apud vos preces virginis veſtalis, quàm minæ Gallorum, valuiſſe videantur.

II.

Ex adjunctis *facti miſericordis ad lachrymas & commiſerationem ſe omneſque cæteros mirificavi Cicero commovet,* per Exclamationes & Apoſtrophes.

Pro Cn. Plancio. Orat.32. in fine.

Cn. Plancium accuſatum in ædilitatis petitione de ambitu Cicero quæſtorem in Macedonia omni ſe humanitate exulantem ſuſcepiſſe memorat, atque ex hac illius pietate miſerationem concitat.

Dyrrachium cum veniſſem, cognovi, id quod audieram, refertam eſſe Græciam ſceleratiſſimorum hominum ac nefariorum, quorum impium ferrum, igneſque peſtiferos meus ille conſulatus è manibus extorſerat : qui antequam de meo adventu audire potuiſſent, cùm tum abeſ-

ſent, aliquorum dierum viam in Macedoniam, ad Plancium que perrexi. Hic verò ſimul atque me mare tranſiſſe cognovit: audi atque attende Laterenſis, ut ſcias, quid ego Plancio debeam: confiteare aliquando, quod faciam, me & gratè, & piè facere; huic, quæ pro ſalute mea fecerit, ſi minus (profutura ſint, obeſſe certè non oportere:) nam ſimul ac me Dyrrachium attigiſſe audivit, ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abjectis, veſte mutatâ profectus eſt, ô acerbam mihi, Judices, memoriam temporis, illjus, & loci, cùm hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lachrymis, nec loqui præ mœrore potuit. O rem cùm auditu crudelem, tum viſu nefariam? ô reliquos omnes dies, noctesque eas, quibus iſte à me non recedent Theſſalonicam me, in quæſtoriùmque perduxit. Hic ego nunc de Prætore Macedoniæ nihil dicam amplius, niſi eum & civem optimum ſemper, & mihi amicum fuiſſe, ſed eadem timuiſſe, quæ cæteros: Cn. Plancium fuiſſe unum, non qui minus timeret: ſed, ſi accederent ea, quæ timerentur, mecum ea ſubire, & perpeti vellet, qui cum ad me L. Tubero, meus neceſſarius, qui fratri meo legatus fuiſſet, decedens ex Aſia veniſſet, eaſque inſidias, quas mihi paratas ab exulibus conjuratis audierat, animo amiciſſimo detuliſſet: in Aſiam me ire propter illius Provinciæ metum, & cum meo fratre neceſſitudinem comparatam non eſt paſſus. Vi me, inquam, Plancius, & complexu ſuo retinuit, multoſque menſes à capite meo non diſceſſit, abjectâ quæſtoriâ perſonâ, comitiſque ſumptâ. O excubias tuas, Cn. Planci miſerias, ô flebiles vigilias, ô noctes acerbas, ô cuſtodiam etiam mei capitis infelicem, ſiquidem ego tibi vivus non proſum, qui fortaſſe mortuus profuiſſem. Memini enim, memini, neque unquam oblivifcar noctis illius, cum tibi vigilanti, aſſidenti, mœrenti vana quædam miſer, atque inania, falſa ſpe inductus, pollicebar: me ſi eſſem in patriam reſtitutus, præſentem tibi gratiam relaturum: ſin autem vitam mihi ſors ademiſſet, aut vis aliqua major reditum peremiſſet, hos, (quos enim ego jam alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum præmia pro me perſoluturos, quid me aſpectas? quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem

dem imploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, sed horum erga me benevolentiam promittebam, hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vitæ periculo velle videbam: de horum desiderio, luctu, quærelis quotidie aliquid tecum simul audiebam: nunc timeo, ne nihil tibi præter lachrymas queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti: quid enim possum aliud, nisi mœrere? nisi flere? nisi te cum mea salute complecti? Salutem tibi iidem dare possunt, qui mihi reddiderunt. Huc exurgere tamen quæso: retinebo & complectar, nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum; sed comitem sociumq; profitebor: atque ut spero, nemo erit tam crudeli animo, tamq; inhumano, nec tam immemor meorum, non dicam in bonos meritorum, sed bonorum in me, qui à me mei servatorem capitis divellat ac distrahat. Non ego meis ornatum beneficiis à vobis deprecor, Judices, sed custodem salutis meæ: non opibus contendo, non auctoritate, non gratiâ, sed precibus, sed lacrymis, sed misericordiâ: mecumq; vos simul miserrimus & optimus obtestatur parens, & pro uno filio duo patres deprecamur. Nolite, judices, per vos, per fortunas vestras, & per liberos, inimicis meis, iis præsertim, quos ego pro vestra salute suscepi, dare lætitiam gloriantibus, vos jam oblitos mei salutiq; ejus, à quo mea salus conservata est, hostes extitisse: nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatæ vestræ voluntatis erga me: sinite me, quod vobis fretus huic sæpe promisi, id à vobis ei persolvere. Teq; C. Flavi oro, & obtestor, qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum, quas gessi, adjutor fuisti, meque non modò salvum semper, sed etiam ornatum, florentemq; voluisti: ut mihi per hos conserves eum, per quem me tibi, & his conservatum vides. Plura nè dicam, tuæ me etiam lachrymæ impediunt, vestræq;, Judices, non solum meæ: quibus ego magno in metu meo subitò inducor in spem, vos eosdem in hoc conservando futuros, qui fueritis in me: quoniam istis vestris lachrymis, de illis recordor, quas pro me sæpe, & multum profudistis.

IMI-

IMITATIO.

Has Perorationes facilè pro reis seu nocentibus seu innocentibus traduces. Vt pro Cicerone ipso contra Antonium apud Romanos disseratur, respublica ab ipso servata intercedat, filius obtestetur, &c.

Appendix & Observatio.

Ex multis pauca, sed planè illustria habes conclusionum exempla. Si tamen per hæc magis lubeat evagari.

Rationes Cicero te *enumerare* docebit pro Archia, ubi breviter causas, ob quas in urbe retinendus sit, enumerat. Rursus pro M. Cælio ejus vitam studiaque in rempubl. repetit.

Amplificat pro Quinctio per comparationem & incrementum. Pro Aul. Cluentio materni sceleris exaggeratione, illi misericordiam, huic invidiam conciliat. Rara etiam amplificatione, pro Milone, ipsius Milonis magno animo patriæ valedicentis personam inducit, ac deinde ipse interponit sese, precesque suas, cum lachrymis Cicero. ideoque hic potenter quoque ad miserationem inflectit.

Ad misericordiam disponit, & deprecatur. Pro Muræna, pristinâ ipsius fortunâ cum præsenti comparatâ, intercessione deinde Matris & liberorum. Pro Flacco obtestatio Ciceronis & filii parvi introductio potens est. Pro Cælio Pater senex, etiam misericordiam implorat. Pro Syllâ ab invidia in adversarios ob immansuetudinem concitata, ad misericordiam Judicum impetrandam, summa vi & lachrymis admistis, convertitur. Quandoque & prosopopæjam feliciter adhibet; ut in 3. Agraria contra Rullum, & pro Roscio Amerino, apostrophe, sibi in perorationibus familiari, adjuncta. Quæ ubi semel observaveris, pro Conclusionibus tibi neque varietas, neque vis dicendi est defutura.

CAPUT XXIV.

De Amplificatione, ejusque diversitate, & ornamentis per exempla demonstratis.

AMplificationem quibusdam exemplis seorsum illustrare, verum parcius lubet, quòd multis jam in Confirmatione, atque etiam quibusdam in Narratione, illic ubi sceleratos homines perstrinxit, hoc præstitum à Cicerone egregiè fuerit, quæ si ad leges à nobis de Amplificationis traditione libro 1. cap. 22. expenderis, facile, deprehendes.

Hoc tamen de Amplificatione observes velim: modò illam latiori minusque Oratoribus hoc loco usitata significatione usurpari. Cum videlicet amplificari rem, aut argumentum aliquod dicimus, quod aliis aliisque inventionis fontibus locupletatur. Ut e. g. in Chria fit, cum eadem ratio à contrario, simili, exemplisque diducitur, aut factum aliquid suis adjunctis copiosè exponitur, modò sensu magis stricto, pro rei alicujus brevi, sed dilucida per singulas partes, vel causas, vel effectus, vel adjuncta expositione, quâ res sua magnitudine, tanquam in tabella & imagine, oculis animisque, ad motum aliquem affectumque exprimendum, subjiciatur. Prior igitur amplificatio, & quævis orationis dilatatio, sive ad docendum, sive ad delectandum, aut movendum fusè instituta: hæc est brevis quædam multorum comprehensio, quæ sua claritate, magnitudine, ac vi collecta uno impetu oppugnet, expugnetque audientis animum.

Hanc diximus congerie, incremento, comparatione, ac ratiocinatione, tanquam quatuor inventionis, seu argumentationis locis gaudere. Deinde illustrioribus delectari figuris, ut hypotyposi, ethopœja, prosopopœja, aliisque, de quibus actum de elocutione lib. 1. cap. 30 Age in tribus exemplis amplificationis dignitatem ac virtutem contemplemur.

Exem-

Exemplum I.

Amplificatio per congeriem & incrementum ethopœjis & hypotyposibus *illustrata, quâ mores perditorum hominum graphicè adumbrantur.*

Cicero post reditum in Senatu. Orat. 28.

1. *Vniversè Aul. Gabinium & L. Pisonem Coss. sui exilii adjutores describit, deinde Gabinii impuros mores ejusque sociorum Clodii tribpl. & Cesonis mirificè depingit.*

2. *L. Pisonem reprehendit, quod impuro illi Gabinio, in se suisque magna inhumanitate repellendis, & opprimendis, adhaeserit.*

1. Fuerunt duo Consules, quorum mentes angustæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti Imperii nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules, sed mercatores provinciarum, ac venditores vestræ dignitatis. Quorum alter, à me Catilinam amatorem suum, multis audientibus, alter Cethegum consobrinum suum reposcebat: qui me, duo sceleratissimi post hominum memoriam non consules, sed latrones, non modò deseruerunt, in causa præsertim publica, & consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio, non solum suo, sed etiam vestro, cæterorumque ordinum spoliatum esse voluerunt. Quorum alter tamen, neque me, neque quenquam fefellit. Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo, cujus primum tempus ætatis palàm fuisset ad omnes libidines divulgatum? qui cum suam rem non minus strenuè, quàm postea publicam confecisset, egestatem, & luxuriam domestico lenocinio sustentavit? qui nisi in aram tribunatus confugisset, neque vim prætoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum præscriptionem effugere potuisset? Quo in Magistratu, nisi rogationem de piratico bello tulisset, profectò & egestate,

ſtate, & improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet, ac minore quidem cum reipubl. detrimento, quàm quòd intra mœnia nefarius hoſtis prædoque verſatus eſt, quo inſpectante ac ſedente, legem tribunus pleb. tulit, ne auſpiciis obtemperatur, ne obnunciare concilio, aut comitiis, ne legi intercedere liceret, ut lex Ælia, & Fuſia, ne valerent: quæ noſtri majores certiſſima ſubſidia reipubl. contra tribunitios furores eſſe voluerunt. Idemque pòſtea, cùm innumerabilis multitudo bonorum de capitolio ſupplex ad eum ſordidata veniſſet; cumque adoleſcentes nobiliſſimi, cunctique equites Rom. ſe ad lenonis impuriſſimi pedes abjeciſſent: quo vultu cincinnatus ganeo, non ſolum civium lachrymas, verum etiam patriæ preces repudiavit? neque eo contentus fuit, ſed etiam in concionem aſcendit, eaque dixit, quæ, ſi ejus vir Catilina revixiſſet, dicere non eſſet auſus: ſe Nonarum Dec. quæ me conſule fuiſſent, clivique Capitolini pœnas ab equitibus Romanis eſſe repetiturum. Neque ſolum id dixit, ſed quos ei commodum fuit, compellavit: L. verò Lamiam equitem Rom. præſtanti dignitate hominem, & ſaluti meæ pro familiaritate reipublicæ pro fortunis ſuis amiciſſimum conſul Imperioſus exire urbe juſſit, & cùm vos veſtem mutandam cenſuiſſetis, cunctique mutaſſetis, atque idem omnes boni jam ante feciſſent, ille unguentis oblitus cum toga prætexta, quam omnes prætores, ædileſque tum abjecerant, irriſit ſqualorem veſtrum & luctum graviſſimæ civitatis: fecitque, quod nemo unquam tyrannus: ut, quò minus occultè veſtrum malum gemeritis, nihil diceret; ne apertè incommoda patriæ lugereris, ediceret. Cùm verò in circo Flaminio non à tribuno pleb. conſul in concionem, ſed à latrone, archipyrata adductus eſſet: primum proceſſit, quâ auctoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti comâ, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis: preſsâ voce, & temulenta: quod in cives indemnatos eſſet animadverſum, id ſibi dixit, gravis auctor vehementiſſimè diſplicere. Ubi nobis hæc auctoritas tamdiu tanta latuit? cur in luſtris, & helluationibus hujus calamiſtrati ſaltatoris, tam eximia virtus tamdiu ceſſavit? Nam ille alter Ceſonius Calventius

tius ab adolescentiâ versatus est in foro, cum eum præter simulatam versutamque tristitiam, nulla res commendaret, non consulis studium, non dicendi initia rei militaris, non cognoscendorum hominum, non liberalitas, quam præteriens cùm incultum, horridum, mœstumque vidisses, etiamsi agrestem, & inhumanum existimares; tamen libidinosum, & perditum non dubitares. Cum hoc homine, aut cum stipite Æthiope, si in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege venalium diceres, idem domi, quam libidinosus, quàm impurus, quàm intemperans? Cum verò etiam literis studere incipit, & helluo immanis cum Græculis philosophari: tum est Epicureus; non penitus illi disciplinæ, quæcunque est, deditus, sed captus uno verbo voluptatis. Habet autem magistros; non ex istis ineptis, qui dies totos de officio, ac de virtute disserunt, qui ad laborem, ad industriam, ad pericula pro patria subeunda adhortantur: sed eos, qui disputant horam nullam vacuam voluptate esse debere: in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemque versare. His utitur quasi præfectis libidinum suarum: hi voluptates omnes vestigant, atque odorantur: hi sunt conditores, instructoresque convivii: iidem expendunt, atque existimant voluptates, sententiamque dicunt, & judicant, quantum cuique libidini tribuendum esse videatur: horum ille artibus eruditus, ita contempsit hanc prudentissimam civitatem, ut omnes suas libidines, omnia flagitia latere posse arbitraretur, si modò vultum oportunum in forum tulisset. Is non me (quamquam equidem non cognôram eum propter Pisonum affinitatem; quem longè hinc ab hoc genere cognatio materna transalpini sanguinis abstulisset:) sed vos populumque Romanum non consilio, neque eloquentiâ, quod in multis sæpe accidit, sed rugis, supercilioque decepit.

2. Piso tunc ausus es isto oculo, non dicam isto animo, ista fronte, non vitâ: tanto supercilio (non enim possum dicere tantis rebus gestis) cum Gabinio consociare, consilia pestis meæ? Non te illius unguentorum odor, non

non vini anhelitus, non frons calamiſtri notata veſtigiis in eam cogitationem adducebat, ut, cum illius re ſimilis fuiſſes, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutius uti non liceret? cum hoc coire auſus es, ut cives optimè meriti fortunas provinciarum fœdere addiceres? te Conſule, tuis edictis, & Imperiis Senatui populoque Romano non eſt licitum non modo ſententiis, atque auctoritate ſuâ, ſed ne luctu quidem, ac veſtitu reipublicæ ſubvenire. Capuæne te putabas, in qua urbe domicilium quondam ſuperbiæ fuit, conſulem eſſe ſicut erat eo tempore: an Romæ, in quâ civitate omnes ante conſules Senatui paruerunt? Tu es auſus in circo Flaminio productus cum tuo illo pari dicere, te ſemper miſericordem fuiſſe? Quo verbo Senatum atque omnes bonos tum, cùm à patria peſtem expellerent, crudeles demonſtrabas fuiſſe. Tu miſericors me affinem tuum, quem comitiis prærogativæ primum cuſtodem præfeceras, quem Kalend. Jan. tertio loco ſententiam rogatas, conſtrictum inimicis reipubl. tradidiſti: tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam, ſuperbiſſimis & crudeliſſimis verbis à genibus tuis repuliſti: idemque tu clementiâ ac miſericordiâ ſingulari, cum ego unà cum republ. non tribunitio, ſed conſulari ictu concidiſſem, tanto ſcelere, tantâque intemperantiâ fuiſti, ut ne unam quidem horam intereſſe paterere, inter meam peſtem & tuam prædam, ſaltem dum conticeſceret illa lamentatio, & gemitus urbis. Nondum palàm factum erat concidiſſe Rempubl. cùm tibi arbitria funeris ſolvebantur: uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat: bona ad vicinum conſulem de Palatio, de Tuſculano ad item vicinum alterum conſulem deferebantur: cum iiſdem operis ſuffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modò à bonis, ſed etiam à liberis, utque inani foro, ignaro populo Romano quid ageretur, Senatu verò oppreſſo & afflicto, duobus impiis, nefariiſque conſulibus, ærarium provinciæ, legiones, Imperia donabantur.

II.

Amplificatio per congeriem, comparationem *&* ratiocinationem *hypotyposibus ornata qua res gestas perditorum describit* Consulum Pisonis *& Gabinii, sub quibus Cicero, per Clodium exagitatus, urbe excedere coactus est.*

Vol. 3. orat. 6. in Pisonem.

1. *Personam Pisonis ex moribus factisque egregiè describit.*
2. *Per* comparationem *parium factorum Catilinæ & tyrannorum Pisonis & Gabinii scelera describit.*
3. *Pisonis improbitatem & honestam fugam suam per metaphoras illustrat.*
4. *Consules nefarios moribus prorsus suis, hoc est, ebrios, violentos, molles exhibet.*
5. *Pari* descriptione *pergit per* opposita *consulari officio facinora ejusdem adumbrare.*

Quod minimum specimen in te ingenii, Piso? ingenii autem? imò ingenui hominis & liberi? qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen. Jamne vides, bellua, jamne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? nemo quæritur, Syrum, nescio quem, de grege novitiorum factum esse consulem: non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in errorem homines impulit: hic eos quibus erat ignotus decepit, fefellit, in fraudem induxit, pauci ista tua lutulenta vitia noveramus, pauci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ, nunquam erat audita vox in foro: nunquam periculum factum consilii, nullum non modo illustre, sed ne notum quidem factum, aut militiæ, aut domi. Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumo-

ſarum imaginũ,quarum ſimile nihil habes, præter colorẽ.

Fundamentis itaque poſitis conſulatus tui, triduo poſt inſpectante ac tacente &, à P. Clodio fatali portento prodigioque reipubl. lex Ælia & Fuſia everſa eſt, propugnacula murique tranquillitatis atque ocii, collegia non ea ſolum quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt; ſed ab eodem homine in ſtupris inauditis nefariiſque verſato, vetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ ſeveritas cenſoria ſublata eſt: cum cui interim buſtum reipubl. qui te Conſulem tum Romæ dicis fuiſſe, verbo nunquam ſignificaris ſententiam tuam, in tantis naufragiis civitatis. Nondum quæ feceris, ſed quæ fieri paſſus ſis dico: neque verò multum intereſt, præſertim in Conſule, utrum ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus Rempubl. vexet, an alios vexare patiatur. An poteſt ulla eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in republ. Conſuli? Arma in templo Caſtoris, ô proditor templorum omnium, vidente te conſtituebantur, ab eo latrone, cui templum illud fuit te conſule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinii, buſtum legum omnium ac Religionum. At ſunt quæ dicere vix audeo. Vereor enim, ne qui ſit, qui iſtius inſignem nequitiam frontis involutam in tegumentis nondum cernat. Dicam tamen: ipſe certè agnoſcet, & cum aliquo dolore flagitiorum ſuorum recordabitur. Meminiſti ne cœnum, cum ad te quinta ferè hora cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, involuto capite, ſoleatum, & cum iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalaſſes, excuſatione te uti valetudinis, quæ diceres, vinolentis te quibuſdam medicaminibus ſolere curari? Quam nos cauſam cum accepiſſemus, (quid n. facere poteramus?) pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo: unde tu nos, cum improbiſſimè reſpondendo, tum turpiſſimè eructando ejeciſti. Idem ille ferè biduo productus in concionem ab eo (*Clodio*) cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum, cum eſſes interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo, gravis autor Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, non Ceſon. Semi-

placentius Calventius) respondes altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. Hic te ille, homo dignissimus tuis laudibus, collaudavit. Crudelitatis tu furcifer, Senatum Consul in concione condemnas? non n. me, qui Senatui parui. Nam relatio illa salutaris, & diligens fuerat consulis: animadversio quidem & judicium Senatus. Quæ cum reprehendis, ostendis qualis tu, si ita fortè accidisset, fueris illo tempore consul futurus.

2. Stipendio me herculè, & frumento Catilinam esse putasses juvandum: quid enim interfuit inter Catilinam & eum, cui tu Senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam Rempubl. Provinciæ præmio vendidisti? quæ enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem consules adjuverunt: voluit ille Senatum interficere, vos sustulistis: leges incendere, vos abrogastis: interire patriam, vos adjuvistis. Quid est vobis consulibus gestum sine armis? incendere illa conjuratorum manus voluit urbem, vos ejus domum, quem propter urbs incensa non est. Ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem consulem, de urbis incendio cogitassent: non enim se tectis privari voluerunt, sed his stantibus nullum domicilium scelere suo fore putaverunt. Cædem illi civium, vos servitutem expetistis. His vos etiam crudeliores: huic n. populo ita fuerat ante vos consules libertas insita, ut emori potius, quàm servire præstaret. Illud verò geminum consiliis Catilinæ & Lentuli, quòd me domo sua expulistis, Cn. Pompejum domum suam compulistis: neque enim, me stante, & manente in urbis vigiliâ, neque resistente Cn. Pompejo, omnium gentium victore, unquam se illi Remp. delere posse duxerunt: à me quidem etiam pœnas expetistis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium inclusum nefariis sensibus impiorum in me profudistis. Quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinæ busto, vobis ducibus mactatus essem. Quod autem majus indicium expectatis, nihil inter vos & Catilinam interfuisse, quàm, quòd eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitastis? quòd omnes undique perditos collegistis? quòd in me carcerem

effu-

effudiſtis? quòd conjuratos armaſtis? quòd eorum ferro meum corpus, atque omnium bonorum vitam objicere voluiſtis? ſed jam redeo ad præclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas diſplicet? cui, cum Senatus luctum ac dolorem ſuum veſtis mutatione declarandum cenſuiſſet, cùm videres mœrere Remp amplissimi ordinis luctu, ô noſter miſericors, quid facis? quod nulla in barbaria quiſquam tyrannus. Omitto enim illud, conſulem edicere, ut S. C. ne obtemperet: quo fœdius nec fieri, nec cogitare quicquam poteſt. Ad miſericordiam redeo ejus, cui nimis videtur Senatus in conſervanda patria fuiſſe crudelis. Edicere eſt auſus, cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, ut Senatus, contra quam ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non fineret? mœrorem relinquis, mœroris auffers inſignia; eripis lachrymas, non conſolando, ſed minando Quod ſi veſtem non publico conſilio, B. C. ſed privato officio, aut miſericordia mutaviſſent: tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, poteſtatis erit non ferendæ. Cum verò id Senatus frequens cenſuiſſet, ordines reliqui jam ante feciſſent: tu ex tenebricoſa popina Conſul extractus, cum illa ſaltatrice tonſa, Senatum reip. occaſum atque interitum legere vetuiſti.

3. Atque quærebat etiam paulò antè de me, quid ſuo mihi opus fuiſſet auxilio? cur non meis inimicis, meis copiis reſtitiſſem? quaſi verò non modò ego, qui multis ſæpè auxilio fuiſſem, ſed quiſquam tam inops fuerit unquam, qui iſto non modò propugnatore tutiorem ſe, ſed advocato, aut adſtipulatore paratiorem fore putaret. Ego iſtius pecudis, ac putidæ carnis conſilio ſcilicet, aut præſidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quicquam mihi, aut opis, aut ornamenti expectabam? Conſulem ego tum requirebam, conſulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam reipubl. cauſam gravitate, & conſilio ſuo tueretur, ſed qui tanquam truncus, atque ſtipes, ſi ſtetiſſet modò, poſſet ſuſtinere tamen titulum conſulatus. Cùm enim eſſet omnis cauſa illa mea conſularis, & Senatoria, auxilio mihi opus

 fuerat,

fuerat, & consulis,& Senatus. Quorum alterum etiam ad perniciem meam erat à vobis consulibus conversum, alterum reipubl. penitus ereptum. Attamen si consilium exquiris meum, neque ego cessissem, & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo bustuario gladiatore, & tecum,& cum collega tuo decertandum fuisset. Alia enim causa præstantissimi viri Q. Metelli fuit: quem ego civem, meo judicio, cum Deorum immortalium laude conjungo: qui C. illi Mario fortissimo viro,& consuli, & sextum consuli, & ejus invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset hujusmodi cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari? an cum altero barbaro Epicureo, cum altero Catilinæ laternario? quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala ac crotala fugi: neque tam fuit timidus, ut, qui in maximis turbinibus, ac fluctibus reip. navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem? Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas: aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli.

4. Itaque discessu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt: cùm quidem tu, ô vecors & amens, cum omnes boni abditi, inclusique mœrerent: templa gemerent, tecta ipsa urbis legerent, complexus est istud funestum animal, ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum, atque eodem, & loci vestigio, & temporis, arbitria non mei solùm, sed patrii funeris abstulisti. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam & gratulationem tuam, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset licere dignum, quis denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu, & cymbalis personaret, cumque ipse nudus in convivio saltaret, in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat, Hic autem non tam concinnus helluo, nec tam musicus,

musicus, jacebat in suo Græcorum fœtore, atque vino: quod quidem istius in illis resp. luctibus, quasi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum convivium ferebatur: in quo nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomerit, an effuderit? Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Romæ consulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te consule, esse voluisti. Hujus te Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas? animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus. Ego consulem esse putem, qui Senatum esse in republ. non putavit? & sine consilio consulem numerem, sine quo Romæ ne reges quidem esse potuerunt? Etenim illa jam omitto cum servorum delectus haberetur in foro, arma in templum Castoris, luce & palàm comportarentur. Id autem templum sublato aditur, evulsis gradibus, à conjuratorum reliquiis, atque à Catilinæ prævaricatore quondam, tum ultore armis teneretur: cùm equites Romani relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerentur. Senatui non solum juvare Rempubl. sed ne lugere quidem liceret: cum is, quem hic ordo assentiente Italia, cũctisque gentibus conservatorem patriæ judicârat, nullo judicio, nulla lege, nullo more, servitio atque armis pelleretur, non dicam auxilio vestro, quòd verè licet dicere, sed certè silentio: tum Romæ fuisse Consules, quisquam existimabit? qui latrones igitur, siquidem vos consules? qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabantur? magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna majestas Consulis: non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum, tantam personam, tam gravem, tam severam. Seplasia (a) me herculè, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, Campanum Consulem repudiavit. Audieras Decios, Magios, & de Taurea illo Jubellio aliquid acceperat, in quibus si moderator illa, quæ in nostris solet esse Consulibus, non fuit;

(a) *Capuanæ urbis pars unguentis celebris, quibus voluptuarii utebantur.*

fuit; at fuit pompa, fuit species, fuit incessus saltem Seplasia dignus, & Capua. Gabinium denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent. Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes cerussatæque buccæ, dignæ Capua, sed illa vetere: nam hæc quidem, quæ nunc est splendidissimorum hominum: fortissimorum virorum, optimorum civium, mihique amicissimorum multitudine redundat: quorum Capuæ te prætextatu nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei, cujus consilio cum universam Rempubl. tum illam ipsam urbem meminerant esse servatam, me inaurata statua donarunt: me patronum unum asciverant: à me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur: me & præsentem contra latrocinium tuum, suis decretis, legatisque defenderunt, & absente C. Pompejo referente, & de corpore reipubl. tuorum scelerum tela revellente, revocârunt.

5. Consulem tu te fuisse putas, cujus Imperio, qui rempublicam Senatus auctoritate servaret, idemque in Italia, qui omnes omnium gentium triumphis devinxerat, is se in publico turò statuit posse? An tum eratis consules, cum quacunque de re verbum facere cœperatis, aut ferre ad Senatum, cunctus ordo reclamabat, ostendebatque nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis, cùm vos quanquam scelere obstricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, sed lege impediri? quæ lex privatis hominibus esse lex non videbatur, inusta per servos, incisa per vim, imposita per latrocinium: sublato Senatu, pulsis è foro bonis omnibus, capta repubI. contra omnes leges, nullo scripta more. Hanc qui se metuere dicerent, Consules, non dicam animi hominum, sed fasti illi ferre possunt? nam si illam legem non putabatis, quæ erat contra omnes leges, indemnati civis, atque integri capitis, bonorumque tribunitia proscriptio, ac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modò consules, sed liberos fuisse putet, quorum mens fuit oppressa præmio, lingua adstricta mercede? sin illam vos soli legem putabatis, quisquam vos consules tunc fuisse, aut nunc esse consulares putet, qui ejus civitatis, in qua in Principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, non jura noritis? An, cum proficiscebamini

bamini paludati in Provincias, vel emptas, vel ereptas, consules vos quisquam putavit? itaque credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando, atque celebrando, at omnibus saltim bonis, ut consules; non tristissimis, ut hostes aut proditores, prosequebantur. Tunc etiam immanissimum ac fœdissimum monstrum, ausus es meum discessum illum, testem sceleris, & crudelitatis tuæ, maledicti & contumeliæ loco ponere? quo quidem tempore cœpi P. C. fructum immortalem vestri in me & amoris, & judicii, qui non admurmuratione, sed voce, & clamore abjecti hominis, semivivi furorem petulantiamque fregistis, tu luctum Senatus, desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum judiciorum ac fori, ut cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus discessus Reipubl. vulnera inflixit? qui si calamitosissimus fuisset, tamen misericordia dignior, quam contumelia, & cum gloria potius esse conjunctus, quam cum probro, putaretur.

IMITATIO.

Invectiva Oratione simili Neronem aliquem, Matris propria, Seneca, Christianaque Religionis hominum, ut D. Petri, & Pauli, oppressum; vel Iudam etiam Christi traditorem; aut Arium, aliumve scelerata vita hæreticum orthodoxa veterisque fidei oppressorem licebit perstringere.

III.

Vna ratio mirifice per congeriem, incrementum & *ratiocinationem tum etiam* prosopopœjæ *beneficio* amplificata.

Cicero pro Milone. Tom.3. Orat.7. post medium.

1. *Vt ostendat Milonem, etiamsi vi Clodium occidisset, absolvendum: eum de cæde facta per prosopopœjam sese ja-*

ctantem & cum summis æquantem viris, inducit, cum scelerum Clodianorum enumeratione.

2. *Quantum malorum Reip. à Clodio superstite metuendum fuisset, per fictionem Clodio rursum ab inferis excitato, declarat; monetque ob tyrannum sublatum Miloni etiam gratiam deberi.*

3. *Deorum providentia ac voluntate, quâ totum regatur universum, hanc Clodii cædem ante Sacrarium Bonæ Deæ, quam violarat, contigisse memorat; in curiamque ejus inflammatum funere, ut sine honore, & cum suorum etiam decore sepeliretur.*

1. Tam demens non sum, tamque vestri sensus ignarus, atque expers; ut nesciam quid de morte Clodii sentiatis, de qua si jam nollem diluere crimen, tamen impunè Miloni palam clamare, atque mentiri gloriosè liceret: occidi, occidi, non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non T. Gracchũ, qui collegæ Magistratum, per seditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria: sed etiam, (auderet enim dicerè, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimæ feminæ comprehenderunt: eum, cujus supplicio Senatus solennes Religiones expiandas sæpèc ensuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus juratus se quæstionibus habitis dixit comperisse: eum, qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac vitæ civium conservatorem judicabant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuscum voluit partitus est: eum, qui pluribus cædibus in foro factis singulari virtute & gloria civem, domum vi & armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recensionis tabulis publicis impressam extingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli possessionum termini: qui non calumnia litium, non injustis vindiciis ac Sacramen-

tis

tis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat: qui non solum Etruscos, (eos enim penitus contempserat) sed hunc Cn. Pompejum, virum fortissimum, atque optimum civem, judicem nostrum pellere possessionibus, armis, castrisque conatus est: qui cum Architectis & decempedis villas multorum, hortosque peragrabat: qui Janiculo, & Alpibus spem possessionum terminabat suarum. Quæ verò aderant jam, & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre Imperium, si id ille nactus esset? omitto socios, exteras nationes, Reges, tetrarchas: (vota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quàm in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias) pecunias dico? à liberis medius fidius, & conjugibus vestris nunquam illè effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi hac putatis, quæ patent, quæ nota omnibus, quæ tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscriptum fuisse, per quos totam Rempubl. resque privatas omnium possideret? Quamobrem si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius, adeste quæso, atque audite cives: P. Clodium interfeci: ejus furores, quos nullis judiciis frenare poteramus, hoc ferro & hac dextera à cervicibus vestris repuli: per me unum effectum est, ut jus, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: enim verò, quonam modo id factum ferret civitas? Nunc enim quis est, qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum reipubl. profuisse, maxima lætitia populum Romanum cunctam Italiam, nationes omnes affecisse & dicat, & sentiat? Neque vetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia, judicare: multas tamen jam summorum Imperatorum clarissimas victorias ætas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam.

Mandate hæc memoriæ, judices. Spero multa vos liberosque vestros in Rep. bona esse visuros. In singulis semper ita existimabitis, viro P. Clodio nihil horum vos visuros esse, in spem maximam, & quemadmodum confido, verissimam, adducti sumus, hunc ipsum annum hoc summo viro consule, concussa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus & judiciis constitutis, salutarem civita-

civitatem fore, num quis igitur est tam demens, qui hoc P. Clodio vivo contingere potuisse arbitretur? quid? ea, quæ tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod jus perpetuæ possessionis habere potuissent? non timeo, judices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius hæc in illum evomere videar, quam verius. Etenim etsi præcipuum esse debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio penè æqualiter versaretur odium meum. Non potest dici satis: ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, judices, nempe hæc est quæstio de interitu P. Clodii, fingite animis, liberæ enim sunt cogitationes nostræ & quæ volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ, si possim efficere ut Milonem absolvatis; sed ita; si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus affecerat, qui mortuus inani cogitatione percussit? quid? si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum: si is, inquam, potuisset, ut quæstionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare: utrum putatis facturum fuisse? etiamsi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter Remp. non fecisset, ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si puteris per vos restitui posse, nolitis: & de ejus nece lata est quæstio, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. Hujus ergo interfector non esset etiam confitendo ab iis impetraturus, ne pœnam timeret, quos liberavisset? Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt, quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? propè ad immortalitatem, & Religionem, & memoriam consecrantur, vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini? confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter se fecisse libertatis omnium causa: quod certè ei non confitendum non modo fuisset, verùm etiam prædicandum. Etenim si id non negat,

ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda? nisi verò gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis, defensorem esse: cum præsertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos, si factum vobis non probaretur: (quamquam qui poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magno animo præstantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratius, quam lætari cæteros, lugere eum solum; propter quem cæteri lætarentur? quanquam hoc animo semper omnes fuimus in patriæ proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque & invidiam nostram putaremus. Nam quæ mihi contribuenda laus esset ipsi, cum tantum in consulatu meo pro vobis, ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quæ mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? proposita invidia, morte, pœna, qui nihil segnius Remp. defendit, is, verè vir putandus est. Populi grati est præmiis afficere benè meritos de republ. cives: viri fortis, ne suppliciis quidem moveri ut fortiter fecisse pœniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione Titus Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, quâ Marius, qua nosmetipsi, & si grata resp. esset, lætaretur: si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua niteretur.

3. Sed hujus beneficii gratiam, judices, fortuna populi Romani & vestra felicitas, & Dii immortales sibi deberi putant, nec qui nullam vim cœlestem existimat, Numenve divinum: quem neque Imperii nostri magnitudo, neque sol ille, nec Cœli, & signorum motus, nec vicessitudines rerum atque ordines movent, neque id quod maximum est, majorum sapientia, sacra, qui ceremonias, qui auspicia & ipsi sanctissimè coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt. Est, est, profectò illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat, & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ; tam præclaro motu: nisi fortè iccircò esse non pu-

putant, quia non apparet, nec cernitur: perinde quasi nostram ipsam mentem, quâ sapimus, quâ providemus, quâ hac ipsa agimus ac dicimus, videre, aut planè, qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis, ea est igitur, quæ sæpè incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit, quæ illam perniciem extinxit, ac sustulit, cui primùm mentem injecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem & licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne mediocri, quidem, judices; Deorum immortalium cura res illa perfecta. Religiones mehercùlè ipsæ, aræque, cùm illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur, & jus in illo suum retinuisse. Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos inquam, imploro atque obtestor, vosque Albanorum obrutæ aræ sacrorum populi Romani sociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat, vestræ tum aræ, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat: tuque ex tuo edito monte Latialis Sancte Jupiter, cujus ille lacus nemora, finesque sæpè omni nefario stupro & scelere maculatas, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illæ, vobis, vestro in conspectu, seræ, sed justæ tamen: & debitæ pœnæ solutæ sunt: nisi fortè hoc etiam casu factum esse dicimus, ut ante ipsum Sacrarium Bonæ Deæ, quòd est in fundo T. Sextii Galli, inprimis honesti & ornati adolescentis ante ipsam, inquam, Bonam cùm prælium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret, ut non absolutus judicio illo nefario videretur; sed ad hanc insignem pœnam reservatus. Nec verò non eadem ira Deorum hanc ejus satellibus injecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore & luto, spoliatus illius, supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, abuteretur etiam abjectus. Non fuisse credo fas, clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem ejus lacerati, quàm in quo vita esset damnata. Dura mihi medius fidius jam fortuna

populi Romani & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Rempublicam insultare videret, & pateretur. Polluerat stupro sanctissimas Religiones: Senatus gravissima decreta perfregerat: pecunia se palam à judicibus redemerat: vexaret in tribunatu Senatum: omnium ordinum consensu pro salute reip. gesta resciderat: nisi eum Dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie Rempubl. nullam haberetis. An ille prætor, ille verò Consul, si modò hæc templa, atque ipsa mœnia stare eo vivo tamdiu, & consulatum ejus expectare potuissent: ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, arma sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini inflammari, excindi, funestari: neque id fieri à multitudine imperita, quanquam esset miserum idipsum, sed ab uno, qui cum tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? in curiam potissimum abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt qui de via Appia quærantur, taceant de curia. Ecquando ab eo spirante forum potuissent defendi, cujus non restiterit cadaveri curia? excitate, eum, si potestis ab inferis, frangetis impetum vivi, cujus vix sustinetis furias in sepulti nisi frangetis? nisi verò sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam concurrerunt, cum facibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt, cædi vidistis populum Romanum concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Cælius tribunus pl. vir fortissimus, & in suscepta causa firmissimus, bonorum voluntati, & autoritati Senatus deditus, & in hac Milonis, sive invidia, sive fortuna singulari, divina & incredibili fide.

IMITATIO.

Saulis vel Isbosethi interfectores, se coram Davide simili oratione tueri poterunt, quâ ostendant, ne Davidi quidem

optan-

optandum, ut adversarii ejus reviviscant, ac Dei providentia hanc fuisse cædem pro regni incolumitate perpetratam, demonstrent. Alia imitationis idonea, in resolutione orationis Milonianæ reperies.

Appendix & Observatio.

Plura ex superioribus exempla licebit petere. Quanquam hæc in reliquis planè egregia sunt. Illius porrò generalis amplificationis, quam hic minus spectamus, passim in quavis confirmatione imagines reperies: nihil enim est quod orator hac via amplificet, ut cujus officium est copiosè ornatéque differere.

CAPUT XXV.

De motu animorum concitando.

AD finem denique nostra hæc spectat instructio. Superest enim, ut quæ de affectibus motuque animorum lib. 1. cap. 23. & 24. tradidimus, suis hic etiam exemplis illustremus. Verùm ut docuimus, Ciceronem in suis potissimum conclusionibus ad permovendos auditorum animos vim omnem hujus artis atque eloquentiæ adhibuisse? ita nobilioribus ex ipso hoc institutum exemplis, quam quæ illic vel tradidimus, vel assignavimus, vix possum illustrare.

Quia tamen perorationes illius ad miserationem ferè concitandam spectant, neque aliorum hic affectuum magna ipsi est ratio; recole quæ supra dedimus in genere demonstrativo cap. 18. plerisque exemplis, atque inprimis ultimo, ut egregiis amplificationibus ad indignationem odiumque inflammat.

Quod ad hanc artem attinet, præter illa quæ supra lib. 1. dedi, nonnulla ex ipso Cicerone summo movendi artifice adjiciam. Illudque universè moneo. Tria hic præcipuè, ut in omni oratione, spectanda sunt. Primum inventio, alterum dispositio; tertium elocutio est. Inventio præcipua ex rationibus, jam ante ab oratore propositis delibat,

bat, sive rationes ipsas breviter summatimque stringit: dispositio à minoribus plerumque, quæ moveri apta sunt, ad graviores, velut per gradus enititur, ut denique ex alto collectimque præmat: elocutio, quæ præcipuas hic partes agit, in omnem sese partem, illis, quas cap. 30. signavi, figuris versat, idque per adjuncta rerum præcipuè. Ad Deum, preces, obtestationesque, ad homines, exercitationes etiam minasque vertit, dolores suos amoresque, per exclamationes frequentes testatur; trepidationem & gemitus, per suspirationes, ad mutas etiam brutasque res vertitur, tanquam hominum fides subsidiumque deficeret, excitat mortuos, pristina in memoriam, seu merita seu felicitatem reducit, & cum præsenti rerum statu comparat. Verbo, ad omnes se res, personasque, illi de qua agitur rei connexas vertit, etiam dissimiles eidem in comparationem adducit; ut re per omnem artem exaggerata, tanquam fortissima acie, obstantium animos affectusque perstringat. Verum quid præcipuum hac in arte sit, Cicero nobis ostendat.

§. 2. *Præcipua ad commovendum auditorem vis in eo posita est, ut Orator primo moveatur.* Cicero lib. 2. de orat. §. 64.

Sicut medico diligenti, priusquam conetur ægro adhibere medicinam, non solum morbus ejus cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis, & natura corporis cognoscenda ea, sic equidem cum aggredior rem ancipitem & gravem ad animos judicum pertractandos omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer quam sagacissimè possum, quid sentiant, quid existiment, quid expectent, quid velint, quo deduci oratione facillimè posse videantur. Si se dant, & sua sponte, quò impellimus, inclinant atque propendent, accipio quod datur, & ad id, unde aliquis flatus ostenditur, velando. Sin est integer quietusque judex, plus est operis: sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adjuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quæ rectè à bono Poëta dicta est: *flexamina, atque omnium Regina rerum oratio*, ut non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare; sed etiam adversantem & repugnan-

tem, ut Imperator bonus ac fortis capere possit. Quæ cum à Crasso tractantur in causis, horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique significari solet: tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum; tam integræ sententiæ: tã veræ, tã novæ, tã sine pigmentis fucoq; puerili, ut mihi non solum incendere judicem, sed ipse videatur ardere. Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut fletum, misericordiamque deducatur: nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse, atque inusti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor suscipiendus esset, & si ejusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum, atque imitatione simulatum: major ars aliqua forsitan esset requirenda: nunc ego quid tibi, Crasse, qui cæteris accidat, nescio: de me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar: non me herculè unquam apud judices, aut dolorem, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipse in commovendis judicibus iis ipsis sensibus, ad quos illos abducere vellem, permoverer. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, judex, si tu & ipse id lente ferre videaris, ne; ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit. Neque ad misericordiam abducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collachrymatione, denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igne, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ possit incendi: nisi inflammatus ad eam, & ardens ipse accesseris. Ac ne forte hoc magnum, ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præsertim in rebus alienis: magna vis est earum sententiarum, atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, ut nihil opus sit simulatione, & fallaciis. Ipsa enim natura orationis ejus, quæ suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam, quam quenquam eorum, qui audiunt, permovet. & ne hoc in causis, in judiciis, in amicorum periculis, in consensu hominum,

minum, in civitate, in foro accidere miremur: cum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius, quanquam cum professus sis, te id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est) sed alia sunt majora multò, fides, officiũ, diligentia: quib. reb. adducti, etiã cum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare non possumus, sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse, videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulæ? tamen in hoc genere sæpe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondalia illa dicentis.

Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?
Neque paternum aspectum es veritus?

Nunquam illum *aspectum* dicebat, quin mihi Telamon iratus furere, luctu filii, videretur. Ut idem inflexa ad miserabilem sonum voce.

Quem ætate exacta, indigem
Liberûm, lacerasti, orbasti, extinxisti.

Flens ac lugens dicere videbatur. Quæ si ille histrio quotidie cum ageret, tamen rectè agere sine dolore non poterat; quid Pacuvium, putatis, inscribendo leni animo, ac amico fuisse? fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audivi, poëtam bonum neminem (id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. Quare nolite existimare meipsum, qui non heroum veteres casus, fictosque luctus vellem imitari, atque adumbrare dicendo; neque actor essem alienæ personæ, sed author meæ: cum mihi M. Aquilius in civitate retinendus esset, quæ in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, Imperatorem ornatum a Senatu, ovantem in Capitolium ascendisse meminissem; hunc cum afflictum, debilitatum, mœrentem, in summum discrimen adductum viderem, non potius sum conatus, misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem tum

magnoperè moveri judices,cum excitavi mœstum,ac sorditatum senem: & cum ista feci,quæ tu Crasse laudas,non arte de qua quid loquar,nescio,sed motu magno animi,ac dolore: ut discinderem tunicam,ut cicatrices ostenderem. Cum C. Marius mœrorem orationis meæ præsens, ac sedens multis lachrymis suis adjuvaret. Cumque ego illum crebro appellans collegam ei suum commendarem, atque ipsum advocatum ad communem Imperatorum fortunam defendendam, invocarem: non fuisse hæc sine meis lachrymis,non sine dolore magno miseratio, omniumque Deorum, & hominum, & civium, & sociorum imploratio, quibus omnibus verbis, quæ à me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus,non modò non miserabilis,sed etiam irridenda fuisset oratio mea.

§.2. *Quibus rebus animi hominum potissimum moveantur, & ad amorem, odium, timorem spero ac miserationem impellantur?* ibid. §.66.

Docuit jam nos longa vita,usursque rerum maximarum, ut quibus rebus animi hominum moverentur,teneremus. Equidem primum considerare soleo, postuletne causa? nam neque parvis in rebus adhibendæ sunt hæ dicendi; neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus; ne aut irrisione, odio digni putemur; si aut tragœdias agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quæ non possint commoveri. Nam quoniam hæc verè maximè sunt in judicum animis (ut quicunque illi sunt apud quos agemus) oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes,lætitia,timor, molestia: sentimus *amorem conciliari*, si id velle videare,quæ sit utile ipsis,apud quos agas,defenderes aut pro bonis viris,laborare. Namque hæc res amorem magis conciliat; illa virtutis defensio charitatem: plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futuræ,quam præteriti beneficii commemoratio. Enitendum est, ut ostendas in ea re,quam defendas. aut dignitatem inesse, aut utilitatem: eumque cui concilies hunc amorem,significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse

sua

ſua cauſa. Invidetur enim commodis hominum ipſorum, ſtudiis autem eorum cæteris commodandi favetur. Videndumque hoc loco eſt, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorumque laudem aut gloriam, cui maxime invideri ſolet, nimis efferre videamur. Atque iiſdem his ex locis, & odium in alios ſtruere diſcemus, & à nobis ac noſtris dimovere. Eademque hæc genera tractanda ſunt *in iracundia*, vel excitanda, vel ſedanda.

Nam ſi quod ipſis, qui audiunt, pernicioſum, aut inutile ſit, id factum augeas, *odium* creatur: ſin quæ, aut in bonos viros: aut in eos, in quos quiſque minimè debuerit, aut in Rempubl. tum excitatur, ſi non tam acerbum odium, tamen, aut invidiæ, aut odii non diſſimilis offenſio.

Item *timor* incutitur, aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. Par atque una eſt ratio *ſpei, lætitiæ, moleſtiæ*. Sed haud ſciam, an acerrimus longe ſit omnium motus *invidiæ*. Nec minus virium opus ſit, in ea comprimenda, quàm in excitanda Invident autem homines maximè paribus, aut inferioribus cum ſe relictos ſentiunt, illos autem docent evolaſſe. Sed etiam ſuperioribus invidetur ſæpè vehementer, & eo magis, ſi intolerantius ſe jactant, & æqualitatem communis juris præſtantiâ dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt, quæ ſi inflammanda ſunt, maximè dicendum eſt, non eſſe virtute parta, deinde etiam vitiis atque peccatis tum ſi erunt honeſtiora, atque graviora, tamen non eſſe tanta ulla merita, quanta inſolentia hominis, quantumque faſtidium. Ad *ſedandum* autem: magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata, ſeſeque ſi quam gloriam peperiſſe videatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abjicere atque deponere: omninoque perficiendum eſt; ut illa excellens opinione fortuna, cum laboribus & miſeriis permiſta eſſe videatur.

Jam *miſericordia* movetur, ſi is, qui audit, adduci poteſt, ut illa quæ de altero deplorantur, ad ſuas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium crebro ad ſeipſum revertatur. Ita cum ſinguli caſus humanarum graviter accipiantur; ſi dicuntur dolenter,

tum afflicta & prostrata virtus maximè luctuosa est: & ut illa altera pars orationis, quæ probitatis commendatione boni viri debet speciem tueri, lenis, ut jam sæpè dixi, atque submissa: sic hæc quæ suscipitur ab Oratore ad commutandos animos, atque omni ratione flectendos intentata ac vehemens esse debet. Sed est quædam in his duobus, quorum alterum lege, alterum vehemens esse volumus, difficilis ad pistinguendum similitudo. Nam ex illa lenitate, qua conciliamur iis qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus influat oportet aliquid; & ex hac vi nonnunquam animi aliquid influendum est illi lenitati: neque est ulla temperantior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis Oratoris ipsius humanitate conceditur: remissio autem lenitatis quadam gravitate & contentione firmatur.

§. 3. *Quantum cicero hoc loquendi genere valuerit.* Cicero in Orat. perfecto. §. 26.

Duo sunt quæ bene tractata ab Oratore mirabilem eloquentiam faciunt? quorum alterum est quod Græci ἠθικὸν ad naturam, & ad mores, & ad vitæ consuetudinē accommodatū; alterū quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius come, jucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum, hoc vehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur: quod cum rabidè fertur, sustineri nullo modo potest. Quo genere nos mediocres, aut multò etiam minus, sed magno semper visi impetu sæpè adversarios de statu omni dejecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina, in Senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa, magna & gravi cum cœpisset Curio pater respondere, subito assedit,

assedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquor? quibus eò sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: In quo, ut videret excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Quæ qualiacunque sunt, me enim ipsum non pœnitet, quanta sint, sed apparent in orationibus. Et si carent libri spiritu illo, propter quem majora eadem illa cum aguntur, quàm cùm leguntur, videri solent.

Nec verò miseratione sola mens Judicum permovenda est (qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes teneremus. Ut alia in causa excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo, plangore & lamentatione compleremus forum) sed etiam est faciendum, ut irascatur Judex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, facietate afficiatur, speret, metuat, lætetur, doleat. Qua in varietate duriorum accusatio suppeditabit exempla: mitiorum defensiones meæ. Nullo enim modo animus audientis, aut incitari, aut leniri potest, qui modus à me non tentatus sit. Dicerem perfectum, si ita judicarem, nec in veritate crimen arrogantiæ extimescerem. Sed (ut supra dixi) nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam, nec unquam is qui audiret incenderetur; nisi ardens ad eum perveniret oratio.

Hæc Cicero. Quæ nobis viam ad hanc dicendi facultatem, ac vim aperire possunt. Induere autem dicentem aliquando personam huic rei idoneam, tanquam in scena conveniet: offensum gravibus delictis principem, aut gravem virum, si indignatio concitetur: hominem calamitosum & injuria afflictum, si miseratio ac dolor exspectetur. Videmus enim omnes in propria magis causa & calamitate desertos, ac commo-

vere tum maximè reliquos, quando ipsi his affectibus impulsi perorant.

§. 4. *Exemplum ad odium indignationemque, miserationem ac timorem auditorum concitanda, accommodatum.* Ex Philip. 2. Cicer. ante medium.

Accusat Cicero Antonium, velut impulsorem I. Cæsaris ad civile bellum, in quo Cn. Pompejus & Romani oppressi sunt. Et quod Cæsari Victori ab Antonio in ludis lupercalibus oblata sit; tanquam Regi ac Tyranno, corona. Licet hanc ille simulatè rejecerit, populo applaudente. Deinde eundem Antonium ut invasorem diversarum possessionum Rubrii, Turselii, Pompei & M. Varronis perstringit, odiumque in hunc, in alios miserationem accendit.

1. *Odium concitat ab enumeratione effectuum, seu malorum bello illatorum.*

2. *Ab iniquitate quâ sceleratos restituit, suos verè consanguineos etiam neglexit.*

3. *Ab alienorum bonorum, in luxum atque ebrietatem fœdissimam impensorum, rapina; ubi affectum terminat.*

4. 5. & 6. *Eodem argumento miserationem erga Pompejum, indignationem erga Antonium concitat.*

7. *Ex Pathetica descriptione oblatæ Tyranno coronæ movet indignationem.*

8. *Hic, ut supr. num. 6. ex Varronis ab Antonio spoliati, comparatione affectus miscet.*

9. *A diffidentia mortua Antonii & civium, morem*

vem incutit. Quem num. 10. *auget ex Cæsaris interfecti comparatione*, & 11. *ex sua, in respubl. defensione, constantia.*

1. Nihil de Cæsare tibi (Antoni) confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si intelligis, miseriorem, si non intelligis hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam immemorem fore. Consules ex Italia pulsos, cumque his Cn. Pompejum, qui Imperii Romani decus ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valetudinem exsequi fugam illam cladem que potuissent, prætores, prætorios, tribunos pl. magnam partem Senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo Rempublicam expulsam atque exterminatam suis sedibus. Ut igitur in seminibus est causa arborum & stirpium, sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti: doletis tres exercitus Pop. Roman. interfecit Antonius: desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius: autoritas hujus ordinis afflicta est? Afflixit Antonius. Omnia denique quæ postea vidimus (quid autem mali non vidimus?) si rectè rationabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Trojanis, sic iste huic Reipubl. causa belli, causa pestis, atque exitii fuit.

2. Reliquæ partes tribunatus principio similes Omnia perfecit, quæ Senatus, Salva republ. ne fieri possent, perfecerat. Cujus tamen scelus in scelere cognoscite. Restituebat multos damnatos, in his patrui nulla mentio. Si severus; cur non in omnes? si misericors: cur non in suos? sed omitto cæteros, Licinium Lenticulam, de alea condemnatum, collusorem suum restituit; hominem nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, &c.

3. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, Quid ereptas proferam?

Cogebat egestas, quo se everteret non habebat. Nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turselio hæreditas venerat: nondum in Cn. Pompeji locum, multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. Sed hæc quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquar potius de iniquissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie: ô rem non modò visu fœdam, sed etiam auditu. Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset; quis hoc non turpe duceret? in cœtu verò Pop. Roman. negotium publ. gerens Magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustris esculentis vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal implevit.

4. Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus; veniamus ad splendida. Cæsar Alexandriam se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur (mea autem sententia, si quis Reipubl. sit infelix, felix esse non potest) hasta posita pro æde Jovis Statoris, bona (miserum me: consumptis enim lachrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam Cn. Pompeji Magni voci acerbissimæ subjecta præconis. Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit, servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur, gemitus tamen Pop. R. liber fuit: exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere. Inventus est nemo præter Antonium: præsertim cum tot essent circa hastam illam, qui alia omnia auderent; unus inventus est, qui id auderet, quæ omnium fugisset & formidasset audacia: Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum cum sector obscenè sis isto loco natus, deinde cum Pompeji sector, non te execrandum Pop. R. non detesta-

deteſtabilem, non omnes tibi Deos, omnes homines, & eſſe inimicos, & futuros ſcias?

5. At quam inſolenter ſtatim helluo invaſit ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat Pop. Roman. exteris gentibus, juſtitia carior? In ejus igitur copias cum ſe ſubito ingurgitaſſet, exſultabat gaudio perſona de Mimis, modò egens, repentè dives. Sed, ut eſt apud Poëtam neſcio quem, *malè parta malè dilabuntur*; incredibile, ac ſimile portenti eſt, quonam modo illa tam multa, tam paucis, non dico menſibus, ſed diebus, effuderit. Maximus auri numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretioſa veſtis, multa & lauta ſuppellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat. Quæ Charybdis tam vorax, Charybdin dico? (quæ ſi fuit, fuit animal unum) oceanus medius fidius vix videtur tot res tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum. Apothecæ totæ nequiſſimis hominibus condonabantur. Alia Mimi rapiebant, alia Mimæ. Domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum, totos dies portabatur atque in locis pluribus &c.

6. At ejuſdem ædes & hortos tanta nequitia conſumpſit. O audaciam immanem! Tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tum illarum ædium Diis Penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquandiu nemo adſpicere poterat, nemo ſine lachrymis præterire, hac te in domo tamdiu diverſati non pudet? in qua, quamvis nihil ſapias, tamen nihil tibi poteſt eſſe jucundum. An illa veſtibula, roſtra, ſpolia cum adſpexiſti, domum tuam te introire putas? Fieri non poteſt, quamvis enim ſine

ſine mente, ſine ſenſu ſis, ut es: tamen & te, & tua, & tuos noſti. Me quidem miſerat parietum ipſorum, atque tectorum. Quid enim unquam domus illa viderat, niſi judicum, niſi ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina? Fuit enim ille vir, P.C. ut ſcitis, cum foris clarus, tum domi admirandus neque rebus exteris magis laudandus, quàm inſtitutis domeſticis, hujus in ſedibus, pro cubiculis ſtabula, pro tricliniis popinæ ſunt.

7. Sed ne fortè, ex multis rebus geſtis M. Antonii, rem unam pulcherrimam tranſibat oratio, ad luperealia veniamus. Non diſſimulat, P. C. apparet eſſe commotum, ſudat, pallet, quidlibet, modo ne nauſcet (a) faciat, quod in porticu Minucia fecit. (b) Quæ poteſt eſſe turpitudinis tantæ defenſio? Cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in roſtris collega tuus (*Iulius Cæſar* amictus toga purpurea in ſella aurea: coronatus: aſcendis, accedis ad ſellam (c) ita eras Lupercus ut te eſſe conſulem meminiſſe deberes diadema oſtendis, gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi; ille cum plauſu rejiciebat. Tu ergo unus, ſcelerate, inventus es, qui cum auctor regni eſſes, eum quem collegam regni habebas, dominum habere velles: & idem tentares, quid Pop. Roman. ferre, & pati poſſet. At etiam miſericordiam captabas: ſupplex te ad pedes abjiciebas: quid petens? ut ſervires. O præclaram illam eloquentiam tuam; cum & nudus (*Lupercorum more*) concionatus quid hoc turpius? quid fœdius? quid ſuppliciis omnibus dignius? nũ exſpectas, dum te ſtimulis fodiã? hæc te ſi ullam partem ſenſus habes lacerat, hæc eruentat oratio. Vereor, ne imminuam ſummorum virorum gloriam; dicam tamen dolore commotus. Quid indignius, quàm vivere eum, qui impoſuerit diadema, cum omnes fateantur, jure interfectum eſſe qui abjicerit.

8 Ad-

(a) *Hoc eſt, vomat, ut ſolet.* (b) *Vbi lupercum egit.* (c) *Qui ager ille à Cæſare datus eſt.*

8. Advolas in M. Varronis sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem. Quo jure? quo ore? Eodem, inquies quo in hæredum L. Rubri, quo in hæredum L. Turselii prædia, quo in reliquas innumerabiles possessiones. Misisse te dicis Alexandriam, qui emeret à Cæsare. Remove gladios parum per illos quos videmus, jam intelliges aliam esse causam hastæ Cæsaris, aliam confidentiæ & temeritatis tuæ. Non enim te Dominus illis sedibus, sed quivis amicus vicinus, hospes, procurator accedit. At quam multos dies in ea villa turpissimè est perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, quam dispari Domino! quanquam quomodo iste Dominus, sed tamen quam à dispari tenebantur? Studiorum enim suorum M. Varro, voluit esse illud, non libidinum diversorium. Quæ in illa villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? Jura Pop. R. monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisq; doctrina. At verò te inquilino, (non enim Domino) personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, scorta inter matresfamilias versabantur.

9. Sed præterita omittamus; hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. Cur armatorum corona Senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur valvæ Concordiæ non patent? cum homines omnium gentium, maximè barbaros Ithyreos, cum sagittis deducis in forum? Præsidii sui causa se facere dicit. Nonne igitur millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum præsidio non posse vivere? Sed nullum est isthoc, mihi crede, præsidium. Charitate & benevolentia civium septum oportet esse, non armis. Eripiet, extorquebit tibi ista Pop. R. utinam salvis nobis! Sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes esse, mihi, crede diuturnus.

10. Recordare, M. Antonii, diem illum quo dictaturam sustulisti; pone ante oculos lætitiam Senatus populique Rom. Confer cùm hac nundinatione tua, tuorumque cum intelliges quantum ad laudem & lucrum interfit. Sed nimi-

nimirum, ut quidam morbo aliquo & sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi veræ laudis gustum non habent. Sed si te laus illicere ad adrectè faciendum non potest; ne metus quidem à fœdissimis factis potest avocare? judicia non metuis? si propter innocentiam, laudo: si propter vim, non intelligis, ei, qui isto modo judicia non timeat, quid timendum sit, Quod si non metuis viros fortes, egregiosque cives, quòd à corpore tuo prohibentur armis; tui te, mihi crede, diutius non ferent. Non intelligis, satis esse viris fortibus didicisse, quam sit pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum tyrannum occidere? an cum illum (J. Cæsarem) homines non tulerint, te ferent? Nisi verò aut majoribus habes beneficiis obligatos quam ille quosdam habuit ex iis, à quibus est interfectus: aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia. Res bello gesserat, quamdiu Reip. calamitosas, attamen magnas. Multos annos regnare est meditatus, magno labore, magnis periculis, quæ cogitaverat effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam lenierat: suos præmiis, adversarios clementiæ specie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberæ civitati, partim metu, partim patientia consuetudinem serviendi. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum, cæteris verò rebus nullo modo es comparandus.

11. Sed de te tu ipse videris, ego de me ipso profitebor. Defendi Remp. adolescens, non deseram senex: contempsi Catilinæ gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitatis potest. Utinam aliquando dolor Pop. R. pariat, quod jamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti, hoc ipso in temple negavi, posse mortem immaturam esse consulari: quantò verius nunc negabo seni? Mihi verò P. C. jam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo hæc opto: unum, ut moriens Pop. R. liberum relinquam: hoc mihi majus à Diis immortalibus dari nihil potest: alterum ut ita cuique eveniat, ut de Republ. quisquis meretur.

§. 5. Ex-

§. 5. *Exemplum D. Hieronymi, qua ad* fugam & detestationem *sceleris Bethlehemiticum Monachum apostatam libidine captum incitat.* lib. 2. Epist. 3.

Infelicissime mortalium, tu speluncam illam in qua Dei filius natus est, & terra nostra dabat fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? nonne times, ne de præsepi infans vagiat? ne purpurea Virgo te videat? ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, stella desuper ritulat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur: & in cubiculum Virginis decepturus, irrepis? Paveo miser, & tam mente quàm corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum.

Tota Ecclesia nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, & in diversarum Gentium linguis unus in laudibus Dei spiritus concinebat. Tu inter ostia quondam præsepis Domini, nunc Altaris, amatorias Epistolas fulciebas, quas postea illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu, inveniret, & legeret. Et stabas deinceps in choro psallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Proh nefas! non possum ultra progredi. Prorumpunt lachrymæ antequam verba, & indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenis? nunc profecto mutui essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Immensa res est, quam nulla Eloquentia explicare queat. Repertum est facinus, quod nec Mimus fingere, nec Scurra ludere, nec Attelanus possit effari. Nihil dico amplius Venerabile præsepe, & campi, me non sinunt plus credere, quam te voluntate tantùm, & animo corruisse.

Miser! nonne quando in spelunca cum Virgine stare cœpisti, caligaverunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt brachia, pectus intremuit, nutavit incessus? A vespere usque manè fenestræ illius assides, & quia propter altitudinem, hærere vobis cominus non licebat, per funiculum vel accipis aliquid, vel remittis. Vide quanta diligentia Domini fuerit, ut nunquam domi Virginem, nisi in Ecclesia videris, & cùm talem uterque vestrum habuerit voluntatem,

catem, nisi per fenestram nocte facultas vobis non fuerit colloquendi. Oriebatur tibi Sol in vito, exanguis, marcidus, pallidus, ut suspicione omni careres Evangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas. Nos pallorem jejunii putabamus, exangue os contra institutum, ac morem tuum quasi confectum vigiliis mirabamur.

Jam tibi & scalæ per quas deponeres miseriam, parabantur; jam iter depositum, decreta navigia, condicta dies, fuga animo pertractata: Et ecce Angelus ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini custos, & infantis Christi gerulus, coram quo tanta faciebas, ipse te prodidit: O funestos oculos meos! ô diem illum omni maledictione dignissimum, in quo Epistolas illas tuas, quas hujusque retinemus, consternata mente legi. Quæ tibi turpitudines? quæ blanditiæ? quanta de conducto stupro exultatio? hæccine Diaconum non dicam loqui, sed scire potuisse? ubi miser ita didicisti, qui in Ecclesia te nutritum esse jactabas? nisi quod in eisdem Epistolis juras te nunquam pudicum, nunquam fuisse Diaconum. Si negare volueris manus tua te redarguet, ipsi apices proclamabunt.

Habeto igitur interim lucrum sceleris, non possum tibi ingerere quod scripsisti. Non doleo de maledictis, hoc plango, quod te ipse non plangis, quod te non sentis mortuum, quod quasi gladiator, paratus libitinæ in proprium funus ornaris. Amiciris linteis, digitos annulis oneras, dentes pulvere teris, raros in rubenti calvaria digeris capillos: taurina cervix, adipeis intumescens, nec, quia propter libidinem fracta est, inclinatur. Super hæc unguenta fragras, mutas balneas; & contra renascentes pilos pugnas; per forum ac plateas, nitidus ac politus amator incedis. Convertere miser ad Dominum, ut ad te Dominus convertatur.

FINIS.

INDEX



INDEX MATERIARVM ET LOCORVM COMMUNIUM.

A

qui in mari, aut ex equis pugnassent; sed ipsi populi tributim divisi, meri agricolæ appellente Marathonem classe Barbarorum passim accurrerunt. Milites profectò qui iras non contemnendas alerent. Quorum hic ligone armatus erat, alter vomere pugnabat, tertius falce in hostem ferebatur. O pulchrum, nativumq; exercitum! ô ingenuos viros! ô pulchri præstantesq; terræ atque agriculturæ alumni! quam virtutes vestras admiror, quàm arma vestra laudo, quibus pro terrâ vestra pugnastis: pro vinetis, quæ coluistis, pro olivetis, quæ plantastis! Post pugnam rursus ad terram vestram rediistis, ex militibus agricolæ, ex agricolis milites fortissimi. O mutationem pulchram! Nam si Persas in exercitu pellices suæ sequuntur, ut pro charissimis corporibus fortiter pugnent: minusne agricola strenuè à vitibus suis, ab oleis, à segete interitum calamitatem ac vastitatem avertet? si cum hoc exercitu posteriores conferas, plures invenies milites, pauciores victores; plures armatos, sed mercede conductos. Milites umbraticos, milites petulantes, qui vincuntur in Siciliâ, capiuntur in Hellesponto.

IMITATIO.

Augustus Cæsar belli calamitatibus expensis pacis ocium præferat, quo agricultura reflorescat, & Imperium passim afflictum recreatur. Remotior imitatio erit, si virtutis culturam literarum studio doceas præferendam.

Nota contrarium hujus theseos, de præferenda Agriculturæ militia, apud eundem Tyrium invenies.

II. Thesis.

Sit ne Senectus ob virium imbecillitatem aspernanda? Cicero in Catone Maj.

A comparatione & adjunctis.

Negat Cato apud Cicer. iccirco aspernandum.

Probat 1. *Quia laudabilius putat ingenio excellere, cum Pythagora, quam cum Pontio & Milone viribus. Quanquam & vires exercitatione, & temperantia ad senium produci possint, ut Rex Massanissa Scipionis quondam hospes fecit.*

Prob. 2. *Quod vires magnæ ad senum officia non requirantur, & si prorsus imbecillæ sint, naturæ etiam in adolescentibus, non solius ætatis vitium esse.*

3. Docet, *Senectutis defectum, moderanda vivendi ratione,*

ne, ne succumbat corpus, & honesta mentis exercitatione, ne languescat animus, corrigi posse, quod Appium, licet cæcum, se verò etiam jucunda studiorum pertractatione, facere asserit.

Cato senex ad Scipionem & Lælium adolescentes.

Nunquam sum assensus illi veteri laudatoq; proverbio; *quod monet, maturè fieri senem, si diu velis senex esse.* Ego verò me minus diu senem esse mallem, quam esse senem, antequam essem. Itaq; nemo adhuc convenire me potuit, quin fuerim occupatus.

At minus habeo viriũ, quam vestrũ utervis. Nec vos quidem T. Pontii Cẽturionis vires habetis. Nũ iccirco est ille præstãtior? moderatio modo viriũ adsit, & tantũ, quantũ, potest, quisq; nitatur: næ ille non magno desiderio tenebitur viriũ. Olympiæ per stadiũ ingressus esse Milo dicitur, cũ humeris sustineret, utrũ igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? deniq; isto bono utare, dũ adsit; cũ absit, ne requiras. Nisi fortè adolescentes pueritiâ, paullulũ ætate progressi adolescẽtiâ debent requirere. Cursus est certus ætatis, & via una naturæ, eaque simplex, suaq; cuiq; parti ætatis tẽpestivitas est data. Ut enim infirmitas puerorũ est, ferocitas juvenũ, gravitas jam cõstantis ætatis: sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tẽpore percipi debeat. Arbitror te audire Scipio, hospes tuus Massãssa, quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit in equum omninò nõ ascendere; cũ equo, ex equo non descendere; nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite aperto sit: summam in eo esse corporis siccitatem; itaq; exequi omnia regis officia, & munera. Potest igitur exercitatio, & temperantia in senectute etiam aliquid conservare pristini roboris.

Non sunt in senectute vires, nec postulantur quidẽ vires à senectute, ergo & legibus & institutis, vacat ætas nostra muneribus iis, quæ nõ possunt sine viribus sustineri. Itaq; non modò, quod non possumus; sed ne quantũ possumus quidem, cogimur. At jã multi sunt imbecilli senes, ut nullius officii, aut omninò vitæ munus exequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitiũ, sed commune invaletudinis Quã fuit imbecillus P. Africani filius, is, qui te adoptavit? quã tenui, aut nulla potius valetudine? quod ni ita fuisset, alterum ille extitisset lumẽ civitatis, ad pa-

ternam

L

M

Memo-

Frugali-

R

S

T

V

Ut

N

O

I. Thesis.

Agriculturam militia præferendam esse. Tyrius disser.14.

Ab effectis & adjunctis utriusque.

Agricola militi præferendus his rationibus.

1 *Quia minus cupidi, quam milites sunt.* 2. *Magis temperantes.* 3. *Iustiores.* 4. *Magis Religiosi & pii.* 5. *Magis sapientes.* 6. *Denique magis etiam fortes, ut exemplis probatur.*

1. Cum maximum homini malum sit cupiditas, videamus, utrum cupiditatem facilius generet, bellum an agricultura? Atqui alterum insatiabile esse constat, frugale alterum. Insatiabile est bellum, frugalis est agricultura. Maxima belli est varietas, simplex est terræ studium, alterius ambigua; alterius certissima est ratio. Quid enim belli fortuna minus certum est? Terræ verò cultus semper est sibi similis. Fausto belli successu efferuntur animi, fructuum ubertas moderatiorem efficit agricolam. Quod si bilis & iracundia res molestæ difficilesque & quæ ægrè in officio contineri possunt, semper comitantur hominem, quis major iracundiæ fomes est, quam bellum & arma? Quid contrà agricultura mitius? Jam ad virtutes utrumque ita se habet: ac primò ad temperantiam.

2. Qui arma tractat, si vir fortis est, fit temerarius: si imbellis, periculo se exponit. Non enim minus qui jam audax est, fit temerarius, quam qui imbellis est, fit audacior. Qui voluptates ante armavit, fit dissolutior. In agricultura contra, qui fortis est, frugibus abundat: qui infirmior, valetudini suæ consulit, qui meticulosus est, prudentius agit, qui voluptati addictus fuit, fit continentior.

3. Si justitiam spectes, bellum injustitiæ magister est, agricultura justitiæ. Bellum, cum alterius injuria, plura semper quærit, alterius bonis semper imminet; ac tum demum optimè se habet, cum maximam injuriam intulit, cum per nefas voti sui potiri poterit. Agricola tantundē dat & accipit; justissiméq; munus exercet suū, si plantam colit, seges labori ejus respondet: si vitem curat, vitis magnam vini copiam persolvit, si oleam educat, floret olea, & feliciter fructus profert. Nemini metam agricola incutit, nulli hostis est, amicus omnibus, sanguinis expers, expers cædis. Sacer devotusq; Diis frugum, Diis vindemiarum, Diis areæ, arationis inspectoribus Diis. Jam in

populari Repomnibus æqualis est agricola : quia nihil æquè ac paucorum Imperium tyrannidemque odit agricola. Neque enim agriculturæ alumni Dionysius aut Phalaris sunt, sed utrūq; arma produxerūt.

4. Jam verò in festis, in sacris, in solenni conventu, utri tibi præstare videntur? Nunquid miles inelegans festi celebrator est, aptissimus agricola, miles à sacris alienissimus, natus ad ea agricola? miles in conventu solenni metuitur, pacis idoneus cultor est agicola. Ut existimē primo omnium festa Deorum & mysteria, solos celebrasse agricolas. Hi primi tripudia ad torcularia instituerunt Bacchica, primi in arcis sacra Cereris, primi de oleæ inventione gratias Minervæ egerunt, primi Diis terræ frugum suarum primitias, à quibus acceperunt, reddiderunt. Quæ gratiora fuisse Diis certum est, quam decimæ, quas aut Pausanias, aut Lysander è bello obtulit: quorum primitiæ, quorum pietas, ex aliorum miseriis processit. Contra agricularum mitissima sunt vota, religiosissimæ victimæ, è proprio labore depromptæ, sine calamitate ullius, sine ullius malo.

5. Quod si & sapientiæ utriusque habenda est ratio: Videamus & hic utrumque Nonne alterius in bello, ut equitatum instruat. -- *ut clypeis armatorum agmina jungat.* quo in humanis rebus nihil est aut tristius, aut jucundum minus, alterius circa terræ studium occupatur industria?

------ *Plejades quoties Atlantis pignora surgunt;*

messem incipit.

--------------- *Cum cedunt sumit aratrum.*

Spectat & anni tempestates, & Lunæ cursum, & astrorum ortum, & imbres & ventos.

6. Sin & corporis virtus, & in subeundis laboribus utrisq; inspicienda est patientia, minimum tempus quo opus exerceat, militi relictum est, nullum non sibi vindicat agricola. Semper subdio versatur, soli amicus, nivibus assuetus, bene compacto corpore, pedibus nudis, operis sui administrator ipse, insomnis: velox cum currendū; robustus, cum aliquid ferendum est. Quòd si bellum fortè vocet, videbis militem non umbraticis exercitum laboribus: qualem ad Marathonem expertus est Darius. Milites n. tum temporis Athenienses habebant, non qui cum cataphractis in acie stetissent, aut sagittam emittere didicissent, nec

qui

Ut quædam properato & inconſtanti typothetarum labore impreſſa] ſunt, ita erratis non vacant. Ad quæ hodie tanquam ad ſcopulum plerique ſcriptorum alliduntur, ut non niſi quasſata nave portum ſubeant. Non vacabat modo huc ad ſyllabum conferre malè divulſa. Pleraque ejuſmodi ſunt, quæ à quolibet non omnino rudi diſcerni poſſint. Illud obiter moneo: Exemplum 3. quod p. 770. pro Poëtis adducitur malè transpoſitum, ſpectare ad genus demonſtrativum. In pag. verò 968. lin. 26. quædam verba omiſſa totum ſenſum deſtruere; ideoque ſic legendum. *Hoc animo ſemper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam non invidiam putarem.*

FINIS.

